MONVMENTA
GERMANIAE
HISTORICA

INDE AB ANNO CHRISTI QVINGENTESIMO
VSQVE AD ANNVM MILLESIMVM
ET QVINGENTESIMVM

EDIDIT

SOCIETAS APERIENDIS FONTIBVS
RERVM GERMANICARVM MEDII AEVI

EPISTOLAE SAECVLI XIII
E REGESTIS PONTIFICVM ROMANORVM SELECTAE

TOMVS I.

BEROLINI
APVD WEIDMANNOS
MDCCCLXXXIII

EPISTOLAE SAECVLI XIII

E REGESTIS

PONTIFICVM ROMANORVM

SELECTAE PER

G. H. PERTZ.

EDIDIT

CAROLVS RODENBERG.

TOMVS I.

BEROLINI
APVD WEIDMANNOS
MDCCCLXXXIII

WEIMAR. — HOF-BUCHDRUCKEREI.

SOCIETAS APERIENDIS FONTIBVS RERVM GERMANICARVM MEDII AEVI.

SANCTVS
AMOR PATRIAE
DAT
ANIMVM.

FRANCOFVRTI A. M.
XIII. KAL. FEBR. MDCCCXIX.

Epistolarum, quae ad rerum Germanicarum medii aevi illustrationem maximi sunt momenti, collectionem diu promissam iam tandem edendam adorsi, inter quam plurimas schedas per longa annorum curricula congestas inprimis offendimus ingentem illum thesaurum a beatae memoriae G. H. Pertzio olim e Romanorum Pontificum Regestis erutum, cuius ut compotes fierent, viri docti dudum flagitarunt. Pertzius enim, cum a. 1823 Romae moraretur, archivi Vaticani adeundi, id quod paucissimis tunc contigit, facultatem nactus erat. Ubi inprimis ad exscribendos Regestorum libros ibi asservatos animum intendens, mox cognovit propter infinitam epistolarum multitudinem et brevitatem temporis concessi modum imponendum sibi esse, qua de causa eas tantum seligere decrevit, quae ad generalem Imperii historiam pertinerent. Hac intentione Regestorum seriem ab initio pontificatus Honorii III, a. 1216, usque ad tempora Clementis IV papae, 23 volumina, percensuit et ex 24000 epistolis, quae in iis continentur, 1800 circiter aut ipse descripsit aut a tabulario describendas curavit; non omnes integras: earum enim, quas Raynaldus Annalibus suis inseruerat, quasque, cum de eius fide et cura optimum cogitare didicisset, iterum describi supervacaneum duxit, numeros Regestorum et inscriptiones tantum annotavit, in nonnullis etiam partes ab illo omissas supplevit, in aliis notas chronologicas correxit. His igitur cum aliis, quos ipse descripserat, coniunctis collectionem epistolarum esse se editurum pollicitus est, in qua alius aliam Regestorum epistolam fortasse desiderare posset, nulla autem, quae ad historiam Imperii illustrandam aliquid valeret, defutura esset. Pertzius in patriam reversus, mox aliis rebus occupatus, tandem senectute praepeditus, promissam editionem numquam

pararit, multis dolentibus, cum licet non paucae Regestorum epistolae interim et ab ipso in Legum volumine altero et ab aliis publicatae essent, inter quos Palackyum, Huillard-Bréholles, Theinerum nominamus, non parvam tamen epistolarum ineditarum copiam in schedis ipsius adhuc reconditam esse ex certis indiciis concludi posset. Huic igitur multorum desiderio ante omnia satisfaciendum esse censuimus, praesertim cum liberius iam aperto archivi illius aditu verendum esset, ne totus magni illius laboris fructus ab aliis praeriperetur, id quod aliqua ex parte iam factum est. Verum etiam postquam aliae collectiones publici iuris factae sunt, haec selectio summa cum diligentia et sagacitate facta, magni semper pretii erit. Itaque ne diutius lateret, minime expectandum esse duximus, donec post ceteras priorum saeculorum epistolas ad saeculum XIII perveniremus, sed omissis interim aliis has publicamus, primo in tomo Honorii III et Gregorii IX epistolas proponentes. Sed cum numerum voluminum, quibus usque ad eum terminum opus erit, aestimare nondum liceat, certus ei in tota epistolarum serie locus adsignari non potuit. Editionis vero non parvum certe laborem Carolo Rodenberg, Philosophiae Doctori, detulimus, qui de Regestorum ipsorum collectione huiusque editionis consilio in praefatione, quae hic sequitur, lectorem edocebit.

Dabam Berolini Idibus Martiis 1883.

Guilelmus Wattenbach.

PRAEFATIO EDITORIS.

Selectas has e Regestorum voluminibus epistolas[1] edituri, pauca praemittenda duximus de ipsorum Regestorum ortu et institutione, eo dumtaxat consilio, ut in primis ad Regesta Honorii III et Gregorii IX, tum vero ad alia saeculi XIII animum advertamus, cum aliis temporibus alio modo in litteris registrandis processum esse videatur. Regesta, quae etiam Registrum vel Regestrum appellantur, quomodo conscripta sint et quales fuerint regulae in registratura observatae, litteris custoditum non est: nonnulla tantum hanc rem attingentia variis locis dispersa supersunt, quae a viris doctis, inter quos Dudik[2], Delisle[3], Munch[4] notandi sunt, diligenter collecta et cum iis quae Regesta ipsa docent coniuncta, de ordine in litteris registrandis usitato summatim instruere nos possunt. Qui hic est. Si papa mandaverat, ut epistola exararetur, saepe formula, in quam sola nomina inscribebantur, adhiberi poterat, quae 'litterae simplices vel communes' vocatae, a cancellario vel eius vicario mittebantur neque papae praesentari debebant. Alterum epistolarum genus 'litterae legendae' appellabatur, quia earum exemplaria, 'litterae notatae', ab 'abbreviatoribus' confecta coram papa legebantur, a quo aut comprobabantur sive simpliciter sive post factas aliquas correctiones, ita ut authentica ex iis describi possent, aut reiiciebantur, ut retractata et correcta iterum recitarentur[5]. Num in litteris registrandis inter legendas et communes distinctum sit, pro certo dici non potest: nam etsi, quoad cognoscere potuimus, illarum plures in Regestis legantur, saepe tamen tales occurrunt, quae litterae communes esse videntur. Non omnes autem litteras, quae de curia exierint, ibi contineri, authentica et apographa alibi tradita testantur. Ante alias nimirum eas, quas conservari curiae interfuerit, selectas esse probabile est, sed inter has quoque nonnullae omissae sunt[6], et multae ibi extant, quibus aliis iura conceduntur: quare quae registrandae fuerint, certo constitutum fuisse non putamus. Epistolas, quae in Regesta recipiendae fuerint, ex authenticis bullatis descriptas esse, omnes fere, qui de hac re disseruerunt, Dudik, Delisle, Munch, Ficker, Löwenfeld, sumpserunt; ad quod pro- *Regestorum origo.*

1) *Cf. Archiv t. V, p. 24—33, 341—352. Apographa epistolarum praestantiorum, praecipue earum, quae ad imperatorem directae sunt, Pertzius ipse fecit.* 2) *Iter Romanum a. 1852—1853, t. II; sed sola Reg. saec. XIV attentius respexit.* 3) *Mémoire sur les actes d'Innocent III, Bibl. de l'École des Chartes, Sér. IV, t. IV, a. 1858, p. 1.* 4) *Aufschlüsse über das päpstl. Archiv, a. d. Dänischen übersetzt v. S. Löwenfeld. Hos et plurimos alios, qui de litteris papalibus disseruerunt, documenta de consuetudinibus cancellariae curiae ab I. Merkel in Arch. storico Italiano, append. t. V, n. 19, a. 1847, p. 129 publicata, quae V. Cl. W. Wattenbach nobis monstravit, effugerunt.* 5) *Quae litterae tempore Nicolai III simplices, quae legendae fuerint, decretum eiusdem papae ap. Merkel l. c. p. 140 docet, quod commemorat Delisle l. c. p. 22, not. 1.* 6) *v. p. 515, not.*

bandum Delisle[1] authenticum epistolae Urbani IV citavit, in qua, in plica membranae, verbum Registetur *scriptum sit, et in tergo aliarum littera* R *cum nota, quo loco in Regestis legantur, inveniri addidit[2]; Munch[3] praeterea nonnullis privilegiis in Regestis quoque rotam appictam et subscriptiones appositas esse significavit, quae res in litteris notatis certe non extiterint; Dudik[4], saeculo quidem XIV, epistolas ex authenticis in Regesta relatas esse et ab iis, quibus eaedem datae fuerint, pro opere registrandi certam pecuniae summam (taxam) solvi debuisse ex verbis Iacobi Cohellii nihil dubii relinquentibus demonstravit; Ficker[5] et Löwenfeld[6] aliorum sententias exponentes laudaverunt. Solus, quoad scio, Pertzius[7] Regesta ex litteris notatis a papa approbatis conscripta esse contendit, neque vero argumenta addidit.*

Ex litteris notatis scripta. *Cum scriptorum antiquorum auctoritas nobis desit, ut hanc controversiam, quantum ad tempora Honorii III et Gregorii IX, diiudicemus, Regesta ipsa excutienda sunt. Ea in libros divisa sunt, qui singuli singulorum annorum pontificatus litteras comprehendunt. In his libris quidam ordo chronologicus facile cognoscitur, neque vero eum unquam diligenter servatum videmus, sed aliquando contingit, ut epistola aliqua aliam, quae duobus, ut in Regestis Honorii III et Gregorii IX invenimus[8], vel etiam quattuor et pluribus, ut in Regestis Innocentii IV comparet, mensibus post data est, in Regestis sequatur. Pro multis exemplis duo proponimus:*

Hon. III Reg. Vol. V, 108; Lib. X, 169; dat. 1226, Ian. 30. [n. 291]
Vol. V, 110—111; Lib. X, 186; dat. 1225, Nov. 29. [n. 288]
Greg. IX Reg. Vol. II, 120; Lib. V, 122; dat. 1231, Sept. 4. [n. 452]
Vol. II, 128; Lib. V, 134; dat. 1231, Iul. 23. [n. 446]

Munch epistolas eo ordine insertas esse censet, quo mittendae fuerint, primum graviores, tum eas quibus opus non fuerit properato. Sed Regestorum exempla hanc sententiam non fulciunt. Ut curiae parvi interfuerit, quo tempore privilegia iis, quibus danda erant, exhiberentur, epistolas tamen mandata, monita similesque res continentes, postquam papa eas mitti iusserit, tam diu in registratura retentas esse, quia sive scriba Regestorum sive etiam cancellarius eas tanti non existimarit, ut cito describerentur, credi non potest. Et epistolae, quas supra citavimus, inter tales habendae sunt; nam in altera, n. 288, Honorius III 'civitatibus marchiae Anconitanae mandat, ut Azzonem marchionem Estensem sicut dominum suum recipiant eique fidelitatis iuramenta praestent, alioquin episcopum Forosimpronieusem contra eas processurum esse', in altera, n. 446, Gregorius IX, Reate commorans, 'rectoribus Urbis mandat, ut senatorem Urbis excommunicent, si de cetero ad effodiendos muros ecclesiarum cavatores mittat'. Nihil autem difficultatis superest, si epistolas ex litteris notatis in Regesta relatas esse ponimus. — Praeterea ad litteras encyclicas, eas quae ad varias personas, inscriptione et allocutione mutatis, missae sunt, animum advertere expedit. Nemo sane

1) *p. 10.* 2) *p. 33.* 3) *p. 26.* 4) *t. II, p. 73, not.* 5) *Beitr. zur Urkundenlehre t. II, p. 35.* 6) *Briegers Zeitschr. für Kirchen-Gesch. III, 1, p. 143.* 7) *Archiv V, p. 345.* 8) *Ep. n. 274, nota chronologica carens, Regestis inter alias mensis Febr. 1226 inserta, quae in exemplari alibi servato a. 1225, Iul. 13 data est, fortasse a. 1226 renovata est; v. infra p. XII.*

opinetur authentica omnium illarum epistolarum, quae ut exemplo utamur, de prima et secunda convocatione concilii anni 1241 sub eadem forma exierint, n. 781 et 785, ad registraturam lata esse, ut ibi sola nomina eorum, ad quos directa erant, annotarentur. Immo nomina ex tabula, in qua certo ordine composita erant, descripta esse iam res ipsa verisimile reddit et infra demonstrabitur[1]. *Si vero ad unum omnia epistolarum illarum authentica in registratura non fuisse constat, quare hoc unum authenticum et non litteras notatas, quae omnium exemplum fuerint, cum tabula nominum illuc missas esse putare debeamus, non intelligimus. — Unam denique epistolam praebemus, quae nullo modo ex authentico in Regesta relata esse potest, n. 309, in qua papa rectores communitatis Lombardiae adhortatur, ut a. 1226, Nov. 1 legatos ad sedem apostolicam destinent; quae epistola in Regestis inter alias Nov. 22 et Nov. 24 datas legitur.*

Si his de causis Regesta ex litteris notatis conscripta esse statuimus, hoc non decreto quodam papae vel cancellarii praeceptum esse dicimus, sed ex consuetudine evenisse, quae cum aliquid utilitatis haberet, servata est, a qua discedi potuit et discessum est, tum potissimum, cum epistola, quae initio Regestis inseri non debuit, postea, fortasse ad preces eius cui data erat, registraretur. Tale quid circa epistolam Urbani IV a L. Delisle citatam accidisse putamus, quod ex singulari annotatione Registetur *colligimus; nam si constitutum fuisset, ut authentica quaeque in registraturam missa in Regesta referenda essent, quare verbum* Registetur *addendum fuisset? quod verbum non sine causa apponi debuit, si Regestorum scriba authentica describere non consueverat. Aliae epistolae, in quarum tergo littera* R *cum nota, quo loco in Regestis legantur, invenitur, ad rem ipsam nihil valent, nam et ex authenticis et ex litteris notatis in Regesta illatae esse possunt. Porro ad id, quod Munch ad opinionem suam sustentandam protulit, nonnullis Regestorum privilegiis rotam appictam et subscriptiones additas esse, respondemus nos nulla privilegia Honorii III et Gregorii IX, quae ex Regestis emanaverint, nosse, in quibus subscriptiones reperiantur; in quo verba L. Delislei*[2] *nobis suffragantur, qui subscriptiones in privilegiis Regestorum Innocentii III 'semper fere' deesse dicit, et inter quatuordecim unum*[3] *tantum adhibere potest, quod iis ornatum est. Aliud autem in Regestis Innocentii IV cernitur. Primi quidem Libri privilegia, quae numero novem sunt, omnia subscriptionibus carent, ea vero, quae in secundo tertio quarto, quousque E. Berger Regesta edidit, numero viginti continentur, omnia, et eorum quae in Regestis temporum inferiorum reperimus, aliqua subscriptionibus instructa sunt. Unde ab anno secundo Innocentii IV privilegia ex authenticis in Regesta descripta esse a vero non abhorrere videtur, et fortasse conicere licet hoc tum fieri coeptum esse, quia decretum erat, ut in posterum privilegia in Regesta non reciperentur nisi certa pecuniae summa (taxa) registratoribus soluta; quem usum saec. XIV observatum esse probari potest*[4]. *Propter quod suspicamur Munchium, qui consuetudines diversorum temporum*

1) *p. XI.* 2) *p. 11 et 36.* 3) *Lib. VII, 115; Potthast, Reg. 2257.* 4) *Dudik, t. II, p. 73, not.; Munch, p. 30.*

non semper accurate discernit, exempla illa ex Regestis Innocentii IV et posteriorum paparum et ex chartaceis saec. XIV, de quibus p. 34, not. 1 loquitur, sumpsisse, quae ad tempora Honorii III et Gregorii IX auctoritatem habere non possunt, praesertim cum sub Innocentio IV commutationem aliquam in privilegiis registrandis factam esse manifestum sit. Quod si etiam in Regesta Honorii III et Gregorii IX privilegium aliquod ex authentico relatum est, — id quod simpliciter negare nolumus, quia Regesta ipsa non vidimus, — tum a regula aberratum esse contendimus[1].

Nota chronologica. *Cum epistolae Regestorum, paucis exceptis, notis chronologicis consignatae sint, eas litteris notatis adscriptas esse oportet, id quod, adscitis aliis quae ad eandem rem pertinent, ut temporis momentum, quod nota chronologica designatur, artius circumscribere possimus, efficit. Accidit enim, ut papa in altera epistola alteram commemoraverit, cuius nota chronologica diem posteriorem indicat: sic a. 1235. Sept. 23, n. 658, Gregorius IX papa imperatori scripsit:* nobiles de Lombardie partibus oriundos et magistrum Petrum ad Antiochenum patriarcham et rectores societatis Lombardie duximus destinandos, mandantes eisdem *etc., et sequuntur mandata; epistolae autem ad eosdem transmissae, in quibus haec mandata continentur, Sept. 26 datae sunt, n. 661 et 662; sub a. 1235, Febr. 13 Petro de Collemedio* litteras regi Franciae directas *misit, quae litterae Febr. 14 subsignatae sunt, n. 624, 625, 626; cf. a. 1235, Iul. 26 et 31, n. 647, I et II; a. 1235, Aug. 4, 8 et 11, n. 652, 653 et 654; a. 1236 Aug. 17 et 19, n. 695 et 699; a. 1240 Nov. 5 et 6, n. 787, I et II; v. etiam in n. 304 primam epistolam et eam, quae positis tantum verbis* In eundem modum *adiuncta est. Ex his elucet binas temporum notas discernendas esse, alteram, qua consilium capitur et instrumentum vel instrumenta confici iubentur, alteram, qua litterae notatae a papa comprobantur. Quod si, ut plures de eadem re epistolae scriberentur, mandatum erat, abbreviator, cum litteras notatas exararet, in aliis alias saepe laudare debuit; omnes autem eodem tempore coram papa lectas esse necesse non est, vel si simul legebantur, aliquae earum, ut supra exposuimus, reici poterant. Si ergo eo die, quo tenor epistolae a papa approbatus esset, notam chronologicam adscriptam fuisse ponimus, — quocum convenit, quod eidem et in litteris et in privilegiis Honorii III et Gregorii IX semper verbum* Datum, *nunquam verbum* Actum *praemittitur, — nihil negotii superest.*

Litterae encyclicae. *Plus difficultatis litterae encyclicae afferunt. Interdum enim authenticum alicuius earum epistolarum, quae ad calcem alterius sub* In eundem modum *adiunctae sunt, etsi verbis cum priore omnino concordat, notam chronologicam differentem habet: p. 428, not. 4; p. 609, not. 3; p. 639, not. 3; p. 654 not. 1. Ad quod explanandum alia adhibemus, quae curiae usum negotiorum gerendorum illustrant. Litteris encyclicis n. 397, in Regesta sub inscriptione* duci Austrie

1) *Nuper P. Ewald noster in Hist. Untersuchungen, Arnold Schaefer .. 25jahrigen Jubilaum etc. a. 1882, p. 310 etiam Registrum Gregorii VII ex exemplaribus conscriptum esse demonstravit; v. in primis p. 313* dictatus papae.

relatis, appendix In eundem modum *incipiens subiuncta est, in qua quibus praeterea principibus eaedem litterae missae sint, perhibetur, inter quos dux Austriae iterum nominatur: unde concludimus alium quendam, minoris auctoritatis virum, abbreviatorem, tenorem epistolae exarasse, alium, virum maioris ponderis, cardinalem fortasse, seriem nominum, in quibus certus ordo cognoscitur, composuisse, et utraque schedula in registraturam portata scribam, qui epistolam sub inscriptione* duci Austrie *Regestis inseruerit, nomen eius infra delendum esse effugisse. Itaque, ubi litteris encyclicis nomina certo ordine adiecta sint, ea ex tabula adscripta esse probabile est; quod ut accipiamus, praeterea litterae de prima et secunda convocatione concilii a. 1241 scriptae, n. 781 et 785, nos adducunt, in quibus nomina eorum, ad quos missae sunt, per singulas terras disposita, sub titulis insuper* In Francia, Provincia, Anglia *etc. comprehensa sunt. Neque vero semper, cum forma epistolae encyclicae statueretur, ii, ad quos mittenda erat, omnes simul designabantur, quia alio tempore ad alium eam dirigendi necessitas obvenire potuit. Quotienscumque hoc acciderit, tenorem semel comprobatum, saepe longissimum*[1]*, coram papa iterum lectum esse non credimus, immo tales litteras sicut communes cancellario expediendas traditas esse pro certo tenemus, ad quod perficiendum in consiliis a papa cum cardinalibus habitis a cancellario vel notario acta composita esse oportet, in quibus mandata et nomina annotarentur*[2]*; quae acta in capite vel in fine nota chronologica consignata, postquam authentica ex iis descripta sunt, in registraturam mittebantur. Quod si verum est, de notis chronologicis non congruentibus mirari non licet; nam aut sola nomina ex actis illis, notis chronologicis quae ad totam actorum paginam pertinebant omissis, in Regesta relata sunt, ut p. 428, not. 4 et p. 609, not. 3, aut nihil omnino, ut p. 639 not. 3 et p. 654 not. 1, cum Regestorum verba:* In eundem modum universis *etc. sufficere viderentur. Quod de authenticis diximus, id in eas quoque epistolas cadit, quae in Regestis alio loco integrae nota chronologica instructae leguntur, alio ad epistolam, quae eundem tenorem sed notam chronologicam differentem habet, adiunctae sunt. Gregorius IX papa a. 1234, Oct. 24 archiepiscopo Moguntino de quibusdam rebus scripserat et* In eundem modum *episcopo Babenbergensi, et sub Nov. 25 eandem epistolam archiepiscopo Salisburgensi dixerit, ad quam sub* In eundem modum *series nominum praelatorum annexa est, inter quos et archiepiscopus Moguntinus et episcopus Babenbergensis iterum leguntur; perperam certe, nam seriem ex diversis actis compositam esse iam ordo confusus indicat: cf. n. 741 et p. 643, not. 3; n. 608 et p. 502, not. 18. Ex quibus sequitur, ut non omnes epistolae, quae sub* In eundem modum *alii epistolae subiunctae sunt, eandem notam chronologicam quam prima habuerint.*

In hac una re Regestis non utique credendum est. Occurrit quidem, ut *Regestorum fides.*
etiam litterae, quae non sunt encyclicae, alia nota chronologica in Regestis, alia in authenticis consignatae sint: n. 411 dat. in Reg. a. 1229, Ian. 12, in auth. Ian. 18; n. 472 in Reg. a. 1232, Iul. 12, in auth. Iul. 16; n. 745 in Reg.

1) ut n. 368 et 750.

2) Talia acta in consiliis scribi vel ideo necesse erat, ut cancellarius sciret, quid in exarandis litteris notatis respiciendum et quae litterae communes mittendae essent.

a. 1239, April. 28, in auth. Mai. 9. In his scriptorem sive Regestorum sive authentici errasse, vel authenticum cum ea quae in Regestis legitur nota chronologica non extitisse non opinamur, sed diversis temporibus duo exemplaria scripta esse tenemus, quod variis ex causis fieri potuit, aut quia primum deperditum erat aut quia curiae vel eius, cui litterae datae erant, eas renovari intererat. Argumento nobis sunt duo eiusdem tenoris authentica Honorii III in archivo Bremensi conservata[1], *quorum alterum, ut videtur Regestis non insertum, a. 1218, April. 12, alterum, quod in Regestis legitur*[2], *Mai. 2 datum est. Ceterum iam ipsa Regestorum institutio fidem eis habendam probat; nam ad usum curiae scripta sunt*[3] *et litteris in iis contentis eadem atque authenticis vel etiam maior, quia vitiari et corrumpi non poterant, auctoritas attributa est, ita ut instrumenta deperdita ex iis restaurari potuerint*[4]. *Propter quod summam curam et diligentiam iis inserendis adhibitam cernimus: epistolae vel partes earum, quae primum approbatae, postea cassatae erant, etiam in Regestis verbo* Vacat *annotato deletae sunt*[5], *rasuras nonnullis locis invenimus*[6] *et additamenta ab altera manu adiecta*[7], *unde litteras correctas esse conicimus. Etiam praeceptum accersimus, quod quamvis cum aliis inferioris aevi regulis nobis traditum sit, fortasse vetustius est, certe demonstrat, quanti Regesta in curia existimata sint:* Debet habere vicecancellarius regestrum apud se, notariis exclusis[8]. *Quibus de causis omnium litterarum, quae in Regesta relatae sunt, authentica sub ea forma quae ibi conservatur quondam missas esse dicimus, litteris encyclicis, quoad supra definivimus, tantummodo exceptis*[9].

Quid in Reg. continentur; codices.

Sicut antea commemoravimus, non omnes epistolae, quae de curia exierunt, in Regestis continentur, et quae ibi extant, si eo quo datae sunt ordine non leguntur, diutius tamen quam duos menses antequam descriptae sunt in registratura remansisse non videntur; ex quo ad litteras, quae nota chronologica carent, eandem infra hoc temporis spatium, caute tamen[10], *supplere possumus. Epistolae singulorum annorum pontificatus in uno libro comprehensae sunt; contigit quidem, ut epistolae vel in libro praecedente vel sequente falso collocarentur, tum vero etiam annus pontificatus perperam sub iis consignatus est, ita ut numeri anni et libri semper concordent*[11]. *Cum in Regestis Honorii III omnes epistolae, quidquid in iis contineatur, promiscue habeantur, sub Gregorio IX quaedam ad eandem rem pertinentes interdum ab aliis segregatae separatim collectae et modo appendicis in fine libri adiunctae sunt*[12], *id quod in Regestis Innocentii IV saepius reperitur, ubi 'litere curiales' vocantur. Ad litteras papales aliae accedunt, quae aut ad papam directae sunt, aut ei praesentatae, ut ab eo confirmarentur, aut tanti habitae, ut conservarentur; quibus inserendis minor cura adhibita est, nam aliae post multum demum temporis relatae sunt*[13], *aliae in quaternione separato conscriptae*

1) *Ubi Pertz ea descripsit; v. Addenda.* 2) *n. 64.* 3) *Archiv V, 345, not.* 4) *Archiv V, 30, not.; cf. n. 279.* 5) *n. 636, I et II, n. 640, n. 644; Munch p. 27; cf. p. 683 not. a.* 6) *p. 649, not. a, c, d.* 7) *p. 682, not. a.* 8) *Merkel l. c. p. 138, n. 25.* 9) *Litterae in Reg. notis chronologicis destitutae in authenticis eisdem nimirum instructae erant.* 10) *Praesertim si litterae in fine libri non iusti positae sunt, ut n. 165, in quo Edit. Taur. Bullar. Rom. III, 372 erraverant. Cf. n. 700 et 702.* 11) *n. 73, 126, 275; aliter in Reg. Innocentii III ap. Delisle p. 12.* 12) *v. infra* 13) *n. 127, 246, 716.*

a bibliopego alicui libro perperam appositae sunt[1]. *De codicibus ms., cum ipsi eos non viderimus, pauca ex iis, quae Pertz et Munch retulerunt, addamus. Membranacei sunt in folio, marginibus per partes latissimis, litteris exarati facilibus lectu, quae sub Innocentio III minusculis saec. XII proximae, inde magis magisque iis quae cursivae vocantur similes redduntur, qua re minus compositae et clarae fiunt, praesertim a libro VI Alexandri IV, in quo singula folia 100 lineas continent. Ut verba et verborum comprehensiones distinguerentur, quantum ex apographis Pertzii concludere potuimus, puncta et parvulae lineae directae – adhibitae sunt, quae ut plura nomina propria se subsequentia recte disiungeremus, usui nobis saepius fuerunt. Inscriptiones epistolarum miniatae ex praescriptionibus in margine annotatis vitiose interdum transscriptae sunt, et aliis quoque locis menda occurrunt, quae levi negotio plerumque corrigi possunt neque Regestorum auctoritatem minuunt. Epistolae compendiis scatent, quae a lectoribus in Regestis legendis versatis sine difficultate intelliguntur, cum eodem modo semper factae sint: formulae, nunquam fere integrae datae, aut verborum litteris initialibus notantur, si minores sunt, aut verbis initium et finem vel initium solum indicantibus, si maiores. Nomina personarum saepe perscripta non sunt sed prima littera vel duobus punctis . . notata, id quod initio tum factum putamus, cum non certa persona sed is qui pro tempore locum aliquem teneret significandus erat, postea omnino usitatum est*[2]*: accidit etiam, ut duo puncta ante nomen perscriptum*[3] *vel primam litteram eius insuper addita sint*[4]. *Unicuique libro inscriptio antecedit, ut* Incipit liber Regestorum domini honorii pape III. ann. II.; *saepe indices quoque epistolarum, quorum complures postea demum, ut illi qui Honorii III libris III—VI praecunt c. a. 1350*[5], *adscripti sunt. Numeri miniati singulis litteris antepositi et ii, qui in inferiore margine ultimi folii nonnullorum quaternionum inveniuntur, eiusdem aetatis ac litterae ipsae sunt, numeri foliorum, ut V. Cl. A. Mau nos edocuit, postea adiecti. Plures libri, qui varia nimirum magnitudine sunt, plerumque uno volumine comprehensi sunt, quae volumina nunc aluta Turcica rubra vestita insigni gentis Innocentii XII*[6] *ornata sunt. Honorii III Regesta quinque voluminibus continentur: Vol. I: Lib. I ep. 531, Lib. II ep. 773; Vol. II: Lib. III ep. 535, Lib. IV ep. 325 [fol. 213]; Vol. III: Lib. V ep. 761, Lib. VI ep. 486 [fol. 264]; Vol. IV: Lib. VII ep. 231, Lib. VIII ep. 534 [fol. 211]; Vol. V: Lib. IX ep. 387, Lib. X ep. 355, Lib. XI ep. 226. Ad librum quintum annotatum est:* Albertus scripsit. *ad septimum:* Liber septimus domini honorii tercii. quem scripsit dominus Radulphus Iaquetelli. et debet poni cum libro VIII° eiusdem honorii quem scribit Iohannes Noleti Cathalaunensis diocesis. *Gregorii IX Regesta septem voluminibus comprehensa sunt: Vol. I: Lib. I ep. 180, Lib. II ep. 101, Lib. III ep. 123 cum appendice 22 ep.; Vol. II: Lib. IV ep. 142, Lib. V ep. 197; Vol. III: Lib. VI ep. 384; Vol. IV: Lib. VII ep. 579, Lib. VIII ep. 481; Vol. V: Lib. IX ep. 429, Lib. X*

1) *n. 768.* 2) *Cf. Wattenbach, Anleitung z. lat. Palaeogr. p. 67.* 3) *Cf. p. 271, lin. 33.* 4) *Cf. p. 661, lin. 23.* 5) *Munch, p. 67.* 6) *Ita Dudík l. c. t. II, p. 24, 25, 47 et saepius;* XI *Pertz in Archiv V, p. 311; falso.*

ep. 399 cum appendice 6 ep., Lib. XI ep. 180; Vol. VI: Lib. XII supra ep. 400, Lib. XIII cum appendice ep. 250 circiter; Vol. VII: Lib. XIV ep. 263 cum magno appendice, Lib. XV ep. 110 circiter.

Editio. Prout collegium Monumentis edendis institutum decrevit, epistolas a Pertzio descriptas et omnes et solas edidimus[1]. Forsitan si nobis seligendi facultas data esset, quasdam epistolas reiecissemus, ut alias pro iis reciperemus; nihilominus tamen verum est, quod Pertzius affirmavit, se eas epistolas contulisse, quae potissimum ad historiam Imperii illustrandam usui essent, nam inter graviores, quae in Regesta relatae sunt, nullam, quoad cognoscere potuimus, praetermisit. Raynaldi epistolas, quas sicut Pertzius sibi proposuerat, inter alias inseruimus, saepenumero ex editionibus e Regestis sumptis vel ex authenticis impressis corrigere potuimus, inter quae Theineri opera et Historiam dipl. Friderici II imp. ab Huillard-Bréholles compositam nominamus; ad omnes autem epistolas, quas ille non integras dedit, partes ibi omissas, quoad fieri potuit, supplevimus. Etiam epistolas a Pertzio et tabulario descriptas cum editionibus plerumque contulimus et nonnunquam emendavimus, in quo opere praeterea apographa litterarum adhuc ineditarum a V. Cl. I. Ficker et E. Winkelmann variis locis collectarum subsidio nobis erant, quas Winkelmann initio in Acta Imperii inedita nuper publicata recipere voluit, et postquam eas et in Regestis extare et a nobis mox proponendas esse comperit, nobis liberalissime transmisit. Nonnulla denique in ultima tomi parte V. Cl. A. Mau, in archivo Vaticano, quod liberalitate summi pontificis Leonis XIII viris eruditis nunc iterum patet, Regesta ipsa inspiciens, suppeditavit. In litteris edendis, quoniam e magna multitudine selectae sunt, Regestorum ordinem non tenuimus, sed eas secundum ordinem chronologicum proposuimus, eas, quae nota chronologica carent, ibi, quo ex loco ubi leguntur et aliis indiciis pertinere videntur, inserentes. In reliquis rebus formam Regestorum diligenter servantes, compendia quidem dissolvimus, id quod utique necesse erat, formulas vero, praesertim cum saepius repetitae sint, non perscripsimus; quae ut desideranti praesto essent, eas, quae in hoc tomo occurrunt, in fine prooemii composuimus. Unicuique epistolae epitomen praemisimus, et ubi typis impressa sit, perhibuimus, in quo semper fere suffecit, ut numerum, sub quo apud Potthast, Regesta Pontif. Rom., reperitur, citaremus. Epistolae, quae non sunt pontificales, omnes in extenso proferendae non fuerunt, quia earum plurimae, in primis epistolae Friderici II imperatoris, in alio Monumentorum tomo aut editae sunt aut postea edendae; eas vero tacite praetermittere non minus licuit, quia litterae papales ad eas saepe se referunt; propter quod epistolarum imperatoris et earum, quae in secundo tomo Legum continentur, summaria dedimus, quo loco editae sint[2] annotantes, et reliquas paucas integras proposuimus.

1) Duas tantum epistolas parvulas, n. 684 et 709, per errorem ut opinamur a Pertzio praetermissas, addidimus, cum ceteras de eadem re scriptas optime complerent. 2) Omnes enim epistolae Regestorum non papales, quas Pertzius exscripserat, nunc vulgatae sunt, postquam eas quae supererant V. Cl. E. Winkelmann in Actis Imp. ined. nuper foras dedit, tribus exceptis, n. 512, II, III, IV, nescimus quo errore omissis, quas nos integras praebuimus.

In fine voluminis epistolas Honorii III et Gregorii IX ineditas, non e Regestis depromptas, quarum apographa in apparatu Societatis erant, adiunctis duabus quas V. Cl. F. Thaner largitus est, addidimus, quae quidem ab aliis huius collectionis discrepant, multis tamen, ut opinamur, acceptae erunt. *Additamentum.*

Formulas, quas infra damus, ex authenticis impressis et ex litteris Regestorum, in quibus perscriptae sunt, collegimus. Non omnes sane lectiones, per quas verbis variatis idem fere significatur, enumeravimus, sed id tantum efficere studuimus, ut quo quaeque formula spectet, plane intelligatur.

In exordio:

1. Cum a nobis petitur, quod iustum est et honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter vestris supplicationibus inclinati, *vel* grato concurrentes assensu.

2. Ea que iudicio vel concordia terminantur, firma debent et illibata persistere, et ne in recidive contentionis scrupulum relabantur, apostolico convenit presidio communiri. Eapropter *etc. ut in 1.*

3. Iustis petentium desideriis dignum est nos facilem prebere consensum et vota, que a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter *etc. ut in 1.*

4. Prudentibus virginibus, que sub habitu religionis accensis lampadibus per opera sanctitatis iugiter se preparant ire obviam sponso, sedes apostolica debet presidium impertiri, ne forte cuiuslibet temeritatis incursus aut eas a proposito revocet aut robur, quod absit, sacre religionis infringat. Eapropter *etc. ut in 1.*

5. Quoniam, ut ait apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi recepturi prout in corpore gessimus, sive bonum fuerit sive malum, oportet nos diem messionis extreme misericordie operibus prevenire ac eternorum intuitu seminare in terris, quod reddente Domino cum multiplicato fructu colligere debeamus in celis, firmam spem fiduciamque tenentes, quoniam qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet vitam eternam.

6. Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse presidium, ne forte cuiuslibet *etc. ut in 4.*

7. Sacrosancta Romana ecclesia devotos et humiles filios ex assuete pietatis officio propensius diligere consuevit, et ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater sue protectionis munimine confovere. Eapropter *etc. ut in 1.*

8. Solet annuere sedes apostolica piis votis, et honestis petentium precibus favorem benevolum impertiri. Eapropter *etc. ut in 1.*

In corpore epistolarum:

9. facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam observari.

10. Alioquin partes ad [prefatorum iudicum *etc.*] remittatis examen, appellantem in expensis legitimis condempnantes.

11. mandamus, quatinus si est ita, revocato quod fuerit revocandum, audiatis, que utraque pars duxerit proponenda, et causam, si de partium voluntate processerit, fine debito terminetis, facientes *etc. ut in 9.* Alioquin *etc. ut in 10.*

12. mandamus, quatinus vocatis qui fuerint evocandi et cognita super premissis diligentius veritate, causam *etc. ut in 11.*

13. mandamus, quatinus vocatis qui fuerint evocandi et auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit, appellatione remota statuatis, facientes *etc. ut in 9.*

14. mandamus, quatinus revocato in irritum quidquid post appellationem [contra tenorem indulgentiarum *etc.*] in [eius *etc.*] preiudicium inveneritis attemptatum, audiatis causam et appellatione remota fine debito terminetis.

15. prefigentes partibus terminum competentem, quo compareant coram nobis, quod iustum fuerit recepture.

16. Super aliis vero, que contingunt negotium memoratum, inspectis eiusdem circumstantiis diligenter agatis, prout secundum Deum animarum saluti *vel similiter* videritis expedire.

17. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam cessante appellatione cogatis veritati testimonium perhibere.

18. contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, [advocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis].

19. proviso ne in terram [universitatem *etc.*] excommunicationis vel interdicti sententias feratis sine apostolice sedis mandato speciali.

20. nullis litteris obstantibus harum tenore tacito a sede apostolico impetratis.

21. non obstante constitutione concilii generalis, qua cavetur, ne quis ultra duas dietas extra suam diocesim per litteras apostolicas ad iudicium trahi possit.

In privilegiis:

22. Prudentibus virginibus *etc. ut in 1.*

23. Religiosam vitam eligentibus *etc. ut in 6.*

24. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus et ecclesiam [monasterium] . . . . in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus; in primis siquidem statuentes, ut ordo canonicus [monasticus], qui secundum Deum et beati . . regulam in eadem ecclesia [monasterio] institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur.

25. Preterea quascunque possessiones, quecunque bona eadem ecclesia [monasterium] impresentiarum iuste et canonice possidet aut in futurum iustis modis prestante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant: in quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: locum ipsum, in quo prefata ecclesia [monasterium] sita est, cum omnibus pertinentiis suis *etc.*

26. Sane novalium vestrorum, que propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de vestrorum animalium nutrimentis nullus a vobis decimas exigere vel extorquere presumat.

27. Prohibemus insuper, ne aliqua persona vos audeat ad secularia iudicia provocare, set si quis adversus vos aliquid sibi crediderit de iure competere, sub ecclesiastici examine iudicii experiendi habeat facultatem.

28. Cum autem generale interdictum terre fuerit, liceat vobis clausis ianuis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis suppressa voce divina officia celebrare.

29. Crisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum [monachorum], qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a

diocesano suscipietis episcopo. siquidem catholicus fuerit et gratiam et communionem sacrosancte Romane sedis habuerit et ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. Alioquin liceat vobis quemcunque malueritis catholicum adire antistitem, gratiam et communionem apostolice sedis habentem. qui nostra fretus auctoritate vobis quod postulatur impendat.

30. In parrochialibus vero ecclesiis, quas habetis, liceat vobis sacerdotes eligere et diocesano episcopo presentare, quibus si idonei fuerint, episcopus animarum curam committat, ut ei de spiritualibus, vobis autem de temporalibus debeant respondere.

31. Liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos et absolutos a seculo fugientes ad conversionem recipere et eos absque contradictione aliqua retinere.

32. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in ecclesia vestra professionem fas sit absque prepositi sui licentia nisi arctioris religionis obtentu de eodem loco discedere: discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere; illud districtius inhibentes, ne terras seu quodlibet beneficium ecclesie vestre collatum liceat alicui personaliter dari sive alio modo alienari absque consensu totius capituli vel maioris aut sanioris partis ipsius. Si que donationes aut alienationes aliter quam dictum est facte fuerint, eas irritas censemus.

33. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extreme voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen iustitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur.

34. Obeunte vero te nunc eiusdem loci preposito [abbate] vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia preponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilii sanioris secundum Deum et beati . . regulam providerint eligendum.

35. Paci quoque et tranquillitati vestre paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere seu violentiam audeat exercere.

36. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatam ecclesiam [monasterium] temere perturbare aut eius possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare, set omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva in omnibus sedis apostolice auctoritate [et diocesani episcopi canonica iustitia].

37. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona, hanc nostre constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine dei et domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districte subiaceat ultioni.

38. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax domini nostri Iesu Christi, quatinus et hic fructum bone actionis percipiant, et apud districtum iudicem premia eterne pacis inveniant.

In fine:

39. Quod si non omnes hiis exequendis interesse potueritis, duo vestrum [tu, frater episcope, cum eorum altero *etc.*] ea nichilominus exequantur.

10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis [inhibitionis, concessionis, protectionis *etc.*] infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dabam Berolini mense Decembri 1882.

Carolus Rodenberg.

EX HONORII III REGISTRO.

1.

Honorius III papa [Iohannem] regem Hierosolymitanum certiorem faciens de obitu Innocentii III papae et de sua electione exhortatur, ut de gratiae suae favore securus confortetur in Domino: se enim ad liberationem Terrae Sanctae votis non minoribus quam praedecessorem suum aspirare. *1216, Iul. 25.*

Hon. III Reg. Lib. I. 1. Edmus e Rayn. Ann. eccl. a. 1216, § 18–19. Potthast. Reg. 5317.

Ierosolimitano regi.

Magnus Dominus et laudabilis nimis *etc.* — Felicis recordationis Innocentio papa predecessore nostro septimodecimo Kal. Augusti, soluto debito carnis, ad regionem sanctorum spirituum ut credimus evocato, et sequenti die celebratis exequiis ac cum honore debito collocato ipsius corpore in sepulcro, una cum fratribus nostris ad eligendum convenimus successorem, et die tertio, Spiritus sancti gratia invocata, super hoc tractavimus diligenter, et post tractatum diutinum placuit fratribus universis humeris nostris, quamvis insufficientibus, imponere onus istud. Et licet in primis duxerimus resistendum, ne tamen videremur vocationi divine resistere, submisimus humeros ad portandum sperantes in eo qui linguas infantium facit disertas, quod ipse, qui vota (Sap. 10,21) fratrum aspirando prevenit, prosequetur etiam adiuvando. Fiduciam enim talem habemus per Christum ad Deum, non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed nostra sufficientia est ex Deo, qui nos ad suum ministerium evocavit. Non ergo propter obitum prefati predecessoris nostri consternetur cor tuum neque formidet, quasi propter hoc Terre Sancte impediatur succursus, quoniam, etsi illius sufficientie nostra videatur inferior, ad liberationem tamen ipsius votis non minoribus aspiramus, quibus ipse Dominus, qui sperantes in se nullatenus deserit, effectum tribuat et pro- (Iudith 13,17) fectum, ut quod possibilitas nostra non obtinet, eius nobis gratia largiatur. Serenitatem igitur regiam rogamus attentius et monemus et exhortamur in Domino, quatinus de gratie nostre favore securus, utpote qui ad subventionem terre ipsius tota intendimus voluntate, conforteris in Domino et in potentia virtutis ipsius, ad conservationem terre intendens viriliter et prudenter, preliaturus prelia Domini, cum tempus advenerit opportunum, et ob hoc recepturus ab eo gratiam in presenti et gloriam in futuro.

Dat. Perusii. VIII Kal. Aug. pont. nostri anno primo.

2.

Honorius III papa potestatem et populum Mediolanensem obsecrat, ne contra Papienses et adiutores eorum hostiliter procedant, immo ad se nuntios idoneos mittant,

quibuscum possit de pace vel treuga efficacem habere tractatum; impediri enim hoc bello subsidium Terrae Sanctae; nisi obedirent, excommunicationem eis intentat.

1216, ante Aug. 23.

Hon. III Reg. Vol. I, 4; Lib. I, 17.
Potthast, Reg. Add. I, 5327c — 25623.

Potestati et populo Mediolanensi spiritum consilii sanioris.

Is. 45.9 Erexisse videmini contra Dominum manum vestram et factori vestro quasi testa
Is. 31.1. de figulis insultatis, dum sperantes in equis et habentes fiduciam in quadrigis, quia
multe sunt, et in equitibus, cum prevalidi sint, nimis non exquiritis Dominum, sed
Ierem. 17.5. ponitis carnem brachium vestrum et in sola confiditis multitudine bellatorum. Sed
nunc, que est fortitudo vestra, ut possitis contra Dominum gloriari? Num quid confi-
Is. 36.6. ditis super baculum arundineum, super quem qui innisus fuerit, perforabit dexteram
Is. 2.12. innitentis? Numquid non est manus Domini exercituum super omnem superbum et
arrogantem, ut incurvet eminentiam sublimium et prosternat altitudinem superborum?
Certe qui vos beatos dicunt, ipsi vos perniciose decipiunt, et qui vos laetant, ipsi insi-
diantur sanguini et animas vestras perdere moliuntur. Sane non ut vos confundamus,
ista scribimus, sed ut vos tamquam filios, si tamen esse contenditis in numero
Prov. 3.12 filiorum, corrigamus in spiritu lenitatis. Pater enim quem diligit corripit et omnem
filium quem recipit paterna caritate castigat. Scimus enim et pro certo tenemus,
quantum potest memoria nostri temporis retinere, et sic fuit in diebus antiquis, ac
patres nostri annuntiaverunt nobis, quoniam olim dilexistis Romanam ecclesiam matrem
Matth. 7.25. vestram, ipsi adherentes in prosperis et adversis, et si aliquando flaverunt venti et
flumina inundarunt, non profecerunt in aliquo, quia devotio vestra fundata extitit supra
petram; dum piscatoris navicula procellis et turbinibus angeretur et quasi naufragium
trepidaret, vos eratis in devotione constantes et in devotionis constantia gloriosi,
dimicantes pro ecclesia tamquam strenuissimi bellatores et rapinam bonorum vestrorum
cum gaudio supportantes. Sed nunc, quis vos fascinavit veritati non obedire? Nescimus;
timemus autem, ne, sicut publice dicitur, et utinam non sit verum! radix infecta veneno
Matth. 7.18. heretice pravitatis in germen pullulet toxicatum, et cum arbor mala non possit facere
Matth. 7.16. fructus bonos, de spinis uvas et de tribulis ficus colligere non possimus. Porro cum
populus Christianus accingat se ad prelium Domini preliandum, vos quasi precipui, qui
multos alios corrupistis exemplo, Terre Sancte subsidium impeditis, moventes arma
contra Christianos, immo verius contra Christum, destruentes ecclesias, exheredantes
orfanos et pupillos, ponentes viros in ore gladii, et postremo redigentes omnia in
cinerem et favillam. Considerate igitur et advertite diligenter, quia ex hiis que agitis
erecta cervice inceditis contra Deum, et superbo oculo et insatiabili corde ipsum videmini
subsannare, immo et de vobis dicitur a quibusdam, quia superbia vestra et arrogantia
et indignatio est plus quam fortitudo vestra, et ideo gloria superbie tamquam gloria
mercennarii auferetur. Quia igitur superbia hominis cito transit et spiritus Domini
requiescit super humilem et quietum, humiliemini sub potenti manu Dei, et omnem
fastum, omnem rancorem odii dimittentes desistatis prosequi Christianos, et habentes
ad dilectos filios Papienses et adiutores ipsorum mutuam caritatem, contra eos non
procedatis in hostili de cetero vastitate, et quoniam vos sincera caritate diliximus,
dum essemus in minori officio constituti, et circa honorem civium vestrorum labora-
vimus diligenter, sicut novit dilectus . . electus vester [1] et plerique noverunt, qui titulum
honoris aliquotiens adepti sunt nostro studio mediante, universitatem vestram exhor-

1) *Henricus de Setara.*

tamur attentius, obsecrantes per effusionem sanguinis Iesu Christi ac districte in remissionem peccaminum iniungentes, quatinus deponentes errorem et omnem animi simultatem, contra dictos Papienses et omnes adiutores eorum hostiliter nullatenus procedatis, mittentes ad nos nuntios idoneos et sufficienter instructos, cum quibus possimus de pace vel treuga efficacem habere tractatum, sic nos circa nostrarum precum primitias audientes, ut gratiam divinam et nostram possitis vobis merito comparare, et nos ad exaltationem vestram et promotionem vestrorum, cum oportunitas fuerit, provocemur. Nec enim de nobis specialiter in cordibus vestris iuste potest suspitionis scrupulus aliquis suboriri, cum semper vos gesserimus in visceribus caritatis, et in nullo contra vos senseritis animi nostri motum. Ceterum si mandatis nostris auditis obduraveritis corda vestra, nullatenus obmittemus, quin secundum quod felicis recordationis I[nnocentius] papa, predecessor noster, rectitudinis zelo succensus, contra vos procedere cepit, finaliter prosequamur; cuius sufficientie licet nos videamur penitus inequales, non minorem tamen quam ipse disponente Domino suscepimus potestatem, et cum munde sint manus nostre a sanguine omnium vestrum, tam contra vos quam fautores et complices vestros iuxta officii nostri debitum procedemus, aggravaturi etiam contra vos nichilominus manus nostras, prout nobis Dominus melius inspirabit.

Dat. Perusii.

3.

Honorius III papa universis Christi fidelibus mandat, ut excommunicationis et interdicti sententias in Mediolanenses et Placentinos latas, quod non parentes statutis generalis concilii Papiensem terram hostiliter invaserint, firmiter observent.

1216. Aug. 12—30.

Hon. III Reg. Vol. I. f. 5; Lib. I, 18. Pertzii exemplar supplevimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1216. § 27.

Potthast. Reg. 5329 et Add. I 5327 g = 25627.

Universis Christi fidelibus ad quos littere iste pervenerint.

Mediolanensium et Placentinorum cervicositatis superbia et rebellio cervicosa adeo ascenderunt, quod eis aliud iam non restat, nisi ruere in precipitium ignominiam adducentis, ut prosperis exaltati humilientur et confundantur adversis, cum de sue virtutis potentia gloriantes nec Deum timeant nec revereantur hominem propter Deum, ut dicere videantur: 'Manus nostra excelsa[1] et nostrum brachium nos salvabit ac terram nostro gladio possidemus'. Ut autem de offensis ceteris taceamus, quibus Deum multipliciter ad iracundiam provocarunt, gratie quam exhibuit eis multipliciter apostolica sedes obliti, contra eam calcaneum erexerunt contemptis eius precibus, monitis et mandatis. Cum enim in generali concilio pro Terre Sancte succursu commodius exequendo provida fuerit deliberatione statutum, ut principes et populi Christiani, saltem per quadriennium, plenam pacem aut firmam treugnam adinvicem inviolabiliter observarent, et ii qui acquiescere forte contenderent, per excommunicationem in personas et interdictum in terras arctissime cogerentur, ac bone memorie Innocentius papa predecessor noster volens, ut huiusmodi constitutio in eos et dilectos filios Papienses debitum sortiretur effectum, dilectos filios nostros L[eonem] tituli Sancte Crucis presbiterum

1) *Cf. Deuteron. 32, 27 et Psal. 15, 4.*

et R[aynerium] Sancte Marie in Cosmedin diaconum cardinales, commisso eis legationis officio, ad eos propter hoc specialiter destinarit: ipsi, verbo pacis eis a cardinalibus predictis efficaciter et prudenter proposito non recepto, contemptis monitis et prohibitionibus cardinalium, Papiensem terram hostiliter invaserunt, ipsam multipliciter devastantes in Dei contemptum, apostolice sedis iniuriam et suarum periculum animarum. Propter quod cardinales predicti accensi zelo iustitie in potestates, consules et principales consiliarios Mediolani et Placentie civitatum auctoritate prefati predecessoris nostri excommunicationis sententiam promulgarunt et civitates easdem supposuerunt ecclesiastico interdicto. Verum quia iidem in maris altitudinem venientes, ipsius sunt tempestate demersi, ut oculos suos statuant declinare in terram, et non respicientes ad celum adhuc in sua contumacia perseverant, nos prefatas sententias confirmantes, manus nostras in eos duximus aggravandas, precipientes potestates et consiliarios nec non et societatum magistros civitatum ipsarum per totam Lombardiam singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, excommunicatos publice nunciari, et ne alii cives Mediolanenses et Placentini excusationem valeant sumere in peccatis, omnes cives predictos, qui ad impugnandum Papienses arma de cetero sumpserint vel ad devastandum terram venerint eorundem, excommunicationis vinculo innodamus, sententia consimili percellentes potestates et consiliarios civitatum illarum, que Mediolanensium societatis federe sunt astricte, si contra Papienses illis prestiterint auxilium, consilium vel favorem, ac pari vinculo alligamus eos qui de civitatibus sepe dictis aliquem presumpserint in potestatem assumere vel rectorem. Bona quoque civium civitatum ipsarum, ubicumque fuerint inventa, precipimus detineri, interdicentes universis et singulis, ne cum eis colloquium seu commercium habeant vel contractum. Ad hec universi, qui eis societatis federe sub iuramenti vinculo sunt astricti, quantum ad hoc, illis se noverint non teneri huiusmodi iuramento, cum iusiurandum iniquitatis vinculum esse non debeat sed equitatis potius et iustitie firmamentum. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatinus premissa sub apostolica obedientia et vos ipsi firmiter observetis et quantum in vobis fuerit, faciatis firmiter observari.

Dat. Narnie.

In eundem modum potestatibus et consulibus civitatum Lombardie singillatim.

In eundem fere modum episcopis Lombardie singillatim

In eundem modum nobili viro marchioni Malespine usque: contractum. Quocirca nobilitatem tuam rogamus attentius et monemus, per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus societatis federe dissoluto iampridem inhito cum eisdem, quibus sine periculo anime communicare non potes, nullum ipsis auxilium tribuas vel favorem. Alioquin, cum facinus quos inquinat equet, vinculo te noveris excommunicationis astrictum.

In eundem modum nobili viro comiti Sabaudie usque: favorem, sciturus quod ratione prestiti iuramenti nullo modo teneris eisdem, quam diu predictis sententiis sunt ligati, quibus in hiis communicare non potes sine salutis proprie detrimento.

4.

Honorius III papa [Andreae] episcopo Pragensi quaerenti de saecularibus canonicis minus legitime natis et de licentia carnes comedendi, quando in sexta feria dies Dominicae nativitatis occurrat, respondet. *1216, Oct. 29.*

Hon. III Reg. Lib. I, 14. Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1216, § 15. Potthast, Reg. 5349.

Pragensi episcopo.

Quesivisti an seculares canonici minus legitime nati suis sint renuntiare beneficiis compellendi, cum de iure ad sacros nequeant ordines promoveri nec in beneficiis secum fuisse probent a Romano pontifice dispensatum nec ecclesia taliter indigeat ordinatis. Ad quod fraternitati tue taliter respondemus, quod si multitudo est in causa, ut huiusmodi non possint sine scandalo removeri, eos in beneficiis sic susceptis poteris conniventibus oculis tolerare. Explicari preterea postulasti, utrum illis sit licitum qui nec voto nec regulari observantia sunt astricti, carnes comedere, quando in sexta feria dies Dominice nativitatis occurrit. Ad hoc tale damus responsum, quod illi qui nec voto nec regulari observantia sunt astricti, in sexta feria, si festum nativitatis Dominice ipso die venire contigerit, carnibus propter festi excellentiam uti possunt secundum consuetudinem ecclesie generalis, nec tamen ii reprehendendi sunt, qui ob devotionem voluerint abstinere.

Dat. Laterani, IV Kal. Novembris, pontificatus nostri anno primo.

5.

Honorius III papa [Andreae] episcopo Pragensi de L. presbytero, plebano ecclesiae de Prascoles, minus legitime nato. *1216, Nov. 21.*

Hon. III Reg. Vol. I, 16; Lib. I, 65
Potthast, Reg. 5361.

Pragensi episcopo.

Dilectus filius L. presbiter, plebanus ecclesie de Prascoles, in nostra presentia constitutus humili nobis confessione monstravit, quod cum in Boemia usque ad generale concilium consuetudo fuerit ab antiquo, ut tam clerici in sacris ordinibus constituti, quam etiam sacerdotes, de facto contraherent et sic contracto contubernio uterentur, ipseque de tali sit copula procreatus, cum eo super ordinibus et beneficio iam susceptis dispensare misericorditer dignaremur. Nos igitur ipsius presbiteri laboribus, quos sustinuit ad sedem apostolicam veniendo, paterno compatientes affectu, attendentes etiam quod cum sponte confessis mitius sit agendum, fraternitati tue, de qua plenam fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus, quatinus si est ita, cum eodem, si paterne non fuerit incontinentie imitator et aliud ei canonicum non obsistat, de misericordia, que superexaltat iudicio, circa beneficium et ordines sic Iac. 2.13.
susceptos auctoritate nostra dispenses.

Dat. Rome apud Sanctum Petrum, XI Kal. Decembris, pontificatus nostri anno I.

6.

Honorius III papa [Brunwardo] Suerinensi et [Henrico] Racesburgensi episcopis et praeposito Racesburgensi mandat, ut iudicent controversiam de praepositura ecclesiae Segebergensis ortam, in quam [Bertoldus] Lubicensis episcopus dioecesanus T. canonicum Norimonasterii instituerat, destituto Iohanne Albo, qui excommunicatus divina officia celebraverat. *1216, Nov. 22.*

Hon. III Reg. Vol. I, 15; Lib. I, 60.
Potthast, Reg. Add. I 5365b—25671.

Szirinsi[a] et Racesburgensi episcopis et preposito Racesburgensi[1].

Venerabilis frater noster . . Lubicensis episcopus[2] proposuit coram nobis, quod cum L. quondam prepositus ecclesie Segebergensis Lubicensis diocesis preposIture renunciasset officio, suum prudenter considerans imperfectum, idem Iohannem Album, canonicum eiusdem ecclesie, qui propter excessus suos multiplici erat excommunicatione ligatus, contemptis quibusdam ipsius ecclesie fratribus, qui adesse poterant et debebant, temere in eandem preposituram intrusit; qui cum ab ecclesia se absentasset eadem, sigillo et privilegiis ipsius ecclesie asportatis, idem episcopus, appellatione quam quidam fautores dicti Iohannis frustratorie interiecerant frivola reputata, in eundem Iohannem excommunicationis sententiam promulgavit. Sed idem investitura de manu laicali recepta, amministrationi, confirmatione ab ipso episcopo non obtenta, se ingerens impudenter, divina excommunicatus presumpsit officia celebrare, quare idem episcopus, cassato quod de illo fuerat attemptatum, T. canonicum Novimonasterii, virum ut asserit providum et honestum, in prepositum instituit ecclesie memorate, supplicans ut processum suum obtinere faceremus debitam firmitatem. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vocatis qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit appellatione postposita statuatis. Facientes etc. Quod si non omnes etc. duo vestrum etc.

Dat. Rome apud Sanctum Petrum, X Kal. Decembris, pontificatus nostri anno I.

7.

Honorius III papa civibus Beneventanis confirmat libertatem, quod quicumque dummodo liber transeat ad incolatum civitatis eorum et papae et ecclesiae Romanae fidelitatis exhibeat iuramentum, censeri debeat tanquam civis, nec compelli possit, ut ad habitationem redeat derelictam. *1216, Dec. 1.*

Hon. III Reg. Vol. I, 23; Lib. I, 91.
Potthast, Reg. Add. I 5376c—25682.

Civibus Beneventanis.

Cum a longis retro temporibus civitas Beneventana huiusmodi gavisa sit libertate, quod quicumque dummodo liber eligit habitationem ipsius et nobis et ecclesie Romane fidelitatis exhibet iuramentum, censeri debeat ab omnibus tamquam civis, auctoritate presentium districtius inhibemus, ne quis eos qui ad ipsius civitatis transeunt incolatum, presumat[b] compellere, ut ad habitationes redeant derelictas. Nulli ergo etc. nostre inhibitionis etc. Si quis autem etc.

Dat. Rome apud Sanctum Petrum, Kal. Decem. pontificatus nostri anno I.

8.

Honorius III papa A[dalberoni] Salzburgensi et F[riderico] Bertesgadenensi praepositis, edoceri postulantibus, an sibi professis ordinem regularem, quorum alter cruce-

[a] *Ita pro* Suerinensi *R.* [b] presumant *R.*

1) *Wiemannus praepositus Racesburgensis commemoratur 1217, Mai. 24; cf. Meklenburg. U. B. p. 220.* 2) *Bertoldus, cui eodem die papa privilegium concessit, editum in Cod. Dipl. Lubec. II. p. 36.*

signatus sit et alter crucis charactere desideret insigniri, liceat vicesimam proventuum ecclesiarum suarum deputatam succursui Terrae Sanctae secum deferre, hoc concedit.

1216, Dec. 2.

Hon. III Reg. Vol. I, 21, 22; Lib. I, 86. Huius epistolae tenorem, quem quia notus erat, Pertzius non descripsit, sumpsi ex Cironii Quinta Compil. Decret. Hon. III, lib. III, tit. 20, cap. 1, ubi eam prava inscriptione instructam et nota chronologica carentem inveni.
Potthast, Reg. 7814.

A. Salzburgensi et F. Bertesgadensi prepositis.

Postulastis per nostras litteras edoceri, an vobis professis ordinem regularem, quorum alter crucesignatus est et reliquus crucis charactere desiderat insigniri, liceat vicesimam proventuum ecclesiarum vestrarum deputatam succursui Terre Sancte deferre vobiscum, ut per vos proficiat illius terre succursui, qui parati estis personas vestras exponere servitio Iesu Christi, presertim cum multi exemplo emulationis laudabilis provocati ad currendum post vos viriliter accingantur, preliaturi prelium Domini contra gentes. Quia vero liberationi terre illius totis viribus aspiramus, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus, si ecclesie vestre alias per absentiam vestram enormiter non ledantur, et vos utiles fueritis terre Domini verbo pariter et exemplo, quod conscientie vestre duximus relinquendum, dimissis procuratoribus idoneis in ecclesiis vestris, potestis et tenemini votum peregrinationis adimplere, ac sic potest in usus vestros transire vicesima ecclesiarum vestrarum deputata subsidio[a] Terre Sancte.

Dat. Rome apud Sanctum Petrum, IIII Non. Decembr. pontificatus nostri anno primo.

Scriptum est super hoc in eundem fere modum . . archiepiscopo Salzburgensi[1] usque: subsidio Terre Sancte. Ad hec autem volumus et mandamus, ut crucesignatis per Salzburgensem provinciam constitutis ex parte nostra iniungas, ut se parent ad transfretandum in proximo futuro passagio, quod in generali concilio est expressum.

Dat. ut supra.

9.

Honorius III papa archiepiscopis et universo populo per Franciam constituto in memoriam revocat appropinquare transfretandi terminum in generali concilio constitutum, qui non debeat prorogari. Addit se [Simoni] Tyrensi archiepiscopo mandasse, ut eos ad id moneat.

1216, Dec. 5.

Hon. III Reg. Vol. I, 20, 21; Lib. I, 81. Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1216, § 22–23.
Potthast, Reg. 5381.

Archiepiscopis, episcopis, abbatibus et aliis ecclesiarum prelatis, principibus, baronibus et universo populo per Franciam constituto.

Cum dicatur nobis a Domino per prophetam: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta in fortitudine vocem tuam,* tacere amodo non debemus, quin ad prelia Domini preliandа Christianos milites compellamus; nam prope est, ut veniat tempus pugne, quo rex noster Dominus dominator sue crucis vexillum explicet, ut suo congregato exercitu

a) subsidiis *Cir.*

1) *Eberhardo II.*

in manu forti et extento brachio dimicet contra hostes ad faciendum vindictas in nationibus blasphemorum, qui Ierusalem nostram inclytam civitatem in populi Christiani opprobrium sua se iactant detinere fortitudine occupatam. Videntes itaque Dei potentiam venientem, vocem extollimus et clamamus, ut eidem obviam occurratis, quoniam etsi filii alieni ad tempus occupaverunt eius regnum exigentibus culpis nostris, ipse tamen est in Israelitico populo regnaturus qui nostra crimina sanguine suo lavit. Fuit enim hactenus dispositione provida ordinatum, ut dum iter peregrinationis arripere crucesignatorum exercitus retardarent, naves, arma et alia necessaria pararentur, sed ecce his omnibus pro maiori parte paratis transfretandi terminus appropinquat in sacro generali concilio constitutus, qui non debet amplius prorogari. Eia igitur, sumite arma, viri, acuite gladios, festinate milites Iesu Christi, ut adveniente tempore passagii generalis in prefato concilio denotato, divino comitante auxilio transfretetis, et congregato exercitu sequamini regem celi, cuius vos obsequio devovistis, firmiter confidentes,
Ierem. 2,6. quia ipse, qui suum traduxit populum per desertum, salvos reddet homines et iumenta, et vos, si eum secuti fueritis puro corde, non solum faciet triumphare, verum etiam regio coronabit diademate post triumphum. Ad hoc cum venerabili fratri nostro Turensi archiepiscopo[1] dederimus in mandatis, ut vos ad id moneat et inducat, universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus eidem predicanti verbum Domini pro succursu Terre Sancte tamquam fideli nuncio devote ac humiliter intendatis.

Dat. Rome apud Sanctum Petrum, Non. Decemb. pontificatus nostri anno primo.

In eundem modum archiepiscopis, episcopis, abbatibus et aliis ecclesiarum prelatis, principibus, baronibus et universo populo per Teutoniam constituto.

10.

Honorius III papa Beneventanis suum erga civitatem eorum benevolentiae studium profitetur. *1216, Dec. 5.*

Hon. III Reg. Lib. I, 93. Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1216, § 28.
Potthast, Reg. Add. I. 5381a—25691.

Beneventanis.

Cum non possit mater oblivisci filii uteri sui, nos, qui statum civitatis vestre cupimus prosperari, tanquam filios vos diligimus speciales et in visceribus gerimus Iesu Christi, dantes operam efficacem, ut civitas vestra desiderata pace respiret e assiduis proficiat incrementis, que continuis molestationibus est afflicta.

Dat. Rome apud Sanctum Petrum, Non. Decemb. pontificatus nostri anno primo.

11.

Honorius III papa [Andreae] Pragensi et [Roberto] Olomucensi episcopis et [Gotfrido] praeposito Ratisponensi scribit de T[heobaldo] O[takari] Bohemiae regis nepote qui cruce signatus, voto suo omisso quoddam castrum proditorie occupaverat.

1217, Ian. 18.

Hon. III Reg. Vol. I, 44: Lib. I, 180.
Potthast, Reg. 5421.

1) *Simoni Tyrensi archiepiscopo, apostolicae sedis legato.*

Pragensi et Olomucensi episcopis et preposito Ratisponensi.

Ad audientiam nostram karissimo in Christo filio nostro O. illustri rege Boemie significante pervenit, quod nobilis vir T. nepos suus, qui signo vivifice[a] crucis humeris suis affixo faciem euntis in Ierusalem induerat, in Sempnar campum divertens, Gen. 11,2 adiunctis quibusdam sibi iniquitatis filiis, quoddam castrum ipsius proditorie occupavit, contra iuramentum suum temere veniendo, per quod tam ipsius regis quam ecclesiarum bona devastare non cessat. Ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus prefatum nobilem, ut castrum predictum ipsi regi restituat, sicut debet, monitione previa per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogatis. Quod si non omnes etc. duo vestrum etc.

Dat. Lateran. XV Kal. Febr. pontificatus nostri anno primo.

12.

Honorius III papa universis fidelibus per Lombardiam et Tusciam constitutis cruciatam ad subsidium Terrae Sanctae indicit eosque hortatur, ut [Hugolini] Ostiensis episcopi, cui commiserit plenae legationis officium, mandatis humiliter intendant.

1217, Ian. 23.

Hon. III Reg. Vol. I, 16, 17; Lib. I. 189.
Potthast, Reg. 5430.

Archiepiscopis et episcopis et abbatibus, prioribus et aliis ecclesiarum prelatis, potestatibus, consulibus et universis fidelibus per Lombardiam et Tusciam constitutis.

Tempus acceptabile instat et dies salutis advenit, ut hii qui ere peccatorum se 2. Cor. 6,2. diabolo vendiderunt, tamquam in novi iubilei iubilo ammissam recuperent libertatem, et per nove redemptionis remedium animas redimant fraude diabolica captivatas. Exurgat ergo nunc qui dormit, et ab operibus mortuis excitetur, ut illuminet sibi Christus, et currat quilibet in splendore fulgoris armorum Domini, accinctus ad ipsius prelium preliandum qui coronam legittime certantibus repromittit. Et quia non est in homine, ut Domino possit retribuere, qui pro nobis formam servi accipiens, in mortem tradidit semetipsum, saltim pro eo retributionis equitate pensata paratus sit bibere calicem passionis. Ignominia est namque populo Christiano, quod rex ille regum, qui creavit omnia et ea que celi ambitu continentur[b], a propria sede depulsus pro nostris favoribus ammisit terram, que funiculus est hereditatis sue, quam non corruptibilibus[c] Psal. 104 11. auro et argento set suo pretioso sanguine comparavit. Confusio est etiam universis, qui sub Christo principe gloriantur, quod princeps noster ammisit terreni gloriam regni sui et terram nativitatis, in qua corporaliter visus est cum hominibus conversando, ac filii ancille, qui non sunt heredes cum filio libere, illam detinent misera- Gal. 4,30. biliter occupatam. Sed ubi est indignatio Moysi, cum dixit: *Qui Domini est accingatur* Exod. 32,27. *mecum, et ponat quilibet gladium supra femur suum contra gentes idolatras et populum murmurantem?* Ubi est zelus Finees, qui Iudeum et Madianitam coeuntes pugione Num. 25,7 transfixit? Ubi est magnanimitas Mathathie, qui videns sancta[d] Domini prophanari, prosilivit ut legem et paternas observantias tueretur? Accingantur ergo fideles et

a) vivice *R.* b) continetur R. c) corruptibus *R.* d) santa *R.*

sint filii potentes. Tempus est enim, ut faciant vindictam in nationibus, in gentibus scilicet detinentibus et contaminantibus Terram Sanctam, in hiis qui stultam faciunt gloriam crucis Christi et exprobrant ignominiam Dominice passionis. Properare igitur Matth. 16,24 necesse est ad tante felicitatis bravium, et tollat fidelis quilibet crucem suam et sequatur vexillum glorie summi regis, nec excuset se aliquis a servitio Iesu Christi Gen. 12,1. qui vult regnare cum ipso, quin potius abneget semetipsum et exeat de terra et cognatione sua, in manu illius dimittens omnia, qui contulit universa. Ceterum nos iuxta statutum sacri concilii generalis personas et bona eorum, qui crucis sunt caractere insigniti, recipientes sub protectione sedis apostolice speciali, omnibus qui laborem istum in propriis personis subierint et expensis, plenam suorum peccaminum, de quibus veraciter fuerint corde contriti et ore confessi, veniam indulgemus et in retributione iustorum salutis eterne pollicemur augmentum. Eis autem qui non in propriis personis illic accesserint, sed in suis dumtaxat expensis iuxta facultatem et qualitatem suam viros idoneos destinarint, et illis similiter qui licet in alienis expensis, in personis propriis tamen accesserint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Huius quoque remissionis volumus et concedimus esse participes iuxta quantitatem subsidii et devotionis affectum omnes, qui ad subventionem ipsius terre de bonis suis congrue ministrabunt, aut circa predicta consilium et auxilium impendent[a] oportunum. Et quoniam pernecessarium credimus negotio Terre Sancte, ut principes et populus Christianus pacis gaudeant unitate, adeo quod statutum est sancta et universali synodo suadente, ut saltim per quadriennium in toto orbe Christiano pax generaliter observetur, ita quod per ecclesiarum prelatos discordantes reducantur ad plenam pacem aut firmam treugam inviolabiliter observandam, et qui acquiescere forte contempserint, per excommunicationem in personas et interdictum in terras artissime compellantur: nos, qui ad liberationem terre illius ardenti desiderio aspiramus ac pacem diligimus et eam inquirimus puro corde, tam pro exhortatione verbi crucis, quam pro pacis seu treugarum federe propagando, et pro aliis que limam correctionis exposcunt, mittimus ad vos venerabilem fratrem nostrum Ostiensem episcopum, virum utique secundum cor nostrum, Deo et hominibus acceptum, potentem in opere et sermone, precipuum ecclesie Dei membrum, quem inter alios fratres nostros speciali prerogativa diligimus caritatis, commisso ei plene legationis officio, ut evellat et destruat[b], edificet et plantet et inserat que in agro Domini viderit inserenda. Universitatem itaque vestram monemus et exhortamur attente per apostolica scripta precipiendo mandantes, quatinus ipsum, immo nos in ipso recipientes ilariter et benigne, monitis, statutis et mandatis ipsius humiliter intendatis. Nos enim sententiam, quam in contumaces et rebelles duxerit proferendam, faciemus auctore Domino inviolabiliter observari.

Dat. Lateran. X Kal. Februarii, pontificatus nostri anno primo.

13.

Honorius III papa comiti Alberto de [Holsatia], qui ad subveniendum Terrae Sanctae se accinxerat, nunc autem contra paganos Livonicos profecturus erat, scribit se [Nicolao] Slesvicensi episcopo et abbati de Aurea insula mandasse, ut si terrae Livonicae viderint expedire, ut cum eo decem eius homines transeant, peregrinationis voto mutato iis tribuant licentiam cum eo transeundi. *1217, Ian. 25.*

Hon. III Reg. Vol. 1, 49, 50; Lib. I, 197b.
Potthast, Reg. 5433.

a) impenderent R. b) destruet R.

Nobili viro comiti Alberto de Alsatia[1].

Ab aquilone revelata perfidia succendit ollam, que totas[a] pene oves puerosque [Ier. 1,13.] consumpsit; et dum succenditur, persecutionum angustiis suscitatis, nisi excitatus is, [Ioh. 1,16.] qui imperat ventis et mari, statuat medium fornacis quasi ventum roris flantem, ut [Matth. 8,26. Dan. 3,50.] ignis succensio conquiescat, timendum est populo Christiano, ne a septentrione interceptus in flamma, ab oriente ac meridie inimicorum crucis iniuriis provocatus, ab occidente quassatus superstitione, bellorum affligatur inter angustias, et afflictus inter molestias angustietur. Sane nuper iniquitatis ille filius ad aquilonem posuit thronum suum, expetens ut cribraret[b] sicut triticum populum Christianum, dum in circuitu eius [Luc. 22,31.] paravit insidias et ipsum undique persecutoribus circumduxit, et ut de aliis mundi partibus taceamus, bestia in Livonica regione surrexit, que ore aperto absorbet pluri- [Deut. 11,6.] mos, habens fiduciam quod Iordanis influat in os eius, contra quam sic accingi necesse [Iob. 40,18.] est populum Christianum, quod dum ab una parte propulsat iniurias, ab alia promptum periculum non incurrat. Inter eos autem qui terre illi sic afflicte parati sunt subvenire, tu ad subveniendum ei tanto te accinxisti viriliter ac potenter, quanto per subventionem tuam maiora speramus eidem comoda proventura. Verum quia, sicut tuis nobis litteris intimasti, te pro expeditione regia in remotis agente, cum ad bone memorie I[nnocentium] predecessorem nostrum litteras destinasses, ut tibi liceret caracterem crucis accipere volenti contra paganos Livonicos proficisci, medio tempore multi de familia tua, tuum propositum nescientes, pro subventione terre Ierosolimitane crucis signaculum receperunt. Unde cum tu familiaribus tuis carere non possis nec sine ipsis commode votum peregrinationis implere, a nobis humiliter postulasti, ut saltim decem de familia tua specialibus, qui quasi pars tui corporis esse videntur, dare licentiam dignaremur, ut tecum in Livoniam transire valeant, voto peregrinationis Terre Sancte in aliud commutato. Licet autem maiori bono proponi non debeat minus bonum, quia tamen, sicut oportet nos succurrere Terre Sancte, [oportet quoque][c], ut pusillum gregem gentis Livonice, cui complacuit Dominus dare regnum, nullatenus omittamus, volentes nichilominus te virum, sicut dicitur, timoratum et apostolice sedi devotum in tuis precibus exaudire, venerabili fratri nostro . . Slesvicensi episcopo[2] et dilecto filio abbati de Aurea insula Slesvicensis diocesis[3], de quorum discretione gerimus fiduciam pleniorem, damus nostris litteris in mandatis, ut pensatis et consideratis circumstantiis negotii universis, si terre illi Livonice viderint expedire ac utile tibi fore, ut decem de hominibus tuis, quorum electionem ipsis et tue prudentie duximus relinquendam, tecum transeant ad servitium Iesu Christi, iidem auctoritate nostra peregrinationis voto mutato ipsis tribuant tecum licentiam transeundi, proviso prudenter ne in elusionem voti prius emissi aliquid attemptetur.

Dat. Lateran. VIII Kal. Febr. pontificatus nostri anno primo.

14.

Honorius III papa Waldemaro regi Danorum scribit, se confirmare quidquid Fridericus Romanorum rex de assensu principum fecerit, scilicet additionem regno Daniae

[a]) tactas *R.* [b]) cribaret *R.* [c]) *Haec verba vel similia deesse videntur in R.*

1) *Immo comiti Holsatiae de Orlamunde, quod corrigendo restituendum erat, si mendum non ab ipsis curiae scribis commissum esse constaret.* 2) *Nicolao.* 3) *Guldenholm, mox in alium locum translatum, Rukloster dictum est, nunc in arcem Glücksburg mutatum.*

terminorum ultra Eldanam et Albiam et quidquid in Sclavia Kanutus rex defunctus, frater eius, acquisiverit. *1217, Ian. 31.*

Hon. III Reg. Vol. I, 56; Lib. I, 220.
Potthast, Reg. 5441.

Waldemaro regi Danorum illustri.

Iustis petentium etc. usque: complere. Cum igitur karissimus in Christo filius noster Fridericus rex Sicilie, in Romanorum imperatorem electus, de assensu principum, pro pace ac concordia inter imperium et regnum Datie inviolabiliter observanda et hostibus imperii coherecendis, omnes terminos ultra Eldanam et Albiam imperium contingentes, quos inclite recordationis Kanutus rex, frater tuus, provocatus iniuriis, et tu cum eo pariter acquisistis, et quicquid in[a] Sclavia idem frater tuus comparatum paterno suoque labore tenuit, regno tuo addiderit, sicut per autenticum inde confectum evidenter apparet, nos tuis precibus inclinati, quod ab eodem rege de consilio principum et assensu pro bono pacis super hiis provide factum est ratum habentes, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Si quis autem etc.

Dat. Lateran. II Kal. Febr. pontificatus nostri anno primo.

15.

Honorius III papa confirmat arbitrium, quod inter H[enricum] ducem Silesiae et [Laurentium] episcopum Wratislaviensem C[onradus] episcopus quondam Halberstadensis de decimis praestandis a quibusdam Teutonicis, qui de novo ad illius terrae incolatum inducti fuerant, promulgavit, quodque utraque pars sponte recepit.

1217, Febr. 15.

Hon. III Reg. Vol. I, 64; Lib. I, 253.
Potthast, Reg. 5460.

Nobili viro H. duci Zlesie.

Olim inter te ac venerabilem fratrem nostrum . . Wratislaviensem episcopum super decimis prestandis a quibusdam Teutonicis, qui de novo ad illius terre inducti fuerant incolatum, questione suborta, tandem post altercationes multiplices, ex quibus lites ex litibus nascebantur, et proveniebant odii simultates, in venerabilem fratrem nostrum C. episcopum quondam Alverstatensem, virum providum et discretum, pars utraque concorditer compromisit, qui habito super hoc diligenti tractatu de partium voluntate inter vos equum arbitrium promulgavit; unde tam tu quam idem episcopus ac venerabiles fratres nostri[b], H[enricus] Gneznensis archiepiscopus et suffraganei sui, decanus quoque et capitulum Wratislaviense per vestras litteras nobis humiliter supplicastis, ut arbitrium inter vos amicabiliter initum ac sponte receptum apostolico dignaremur munimine roborare. Nos igitur vestris precibus grato concurrentes assensu, compositionem ipsam, sicut sine pravitate provide facta est et ab utraque parte sponte recepta, ut in instrumentis exinde confectis plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Si quis autem etc.

Dat. Lateran. XV Kal. Martii pontificatus nostri anno primo.

[a]) in *deest in R.* [b]) nostros *R.*

16.

Honorius III papa praeposito et capitulo Caminensi libertatem quam principes saeculares iis contulerint confirmat. *1217, Mart. 15.*

Hon. III Reg. Lib. I. 330.

. . preposito et capitulo Caminensi.

Cum a nobis petitur etc. usque: assensu. Libertatem quam principes seculares vobis[a] et vestris hominibus contulerunt, sicut eam iuste ac pacifice obtinetis, vobis et per vos ecclesie vestre auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Si quis autem etc.

Dat. Lateran. Id. Martii, pontificatus nostri anno primo.

17.

Honorius III papa praeposito Caminensi villas, clausuras et redditus de Lubin confirmat. *1217, Mart. 15.*

Hon. III Reg. Lib. I. 331.

. . preposito Caminensi.

Cum a nobis petitur etc. usque: assensu. Villas, clausuras et redditus de Lubin cum omnibus pertinentiis suis ad tuam preposituram spectantibus, sicut eas iuste possides et quiete, tibi et per te ecclesie tue auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus etc. etc.

Dat. ut supra.

18.

Honorius III papa abbati et conventui de Belbog decimas a [Seguino] episcopo Caminensi et villas et alia bona a Boguzlao et Kazimaro ducibus Pomeraniae iis collata confirmat. *1217, Mart. 17.*

Hon. III Reg. Lib. I. 332.
Potthast, Reg. 5656.

Abbati et conventui de Belbog.

Cum a nobis petitur etc. usque: assensu. Decimas de Trebetowe vobis a venerabili fratre nostro . . episcopo Caminensi de consensu capituli sui intuitu pietatis concessas, et de Belbog et de Cholm villas cum omnibus pertinentiis earundem, redditus et alia bona a nobilibus viris Bozlao et Kazimaro, ducibus Pomeranie, pia vobis liberalitate collata, sicut ea omnia iuste ac pacifice possidetis et in eorum autenticis plenius dicitur contineri, vobis et per vos monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. etc.

Dat. Lateran. XVI Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno primo.

---

a) nobis *R.*

19.

Honorius III papa Seguino Caminensi episcopo notum facit, se ecclesiam eius sub sua protectione suscipere eiusque libertates confirmare. *1217. Mart. 20.*

Hon. III Reg. Vol. I, 87; Lib. I, 329.
Potthast, Reg. 5654.

Seguino Caminensi episcopo eiusque successoribus canonice substituendis in perpetuum.

Ex iniuncto nobis apostolatus officio fratribus et coepiscopis nostris, tam vicinis quam longe positis, paterna nos convenit provisione consulere, et ecclesiis, in quibus Deo militare noscuntur, suam iustitiam servare. Equum est enim et rationabile, ut qui beato Petro eiusque vicariis devotiores esse noscuntur, et Romane ecclesie patrocinio cupiunt confoveri, eiusdem pie matris uberibus nutriantur et in suis ab ea iustis petitionibus audiantur. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis iustis postulationibus clementer annuimus et commissam tibi Caminensem ecclesiam, que beati Petri iuris existit, ad instar felicis recordationis Clementis[1] et Celestini, predecessorum nostrorum Romanorum pontificum, sub eiusdem apostolorum principis et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus. Preterea quascunque possessiones, quecunque bona etc. usque: vocabulis, videlicet civitatem ipsam Caminensem cum taberna et foro, villis et omnibus aliis appendiciis earum; castra hec: scilicet Dimin, Treboses, Chozeo, Wologost, Vznam,[2] Grozwin, Piriz, Starogart, cum villis et omnibus eorum appenditiis; Stetin, Prenzlau, cum foro et taberna et suis omnibus pertinentiis; Wolin cum foro et taberna et suis omnibus appenditiis; Cholberg cum tugurio salis et teloneo, foro, taberna et omnibus suis appenditiis; totam Pomeraniam usque ad Lebam fluvium cum foris et tabernis; decimam fori Cithen. Statuimus autem, ut quia civitas, que Wolin dicitur, in qua episcopalis sedes esse solebat, propter guerrarum incomoda deserta esse proponitur, ipsa sedes in ecclesia sancti Iohannis baptiste apud civitatem Caminensem, que populosior est et securior, habeatur. Libertatem quoque, qua sedes ipsa soli fuit Romano pontifici a prima sui institutione subiecta, sicut est hactenus observata, ratam habemus et perpetuis temporibus inviolabilem permanere sancimus. Preterea decimas, quas ecclesia ipsa tam ex resignatione laicorum quam aliis iustis modis quiete possidet, tibi et per te ipsi ecclesie auctoritate apostolica confirmamus. Ad hec statuimus, ut omnes clerici tue iurisdictioni subiecti, tam religiosi quam alii, debitam tibi in omnibus reverentiam et obedientiam exhibeant, nisi per sedis apostolice privilegia sint exempti. Prohibemus insuper, ne te vel tuorum successorum quolibet decedente, per principis terre vel cuiuslibet alterius violentiam bona episcopalia distrahantur, sed illi qui canonice fuerit substitutus, illibata et integra conserventur. Auctoritate quoque apostolica inhibemus, ne laici quilibet ecclesias vel oratoria in tua diocesi construentes, sacerdotes in eis ponere vel canonice institutos sine assensu diocesani episcopi amovere presumant. Adicimus etiam prohibentes, ne si aliqua ecclesia in ipsa diocesi fuerit fabricata, episcopus, qui pro tempore fuerit, ei munus benedictionis impendat, nisi prius a fundatore ipsius vel alio ad sustentationem congruam ministrorum dos competens fuerit assignata. Inhibemus insuper, ne interdictos vel excommunicatos tuos ad officium vel communionem ecclesiasticam recipere quisquam sine congrua satisfactione presumat, nisi forte periculum mortis immineat, ut dum presentiam tuam habere nequiverint, per alium secundum formam ecclesie satisfactione premissa oporteat ligatum absolvi. Ad indicium autem huius

1) *Clementis III d. 1188. Febr. 21.* 2) *in R. Vzna, hodie Usedom.*

percepte a sede apostolica protectionis et[a] libertatis nobis nostrisque successoribus tu et successores tui fertonem auri singulis annis exolvetis. Decernimus ergo etc. usque: profutura, salva in omnibus sedis apostolice auctoritate. Si qua igitur etc. usque: ultioni. Cunctis autem etc. usque: inveniant. Amen.

Dat. Lateran. per manum Ranerii sancte Romane ecclesie vicecancellarii, XIII Kal. Aprilis, indictione V, incarnationis Dominice anno MCCXVI[b], pontificatus vero domini Honorii pape tertii anno primo.

20.

Honorius III papa [Conrado] de Eremitis et de Monte sanctae Mariae abbatibus et praeposito de Oningin controversiam inter Heinricum diaconum et H[einricum] Constantiensem praepositum de ecclesia de Montigil exortam terminandam committit.

1217, Mart. 21.

Hon. III Reg. Vol. I 88, 89: Lib. I. 340.

De Heremitis et de Monte sancte Marie abbatibus et preposito de Oningin Constantiensis et Curiensis diocesum.

In presentia dilecti filii P[etri] de Collemedio, capellani nostri, quem H. diacono et M. procuratori H. Constantiensis prepositi[1] dedimus auditorem, diaconus proposuit memoratus, quod cum a karissimo in Christo filio nostro F. illustri rege Sicilie in Romanorum imperatorem electo, ad ecclesiam de Montigil, in qua idem rex ius patronatus obtinet, fuisset diocesano episcopo canonice presentatus, dictus diocesanus reprobi Ottonis timore vires adhoc[c] in partibus illis habentis, qui postquam fuerat excommunicatione ligatus, eidem presentaverat prepositum antedictum, ipsum admittens, eundem Henricum ad ipsam ecclesiam admittere recusavit. Cumque idem H. venerabili fratri nostro . . Curiensi episcopo[2] ac coniudicibus suis a bone memorie I[nnocentio] papa predecessore nostro negotium ipsum obtinuisset committi fine debito terminandum, iidem in causa ratione previa procedentes, et approbantes quod a dicto rege factum fuerat in hac parte, ipsam ecclesiam adiudicarunt diacono memorato, et quod de dicto preposito per excommunicatum minus canonice factum extiterat irritato, venerabili fratri nostro Constantiensi episcopo[3], loci diocesano, mandarunt, ut ipsum instituerat in ecclesia supradicta: qui mandatum eorum, prout decuit, executioni demandans scripsit parrochianis ecclesie antedicte, ut ipsi tamquam rectori suo in omnibus obedirent. Prepositus vero, de predictis omnibus nulla prorsus habita mentione, ad prepositum de Scurigel et coniudices suos contra electum diaconum[d] super ipsa ecclesia eiusdem predecessoris nostri litteras impetravit: qui cum ei locum assignarent suspectum, ad quem sine periculo corporis accedere non audebat, nec ei vellent alium locum ad quem tute posset accedere assignare, sufficientem procuratorem destinavit ad presentiam eorundem, quem iidem iudices admittere noluerunt; propter quod prefatus diaconus sedem apostolicam appellavit. Iudices vero legitima eius appellatione contempta protulerunt excommunicationis sententiam in eundem. Nominato itaque diacono propter hoc ad sedem apostolicam accedente, prefatus predecessor

a) et *deest in R.* b) *annis incarnationis a d. 25. Martii numeratis.* c) *i. e.* adhuc. d) decanum *R.*

1) *Heinrici de Tanna vel Tanne, regalis aulae protonotarii; cf. Huillard-Bréholles Hist. dipl. Frid. II, Introduct. CXXV et Tom. I p. 511.* 2) *Arnoldo II de Macio.* 3) *Conrado II de Tegerfeld.*

noster ad petitionem ipsius dilectis filiis abbati Sancti Galli [1], preposito de Gutgal et Ottoni canonico Curiensi mandavit, ut si res taliter se haberet denuntiarent prefatam excommunicationis sententiam esse nullam, et facerent clericum memoratum appellatione remota pacifica ipsius ecclesie possessione gaudere [a], contradictores per censuram ecclesiasticam compescendo. Partibus igitur in eorundem iudicum presentia constitutis, predictus diaconus cum instantia postulavit mandatum apostolicum effectui mancipari. Set pars adversa proposuit, quod numquam idem diaconus appellasset, immo tamquam contumax fuerat a predictis iudicibus excommunicationis vinculo innodatus, quod incontinenti se probaturam obtulit per testimonium iudicum predictorum. Verum nominatus diaconus proponens predictos iudices contra se post appellationem legitimam processisse ac eorum testimonium contra eum,[b] sedem apostolicam appellavit, cuius appellationi abbas et coniudices sui humiliter detulerunt. Quam appellationem eodem diacono prosequente, adversarius eius non venit per sex menses et amplius expectatus, nec pro se curavit sufficientem mittere responsalem, sed quendam nuntium ad impetrandum et contradicendum transmisit. Quo ad prosequendum appellationem minus idoneo reputato, idem predecessor noster, videns quod idem diaconus legitime appellarit et quod pars adversa negativam se probaturam offerret, videlicet quod non appellans set contumax procurator diaconi a suis iudicibus recessisset, . . preposito Sancti Lucii,[2] S. et H. canonicis Curiensibus, apostolicis dedit litteris in mandatis, ut si eis de premissis constaret, nullam esse prefatam excommunicationis sententiam nuntiantes, sepefatum diaconum sublato cuiuslibet contradictionis et appellationis obstaculo facerent ipsius ecclesie pacifica possessione gaudere. Coram quibus partibus constitutis petiit idem diaconus mandatum apostolicum adimpleri; fuit autem ex adverso responsum, quod per rescriptum illud iudices procedere non debebant, pro eo quod apparebat in ipso suspitio manifesta, et quia per falsam suggestionem et suppressionem veritatis videbatur obtentum: suspitionis quidem arguebatur ex eo, quod in quadam sui parte rescriptum erat abrasum et in alia dissueta constructio videbatur, falsitatem vero dicebat in eo, predictum diaconem suggessisse, quod dixit ipsum prepositum ab Octone, cum erat excommunicatione ligatus, fuisse presentatum episcopo antedicto, cum in veritate fuerit a predicto rege Sicilie presentatus. Hiis igitur et aliis propositis coram auditore predicto, idem habito de mandato nostro consilio venerabilis fratris nostri Albanensis episcopi [3] et aliorum prudentum, denunciavit excommunicationis predicte sententia sepefatum diaconum non teneri, et quia de multis articulis coram ipso capellano propositis, qui plurimum facere videbantur ad causam, nobis fieri non potuit plena fides, de ipsius diaconi et alterius partis procuratoris assensu causam ipsam vobis duximus committendam, per apostolica scripta mandantes, quatinus iuxta formam mandati predicti predecessoris nostri appellatione remota in ipso negotio ratione previa procedatis, contradictores per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo compescentes, provisuri attente, ut si tu, fili abbas de Monte sancte Marie, iudex datus a nobis suspectus a parte prepositi memorati merito fueris reputatus, vos, fili abbas de Heremitis et preposite de Oningin, in ipso negotio nichilominus sublato appellationis obstaculo procedatis.

Dat. Lateran. XII Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno primo.

21.

Honorius III papa compositionem inter Lodewicum comitem de Los crucesignatum et nobilem virum Willielmum de Hollandia Traiectensis diocesis super raptu mulieris

[a]) et facerent — gaudere *bis in R.* [b]) *deesse aliquid videtur.*

1) *Ulrico.* 2) *Conradus praepositus Sancti Lucii commemoratur 1215. Jun. 15.* 3) *Pelagii.*

A[dae] uxoris comitis necnon Hollandia et aliis terris, ad eundem ratione uxoris suae spectantibus, mediante quondam Philippo marchione Namucensi balivo comitatus Flandrensis anno 1206, Oct. 14 initam, tenore compositionis inserto, ad exemplum Innocentii III papae confirmat. *1217, Mart. 21.*

Hon. III Reg. Vol. I, 106. 107; Lib. I, 136.
Potthast, Reg. 5503.

Nobili viro comiti de Los crucesignato.

Sacrosancta Romana ecclesia etc. usque: inclinati, ad exemplar felicis recordationis Innocentii pape predecessoris nostri compositionem inter te ac nobilem virum Willielmum de Hollandia Traiectensis diocesis super raptu nobilis mulieris A. uxoris tue necnon Hollandia et aliis terris, ad te ratione uxoris eiusdem spectantibus, mediante quondam Philippo marchione Namucensi tunc balivo comitatus Flandrensis, amicabiliter initam et iuramentis prestitis hinc inde firmatam, sicut sine pravitate provide facta est[a] et ab utraque parte sponte recepta, et in scriptis autenticis inde confectis plenius continetur, auctoritate apostolica precipimus observari. Ut autem eadem compositio firmius observetur, tenorem ipsius presentibus iussimus annotari, qui talis est.

Hec est forma compositionis et pacis perpetue inter Lodewicum comitem de Los et de Hollandia et dominum Willielmum, Florentii comitis Hollandie quondam filium, arbitrio domini Philippi marchionis Namucensis baiuli Flandrie et nobilium Flandrie virorum consensu et consilio firmate, et spontanea predictorum, comitis scilicet Lodewici et domini Willielmi, voluntate plenius approbate. Post longas siquidem controversias inter eos versatas tandem in bonum pacis consentientes L. comes de Los et de Ollandia et dominus W. predictus dicto et arbitrio domini Philippi marchionis Namucensis super universa terra, que fuit Theodorici comitis Hollandiensis, se commiserunt. Dominus igitur Philippus marchio Namucensis dicto et arbitrio suo assignavit comiti de Los comitatum Hollandie, excepto dotalitio matris domini Willielmi supradicti, post cuius domine decessum dotalitium illud ad dominum Willielmum in proprietatem deveniet. Assignavit etiam dominus Ph. marchio Namucensis comiti de Los Scarpenesse, Duvelant, Stavenesse et Drieskere et dominium domini Hugonis de Ostenvorne et de Westenvorne et de appenditiis. Tota vero alia terra ex hac parte Mose deversus Flandriam per dictum et arbitrium domini marchionis Namucensis remanet in parte domini Willielmi. Quicquid dominus Hugo[b] predictus tenet apud Apenbruch, et castellariam de Sellandia, et omne quod tenet infra insulas que assignate sunt domino W., tenebit ipse Hugo a domino W.; et inde excipiuntur quatuor insule predicte comiti de Los assignate. In winagio[1] apud Gerulith habebit dominus W. omni anno quadringentas libras denariorum, et habebit illic nuntium suum ad denarios colligendos, quousque quadringentas libras receperit. Omne quod illis quadringentis libris supercreverit, comitis de Los et Ollandia erit; si quid autem ad illas quadringentas libras perficiendas defuerit, comes de Los et de Hollant infra annum perficiet. Cum nuntio domini W. comes de Los ministrum suum habebit ad computandum et sciendum denariorum receptionem in predicto winagio. Illas quadringentas libras guinagii dominus W. tenebit ab imperatore seu rege Romanorum, sicut comes de Los tenet ab eodem rege residuum. Ad winagium de Gherulieth homines domini W. nichil aliud

---

a) esset *R.* b) Hug̃ *R.*

1) *winagium vel guinagium vel guimagium est vectigal pro securo transitu vel exportatione mercium. Du Cange.*

solvent, quam solebant solvere tempore Florentii comitis Hollandie. Ad dictum et arbitrium domini Philippi debet dominus W. benefacte adheredare comitem de Los de omnibus supradictis, et comes de Los dominum W. bene etiam adheredare. Unde sciendum est, quod dominus W. ad dictum et arbitrium domini Philippi et consilii sui dedit ei obsides pro dicto et arbitrio suo tenendo sororem suam et filiam suam propriam et decem homines de Scondes. Homines de Hollandia, qui ipsa die Burgis erant, fecit dominus W. facere hominium comiti de Los et de Hollandia, et per castellanum de Leda, qui presens erat, debet comiti de Los facere haberi libere castellum de Leda, vel per nuntios suos. Debet quoque mandare et precipere omnibus hominibus Hollandie et totius terre comiti de Los assignate per litteras suas patentes et per nuntios suos, ut comiti de Los hominium faciant et fidelitatem sine aliquo malo ingenio: et in mandato illo et precepto debet hominibus illis intimare, quod si hominium illud et fidelitatem facere recusaverint, contra omnes qui rebelles erunt, erit comitis de Los in omni posse suo in auxilium, quousque hec consumata erunt comiti de Los et perfecta. Deinde debet dominus W. ire in curia domini episcopi Traiectensis et illic reddere feodum suum et guerpire[1] ad opus domini comitis de Los, ad eum bona fide adheredandum sine suo dando[a], et simili modo faciet dominus W. in curia domini ducis Lovaniensis. Illinc debet dominus W. ire apud Dordrech et ad Flardinghem et ad Ledam et ad Harlem, et ad quamque illarum villarum debet mandare et summonere[b] homines omnes vicinos et adiacentes illi ville et precipere eis, ut comiti de Los hominium faciant et fidelitatem, et dominus W. omnes homines illos a fidelitate, quam ei fecerant, et hominio liberos et absolutos clamabit et dimittet. Et si qui rebelles fuerint, dominus W. ad summonitionem[c] comitis de Los debet eum iuvare semel ad illos destruendos et fugandos, nec eos post dominus W. retinere vel iuvare, quousque ad fidelitatem et hominium comitis de Los et de Hollandia venerint; et hoc pepigit dominus W. comiti de Los bona fide. Dominus marchio Namucensis debet mittere nuntios suos cum domino W. et cum comite de Los ad curiam domini episcopi Traiectensis et ad curiam ducis Lovaniensis et in Hollandiam, ut eorum testimonio hec perficiantur, et eorum testimonio quisque debet, tam comes de Los quam dominus W., hec, quantotius potuerit, adimplere. Precepit quoque dominus marchio Namucensis ipsis nuntiis in fidelitate et iuramento quod ei fecerant, quod hec bona fide perficere studeant. In omnibus viis iamdictis ad perficienda que dicta sunt, ibit comes de Los sub conductu domini W. et dominus W. sub conductu comitis de Los. Hiis quoque peractis secundum relationem et recordationem nuntiorum iamdictorum dominus W. obsides positos rehabebit liberos. Hec omnia comes de Los et dominus W. bona fide et sine malo inienio debent complere. Dominus W. debet mittere in Angliam nuntios suos ad rehabendam neptem suam et eam reddendam comiti de Los, et si per nuntios suos eam rehabere non potuerit, nuntii illi debent ei acquirere conductum, ut ipse illuc ire possit. Quod si non potuerint, dominus Philippus marchio Namucensis debet ei conductum illum acquirere[d], et ipse dominus W. in propria persona debet illuc ire et bona fide laborare ad hoc, ut eam rehabeat sine suo dampno; et si in propria persona eam non rehabuerit, et dominus marchio Namucensis vel per litteras regis Anglie seu per credibiles nuntios scire potuerit, quod dominus W. posse suum inde non fecerit, et quod potuisset illam rehabuisse, si voluisset, iterum debet dominus W. illuc ire; et dominus marchio Namucensis debet cum eo mittere duos probos viros per iuramenta et unum abbatem in obedientia monitum, ut videant et inquirant, si dominus W. de illa rehabenda fecerit posse suum. Si nuntii illi testificati fuerint,

a) *ita etiam in autographo ap. Kluit, Hist. crit. Holl. II. 1, p. 305.* b) sumanere *R.* c) summotionem *R.* d) acquire *R.*

1) *possessionem alicuius rei dimittere. Du Cange.*

quod dominus W. posse suum inde non fecerit, dominus marchio Namucensis debet eum cogere et ostagiis[1] positis et omnibus modis, ut eam reddat. Si autem testificati fuerint, quod inde dominus W. posse suum fecerit, liber inde et quietus debet remanere. Dominus W. homines suos de Sellandia et de Schoudis debet dare obsides et facere iurare, quod si in supradictis compositionibus et conventionibus deficeret, homines illi essent ei in nocumentum et domino marchioni Namucensi in auxilium, quousque emendatum esset consilio curie Flandrensis. Resignato[a] quippe feodo a comite de Los in manum domini Philippi marchionis Namucensis baiuli Flandrie, quod Theodoricus comes Hollandie ultimis diebus vite sue tenuit a domino comite Flandrie, et inde adhereditato domino W., testimonio hominum Flandrie et Hainoie comitis et heredum suorum, ipse W. feodum suum assignavit comiti Namucensi ac marchioni baiulo Flandrie super predicta pace et conventione tenenda in ostagiariam. Lodewicus comes de Los et de Hollandia concessit et pepigit domino Ph. marchioni Namucensi ad eius dictum et arbitrium et consilii sui de conventione inter ipsum et dominum W. tenenda et pace et omni compositione dare ostagiariam et securitatem: videlicet quod coram episcopo Traiectensi ponet terram Hollandie in hostagiariam, quod si predictis compositionibus et conventionibus deficeret, terra illa remaneret in manu ipsius episcopi, ita quod comes de Los nichil interim acciperet in terra illa, quousque emendatum esset consilio curie Flandrensis; et litteras patentes ipsius episcopi debet comes de Los exinde facere haberi Philippo marchioni Namucensi. Quatuorque insulas supranominatas Scarponisse, Duvelant, Stavenisse et Driskire, et castellum de Leda cum villa et cum toto allodio, quod est in castellaria illa, que omnia ad dominium et feodum Flandrie dedit idem comes de Los et de Hollandia, posuit etiam in ostagiariam, quod si deficeret in predictis compositionibus et conventionibus, dominus marchio Namucensis manum mitteret ad feudum, quousque emendatum esset consilio curie Flandrensis. Homines quoque Hollandie et insularum predictarum ponet obsides comes de Los, ita quod faciet eos iurare, quod si deficeret in predictis, ipsi homines essent comiti de Los in nocumentum et domino Namucensi in auxilium, quousque emendatum esset consilio curie Flandrensis. Ponet quoque comes de Los dominum episcopum Leodiensem ostagium, quod si conventionibus predictis deficeret, ipse episcopus manum mitteret ad feodum suum, et interim comes de Los nichil acciperet in feodo illo quod tenet ab episcopo, quousque emendatum esset consilio curie Flandrensis; et inde litteras ipsius episcopi patentes acquiret comes de Los domino Namucensi baiulo Flandrensi. Pro posse etiam suo sine suo dampno ponet comes de Los hostagium ducem Lovaniensem, quod si in conventionibus satisdictis deficeret, dux ad feodum suum manum mitteret, quousque emendatum esset[b] curie Flandrensi; et inde litteras ipsius ducis patentes faciet haberi domino Namucensi. De propria comitis de Los hereditate, quam posuit in ostagiariam, est in veritate[c] domini marchionis Namucensis, quod si comes de Los uxorem suam rehabuerit, et domino Namucensi visum fuerit, quod bene possit comes de Los per uxorem suam adheredare dominum W. de terra, que ei est assignata, et ipse comes de Los inde deficeret, tunc feodum domini Leodiensis et domini Lovaniensis essent in predicta ostagiaria. Hec omnia plenius tenenda et firmius observanda Lodewicus comes de Los et de Hollandia et dominus Willielmus tactis sacrosanctis iuraverunt. Dominus quoque marchio Namucensis baiulus Flandrie super hiis omnibus inviolabiliter observandis ad petitionem comitis de Los et domini W. obsidem se constituit, sigilloque suo cum sigillo comitis de Los et de Hollandia et cum sigillo domini W. sepedicti presens scriptum confirmari decrevit.

---

a) Regnato *R.* b) esse *R.* c) *ita etiam in autographo.*

1) *obstagiis, Gall. ôtages, fideiussoribus.*

Testes: Arnulfus comes Ginnarum, Willielmus advocatus Betuniensis, Iohannes castellanus Brugensis, W. castellanus Audomari, Arnulfus de Aldirnart, Theodoricus de Beverna, Sigerus castellanus Gandavensis, Walterus Bertoldus, Walterus de Sotimheim, Bernardus de Rosebais, Gerardus de Audenburch, Egidius camerarius Flandrie, Hugo de Maloalneto[a], Daniel de Curtraco, Egidius de Odungheim et quam plures alii.

Actum Brugis in domo prepositi, die festo sancti Donatiani[1] mense Octobr. anno verbi incarnati MCCVI.

Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Si quis autem etc.

Dat. Lateran. XII Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno primo.

22.

Honorius III papa abbati Sancti Huberti Leodiensis diocesis et Sancti Iohannis et Sancti Martini decanis Leodiensibus mandat, ut compositionem inter L[odewicum] comitem de Los et Willielmum de Hollandia initam inviolabiliter observari faciant.

1217, Mart. 21.

Hon. III Reg. Lib. I, 437.

Abbati Sancti Huberti Leodiensis diocesis et Sancti Iohannis et Sancti Martini decanis Leodiensibus.

Cum nos compositionem inter dilectos filios, nobiles viros L. comitem de Los et[b] Willielmum de Hollandia, super raptu nobilis mulieris A[de] uxoris ipsius comitis nec non Hollandia et aliis terris, ad ipsum comitem ratione uxoris eiusdem spectantibus, mediante quondam Philippo marchione Namucensi tunc balivo comitatus Flandrensis, amicabiliter initam et iuramentis prestitis hinc et inde firmatam, sicut in litteris nostris plenius continetur, precepimus observari, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus compositionem eandem, sicut sine pravitate provide facta est et ab utraque parte sponte recepta, faciatis per censuram ecclesiasticam appellatione remota inviolabiliter observari. Quod si non omnes etc. duo vestrum etc.

Dat. ut supra.

23.

Honorius III papa eisdem mandat, ut clericos, qui excommunicationis et interdicti sententias a [Theoderico] archiepiscopo Treverensi in W[illielmum] de Hollandia et fautores eius promulgatas non servent, poena canonica castigent. *1217, Mart. 22.*

Hon. III Reg. Lib. I, 438.

Eisdem.

Dilectus filius nobilis vir Lodewicus comes de Los crucesignatus nobis exposuit conquerendo, quod cum venerabilis frater noster Treverensis archiepiscopus pro eo in

[a] Maloalnet R. [b] et deest in R.

1) *Oct. 14.*

nobilem virum W. de Hollandia et fautores ipsius Traiectensis et Leodiensis diocesum excommunicationis et in terras eorum interdicti sententias auctoritate apostolica exigente iustitia promulgarit, clerici earundem terrarum dictas sententias non servantes, divina celebrare presumunt in sue salutis dispendium et eiusdem crucesignati non modicum detrimentum. Ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus si est ita, clericos ipsos, quos vobis constiterit taliter celebrasse, pena canonica sublato appellationis obstaculo castigetis. Quod si non omnes etc.

Dat. Lateran. XI Kal. Aprilis etc.

24.

Honorius III papa eisdem mandat, ut excommunicationis et interdicti sententias a [Theoderico] archiepiscopo Treverensi in W[illielmum] de Hollandia et fautores eius promulgatas observent. *1217, Mart. 22.*

Hon. III Reg. Lib. I, 439.

Eisdem.

Dilectus filius nobilis vir L[odewicus] comes de Los crucesignatus nobis humiliter supplicavit, ut excommunicationis et interdicti sententias, quas pro eo in nobilem virum W. de Hollandia et fautores ipsius Traiectensis et Leodiensis diocesum et terras eorum venerabilis frater noster Treverensis archiepiscopus auctoritate apostolica exigente iustitia promulgavit, apostolico dignaremur munimine roborare. Ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus easdem sententias, sicut ratione sunt prolate etc.

25.

Honorius III papa [Ulrico] abbati Sancti Galli usum mitrae et annuli concedit. *1217, April. 7.*

Hon. III Reg. Vol. I, 93; Lib. I, 561.
Potthast, Reg. 5512.

Abbati Sancti Galli.

Ad ecclesiastici decoris augmentum reperta sunt insignia dignitatum, que sacrosancta Romana ecclesia congrua in singulos liberalitate distribuit et devotis filiis, prout dignum iudicat, obtinenda concedit. Nos igitur tue merita probitatis et devotionem quam ad apostolicam sedem habere dinosceris benignius attendentes, usum mitre et anuli tibi personaliter de apostolica benignitate concedimus, statuentes ut in processionibus, sinodis et precipuis festivitatibus liber utaris eisdem. Nulli ergo omnino hominum etc. nostre concessionis etc. Si quis autem etc.

Dat. Lateran. VII Idus Aprilis, pontificatus nostri anno I.

26.

Honorius III papa respondet litteris quas [Fridericus] Romanorum rex de morte Innocentii III et de ipsius promotione misit, notificans quod [Ulricum] abbatem Sancti Galli et W[ilhelmum] marchionem Montisferrati et V. decanum Spirensis ecclesiae et A. castellanum Sancti Miniati nuntios eius benigne receperit et ad eum suum legatum destinare disposuerit. *1217, April. 8.*

Hon. III Reg. Vol. I, 93; Lib. I, 359.
Potthast, Reg. 5513.

Illustri regi Sicilie in Romanorum imperatorem electo.

Litteris regie celsitudinis consueta benignitate receptis, ex tenore intelleximus earundem, quod licet felicis recordationis I. pape predecessoris nostri te obitus conturbarit, beneficia que per ipsius sollicitudinem gratia tibi divina contulerat recolentem, nostra tamen promotio letitiam tibi attulit post merorem, firmam gerenti fiduciam, quod gratiam quam in eiusdem predecessoris nostri oculis invenisti, apud nos valeas invenire, cum omnem devotionem et reverentiam quam exhibuisti eidem, exhibere devotissime velis et nobis. Dilectos quoque filios . . abbatem Sancti Galli, nobilem virum W. marchionem Montisferrati, V. decanum Spirensis ecclesie, A. castellanum Sancti Miniati, nuntios tuos, benigne recepimus, et ea que nobis ex parte tua proponenda duxere, una cum fratribus nostris clementer audivimus et avertimus[a] diligenter. Nos ergo ad ea que Dei et ecclesie Romane honorem ac exaltationem tuam respiciant aspirantes, ad te legatum nostrum disponimus destinare, per quem tam super hiis que ex parte tua nobis fuere proposita, quam super Terre Sancte succursu, celsitudini regie, secundum quod expedire viderimus, curabimus respondere. Monemus igitur serenitatem tuam et exhortamur in Domino, quatinus in devotione sancte Romane ecclesie matris tue firmiter perseverans, te talem exhibere studeas erga ipsam, quod ipsius erga te caritas tepere non debeat, set de die in diem suscipere potius incrementum.

Dat. Lateran. VI Idus Aprilis, pontificatus nostri anno primo.

27.

Honorius III papa universos principes Alamanniae adhortatur, ut F[riderico] Romanorum regi potenter et viriliter assistant, sicut fecerint hactenus.
1217, April. 9.

Hon. III Reg. Vol. I, 93; Lib. I, 360.
Potthast, Reg. 5514.

Universis principibus Alamannie, tam ecclesiasticis quam mundanis.

Licet a vobis per dilectos filios abbatem Sancti Galli[1], decanum Spirensem et nobilem virum marchionem Montisferrati[2], nuntios karissimi in Christo filii nostri F. illustris regis Sicilie in Romanorum imperatorem electi, nullas receperimus litteras.

[a]) *i. e.* advertimus.

1) *Ulricum.* 2) *Wilhelmum; v. supra n. 26.*

nos tamen ex assueta sedis apostolice providentia vobis dirigimus scripta nostra, universitatem vestram attentius exhortantes, quatinus, cum membris expediat, ut honor capitis non vacillet, dicto regi, sicut fecistis hactenus, potenter ac viriliter assistatis, cum et nos ipsi ad exaltationem eiusdem, quantum cum Deo possumus, intendamus. Dat. Lateran. V Idus Aprilis, pontificatus nostri anno primo.

28.

Honorius III papa nobili viro Salinguerrae de Ferraria in feudum concedit illas terras de podere comitissae Mathildis, quas Innocentius III papa ei concesserat in feudum, per vexillum beati Petri eum investiendo, ea condicione ut XL marcas argenti nomine census annuatim exsolvat et C milites ad servitium ecclesiae promptos habeat.

1217, April. 17.

Hon. III Reg. Vol. I, 96; Lib. I, 387.
Potthast. Reg. 5523.

Nobili viro Salinguerre de Ferraria salutem et apostolicam benedictionem.

Consuevit providentia sedis apostolice manum liberalitatis[a] extendere ad devotos, ut devotiores efficiat de devotis et ad bonum devotionis alliciat indevotos. Eapropter, dilecte in Domino fili Salinguerra, nos de fratrum nostrorum consilio felicis memorie Innocentii predecessoris nostri vestigiis inherentes, in feudum tibi concedimus illas terras de podere comitisse Mattildis, quas idem predecessor noster tibi concessit in feudum, per vexillum beati Petri te investiendo de illis, videlicet Medicinam, duas partes Argellate cum proventibus suis, Carpenetam, Besinantum, Mandriam, Bibianellum, Castrum Arianum, Fosdundum, Muzole, Bundenum Arduini, Pigugnagiam cum universis curiis et pertinentiis, iuribus et honoribus omnium predictorum castrorum et locorum, salvo iure per omnia quod habet monasterium sancti Benedicti de Larona in Pigugnaga, Carpum et Mombarazon cum plebanatu[b] Sancte Marie, salva tamen dispositione nostra circa ipsum Carpum et Mombarazon. Insuper cuncta iura et redditus, responsiones et iurisdictiones, honores, usus et albergarias, que sunt dicti poderis, in feudum tibi concessi, et in hiis locis specialiter sive pertinentiis, videlicet in Sablono, Cazolo, Fellegaria, Rioltorto, Dinazano, Casali magno, Casali Zigonio, Tregasso, Pregnano, Caveriano, Runcaliis, Planzo, castro Canusie eiusque curia, Fontana, Campogaliano, Sancto Martino de Rio, Sustiliolo, Pradis, Corregia, Fossa, Canulis, Miliarina, Gurgatellis, Fossullis, Budriono, Soleria et in toto eo, quod est eiusdem poderis quod detinebatur a te, quando illud sedi apostolice resignasti, in episcopatibus Bononiensi, Mutinensi, Regino pariter et Parmensi. Tu vero pro feudo ipso nobis et ecclesie Romane quadraginta marcas argenti in festo omnium Sanctorum nomine census annuatim exolves, serviturus nichilominus tuis sumptibus in Lombardia[c] et Romania cum centum militibus, in valle Spoletana vel Marca cum quinquaginta, ab Urbe autem et infra versus Maritimam, per Campaniam et totum regnum Sicilie cum viginti per mensem integrum singulis annis, quandocumque fueris requisitus, tempore veniendi et recedendi minime computato, ac deinde quantum ecclesie Romane placuerit, in eiusdem tamen expensis. Decernimus ergo etc. nostre concessionis. Si quis autem etc.

a) libertatis *R.* b) plebatus *R.* c) Lombardina *R.*

Dat. Lateran. per manum Ranerii sancte Romane ecclesie vicecancellarii, XV Kal. Maii, indictione V, incarnationis Dominice anno MCCXVII, pontificatus vero domini Honorii pape III anno primo.

29.

Honorius III papa magistro et fratribus hospitalis sancti Antonii Viennensis diocesis ecclesiam de Mammingin a Friderico Romanorum rege et Sifrido Augustensi episcopo diocesano donatam confirmat. *1217, April. 25.*

Hon. III Reg. Vol. I. 101; Lib. I, 415.
Potthast, Reg. Add. I 5532 b — 25929.

Magistro et fratribus hospitalis sancti Antonii Viennensis diocesis.

Iustis petentium etc. usque: assensu. Ecclesiam de Mammingin cum possessionibus, hominibus et pertinentiis suis a carissimo in Christo filio nostro Frederico, illustri rege Sicilie in Romanorum imperatorem electo, qui ius patronatus obtinebat in ipsa, et a venerabili fratre nostro Sifrido Augustensi episcopo, loci diocesano, capituli sui accedente consensu, pia vobis et provida liberalitate collatam, sicut eam iuste ac pacifice possidetis et in ipsorum regis et episcopi litteris continetur, vobis et per vos domui vestre auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Si quis autem etc.

Dat. Lateran. VII Kal. Maii, pontificatus nostri anno primo.

30.

Honorius III papa A[lberto] archiepiscopo Magdeburgensi concedit, ut terra quam in Livonia suis et suorum sumptibus et laboribus ad Christi fidem convertat, Magdeburgensi ecclesiae metropolitico iure subsit. *1217, April. 26.*

Hon. III Reg. Vol. I. 102; Lib. I. 420.
Potthast, Reg. Add. I 5532 a — 25928.

A. archiepiscopo Magdeburgensi.

Considerantes devotionis fervorem quam ad apostolicam sedem geris, et labores quibus te ac tuos exponis pro dilatatione Christiane fidei attendentes, presentium auctoritate statuimus, ut terra quam in Livonia tuis et tuorum sumptibus et laboribus ad Christi fidem ipso adiuvante convertes, Magdeburgensi ecclesie metropolitico iure subsit. Nulli ergo etc. nostre constitutionis etc. Si quis autem etc.

Dat. Lateran. VI Kal. Maii, pontificatus nostri anno primo.

31.

Honorius III papa universis fidelibus per Tusciam constitutis permittit, ut senatori et civibus Romanis in duobus casibus moderatum auxilium conferant.
1217, Mai. 10.

Hon. III Reg. Vol. I, 106; Lib. I, 435.
Potthast, Reg. Add. I 5541 a — 25914.

Plerumque dissimulanda sunt quedam et ad tempus conniventibus oculis toleranda, que possunt scandali materiam suscitare, cum et Veritas ipsa quedam fecerit ex temperantia equitatis pro vitando scandalo Iudeorum. Sane nuper ex eo quod vobis nostris dedimus litteris in mandatis, sub pena mille librarum et interminatione anathematis iniungendo, ut contra vasallos ecclesie non procederetis hostiliter in exercitu senatoris, idem senator et cives Romani graviter sunt commoti, proponentes quod utilitatem videmur publicam impedire, cum iidem, sicut asserunt, quamquam nos contrarium sentiamus, contra eos tantum in expeditione procedant, qui annonam, que potest proficere succursui Terre Sancte, ad partes transferunt alienas, et qui publicos depredatores viarum recipiunt et defensant. Nolentes igitur quod idem senator et cives presertim hoc tempore contra nos et vos materiam habeant murmurandi, indempnitati quoque ac paci vestre pro malitia temporis providentes, dissimulando permittimus, quod cum ex parte dicti senatoris fueritis requisiti, duntaxat in duobus casibus supradictis, quousque super hoc a nobis contrariam receperitis iussionem, eis moderatum auxilium conferatis.

Dat. Lateran. VI Idus Maii, pontificatus nostri anno primo.

32.

Honorius III papa [Eberhardo II] archiepiscopo Salzburgensi mandat, ut Wolcherum monachum, quem suo arbitrio in abbatem monasterii sancti Lamberti de Karinthia benedixerit, prorsus amoveat a praelatura sua, et sententias, quas in subdiaconum et quosdam monachos eiusdem monasterii promulgaverit, sine difficultate relaxet, cum monasterium illud immediate ad Romanam ecclesiam dicatur pertinere. *1217, Sept. 1.*

Hon. III Reg. Vol. I, 151, 152; Lib. II, 615.

Archiepiscopo Salzburgensi.

Intra in cubiculum cordis tui, et ibi diligenter interroga temetipsum, utrum equo animo sustineres, ea tibi a tuis subditis fieri que nobis ipse fecisti. Sicut enim W.[1] monachus monasterii sancti Lamberti de Karinthia, quod immediate ad Romanam ecclesiam dicitur pertinere, dudum sua nobis querela monstravit, tu, causa electionum factarum de ipso et Wolchero monacho in monasterio memorato pendente coram . . abbate de Runa et coniudicibus eius a sede apostolica delegatis, eum in ecclesia capi tyrannica feritate fecisti, et in carcerem retrudi graviter vulneratum, ecclesia ipsa equis et rebus aliis spoliata, ut sic saltem a iuris sui prosecutione desistere cogeretur; quo etiam sic detento pro corrigendis eius excessibus, quos insinuasti esse varios et multiplices, tacito quod detineretur in vinculis, apostolicas litteras impetrasti, ut earum occasione desevires liberius in eundem. Porro cum idem procuratorem suum ad tuam synodum destinasset, contradicturum ne causa pendente prefatum Wolcherum benediceres in abbatem, tu nichilominus post appellationem ab ipso procuratore legitime interpositam illum, lite adhuc existente sub iudice, in abbatem benedicere presumpsisti, et in procuratorem iamdictum nulla monitione premissa excommunicationis sententiam promulgare, faciens ipsum de synodo turpiter eici, et a servientibus tuis, licet esset subdiaconus, inhoneste tractari. Ad hec cum

1) *Walterus vocatur in ep. 39.*

monasterium ipsum, ut dictum est, ad apostolicam sedem pertineat specialiter, tu iurisdictionem usurpans indebitam in eodem, in quosdam monachos eius excommunicationis sententiam pro tue voluntatis arbitrio promulgasti post appellationem ad nos legitime interiectam. Cumque tibi super hiis direxerimus scripta nostra, qualia vidimus expedire, tu culpe culpam et contemptum contemptui superaddens, litteras nostras recipere contempsisti, quod utique facere minime debuisses, etiam si essemus in minori officio constituti, presertim recolens illum caritatis affectum quem tibi ante promotionem nostram curavimus exhibere. Vide si fecisti quod archiepiscopum decuit, vide si promissam apostolice sedi obedientiam inoffense servasti! Ut autem hec ad presens sufficiat obiurgatio, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus infra mensem post susceptionem presentium prefatum Wolcherum prorsus amoveas a prelatura monasterii memorati, et sententias, quas in predictos subdiaconum et monachos promulgasti, sine difficultate relaxes, aut etiam nullas esse denunties, cum iamdictum monasterium asseratur exemptum et legitima dicatur appellatio processisse, ac dictarum electionum causam coram prefatis iudicibus sine impedimento permittas fine debito terminari, ecclesie supradicte restituens ea quibus extitit spoliata. Alioquin noveris nos . . abbati de Crehmsmunster[1], . . de domo sancti Floriani[2] et . . Matshe prepositis Pataviensis diocesis per nostras litteras mandavisse, ut te in mandati nostri exeeutione cessante, ipsi auctoritate nostra que premissa sunt de amotione sepedicti Wolcheri ac relaxatione sententiarum, quas in iamdictos monachos et subdiaconum promulgasti, sublato cuiuslibet appellationis et contradictionis obstaculo, veritate cognita exequentes, ac iniungentes supradictis iudicibus ut nullius contradictione obstante procedant in causa, iuxta traditam sibi formam super spoliatione ecclesie antedicte audiant hinc inde proposita, et quod iustum fuerit appellatione remota decernant.

Dat. Ferentini, Kal. Septembr. anno secundo.

33.

Honorius III papa capitulo Laudensi concedit licentiam celebrandi divina, cum pax inter cives Laudenses et Papienses reformata sit. *1217. Sept. 16.*

Hon. III Reg. Vol. I, 154; Lib. II, 633.

Capitulo Laudensi.

Ex parte vestra fuit propositum coram nobis, quod cum fautoribus Mediolanensium fuisset per apostolicas litteras sub pena excommunicationis inhibitum, ne hostiliter Papiensium terram intrarent cum Mediolanensibus antedictis, cives vestri, licet eandem terram minime intraverint, ipsos tamen Papienses post inhibitionem predictam in contione publica diffidarunt; propter quod cessastis humiliter a divinis, supplicantes ut cum pax reformata sit inter cives predictos, celebrandi licentiam vobis concedere de cetero dignaremur. Nos igitur devotionem vestram in Domino commendantes, per apostolica vobis scripta mandamus, quatinus de licentia nostra libere celebretis, dummodo impedimentum aliud canonicum non obsistat.

Dat. Alatri, XVI Kal. Octob. anno secundo.

1) *Rudolfo.* 2) *Altmanno.*

34.

Honorius III papa nobilem virum Raynaldum ad praesentiam suam invitat, ut negotium valeat consummari, de quo cum fratre eius B. tractaverit.

1217, Sept. 30.

Hon. III Reg. Vol. I, 160; Lib. II, 665.

Nobili viro Raynaldo.

Venientem ad presentiam nostram dilectum filium nobilem virum B.[1] germanum tuum benigne recepimus, et hiis que nobis ex parte tua proposuit diligenter auditis ac tractatu super eis habito diligenti, negotium parati sumus, quantum in nobis est, perducere ad effectum. Sed idem germanus tuus ea que oportuit nequivit pro tua parte complere. Tu ergo de hiis que tractata fuerunt per eiusdem germani tui relationem edoctus, si tractatus formam acceptas, ea prepares tam in personis quam rebus que necessaria sunt ad ipsius negotii complementum, et personaliter ad nostram accedas presentiam, ita quod negotium valeat consumari, quia nos, quantum in nobis est, parati erimus illud effectui mancipare.

Dat. Ferentini, II Kal. Octob. anno secundo.

35.

S[uerius] Ulixbonensis episcopus aliique Honorio III papae narrant multitudinem crucesignatorum de Alemannia et de Flandria ad portum de Ulixbona ex insperato appulisse, quibuscum coniuncti Christiani Hispanienses et Portugalenses magnam victoriam de Sarracenis apud castrum Alcazar reportaverint. Petunt a papa, ut crucesignatis illis liceat per annum apud se remanere[2].

1217, Sept. 11 — Oct. 21.

Hon. III Reg. Lib. II, 817. Edimus ex Raynaldi Ann. eccl. a. 1217, § 32–34.

Sanctissimo patri ac domino Honorio Dei gratia sacrosancte Romane ecclesie summo pontifici S[uerius] Ulixbonensis, S[uerius] Elborensis et magister in Hispania militie Templi[3] et prior in Portugalia hospitalis Ierosolimitani et commendator militie Sancti Iacobi de Palmela[4] salutem et pedes humiliter osculari.

Sanctitati vestre presentibus innotescat, quod Domino faciente, qui sperantes in Iudith 13.17.
se non deserit, quedam navigii multitudo crucesignatorum de Alemannia et de Flandria et de aliis partibus post multa maris naufragia ac diversa pericula in navigando per quatuor menses laborantes, quod XV dies solet a pluribus navigari, ad portum de Ulixbona appulit ex insperato[5]. Unde nos prenominati episcopi considerantes, quod non nisi ut Hispania liberaretur, eosdem peregrinos Dominus tantum in via detinuerat

1) *B. Bertuldum filium defuncti ducis Spoletani Conradi de Urslingen esse puto, cum papa de rebus Spoletanis loqui videatur. Cf. n. 88.* 2) *Haec epistola scripta est post victoriam crucesignatorum apud castrum Alcazar reportatam (Sept. 11) et ante expugnationem huius castri (Oct. 21). Cf. Chron. reg. Col. ed. G. Waitz in oct. p. 210—212 et 340—342.* 3) *Petrus.* 4) *Martinus.* 5) *circa Iul. 11.*

et ad nos tali tempore adduxerat, quod transfretare non poterant[a] ullo modo, cum abbate Alcobatie et aliis viris religiosis, Templariis videlicet et Hospitalariis et militie Sancti Iacobi commendatore, aliisque regni magnatibus dictos ad hoc induximus peregrinos, ut ex quo transfretandi eisdem deerat facultas, hyemarent nobiscum ad Hispaniam liberandam et ad inimicos sancte fidei expugnandos, unde etiam iterum habere possent victualia et expensas. Quo habito et concesso, et ad verba exhortationis nostre fere omnibus de diocesibus nostris et similiter de toto regno per proprias dioceses signo crucis imposito, insimul processimus ad quoddam castrum obsidendum, quod dicitur Alcazar, quod etiam inter omnia Sarracenorum castella in Hispania erat nocivum Christianis. Consequenter autem ipsis de Alcazar obsessis paganis postulantibus auxilium a regibus per totam Mauritaniam citra mare commorantibus, quatuor reges, de Sibilia[1] videlicet et de Geen[2] et de Badaleuzi[3] et de Corduba, cum toto posse suo et cum fere omnibus qui sunt citra mare paganis inopinate venerunt super nos, ita quod sequenti die[4] nobiscum campestre bellum habuerunt, inter se iactantes quod et castrum liberarent et nos omnes, quos non perderent gladio, ducerent captivatos. Sed Iac. 4, 6 omnipotens, cui proprium est superbis resistere, eorum mirabiliter frangens superbiam, dignatus est exercitui suo subvenire, tribus miraculis preostensis. Primum fuit, quod cum nos de regno Portugalie essemus eadem hora paucissimi, in nocte precedenti bellum ex improviso recepimus magnum exercitum de Templariis et de Hospitalariis et de magnatibus regnorum Portugalensis et Legionensis. Secundum fuit, quod in aere apparuit vexillum crucis gloriosum exercitui in victorie signum. Tertium fuit, quod in ipso belli conflictu visa est utrique parti divinitus candidatorum turba, quod etiam testati sunt ipsi qui fuerunt ibidem captivi Sarraceni, interrogantes ubi essent milites candidati, qui super eos compluebant tela et eorum oculos excecabant, propter quos etiam terga repente verterunt in fugam, ita quod densissima durante strage per decem et amplius miliaria ibique duobus regibus interfectis, de Geen videlicet et de Corduba, de cunctis nisi fuge presidio aliquis non evasit. De tantis ergo miraculis et de tanta victoria exercitui Domini collata divinitus congaudentes, ac de vestre sanctitatis abundantia presumentes, ad pedes vestre clementie provoluti petimus, quatinus ad Hispanie liberationem a sanctitate vestra mandatum exeat, ut et dictus exercitus peregrinorum ad cultum perfidie paganorum de tota Hispania penitus exstirpandum nobiscum per annum remaneat, et quod tam ipsi quam nostrates crucesignati et signandi illam habeant indulgentiam, quam haberent si Terre Sancte subsidium personaliter exhiberent. Item petimus, ut ex quo guerram habemus cum Sarracenis, sicut[b] dominus papa Innocentius statuit, expendatur eadem vigesima, que a clericis in Hispania debet solvi. Item petimus, ut peregrinos qui propter nimiam moram vel infirmitatem vel paupertatem facti sunt impotentes accedere ad Terram Sanctam, iubeat hinc reverti ad propria cum plena suorum peccaminum vestra sanctitas remissione.

36.

W*[ilhelmus] Hollandiae comes crucesignatus Honorio III papae nuntiat castrum Alcazar a Christianis expugnatum esse, et ex eo quaerit, num sibi liceat in Hispania per instantem aestatem remanere.* *1217, post Oct. 21.*

Hon. III Reg. Lib. II, 818. Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1217, § 35–36.

a) poterat *Rayn.* b) *deest in R.*

1) Sevilla. 2) Jaen. 3) Badajoz. 4) *Sept. 11.*

Sanctissimo patri ac domino sacrosancte Romane ecclesie summo pontifici Honorio W. Hollandie comes, crucesignatorum comestabulus, eius devotus miles, debitam devotionem et ad oscula pedum humilem subiectionem etc.

Ad aures vestre sanctitatis cupio venire, quod cum in obsidione castri cuiusdam Sarracenorum Alcazar, Christianis valde inimicum et dampnosum, moram per aliquod tempus cum centum navibus faceremus, divina clementia providente, cuius nutu omnia disponuntur, ipsum castrum expugnavimus[1], duo milia Sarracenorum in ipso captivando, ex quibus ipse dominus castri, Abur nomine, natione tam inter Christianos quam apud Sarracenos precellens, sacrosancto baptismate cum centum aliis ablutus est. Credo, immo vehementer opinor, quod per eundem Hispania Sarracenorum in magna parte fidei catholice debeat subiacere. Noverit sanctitas vestra, quod occasione nostri rex Legionensis[2] et Gallorum, rex Navarre[3] et alii quam plurimi, tam archiepiscopi quam episcopi, cum principibus totius Hispanie signum crucis super Sarracenos Hispanie susceperunt, et treguas cum ipsis Sarracenis diu habitas infregerunt, proponentes in proximo bella cum ipsis Sarracenis committere. Rogaverunt etiam nos et cum maxima instantia monuerunt, quatinus in Hispania per instantem estatem dignum duceremus remanere cum ipsis supra Sarracenos omnipotenti Deo fideliter ministraturi. Quia igitur, pater sanctissime, spes nostra, consilium ac salus tota in vestra dependent[a] paternitate, ego tanquam filius obedientie mandato vestro paratus sum obtemperare, et cum omne desiderium meum ad vestram pendeat voluntatem et beneplacitum, paternitati vestre humillime supplico, quatinus per latorem presentium mihi dignemini demandare, ubi et quando per aliquem nunciorum vestrorum voluntatem vestram plenius percipiam, per eundem gratie vestre largitatem uberius accepturus.

37.

Honorius III papa [Otakaro] regi Bohemiae scribit se ante adventum nuntiorum eius nihil contra eum vel terram eius facturum esse. *1217, Nov. 2.*

Hon. III Reg. Lib. II, 697. Edimus hanc epistolam ex Rayn. Ann. eccl. a. 1217, § 11, suppletam tamen et correctam ex Erben, Reg. Bohem. I. p. 274 n. 583.
Potthast, Reg. 5612.

Regi Boemie.

Litteras serenitatis tue benignitate recepimus consueta et earum continentiam intelleximus diligenter, gaudentes quidem in Domino et devotionem regie celsitudinis commendantes, quod sicut princeps catholicus redargutionem apostolicam, qua te paterno affectu, prout ad nostrum spectat officium, corripuimus, non solum patienter sed gratanter etiam recepisti, sicut nobis eedem tue littere declararunt, tuam nichilominus excusans humiliter innocentiam super iis, que contra ecclesias et personas ecclesiasticas venerabilis frater noster Pragensis episcopus[4] te asserit usurpasse. Petitionem ergo, quam nobis fecisti per litteras antedictas, ut videlicet ante adventum solemnium nunciorum tuorum quos in brevi asseris te missurum, nihil contra te vel

a) dependeat *R.*

1) *Oct. 21. cf. Chron. reg. Col. p. 242 et 342.* 2) *Alfonsus IX.* 3) *Sanctius VI.* 4) *Andreas.*

terram tuam ad petitionem ipsius episcopi faciamus, eo benignius admittentes, quo inter ceteros mundi reges te tue devotionis merito quadam speciali diligimus caritate, nichil contra te vel terram tuam post receptionem litterarum ipsarum ad petitionem ipsius episcopi fecimus vel etiam faciemus, quousque nuntii tui venerint supradicti, nisi forsan usque adeo eorum differretur adventus, quod merito videretur eos non debere ulterius expectari. Sane nuntii tui, qui nobis sepedictas litteras obtulerunt, quedam ex tua parte petebant, que non duximus admittenda, super quo tua non debeat turbari serenitas, cum tu ipse velis, sicut de tua devotione confidimus, ut nihil, quod a iustitia vel honestate discordet, pro te seu pro quocumque alio faciamus. Id autem habeas pro constanti, quod tibi, in quibus honeste poterimus, favorem apostolicum proponimus exhibere. Porro latores presentium nuntios tuos tibi reddimus commendatos, quibus non imputes, quod moram traxerint apud sedem apostolicam longiorem, quia id non fuit per eorum negligentiam, qui se exhibuerint in omnibus diligentes, sed nos ipsi eosdem tenuimus, sperantes quod super negotiis tuis possemus aliter providere.

Dat. Later. IV Non. Novemb. pont. nostri ann. II.

38.

Honorius III papa [Gurino] abbati Sancti Apri poenitentiario Tullensi mandat, ut [Theobaldo] duci Lotharingiae, qui avunculum suum Matthaeum, qui depositus ab episcopatu Tullensi Raynaldum successorem suum necaverat, propria manu interfecit, cum eum ad vindicandum tantum scelus capere vellet, absolutionis beneficium impendat.

1217, Nov. 13.

Hon. III Reg. Vol. I, 170; Lib. II, 709.
Potthast, Reg. 5619.

. . abbati Sancti Apri penitentiario Tullensi.

Ex litteris tuis accepimus, quod cum bone memorie Raynaldus Tullensis episcopus suam diocesim visitaret, quondam Matheus, qui depositus fuerat ab episcopatu Tullensi, iuxta stratam publicam in quodam nemore insidias paravit eidem, et in eum cum suis satellitibus irruens, exutum vestibus gladio miserabiliter interfecit, ac eos qui cum eodem R. episcopo aderant verberibus et plagis affligens, quosdam eorum, videlicet . . abbatem et monachos duos, vestibus spoliatos abire permisit, alios vero clericos et laicos manibus a tergo ligatis per triginta dies et amplius tenuit in silva captivos. Cumque hoc ad karissimorum in Christo filiorum nostrorum F. in Romanorum imperatorem electi et Philippi illustris regis Francie notitiam pervenisset, nobili viro . . duci Lotharingie mandaverunt, quod nisi tanti atrocitatem sceleris vindicaret, cum hec ad ipsius et generis sui redundarent opprobrium, utpote in terra sua et ab eius avunculo perpetrata, huius criminis conscius poterat merito reputari. Unde cum dux ipse zelatus honorem ecclesie ac amore iustitie motus accessisset ad nemora in quibus memorati clerici et laici capti fuerant, et predictum avunculum suum M. ibidem repperiens capere voluisset, ipsum, dum certando propria manu resisteret, interfecit, suo sanguini non parcendo. Quare pro eodem duce, qui super hoc consilium expetit salutare, nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum eo misericorditer agere dignaremur. Ideoque discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus que premissa sunt diligenter attendens, auctoritate nostra ipsi absolutionis beneficium iuxta formam ecclesie impendere non postponas, iniungens ei penitentiam quam ferre valeat moderatam.

Dat. Lateran. Idibus Novembris, anno secundo.

39.

Honorius III papa [Rudolfum] abbatem de Cremsmunster et [Altmannum] Sancti Floriani et de Matsee praepositos in negotio inter [Eberhardum] archiepiscopum Salzburgensem et Walterum monachum Sancti Lamberti procedere vetat, cum utrique partium litteris mandaverit, ut in Kalendis Aprilis proximo venturis sufficienter instructae propter hoc per se vel per responsales idoneos Romae se repraesentent. 1217. Dec. 11.

Hon. III Reg. Vol. I, 179; Lib. II, 746.

. . abbati[1] de Cremmunster et Sancti Floriani et . . Matsche prepositis Pataviensis diocesis.

Ut patefacta veritas patulam iustitie viam pandat, veritatem factorum diligenter inquirere nos oportet, ut iustitiam in iudicium convertamus. Sane venerabilis frater noster . . Salzeburgensis archiepiscopus nostris auribus intimavit, quod cum olim, exigentibus multis et enormibus culpis Walteri monachi Sancti Lamberti Salzeburgensis diocesis, in eum et complices suos excommunicationis et in ecclesiam Sancti Michaelis, ad cuius erat ab . . abbate suo regimen deputatus, interdicti sententias rationabiliter promulgasset, quia idem monachus spiritu rebellionis arreptus eas pertinaciter contempnebat, dictus archiepiscopus personaliter ad ecclesiam accessit eandem, ut rebellionis causam inquireret et inquisitam congrue castigaret. Set idem canonicam fugiens ultionem contra eundem archiepiscopum se armavit, et ipsius ecclesie locum eminentem ascendens fecit eum per suos satellites sagittari, quare predictus archiepiscopus, cum alias impudentem pertinaciam suam non posset corripere, ipsum capi faciens et custodie mancipari, postmodum de consilio suffraganeorum suorum in plena synodo in eum depositionis sententiam promulgavit; que cum dictus archiepiscopus ad nostram audientiam detulisset, nostris sibi dedimus litteris in mandatis, ut ad agendam penitentiam ipsum faceret in aliquo honesto loco retrudi. Sepedictus vero monachus nuper ad sedem apostolicam veniens, tacito quod in se ac complices suos fuerat depositionis sententia promulgata, et expresso mendaciter quod monasterium sancti Lamberti per sedis apostolice privilegium esset exemptum, nec non electionis causa inter ipsum et W[olcherum] Salzeburgensis diocesis coram iudicibus a sede apostolica delegatis pendente ipsum capi fecerat et carcerali custodie mancipari, ut sic ipsum a prosecutione desistere compelleret sui iuris, ad eundem archiepiscopum nostras litteras reportavit ut predictum W. a regimine prefati monasterii amovens, et supradictas sententias excommunicationis et interdicti relaxans, causam inter eundem monachum et dictum W. coram iudicibus delegatis permitteret libere terminari, vobis executoribus nichilominus, si hec memoratus archiepiscopus non efficeret, a nobis optentis. Unde nobis ex parte prefati archiepiscopi extitit supplicatum, ut cum mendax precator carere debeat impetratis, non obstantibus litteris sic obtentis, quod per eum contra monachum supradictum actum est, faceremus auctoritate apostolica confirmari. Ne igitur inter tot varietates veritas delitescat, nos processum totius negotii ac effectum litterarum interim suspendentes, utrique partium nostris dedimus litteris in mandatis, ut in Kalendis Aprilis proximo venturis sufficienter instructe propter hoc per se vel responsales ydoneos nostro se conspectui representent, acture ac responsure prout sua noverint interesse. Quocirca districte vobis per apostolica scripta mandamus, quatinus in eodem negotio nullatenus procedatis.

Dat. Lateran. III Idus Decembris, anno secundo.

1) *Cf. n. 32.*

In eundem modum scriptum est super hoc Waltero monacho Sancti Lamberti Salzeburgensis diocesis et . . archiepiscopo Salzeburgensi verbis competenter mutatis.

40.

Fridericus Romanorum rex fratribus Sanctae Mariae Theutonicorum in Ierusalem CL uncias auri bonorum tarenorum Siciliae in proventibus siclae, duanae et aliorum redditunm civitatis Brundusii annis singulis percipiendas donat et concedit, in excambium cuiusdam tenimenti, quod ab hospitali ipso in Alemannia recepit. *1218. Ian. 3.*

Hon. III Reg. Vol. I, 233; Lib. II, 957.
Ed. a Winkelmann, Act. Imp. ined. p. 123, n. 147.

41.

Fridericus Romanorum rex domui Sanctae Mariae Theutonicorum in Ierusalem pro mantellis et agninis pellibus ad usus hiemales ducentas uncias auri de sicla et de ceteris proventibus regiis apud Messanam singulis annis solvendas donat. *1218, Ian. 3.*

Hon. III Reg. Lib. II, 958.
Ed. ap. Huillard-Bréholles, Hist. dipl. Frid. II, tom I, p. 531.

42.

Honorius III papa [Suerio Ulixbonensi episcopo et quibusdam aliis] respondet super quibusdam petitionibus. *1218, Ian. 12.*

Hon. III Reg. Lib. II, 820. Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1217, § 37.

[Suerio Ulixbonensi episcopo etc.][1]

O ineffabilis pietas, o immensa clementia, o inestimabilis benignitas Dei nostri,
Ps. 144,18 qui a servis suis offensis continuis provocatus, continuo adest ipsis in veritate in-
vocantibus nomen eius, brevis et quasi momentanee devotionis obtentu offensas longi
Ier. 15,19. temporis obliviscens, et iuxta vocem propheticam ad eos qui ad ipsum conversi
fuerint se convertens. — Ad agendas gratias illi, qui signo crucis, quod in celo
apparuit, prefulgente exiit in salutem populi sui, ut salvos faceret Christianos suos,
pro vestre possibilitatis modulo assurgatis, quod et nos acceptis vestris litteris fecimus
in affluentia lacrimarum, ad exolvendas Deo pro tante dignationis gratia dignas laudes
Urbis clerum et populum adunantes. Porro cum Terre Sancte succursum impediri
occasione aliqua non velimus, petitionem qua rogastis, ut crucesignatos, qui ad ipsius
Terre Sancte succursum propter corporum infirmitatem aut rerum inopiam procedere
non valentes, arma vel alia bona sua conferrent ad reparandum castrum Alcazar,
iuberemus ad propria libere remeare, concessa iis plena suorum indulgentia peccatorum,

1) *Hoc esse rescriptum ad epistolam n. 35 apparet, neque vero nomina personarum ad quas papa scribit singula enumerare possumus, praesertim cum crucesignatos non alloquatur.*

non duximus admittendam, ne forte per hoc contra vos ipsos Dominum contingeret provocari, qui, sicut credimus, merito devotionis, quam ad ipsam Terram Sanctam habent crucesignati predicti, victoriam contulit antedictam. Ad hec ipsis crucesignatis per litteras nostras iniungimus, ut dum eos in partibus vestris morari contigerit, plenam suorum peccatorum veniam indulgeatis, ac si ultra mare morarentur[a] in servitio Terre Sancte.

Datum Lateran. II Idus Ianuarii, pontificatus nostri anno secundo.

43.

Honorius III papa Petro priori et clericis Interamnensibus notum facit, se in Interamnensi ecclesia episcopalis dignitatis restaurare honorem et statuere, ut nulli nisi Romano pontifici sit subiecta[1]. *1218, Ian. 13.*

Hon. III Reg. Vol. I. 202; Lib. II, 821.
Potthast, Reg. 5661.

Petro priori et clericis Iterampuensibus[b].

Venerabili fratre nostro Benedicto[c] episcopo cum quibusdam canonicis Spoletanis et te, fili prior, cum clericis Sancte Marie Iterampnensis in bone memorie I[nnocentii] pape predecessoris nostri presentia constitutis, pro eadem ecclesia supplicabatur humiliter, ut cum cathedralis fuerit ab antiquo, ita etiam quod inter alios gloriosos martires Valentinum et Proculum et Anastasium confessorem meruit habere pontifices, non obstante quod aliquanto tempore propter inopiam languit proprii pastoris destituta solacio, restaurare dignaremur in ipsa episcopalis dignitatis honorem, quia cum per Dei gratiam et populus satis habundet et adeo ferveat eius devotio, quod plena manu conferentibus omnibus in communi de competenti dote ac idoneis edificiis providetur eidem, dampnum, quod rerum defectus hactenus intulit, deberet sulfragante iam copia restaurari, ut sic cessante causa cesset effectus. Set ad hec obiecta fuerant prima longinquitas temporis quo Iterampnensem Spoletana possedit ecclesia tamquam suam, cuius dicebatur memoria non extare. Secundo concessiones quorundam Romanorum imperatorum, quorum unus comitatum civitatis Iterampnensis et alius monasteria et quasdam ecclesias civitatis eiusdem Spoletane videbatur ecclesie concessisse. Tertio confirmationes quorundam Romanorum pontificum, qui concessiones ipsorum imperatorum et specialiter plebem Sancte Marie Iterampnensis, ut previlegiorum verbis utamur, inter alia Spoletano episcopo confirmabant . . . . Ad que fuit pro vobis responsum: . . . . Secundo quod imperialis concessio nichil spiritualis iuris auferre potuit vel afferre, cum laicis quantumcumque religiosis disponendi de rebus ecclesiasticis nulla sit attributa facultas. Quapropter is qui loca religiosa voluisse conferre videtur, nil contulit, cum regulariter plus iuris in alium quam habeat quis transferre non possit, et sic, quamvis donationis verba protulerit, effectum conferre nequivit: nec in generali comitatus donatione, si etiam in temporalibus tenuisset, cum eo tempore terram illam per usurpationem contra ecclesiam imperium possideret, quod

a) morerentur *R.* b) *ita R. hodie Terni vocatur.* c) Beneadacto *R.*

1) *Huius epistolae partem tantum Pertz describi fecit; quod enim deest nullius momenti ad generalem imperii historiam est. Integram eam invenis ap. Ughelli, Ital. sacra, I, p. 751.*

mere spiritualis iuris existit, dici debet quasi cum universitate transisse, quoniam nec particulariter nec cum toto habere potuit id donator. Tertio quod per confirmationes Romanorum pontificum generales nichil videtur adiectum, cum firmum non precesserit quod hic potuerit confirmari, quia per eas novum ius non consuevit acquiri, set robur adicitur legitime acquisito. Unde in privilegiis continebatur exhibitis clausula consueta, videlicet sicut iuste ac canonice possidetis etc.

Dat. Lateran. Idibus Ianuarii, pontificatus nostri anno secundo.

44.

Honorius III papa [Suerio] Ulixbonensi et [Suerio] Elborensi episcopis et priori de Palmela mandat, ut crucesignatorum tam illos qui in obsidione castri de Alcazar naves suas concesserint ad machinas et propugnacula facienda, quam eos quos prae paupertate viderint votum suum adimplere non posse, denuntient auctoritate sedis apostolicae absolutos. *1218, Ian. 26.*

Hon. III Reg. Vol. I, 211; Lib. II, 857.

. . Ulixbonensi et . . Elborensi episcopis et . . priori de Palmela Ulixbonensis diocesis.

Dilectus filius nobilis vir W[ilhelmus] comes Hollandie ac exercitus Yspanie universus una cum magistris Templi et Hospitalis necnon militie beati Iosephi ac Calatrabis nostris auribus intimarunt, quod cum castrum de Alcazar diu tenuissent obsessum et pro machinarum defectu eorum inutilis esset labor, tandem habito communi consilio statuerunt, ut octo naves cum apparatu earum conferrentur ad machinas et propugnacula facienda, et persone que ferebantur in eis, dimissis armis et rebus quas secum habebant, ad propria remearent, quibus iidem super absolutione votorum firmiter promiserunt litteras apostolicas impetrare; ac sic post captionem castri sub spe tali remiserunt eosdem. Unde nobis humiliter supplicarunt, ut tam illos quam pauperes in exercitu commorantes, qui pre nimia paupertate votum emissum adimplere non possunt, faceremus absolvi. Nos igitur eorum precibus inclinati discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus, si est ita, tam illos qui naves pro necessitate concessere predicta, quam eos quos pre paupertate videritis votum suum adimplere non posse, denuntietis auctoritate sedis apostolice absolutos. Quod si non omnes etc., duo vestrum etc.

Dat. Lateran. VII Kal. Februarii, anno secundo.

45.

Honorius III papa F[riderico] Romanorum regi remittit donationem praepositurae Aquensis, quae [Engelberto] quondam praeposito in electum Coloniensem assumpto vacare noscitur, ut eam Aldrino subdiacono et capellano sedis apostolicae conferat.

1218, Febr. 1.

Hon. III Reg. Vol. I, 213; Lib. II, 865.
Potthast, Reg. 5685.

F. illustri regi Sicilie in Romanorum imperatorem electo.

Sicut in litteris tue celsitudinis, tam aurea bulla munitis quam aliis quas in camera nostra invenimus, perspeximus contineri, tu attendens inviete fidei et indefesse devotionis affectum, quam dilectus filius Alatrinus subdiaconus et capellanus noster erga te habet, volensque ipsum tuis beneficiis honorare, preposituram Aquensem ad tuam donationem spectantem in manus felicis memorie I[nnocentii] pape predecessoris nostri libere posuisti, eidem subdiacono pro apostolice sedis reverentia sueque devotionis intuitu, quantotius ipsam vacare contingeret, conferendam. Unde idem subdiaconus nobis humiliter supplicavit, ut de iustitia sibi gratiam facientes, preposituram eandem, que . . quondam Aquensi preposito in electum Coloniensem assumpto vacare noscitur, conferremus eidem, vel ne tue liberalitatis intentio effectu debito fraudaretur, collationem ipsius prepositure ad te remittere dignaremur, sibi de tuo munere conferende, cum eam non minus a te, qui huiusmodi beneficentie causam laudabiliter invenisti, quam ab alio recipere gratum gerat. Nos igitur eius desiderio annuentes, ne iniuriam sibi facere videremur, donationem prepositure ipsius serenitati tue duximus remittendam, ut eam memorato subdiacono dumtaxat de tua conferas gratia liberali, decernentes irritum et inane, si quid de ipsa, postquam in manibus predicti predecessoris nostri posita extitit, fuerit attemptatum, cum tibi hoc idem indixeris, sicut tue littere protestantur.

Dat. Lateran. Kal. Februarii, anno secundo.

46.

Honorius III papa [Conrado IV] episcopo Ratisponensi et Sancti Emmerammi et de Wallerbach abbatibus mandat, ut caute ac diligentius explorent, qui sit status episcopatus Pragensis. *1218. Febr. 15.*

Hon. III Reg. Lib. II. 920.
Potthast, Reg. 5705.

Episcopo et . . Sancti Emmerammi Ratisponensis et . . de Wallerbach Cisterciensis ordinis Ratisponensis diocesis abbatibus.

Presentium vobis auctoritate precipiendo mandamus, quatinus caute ac diligentius exploretis, qui percipiant fructus vel procuratores existant episcopatus bonorum Pragensis, et utrum karissimus in Christo filius noster . . Boemie rex illustris[1] absente venerabili fratre nostro . . Pragensi episcopo[2] ordinaverit vel ordinari fecerit procuratores eosdem, vel si regis habeant familiaritatem ipsius, et utrum etiam occasione more, quam facit apud sedem apostolicam, ecclesiis sue diocesis et bonis eorum immineat dispendium et gravamen, vel si exactionibus aggraventur, et an nuntii eiusdem episcopi prohibeantur intrare libere ac exire; et que super hiis et aliis inveneritis, vestris nobis litteris intimetis, ut secundum hec et alia que audierimus in negotio eiusdem episcopi, prout procedendum fuerit, procedamus. Quod si non omnes —, tu ea, frater episcope, cum eorum altero . . .

Dat. Lateran. XV Kal. Martii, pontificatus nostri anno secundo.

1) *Otakarus.* 2) *Andrea.*

47.

Honorius III papa [Conrado IV] episcopo Ratisponensi et Sancti Emmerammi et de Wallerbach abbatibus mandat, ut decanum aliosque praelatos ecclesiae Pragensis, qui interdictum relaxaverant, ad sedem apostolicam transmittant. *1218, Febr. 16.*

Hon III Reg. Vol. I, 226; Lib. II, 920.
Potthast, Reg. 5707.

Episcopo et . . Sancti Emmerammi Ratisponensis et . . de Wallerbach Cisterciensis ordinis Ratisponensis diocesis abbatibus.

Venerabilis frater noster . . Pragensis episcopus[1] nobis humiliter intimavit, quod . . decanus et quidam de prelatis et canonicis ecclesie sue auctoritate propria relaxarent quod in ipsa posuerat interdictum, prius quam venerabilis frater noster . . Maguntinus archiepiscopus[2] relaxationem generalem, quam reputamus penitus fore nullam, facere presumpsisset, ipsum adhuc, licet fuerit confirmatum auctoritate apostolica, observare ausu temerario contempnentes. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatinus utrum premissis veritas suffragetur, per vos et alios cum cautela et industria diligentius explorantes, ipsos, si rei veritas sic se habet, ab officio beneficioque suspensos ad sedem apostolicam transmittatis satisfacturos nobis et ipsi de tante presumptionis excessu. Quod si non omnes —, tu ea, frater episcope, cum eorum altero etc.

Dat. Lateran. XIV Kal. Martii, anno secundo.

48.

Honorius III papa [Gosvino] episcopo Tornacensi mandat, ut magistro Radulfo de Bancigni rectori ecclesiae Sancti Britii beneficium praebendale conferat.

1218, Febr. 20.

Hon. III Reg. Vol. I, 226, Lib. II, 921.
Bibl. Patrist. Hon. III Ep. Lib. II, n. 112.

Episcopo Tornacensi.

Sedes apostolica curam gerens de provisionibus singulorum, profusius super illos rorem sue benedictionis infundit, qui copia litterarum et morum gratia precellente scientiam honestati maritant, quam gerunt in habitu pure mentis. Tales enim, in quibus scientia et honestas amicabili federe coniunguntur, tamquam ligna secus decursus aquarum plantata suavissimum dare solent in tempore suo fructum, verbo pariter et exemplo viam vite simplicibus ostendentes. Eapropter dilectum filium magistrum Radulfum de Bancigni, rectorem ecclesie Sancti Britii, qui, sicut ex testimonio plurimorum fratrum nostrorum et dilecti filii R[aynerii] vicecancellarii nostri, cuius idem in cancellaria nostra obsequiis fideliter insudavit, didicimus, ea morum honestate prefulget litterarum sapore condita, quod ad ecclesiasticum beneficium obtinendum rogari debeat potius quam rogare, fraternitati tue duximus committendum, per apostolica tibi scripta precipiendo mandantes, quatinus ei de tuo vel alieno in aliqua ecclesia

1) *Andreas.* 2) *Syfridus II.*

tue diocesis auctoritate nostra beneficium prebendale conferas et assignes, contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Taliter igitur id quod a te petimus super dicti provisione magistri compleas per effectum, quod nos, quibus gratum est plurimum et acceptum, cum benemeritis fructus digne retributionis impenditur, devotionem tuam ex eo possimus merito commendare.

Dat. Lateran. X Kal. Martii, anno secundo.

49.

Honorius III papa [Alberto] archiepiscopo Magdeburgensi et episcopis per Magdeburgensem provinciam constitutis mandat, ut vicesimam ad subsidium Terrae Sanctae conferendam diligentissime colligant. *1218, Febr. 23.*

Hon. III Reg. Vol. I, 227; Lib. II, 925

Archiepiscopo Magdeburgensi et episcopis per Magdeburgensem provinciam constitutis.

Approbante generali concilio extitit ordinatum, ut omnes clerici, tam subditi quam prelati, vicesimam ecclesiasticorum proventuum usque ad triennium integre conferant in subsidium Terre Sancte, quibusdam duntaxat religiosis exceptis ab hac prestatione merito eximendis, et hiis qui sunt illuc personaliter profecturi. Licet autem super modo ferendi ac distribuendi vicesimam ipsam vobis et aliis archiepiscopis ac episcopis dudum direxerimus scripta nostra, referentibus tamen multis audivimus, quod eadem nusquam est fere collecta. Unde super prudentia vestra non possumus non mirari, quod non habuistis super hoc aliam sollicitudinem tam pro vobis ipsis quam pro subditis vestris, cum non ignoretis constitutionem in ipso generali concilio factam contra illos qui fraudem in hoc scienter committerent, et fraudi lata negligentia comparetur. Cum igitur tempus immineat passagii generalis, fraternitati vestre per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatinus singuli per vestras dioceses vicesimam ipsam diligentissime colligatis, ultra mare, secundum quod expressum est in prioribus litteris quas super hoc vobis direximus, deferendam. Porro cum in generali concilio fuerit signanter expressum de votis eorum qui ad ipsius Terre Sancte succursum sunt inutiles redimendis, volumus ut quilibet vestrum in sua diocesi vice nostra tales, cum ab eis fuerit requisitus et viderit expedire, a voto crucis absolvat, receptis de bonis eorum ad opus et subsidium Terre Sancte, que iuxta facultates suas pro votorum redemptione duxerint conferenda, et receptorum nobis per litteras suas significet quantitatem, ut de ipsis ad ipsius Terre Sancte subsidium disponatur, prout videbimus expedire.

Dat. Lateran. VII Kal. Martii, pontificatus nostri anno secundo.

50.

Honorius III papa [Roberto] episcopo Olomucensi mandat, ut interdictum in Pragensi diocesi positum firmiter observari faciat. *1218, Mart. 4 et Febr. 15.*

Hon. III Reg. Vol. I, 226; Lib. II, 919.
Potthast. Reg. 5714 et 5706.

Episcopo Olomucensi.

Presentium tibi auctoritate iterato precipiendo mandamus, quatinus interdictum, sicut est positum in Pragensi diocesi per venerabilem fratrem nostrum Pragensem episcopum[1] et demum auctoritate apostolica confirmatum, relaxatione venerabilis fratris nostri Maguntini archiepiscopi[2] non obstante, in ecclesiis Cisterciensis et Premonstratensis ordinum et Hospitalariorum et omnium, tam exemptorum quam non exemptorum eiusdem diocesis, facias per censuram ecclesiasticam, remoto cuiuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, firmiter observari, non obstantibus privilegiis eisdem monasteriis ab apostolica sede concessis.

Dat. Lateran. IV nonas Martii, anno secundo.

In eundem modum scriptum est . . episcopo[3] et . . Sancti Emmerammi Ratisponensis et . . de Wallerbach Cisterciensis ordinis Ratisponensis diocesis abbatibus. Presentium vobis auctoritate precipiendo mandamus etc. ut supra usque: concessis. Quod si non omnes . tu ea, frater episcope, cum eorum altero etc.

Dat. Lateran. XV Kal. Martii, anno secundo.

51.

Honorius III papa C[onrado] episcopo quondam Halberstadensi et [Bernardo] abbati de Cella et magistro Conrado de Marburc controversiam inter monasterium Nienburgense ex parte una et [Albertum] ducem Saxoniae ac Henricum comitem Ascariae fratrem eius ex altera ortam committit terminandam. *1218, Mart. 9.*

Hon. III Reg. Vol. I, 229; Lib. II, 940.
Potthast, Reg. 5716.

C. episcopo quondam Alberstadensi, . . abbati de Cella et magistro Conrado de Marburc, predicatori Maguntine et Misnensis diocesum.

Ex parte . . abbatis et conventus monasterii Nihemburgensis fuit propositum coram nobis, quod cum felicis memorie I[nnocentius] papa predecessor noster pro causa, que inter ipsum monasterium ex parte una et nobiles viros . . ducem Saxonie ac Henricum comitem Ascarie fratrem eius diocesis Halberstadensis ex altera super mansis, silvis, pascuis, equis et aliis animalibus, ac dampnis et iniuriis ab eisdem et patre ipsorum dicto monasterio irrogatis noscitur agitari, bone memorie Merseburgensi episcopo[4] et coniudicibus suis direxisset pluries scripta sua, et eadem nequivisset terminari per ipsos, nec speraretur in posterum terminanda, sicut idem episcopus suis ei litteris intimavit, ipse, nolens huiusmodi litem existere immortalem, venerabili fratri nostro Halberstadensi episcopo[5] et collegis ipsius suis dedit litteris in mandatis, ut utrique parti firmiter eius auctoritate iniungerent, ut in octavis Epyphanie proximo tunc futuris, quas eis peremptorium assignavit, propter hoc procuratores idoneos ad eius presentiam destinarent, in negotio ipso secundum quod iuris ordo requireret processuros. Alioquin ex tunc ipse nichilominus, prout exigeret ratio, procederet in eodem. Licet autem prefatus episcopus et eius college dicto comiti terminum auctoritate apostolica prefixerint suprascriptum, ipse tamen procuratorem, qui procedere posset in causa,

1) *Andream.* 2) *Sifridi II.* 3) *Conrado IV.* 4) *Theoderico.* 5) *Frederico.*

mittere non curavit, procuratore ipsius monasterii non absque labore ac expensis apud apostolicam sedem diutius expectante; quin immo postquam dictus terminus sibi fuit prefixus ab illis, tam ipse comes quam dux predictus graves eidem monasterio intulit iniurias et iacturas. Unde nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum dictum monasterium iam fere sex annis pro huiusmodi negotio laborarit, et propter potentiam nobilium predictorum nichil omnino profecerit, fatigatum laboribus et expensis, super hoc ipsi paterna providere sollicitudine dignaremur. Cum igitur eidem monasterio in sua deesse iustitia non velimus, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus dictos nobiles, ut infra tres menses post prime citationis edictum, propositis simul et semel omnibus exceptionibus dilatoriis, super premissis litem contestentur cum monasterio ipso, monitione previa per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellatis, hac deinde audientes que hinc inde duxerint proponenda, et in causa ipsa usque ad diffinitivam sententiam sublato appellationis obstaculo procedentes, ipsam si partes consenserint, fine debito terminetis. Alioquin eandem ad nos remittatis sufficienter instructam, prefigentes partibus terminum competentem, quo per procuratores idoneos et sufficientes compareant coram nobis iustam auctore Domino sententiam recepture, denuntiando prefatis nobilibus, quod si termino ipso pro se sufficientem procuratorem neglexerint destinare, nos nichilominus in eodem negotio, quantum exiget ratio, procedemus. Quod si forte nobiles ipsi contempta excommunicationis sententia nec sic litem voluerint contestari, vos in petitorum possessionem causa rei servande ipsum monasterium inducatis, et nisi sepedicti nobiles possessionem ipsam legitime recuperaverint infra annum, vos ex tunc abbatem et fratres ipsius monasterii ex secundo decreto constituatis veros appellatione postposita possessores, etiam si possessionem ipsam medio tempore impediente nobilium predictorum potentia nequiverint adipisci, eosdem nobiles interim ab ipsius monasterii molestatione indebita per censuram ecclesiasticam appellatione posposita compescentes. Testes autem etc., nullis litteris obstantibus harum tenore tacito a sede apostolica impetratis. Quod si non omnes —, tu, frater episcope, cum eorum altero etc.

Dat. Lateran. VII Idus Martii, anno secundo.

52.

Honorius III papa [Henrico] episcopo Basiliensi in contentione, quae inter ipsum et [Bertoldum] ducem Zaringiae super quibusdam possessionibus suborta erat, arbitrium decani et praepositi Basiliensis subire concedit. *1218, Mart. 13.*

Hon. III Reg. Vol. I, 229; Lib. II, 939.
Potthast, Reg. 5718.

. . Basiliensi episcopo.

Tua fraternitas intimavit, quod cum inter te ac dilectum filium nobilem virum . . ducem Zaringie super quibusdam possessionibus ad ecclesiam tuam spectantibus, quas W[alterus] Basiliensis electus predecessor tuus eidem in feodo dicitur concessisse, contentio suborta fuisset, tandem ut laboribus et indempnitati ecclesie parceretur, in . . decanum et . . prepositum Basiliensem et alios, quos eisdem duceres adiungendos, fuit a te ac duce predicto tamquam in arbitros compromissum, si noster super hoc interveniret assensus. Quare nobis humiliter supplicasti, ut cum per arbitrium ipsum credas ecclesie tue commoda pervenire, tibi super hoc providere misericorditer dignaremur. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus, non

obstante iuramento quod de revocandis possessionibus quas idem W. minus licite alienaverat corporaliter prestitisti, arbitrium ipsum, si ecclesie tue videris expedire, de licentia nostra subeas, capituli tui super hoc interveniente consensu.

Dat. Lateran. III Idus Martii, anno secundo.

53.

Honorius III papa [Roberto] episcopo Olomucensi iterato mandat, ut interdictum in Pragensi diocesi positum firmiter observari faciat. Cf. supra n. 50.

1218, Mart. 27.

Hon. III Reg. Vol. I, 239; Lib. II, 991.
Potthast, Reg. 5729.

Episcopo Olomucensi.

Presentium tibi auctoritate iterato precipiendo mandamus, quatinus interdictum, sicut est positum in Pragensi diocesi per venerabilem fratrem nostrum Pragensem episcopum et demum auctoritate apostolica confirmatum, relaxatione venerabilis fratris nostri . . Maguntini archiepiscopi non obstante, in ecclesiis Cisterciensis et Premonstratensis ordinum et Hospitalariorum et omnium, tam exemptorum quam non exemptorum, eiusdem diocesis facias per censuram ecclesiasticam, remoto cuiuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, firmiter observari, non obstantibus privilegiis eisdem monasteriis ab apostolica sede concessis. Alioquin dilectis filiis . . decano et . . scolastico Wratislaviensi damus nostris litteris in mandatis, ut te a receptione litterarum nostrarum infra viginti dies ad id exequendum districtione qua convenit appellatione remota compellant.

Dat. Lateran. VI Kal. Aprilis, anno secundo.

In eundem modum scriptum est super hoc eisdem . . decano et . . scolastico Wratislaviensi usque in finem, verbis competenter mutatis.

54.

Honorius III papa [Robertum] episcopum Olomucensem graviter reprehendit, quod in ecclesia Pragensi interdicto supposita sollenniter celebraverit. 1218, Mart. 29.

Hon. III Reg. Vol. I, 240; Lib. II, 994.
Potthast, Reg. 5737.

. . Olomucensi episcopo.

Super hiis que de te audivimus non sufficimus ammirari, quod videlicet sollempniter celebraveris in Pragensi ecclesia, quam sciebas ecclesiastico suppositam interdicto, utpote cui a nobis eiusdem executio interdicti fuerat demandata. Verum si censuram ecclesiasticam parvipendis, pro qua opponere te deberes, vel non habes, prout deceret episcopum, sapientie condimentum, vel appetis tui honoris dispendium, dum presumptione dampnabili hec presumis, et si super multis et variis afflictionibus venerabilis fratris nostri . . episcopi et dilectorum filiorum canonicorum Pragensium non moveris, propter quas eadem est ecclesia interdicto subiecta: videris evacuasse non compatiendo proximis legem Christi et pariete ardente vicini propriis nolle dampnis occurrere, licet res propria sic agatur. Quia vero talia non sunt quomodolibet tole-

randa, ne transeant presumptoribus in exemplum, noveris te, si res ita se habet, tamdiu officio beneficioque suspensum, donec nostro te conspectui personaliter representes, satisfactionem super hiis congruam impensurus.

Dat. Lateran. IV Kalendas Aprilis, anno secundo.

In eundem modum scriptum est super hoc[a] . . decano et . . scolastico Wratislaviensi usque: in exemplum. discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus, si res ita se habet, eodem episcopo iuxta quod ei mandavimus officio beneficioque suspenso, faciatis tamdiu latam a nobis in eum taliter suspensionis sententiam appellatione remota inviolabiliter observari, donec nostro se conspectui personaliter representet, satisfactionem super hiis congruam impensurus.

Dat. ut supra.

55.

Honorius III papa [Bernhardo] episcopo Paderburnensi mandat, ut Conrado de Boffesem in loco qui Huxaria dicitur hospitale aedificandi et construendi capellam in eo et habendi cimiterium et proprium capellanum licentiam concedat. *1218, April. 5.*

Hon. III Reg. Vol. I, 240; Lib. II, 999.
Potthast. Reg. 5746.

. . Padeburnensi episcopo.

Veniens ad presentiam nostram dilectus filius Conradus de Boffesem nobis humiliter supplicavit, ut cum ad honorem Dei et solatium infirmorum et pauperum in loco qui Huxaria dicitur velit hospitale construere, ipsumque[b] hospitali sancti Spiritus in Saxia facere censuale[c], illud edificandi et construendi capellam in eo ac habendi cimiterium et proprium capellanum ad opus infirmorum et pauperum licentiam concedere dignaremur. Nos igitur pium eius propositum in Domino commendantes, et fraternitati tue nichilominus deferentes, per apostolica tibi scripta mandamus, quatinus cum loci diocesanus existas, eidem postulata concedas sine iuris preiudicio alieni.

Dat. Lateran. Nonis Aprilis, pontificatus nostri anno secundo.

56.

Honorius III papa capitulo Bremensi concedit, ut proventus duarum praebendarum ad reparationem ecclesiae et ad revocanda ea quae Waldemarus quondam archiepiscopus de bonis eiusdem pignori obligaverit, distrahant. *1218, April. 12.*

Hon. III Reg. Vol. I, 242; Lib. II, 1014.
Potthast. Reg. 5748.

Capitulo Bremensi.

Cum ecclesia vestra per reprobum Guademarum in multis graviter sit collapsa, indulgeri vobis humiliter supplicastis, ut ad reparanda ipsius ecclesie sarta tecta, et revocanda que dictus Guademarus de bonis eiusdem pignori obligavit, et suas necessitates alias relevandas, proventus duarum prebendarum ecclesie predicte, cum in ea

a) hoc *deest in R.* b) ipsum *R.* c) censualem *R.*

viginti quatnor sint prebende, vobis distrahere de nostra permissione[a] liceret, presertim cum canonicorum defectum supplere per maiorem diligentiam et sollicitudinem apponatis. Nos igitur vestris precibus annuentes, id per biennium dumtaxat vobis duximus concedendum.

Dat. Lateran. II Idus Aprilis, pontificatus nostri anno secundo.

57.

Honorius III papa [Burchardo] praeposito Bremensi concedit, ut ad tempus ei liceat retinere de Dulmania et Stenvardia ecclesias, cum praepositura Bremensis per Waldemarum sit valde collapsa. *1218, April. 12.*

Hon. III Reg. Lib. II, 1015.
Potthast. Reg. Add. I. 5751a = 26017.

. . preposito Bremensi.

Cum, sicut accepimus, prepositura Bremensis per reprobum Guademarum et suos complices tum incendio tum rapinis sit valde collapsa et cotidie devastetur, ita quod nec tibi nec fratribus tuis potes necessaria ministrare, dilecti filii, Bremense capitulum, supplicarunt humiliter ab apostolica tibi sede concedi, ut ad tempus de nostra tibi permissione liceat retinere de Dulmania et de Stenwndia[b] [1] ecclesias, quas hactenus habuisti et ex quibus vix octo marchas percipis annuatim, cum predecessores tui pacis etiam tempore propter tenuitatem preposíture predicte adiuti aliis beneficiis fuerunt, ut commodius eiusdem preposíture onera supportarent. Nos ergo ipsius capituli precibus inclinati, et benigne tibi deferre volentes concedimus, ut, nisi aliud canonicum tibi obstiterit, libere possis dictas ecclesias retinere.

Dat. Lateran. II Idus Aprilis, anno secundo.

58.

Honorius III papa B[ernhardo] decano Bremensi concedit, ut duas praebendas, quarum unam in Bremensi, aliam vero in Monasteriensi habeat ecclesiis, retineat.
1218, April. 12.

Hon. III Reg. Lib. II, 1016
Potthast, Reg. Add. I. 5751b = 26018.

B. decano Bremensi.

Ex parte venerabilis fratris nostri . . archiepiscopi[2] et dilectorum filiorum capituli Bremensis nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum propter longam et assiduam hostilitatem, quam ecclesia vestra sustinuit hactenus et adhuc sustinet, ac in futurum creditur etiam sustinere, nullus eiusdem ecclesie canonicus securus de hiis que habet existat, benigne tecum agere dignaremur, ut duas prebendas, quarum unam in Bremensi, aliam vero in Monasteriensi habes ecclesiis, retinere tibi de nostra permissione liceret, ne te contingeret ad inopiam vergere in gravem eiusdem ecclesie ut asserunt lesionem.

[a]) promissione *R.* [b]) *ita R.*

1) *Dülmen et Steinfurt in dioecesi Monasteriensi indicare videtur.* 2) *Gerhardi.*

Nos ergo dictorum archiepiscopi et capituli precibus inclinati, et volentes gratiam tibi facere specialem concedimus, ut, nisi aliud canonicum tibi obstiterit, libere possis prebendas retinere predictas.

Dat. Lateran. II Idus Aprilis, anno secundo.

59.

Honorius III papa universis Christi fidelibus per Bremensem diocesim constitutis denuntiat excommunicationis sententiam ab I[nnocentio] papa in Waldemarum eiusque fautores promulgatam a se esse confirmatam. *1218, April. 12.*

Hon. III Reg. Lib. II, 1018.
Potthast, Reg. 5752.

Universis Christi fidelibus per Bremensem diocesim constitutis.

Cum felicis recordationis I. papa predecessor noster ad comprimendam perfidiam reprobi Waldemari denuntiaverit fautores ipsius laicos excommunicationis, et loca que ipsum reciperent in eiusdem presentia interdicti sententiis subiacere, nos ipsius predecessoris nostri vestigiis inherentes, denuntiamus excommunicatos predicti Waldemari fautores, et loca que ipsum recipiunt, quamdiu ibi fuerit, ecclesiastico supposita interdicto.

Dat. Lateran. II Idus Aprilis, pontificatus nostri anno secundo.

60.

Honorius III papa [Hermanno] magistro et fratribus Hospitalis sanctae Mariae Teutonicorum decimas terrae de Barza, iis ab Andrea rege Ungarorum collatae, et ecclesias ibidem aedificandas, quas W[ilhelmus] episcopus Ultrasilvanus iis concessit de consensu capituli sui, confirmat, tenorem concessionis ipsius suis litteris verbotenus inserens. *1218, April. 19.*

Hon. III Reg. Vol. I, 213; Lib. II, 1019.
Potthast, Reg. 5756.

Magistro et fratribus Hospitalis sancte Marie Teutonicorum Ierosolimitane.

Cum a nobis petitur etc. usque: effectum. Cum igitur venerabilis frater noster W. Ultrasilvanus episcopus considerans pericula et labores, quos terram de Burze vacuam et inhabitatam, vobis a karissimo in Christo filio nostro Andrea rege Ungarorum illustri, ad cuius dominium pertinere dinoscitur, regia liberalitate[a] collatam, defendendo a paganorum incursibus sustinetis, decimas ipsius terre ab eius incolis[b], tam futuris quam presentibus, exolvendas, necnon et ecclesias edificandas ibidem domui vestre de consensu capituli sui concesserit, decimis Ungarorum et Syculorum, si eos ad dictam terram transire contingeret, et presentatione a vobis de presbyteris instituendis in ipsis ecclesiis facienda, necnon iurisditione causarum criminalium que ad destitutionem pertinent sacerdotum, procuratione quoque iuxta formam canonicam

[a]) libertate *R.* [b]) vinculis *R.*

moderata, si eum ad partes illas venire contingeret, sibi ac suis successoribus reservatis: nos vestris iustis precibus inclinati, concessionem ipsam, sicut pie ac provide facta est et in ipsius episcopi litteris super hoc factis plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Quarum tenorem ad maiorem firmitatem iussimus de verbo ad verbum presentibus annotari:

W. Dei gratia Transsilvanus[a] episcopus universis ad quos littere presentes pervenerint salutem in vero salutari. Quoniam viros religiosos et soli Deo militantes in amplexu caritatis, sicut iustum est et honestum, regere volumus et fovere, ideo iustis postulationibus fratrum Hospitalis sancte Marie in Ierusalem de domo Teutonicorum annuentes, in terra que Borza nuncupatur, quam vacuam et inhabitatam ex regis donatione, immo potius proprio sanguine adepti sunt, et a cotidianis paganorum defendunt incursibus se omnibus periculis subicientes, ab universis eiusdem terre incolis, presentibus et futuris, liberam percipiendi decimas eisdem fratribus de consensu capituli nostri concessimus facultatem, eo tamen excepto, quod si Ungaros vel Siculos ad dictam terram transire contigerit, nobis et ecclesie nostre in decimis teneantur respondere; institutiones etiam sacerdotum in ecclesiis in eadem terra edificandis, presentatione tamen eorum Ultrasilvano episcopo facienda, libere concedentes, ita tamen quod prenominati fratres nobis et successoribus nostris, si ad partes illas nos contingeret declinare, cum iusto et canonico equitaturarum numero debitam exhibeant procurationem; causarum etiam criminalium, maxime earum que ad sacerdotum pertinent depositionem, nobis iurisditionem penitus relinquentes.

Actum publice, anno verbi incarnati MCCXIII, presentibus domino Bertoldo Colocensi archiepiscopo, Rollando preposito Budensi, Nicolao comite filio Borcy, Orbatio comite et aliis quam pluribus; presentibus etiam canonicis Albensibus, Ruberto cantore, Egidio archidiacono, magistro Rogero archidiacono, Hugone archidiacono, Esau domini Transsilvani episcopi yconimo[b] et ceteris.

Nulli ergo etc. nostre confirmationis infringere vel ei etc. usque: contraire. Si quis autem etc.

Dat. Lateran. XIII Kal. Maii, pontificatus nostri anno secundo.

61.

Honorius III papa potestati et populo Mediolanensium, quos regionem turbare volentes expeditionem cum carrotio praeparare acceperat, districte praecipit, ut ab huiusmodi proposito desistant; alioquin se in eos excommunicationis sententiam promulgaturum esse.

1218. April. 20.

Hon. III Reg. Vol. I, 244; Lib. II, 1024.

. . potestati et populo Mediolaniensium spiritum consilii sanioris.

Cum per . . syndicum civitatis vestre ac per te ipsum, fili potestas, nostris nuper iuraveritis obedire mandatis, nosque ad partes vestras de latere nostro legatum dirigere in proximo proponamus, turbari cogimur et moveri, quod vos, sicut accepimus, regionem turbare volentes, expeditionem cum carrotio preparetis, non attendentes quod et Crucifixi, cuius hoc tempore negotium agitur, et nostram nec non totius populi Christiani,

a) transsivanus *R.* b) *i. e.* oeconomo.

qui iam in eo est, quod illius ulciscatur iniurias, gravem incurratis offensam. Quia igitur in concilio fuit generali statutum, ut saltim per quadriennium in toto orbe Christiano pax generaliter observetur, ita quod per ecclesiarum prelatos discordantes reducantur ad plenam pacem vel firmam treugam inviolabiliter observandam, et qui acquiescere forte contempserint, per excommunicationem in personas et interdictum in terras ipsorum artissime compellantur, et si forsan censuram ecclesiasticam vilipenderint, timere poterunt, ne per auctoritatem ecclesie contra eos tamquam perturbatores negotii Crucifixi secularis potentia inducatur: nolentes, sicut nec debemus, deferre homini contra Deum, universitati vestre per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatinus ab huiusmodi dampnabili proposito penitus desistatis. Alioquin promulgabimus in vos omnes excommunicationis sententiam, et civitatem eandem interdicto ecclesiastico supponemus. Poteritis etiam non inmerito formidare, ne ad maiorem ignominiam et confusionem vestri nos, qui honorare proponebamus, . . electum vestrum [1] et vos etiam in eodem, et civitatem predictam archiepiscopali honore privemus, et alias in vos aggravemus taliter manus nostras, quod perpetuo dolere possitis talia presumpsisse.

Dat. Lateran. XII Kal. Maii, anno secundo.

In eundem modum scriptum est potestati et populo Placentinis.

62.

Honorius III papa [Gerhardum] archiepiscopum Bremensem monet, ne [Albertum] episcopum Livoniensem molestet nere temptet eius ecclesiam suae metropolis iurisdictioni submittere. *1218, April. 30.*

Hon. III Reg. Vol. I, 247; Lib. II, 1058
Potthast, Reg. 5769

. . Bremensi archiepiscopo.

Cum novella plantatio non concutienda sit nec alias durius contrectanda, set potius leniter confovenda, non sine causa miramur, quod, sicut venerabilis frater noster Livonensis episcopus transmissa nobis conquestione monstravit, tu eum iure tibi metropolitico subicere gestiens, ipsum multipliciter inquietas, qui debueras potius caritatis officio manum eidem in omnibus porrigere adiutricem. Nolentes igitur prefatum episcopum super hoc a quoquam temere perturbari, ne, quod absit, in acquirendo populum Domino remissior redderetur, si laborante ipso alius laborem eius eo intraret invito, fraternitatem tuam monemus per apostolica scripta firmiter precipiendo mandantes, quatinus nulla ipsum super hoc molestatione fatiges, quin immo, sicut divinam et nostram gratiam caram habes, eum et attollas presidiis et beneficiis ac favoribus prosequaris, ita quod Deum tibi propitium et nos exinde tibi reddas favorabiles ac benignos. Alioquin eidem favorabiliter adesse volentes, venerabili fratri nostro Verdensi episcopo [2] et dilecto filio . . abbati de Luneburc et in Lune . . preposito Verdensis diocesis nostris damus litteris in mandatis, ut te ab eius super hoc vexatione qualibet, monitione previa, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellant.

Dat. Rome apud Sanctum Petrum, II Kal. Maii, anno secundo.

De eadem re scriptum est episcopo Verdensi etc.

---

1) *Henricum.* 2) *Isoni.*

63.

Honorius III papa eidem firmiter praecipit, ne eos qui assumpto crucis signaculo se ad succursum Livoniae devoverint, ullatenus impedire praesumat. 1218, April. 30.

Hon. III Reg. Lib. II, 1039.
Potthast. Reg. 5768.

Eidem.

Prov. 3, 27. Cum secundum sapientis edictum nemo debeat prohibere alium benefacere, set quilibet si potest benefacere teneatur, non solum est impium sed etiam abusivum, quod, sicut ad audientiam apostolatus nostri pervenit, tu eos qui assumpto crucis signaculo se ad succursum Livonie devoverunt, quominus votum prosequantur emissum, multiplicicter prepedis, et prosequentes illuc non pateris transfretare, ut sic ipsi Christo inimicitias movere quodammodo videaris, dum fidelibus suis patientibus pro eodem impendi auxilium interdicis, ad quod debueras impendere totaliter temetipsum, si velles aliquid rependere Domino pro omnibus que tribuit ipse tibi. Ne igitur nos et alios audientes super hoc de cetero scandalizes, fraternitatem tuam monemus et hortamur attente, per apostolica tibi scripta firmiter precipiendo mandantes, quatinus saluti tue consulens et honori, predicte terre succursum nullatenus impedire presumas, quin potius succurrentibus prestes consilium, auxilium et favorem. Alioquin quia obaudita monitio temeritatem tuam evidentius revelaret, nos eam taliter castigabimus, quod quibus est nunc in scandalum, sit et correctionis exemplum, et pena penitudinem introducens sit aliis ad terrorem.

Dat. ut supra.

64.

Honorius III papa [Burchardo] praeposito, decano et capitulo Bremensi de decimis, cometiis et advocatiis ecclesiae Bremensis, quas in feudum dari vetat.
1218, Mai. 2.

Hon. III Reg. Vol. I, 252; Lib. II, 1075.
Potthast. Reg. 5750.

. . preposito, . . decano et capitulo Bremensi.

Cum in multis vestra sit collapsa ecclesia per reprobum Guademarum, nos paterna volentes eidem sollicitudine providere, auctoritate presentium vestris inclinati precibus inhibemus, ne archiepiscopus vester, qui pro tempore fuerit, decimas, cometias et advocatias ad predictam ecclesiam pertinentes, cum eas vacare contigerit, in dampnum ipsius ecclesie alicui assignet in feudum, vobis nichilominus indulgentes, ut decimas ad ecclesiam spectantes eandem libere possitis redimere de manibus laicorum.

Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VI Non. Maii, anno secundo.

65.

Honorius III papa capitulo Bremensi quaerenti respondet, neque mortuorum corpora tempore Waldemari a schismaticis sepulta debere exhumari, neque altaria neque indumenta sacerdotalia quibus iidem usi sint, iterum benedici. 1218, Mai. 2.

Hon. III Reg. Lib. II, 1076.
Potthast. Reg. 5751.

Capitulo Bremensi.

A nobis humiliter quesivistis, quid fieri debeat de mortuorum corporibus qui tempore scismatici et reprobi Wademari a scismaticis sunt sepulti, et de indumentis sacerdotalibus cum quibus, necnon de altaribus in quibus degradati presbyteri celebrarunt. Nos autem inquisitioni vestre breviter respondemus, quod non credimus ob hoc dumtaxat sepultos huiusmodi exumandos, aut debere indumenta talia iterum benedici, vel reconsecrari altaria supradicta.

Dat. ut supra.

66.

O[ttakarus] Bohemiae rex H[onorio III] papae scribit, se esse paratum [Andreae] episcopo Pragensi de omnibus super quibus conqueratur satisfactionem congruam exhibere, ac petit, ut sibi propter hoc virum discretum cum eodem episcopo usque Patariam mittat. Cf. n. 67. 1218, *ante Mai.* 15.

Hon. III Reg. Vol. I. 259; Lib. II. 1179.
Erben. Reg. Bohemiae I. 278, n. 595.

Littere ad dominum papam.

Reverentissimo domino suo H. primo et universali pontifici O. Dei gratia rex Boemorum cum devoto obsequio filialem subiectionem. Significamus dignationi vestre, quod dum sollempnes nuntios ad curiam mittere parassemus, hiis que a domino Pragensi episcopo contra nos proponuntur finaliter responsuros, repente venit a latere eiusdem episcopi abbas de Insula[1], petens ex persona ipsius mitti sibi tres comites nostros maiores cum abbate de Waltsasen[2] Cisterciensis ordinis, dixitque frustra laborantes, si qui alii mitterentur. Comites autem quos petiit nullo consilio vie securitatem habere potuerunt, abbas vero postulatus sine licentia Cistertiensis abbatis venire non potuit, nisi vestris litteris specialiter vocatus. Persuasum est ergo nobis a viris religiosis, ne magistrorum disputationibus sacrum curie occuparemus auditum, set prima fronte sicut devoti filii vestre parentes paternitati humiliter ac simpliciter litteris presentibus exprimeremus, in quibus duritiam gentis nostre flectere vel in quibus eam non flectere posse cognosceremus. Multa ergo breviter comprehendentes que idem episcopus contra suam videtur habere diocesim, sacro apostolatui vestro pro omnibus uno verbo respondendo promittimus, quod cooperante Deo pro gratie vestre obtentu omnia, pro quibus iuste videtur contendere, sibi ex animo subicienus, preter quod gentem nostram ad insuetas hactenus decimas non possumus cogere nec possemus omnino, etiam si ipse decime nobis nostris deberent usibus deservire. Antiquarum quoque decimarum redditus, qui[a] multis locis subtrahuntur, reddi cogemus. Ut autem perfecte vobis constare possit hec omnia nos devote facturos, rogamus obnixe, quatinus obedientie nostre experimentum capientes, mittatis a latere vestro aliquem discretum virum cum eodem episcopo usque Pattaviam, et quoscunque episcopos vel abbates ipse episcopus sibi elegerit, illos auctoritate apostolica executores presentis nostre promissionis constituatis. Nosque in propria persona usque ad exitum Boemie accedentes, per internuntios, quos similiter elegerit, omnia que supra promisimus . . . . . .[b] Si quid etiam contra aliquam specia-

a) quod *R.* b) exequemur *vel tale quid deest.*

1) *Reinerus. Monasterium est in Moldarae fluvii insula situm, Bohemice Ostrow vocatum.*
2) *Hermanno.*

liter habet personam, vel secundum iura terre iudicabimus, vel vestro iudicio, si ipse episcopus voluerit, reservabimus. Sane si veniendi Pattaviam metum allegaverit, dicens per amicos nostros in via sibi posse procurari [a], super hoc per apostolice sedis reverentiam vobis iurando promittimus, euntem Pattaviam et [b] ad vos redeuntem ab hoc metu eum liberum esse debere. Denique quod de suspenso nobis clerico imponitur, sciatis eum effractorem quinque ecclesiarum et falsarium nostre monete fuisse convictum, qui postea latronibus terre sociatus et cum ipsis in latrocinio in armis comprehensus, cum similibus similiter est punitus. De hiis tamen ac de omnibus que paternitas vestra in filiis suis pie corrigendo censuerit obedire parati, quod iubere dignemini, cum devotione debita expectamus, hoc solum vos meminisse humiliter postulantes in nostris negotiis, quod in omni necessitate Romane ecclesie contra omne principum nomen antecessoribus vestris astitimus, et vobis nichilominus, si se tempus obtulerit, cum dignati fueritis, assistemus.

67.

Honorius III papa [Conrado IV] episcopo Ratisponensi et [Eberhardo] de Ebra et [Hermanno] de Waltsassen abbatibus mandat, ut cautionem et satisfactionem ab [Otakaro] Bohemiae rege oblatam pro [Andrea] episcopo Pragensi recipiant. 1218, Mai. 15.

Hon. III Reg. Vol. I, 253; Lib. II, 1079.
Potthast, Reg. 5790.

Episcopo Ratisponensi, .. de Ebra et .. de Waltsassen [c] abbatibus Cisterciensis ordinis Herbipolensis et Ratisponensis diocesis.

Karissimus in Christo filius noster .. Boemie rex illustris suas nobis litteras destinavit, continentes [d], quod venerabili fratri nostro .. Pragensi episcopo paratus erat de omnibus super quibus de ipso et baronibus suis conqueritur, pro reverentia nostra satisfactionem congruam exhibere, petens ut aliquem de latere nostro propter hoc usque Pactaviam cum ipso episcopo mitteremus. Quia vero idem episcopus de prudentum virorum consilio non duxit laborem huiusmodi subeundum, donec plenius disquisitum extiterit, qualem possit satisfactionem habere de dampnis et iniuriis sibi et clero suo hactenus irrogatis, quamve habere valeat cautionem, ne attemptentur similia in futurum: nos ipsum regem per nostras rogamus litteras et hortamur, ut in manibus vestris prestet et a nobilibus terre sue prestari faciat idoneam cautionem, dimittendo de cetero ipsi episcopo institutiones ac destitutiones et iudicia quelibet clericorum, ac alia que noscuntur ad ius pontificalis officii pertinere. Ad hec ipsum episcopum per procuratores suos restituat in episcopatus sui possessionem liberam et quietam, et de proventibus subtractis sibi ac hiis qui adheserunt eidem congruam satisfactionem exhibeat, et a suis faciat subditis exhiberi, per unum vestrum nobis plene ac plane rescribens, quicquid super restitutione possessionis ipsius episcopatus ac satisfactione dampnorum et aliis supradictis duxerit faciendum, ut tam scripto suo, quam relatione illius e vobis, qui ad nos venerit hac de causa, facti super hiis omnibus certiores, huiusmodi negotio dignum finem imponere valeamus. Sane salutem eiusdem regis zelantes, ipsi consulimus, ut super eo quod clericum quendam ad suspendium iudicavit, licet reiecto, ut dicitur, clericali habitu clericali videretur privilegio se privasse,

a) *hic quoque verbum deesse apparet.* b) et *deest in R.* c) Waltsaseñ *R.* d) contingentes *R.*

absolutionis recipiat beneficium ad cautelam. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus ipsum regem ad exhibendam cautionem predictam et ad faciendam eam a suis subditis exhiberi, ac ad restitutionem ipsius episcopi et alia que premisimus monentes prudenter et efficaciter inducentes, eius super hiis litteras requiratis ad nos per vestrum aliquem deferendas, relaxaturi sententiam interdicti promulgatam in regnum, si super restitutione ipsius episcopi et aliis fecerit que hortamur, et impensuri eidem, si voluerit, ut predictum est, absolutionis beneficium ad cautelam pro suspensione clerici memorati. Quod si non omnes —, tu, frater episcope, cum eorum altero etc.

Dat. Rome apud Sanctum Petrum, Idibus Maii, anno secundo.

In eundem modum scriptum est . . illustri regi Boemie verbis competenter mutatis.

68.

Honorius III papa maioris ecclesiae et Sancti Petri praepositis et decano Sancti Salvatoris Traiectensis mandat, ut nuntiis W[ilhelmi] comitis Hollandiae vicesimam ecclesiasticorum proventuum Hollandiae, Seelandiae, orientalis Frisiae et alterius terrae comitis assignent. *1218, Mai. 21.*

Hon. III Reg. Vol. I, 256, 257; Lib. II, 1109.

. . maioris ecclesie et . . Sancti Petri prepositis et . . decano Sancti Salvatoris Traiectensis.

Ardorem fidei et dilectionis fervorem, quem dilectus filius nobilis vir W. comes Hollandie circa negotium Terre Sancte in affectu exhibet et effectu, sicut convenit attendentes, vicesimam ecclesiasticorum proventuum Hollandie, Sellandie, orientalis Frisie ac alterius terre sue ad Terre Sancte subsidium ei duximus conferendam. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus, quatinus vicesimam ipsam, sicut collecta est, nuntiis eiusdem comitis, quos ad hoc elegerit, sublato cuiuslibet contradictionis et appellationis obstaculo assignetis. Quod si nondum forsitan est collecta, eam cum predictis nuntiis colligentes conferatis eisdem, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quod si non omnes —, duo vestrum etc.

Dat. Rome apud Sanctum Petrum, XII Kal. Iunii, pontificatus nostri anno secundo.

69.

Honorius III papa [Wilhelmo] comiti Hollandiae scribit, si qua in eum post iter peregrinationis arreptum excommunicationis sit sententia promulgata, eam se revocare. *1218, Mai. 23.*

Hon. III Reg. Vol. I, 256; Lib. II, 1107.

Nobili viro . . comiti Hollandie.

Cum accepta cruce, ut Christum sequaris, abnegaveris temetipsum, nos, in quantum cum Deo possumus, tibi ob reverentiam eius deferre volentes, si qua in te

post iter peregrinationis arreptum excommunicationis est sententia promulgata, eam de potestatis plenitudine revocamus.

Dat. Rome apud Sanctum Petrum, X Kal. Iunii, anno secundo.

70.

Honorius III papa abbati Sancti Huberti Leodiensis diocesis et Sancti Iohannis et Sancti Martini decanis Leodiensibus mandat, ut causae, quae inter Willielmum de Hollandia et L[udewicum] de Los comites crucesignatos super quadam compositione emerserit, supersedeant usque ad reditum utriusque. *1218, Mai. 23.*

Hon. III Reg. Lib. II, 1108.

. . abbati Sancti Huberti Leodiensis diocesis et . . Sancti Iohannis et . . Sancti Martini decanis Leodiensibus.

2. Tim. 2.4; 1 Cor. 9.25. Quia nemo militans Deo debet se negotiis secularibus implicare, cum et omnis qui in agone contendit[a], ab omnibus se abstineat, nos nolentes[b], ut nobiles viri Willielmus de Hollandia et L. de Los comites crucesignati occasione cause, que super quadam compositione emersit inter eos, ab executione sui voti aliquatenus retardentur, vel a devotionis sue fervore tepescant, ipsum negotium esse volumus in suspenso usque ad redditum utriusque. Ideoque vobis per apostolica scripta mandamus, quatinus cause supersedeatis eidem, nullis litteris obstantibus super excommunicationibus utrique obiectis a sede apostolica impetratis. Alioquin dilectis filiis . . abbati de Insula Traiectensis diocesis et . . Sancti Salvatoris et . . Sancti Iohannis decanis Traiectensibus nostris damus litteris in mandatis, ut si quid contra alterutrum ipsorum post iter arreptum invenerint temere attemptatum, in statum pristinum appellatione postposita studeant revocare. Quod si non omnes —, duo vestrum etc.

Dat. Rome apud Sanctum Petrum, X Kal. Iunii, anno secundo.

In eundem modum scriptum est[1] abbati Sancti Laurentii in Hostebruke Traiectensis diocesis et . . preposito Sancti Salvatoris ac . . decano Sancti Petri Traiectensis.

In eundem modum scriptum est eisdem abbati et decanis, ut in statum pristinum appellatione postposita studeant revocare, sicut superius est expressum.

71.

Honorius III papa universis episcopis Lombardiae significat se Mediolanenses excommunicare, qui licet in generali concilio pro exequendo commodius Terrae Sanctae succursu fuerit statutum, ut principes et populi Christiani ad invicem plenam pacem saltim per quadriennium observent, contra Cremonenses et Parmenses exercitum praeparare nitantur; mandat iis, ut praemissa firmiter observent. *1218, Iul. 12.*

Hon. III Reg. Vol. I, 281; Lib. II, 1263.
Potthast, Reg. 5875.

[a]) contempnit *R.* [b]) volentes *R.*

1) (N. 1110) *additum est in apographo.*

Universis episcopis Lombardie.

Sperari poterat et verisimile videbatur, ut Mediolanenses, quorum elationem et superbiam consuetam Dominus cum eorum confusione corripuit, nomen eius saltim sero requirerent, et ad illum intuitum ipsorum erigerent tenebrosum, cuius manus est super omnem superbum et arrogantem, ubi eminentiam enervet sublimium et prosternat altitudinem superborum. Certe si respiciant e vicino, sue dumtaxat potentie inniti non debent et fiduciam ponere in multitudine quadrigarum. Nam humilibus eis resistentibus dedit Dominus gratiam, ita ut cum ipsi crederent omnia redigere in cinerem et favillam, viderunt et doluerunt [a], quod eorum arrogantia, indignatio et superbia est longe amplius quam ipsorum non erubescentium fortitudo. Porro licet in generali concilio pro exequendo commodius Terre Sancte succursu provida fuerit deliberatione statutum, ut principes et populi Christiani ad invicem plenam pacem aut firmam treuguam saltim per quadriennium inviolabiliter observarent, et qui acquiescere forte contempnerent, per excommunicationem in personas et interdictum in terras artissime cogerentur, Mediolanenses tamen predicti nunquam cessaverunt persequi Christianos, vel verius ipsum Christum, et cum nunc in expeditione ipsius ab oriente usque ad occidentem totus fere urgeatur populus Christianus, iidem erecta cervice contra Deum incedentes nuper etiam contra dilectos filios Cremonenses et Parmenses superbo oculo et insatiabili corde exercitum preparare nituntur. Unde quia nichil aliud restare videtur, nisi ut in confusionis precipitium corruant ignominiam adducentis, cum preter divinum timorem, quem prorsus abiecisse noscuntur, quasi absorti per desperationis voraginem nequaquam confundantur vel erubescant adversis, manus nostras in eos duximus aggravandas [b], volentes . . potestatem, consiliarios necnon et societatum magistros civitatis eorum per totam Lombardiam singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, excommunicatos publice nuntiari; et ne alii cives Mediolanenses excusationem valeant sumere in peccatis, omnes predictos, qui ad impugnandum Cremonenses vel Parmenses arma de cetero sumpserint, vel ad devastandum terram venerint eorundem, excommunicationis vinculo innodamus, sententia consimili percellentes rectores et consiliarios civitatum illarum que Mediolanensibus societatis federe sunt astricte, si contra Cremonenses vel Parmenses prestiterint auxilium, consilium vel favorem eisdem; ac pari eos vinculo alligamus qui de Mediolanensibus aliquem presumpserint in potestatem assumere vel rectorem. Bona quoque civium predictorum, ubicumque fuerint inventa, precipimus detineri, interdicentes universis et singulis, ne cum eis commertium habeant vel contractum. Ad hec universi qui eis societatis federe sub iuramenti vinculo sunt astricti, quantum ad hoc, illis se noverint iuramento huiusmodi non teneri, cum iusiurandum iniquitatis vinculum esse non debeat, set equitatis potius et iustitie firmamentum. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatinus premissa sublato appellationis obstaculo et vos ipsi firmiter observetis, et quantum in vobis fuerit, faciatis inviolabiliter observari.

Es. 2,12. Es. 31,1.

Dat. Lateran. IIII Id. Iulii, anno secundo.

72.

Honorius III papa eisdem significat se Placentinos excommunicare, qui cum Mediolanensibus contra Cremonenses et Parmenses exercitum praeparare nitantur, se reos

---

[a] *ita R.* [b] aggravandos *R.*

periurii statuentes, cum ipsi iis usque ad decennium firmam treugam his diebus iuraverint observare; mandat iis, ut hoc firmiter observent. 1218, *Iul.* 12.

Hon. III Reg. Lib. II, 1264.
Potthast, Reg. 5874.

Eisdem.

Misere conditionis existunt perditionis filii reprobi Placentini, qui baculo arundineo 4 Reg. 18, 21. contra Dominum innitentes, in Mediolanensium superbia consueta ponunt fiduciam, supra se querentes in aliorum iniuria gloriari. Certe non sic dictorum Mediolanensium arrogantiam immitari deberent, ut iuramenti nobis nuper exhibiti essent prorsus obliti, contra dilectos filios Cremonenses et Parmenses hostiliter procedendo, quibus iniunximus, postquam nostris iuraverunt obedire mandatis, ut arma contra illos usque ad quadriennium non moverent; set si etiam respicerent e vicino, nomen Domini saltim sero requirerent, et ad illum intuitum ipsorum erigerent tenebrosum, cum eorum et Mediolanensium in quibus confidunt superbiam cum ignominia corripuerit, dederitque humilibus eis resistentibus gratiam, ita ut cum ipsi crederent omnia redigere in cinerem et favillam, viderunt et doluerunt[a], quod eorum arrogantia, indignatio et superbia est longe amplius quam ipsorum non erubescentium fortitudo. Porro quamvis sperari potuerit et verisimile videretur, ut ipsi qui in eorum episcopo gratiam a nobis senserunt specialem, quam obtinere a felicis recordationis I[nnocentio] papa predecessore nostro minime valuerunt, mandata nostra non parvipenderent, neque nos et Romanam ecclesiam ad iracundiam provocarent, nunquam tamen tepuerunt cum predictis Mediolanensibus persequi Christianos, vel verius ipsum Christum: qui etiam licet in expeditione ipsius ab oriente usque ad occidentem totus fere urgeatur populus Christianus, erecta tamen cervice contra Dominum incedentes, nunc contra predictos Cremonenses et Parmenses cum eisdem Mediolanensibus superbo oculo et insatiabili corde exercitum preparare nituntur, se reos periurii publice statuentes, cum ipsi quodam proditionis genere Cremonenses et Parmenses prevenientes eosdem, eis usque ad decennium firmam treuguam hiis diebus iuraverint observare. Unde quia nichil aliud etc. ut supra usque: aggravandas, volentes rectores, consiliarios etc. usque: nuntiari; et ne alii cives Placentini excusationem valeant sumere in peccatis etc. usque: civitatem illarum que Placentinis societatis federe sunt astricte etc. usque: alligamus, qui de Placentinis aliquem presumpserint in potestatem assumere vel rectorem. Bona quoque etc. ut supra usque in finem.

73.

H*onorius III papa Viterbiensibus praecipit, ut consules suos et consiliarios et iudices et omnes, qui manus iniecerant in quosdam priores vel inici praeceperant, infra octo dies sibi Romam transmittant, et priori Sancti Lucae restitui faciant ecclesiam suam, et statuta contra libertatem ecclesiasticam edita aboleant.* 1218, *Iul.* 25.

Hon. III Reg. Vol. I, 286, 287; Lib. II, 1298.

Populo Viterbiensi.

Si ageremus vobiscum secundum vestrorum exigentiam meritorum, profecto negaremus vobis apostolice salutationis alloquium, nec vos moneremus ut filios, sed ut hostes ecclesie punire severitate debita studeremus, cum ea circa dilectos filios . .

[a]) *ita R.*

archipresbyterum Sancti Xisti et . . Sancti Luce[a] ac . . Sancti Angeli et . . Sancti Martini priores per consules et consiliarios vestros fieri permiseritis et sic fecisse probemini, cum debueritis et potueritis prohibere, que in Dei offensam, totius ordinis clericalis iniuriam et nostrum redundant obprobrium et contemptum. Cum enim nos et apostolicam sedem revereantur etiam barbare nationes, vos, qui et temporaliter et spiritualiter nobis estis subiecti, usque adeo nostram reverentiam abiecistis, ut preter alia, que ad presens sub silentio preterimus, priores predictos quasi in oculis nostris presumptione sacrilega permiseritis, immo verius feceritis verberari, quosdam eorum quasi deprehensos in furto per civitatem trahi non absque flagellorum ignominia sustinentes, et dicto priore Sancti Luce spoliato bonis suis et ab ecclesia violenter eiecto, poni sinentes eam in manibus laicorum, sub districtione iuramenti balivis parrochiarum iniuncto, ut si qui clericorum campanos pulsare presumpserint, animadvertant verberibus in eosdem; nec tante sevitie aliud causam dedit, nisi quod iidem priores convenerant civitatis iudices et scriniarios monituri, ut consules ipsos culpis suis exigentibus astrictos excommunicationis vinculo commonerent, ne in sua contumacia perdurarent. . . . . Nos . .[b] precipimus, quatinus consules ipsos et consiliarios ac iudices et omnes qui temerarias manus iniecerunt in priores predictos, vel inici preceperunt, infra octo dies post susceptionem presentium ad nostram presentiam transmittatis, super hiis mandatis nostris omnibus parituros, ac dicto priori Sancti Luce restitui faciatis ecclesiam suam et alia quibus noscitur spoliatus, statuta quedam temere contra libertatem ecclesiasticam edita penitus abolentes. Alioquin cum consules ipsi ac alii huiusmodi presumptionis auctores excommunicationis noscantur sententiam incurrisse, nos illam precipimus usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari, et terram vestram subiacere districtissimo interdicto etc.

Dat. Lateran. VIII Kal. Aug. pontificatus nostri anno secundo.

74.

Honorius III papa [Andreae] episcopo Pragensi facultatem concedit quosdam canonicos et praelatos diocesis suae, qui interdictum violaverant, beneficiis suis privandi.

1218, Iul. 25.

Hon. III Reg. Vol. II, 2; Lib. III, 3.
Potthast, Reg. 5881.

. . Pragensi episcopo.

Cum, sicut te significante accepimus, quidam canonici Pragenses ac prelati tue diocesis interdictum a te prolatum in ipsam diocesim violarint in interdictis ecclesiis divina temere celebrando, contempta inhibitione a te sub pena anathematis sibi facta, ipsos suis beneficiis spoliandi ac alias puniendi secundum canonica instituta tibi auctoritate presentium liberam concedimus facultatem.

Dat. Lateran. VIII Kal. Augusti, pontificatus nostri anno tertio.

---

a) Luci *R.* b) *Quae hic desunt, tamquam a generali imperii historia aliena in apographo omissa sunt.*

75.

Rolandus episcopus Ferrariensis Honorio III papae nuntiat se occupatores castri Medicinae et fautores eorum cives Bononienses iuxta mandatum eius excommunicasse.

1218, Iul. — Aug.

Hon. III Reg. Vol. II, 10; Lib. III, 12.
Theiner, Cod. dipl. dom. temp. s. sed. I, 49, n. 68.

Littere ad dominum papam.

Sanctissimo patri et domino Honorio, Dei gratia sancte Romane ecclesie summo pontifici, Rolandus, miseratione divina et apostolica dignatione Ferrariensis episcopus, sue devotionis reverentiam. Noverit sanctitas vestra, quod occupatores castri Medicine et fautores eorum cives Bononienses iuxta mandatum vestrum excommunicavi, et civitatem Bononiensem supposui ecclesiastico interdicto, et auctoritate vestra, cuius causa est specialis, episcopo Bononiensi[1] meis litteris dedi firmiter in mandatis, ut prefatos occupatores et fautores eorum[a] per omnes ecclesias civitatis Bononiensis excommunicatos faceret denuntiari, et interdictum usque ad satisfactionem condignam faceret inviolabiliter observari.

76.

Honorius III papa [Ottoni] episcopo Herbipolensi concedit, ut [Sifrido II] Maguntino archiepiscopo metropolitano in loco merito ei suspecto concilium seu colloquium celebrante, ad locum huiusmodi personaliter accedere non teneatur invitus.

1218, Aug. 4.

Hon. III Reg. Vol. II, 6; Lib. III, 25.
Potthast, Reg. 5886.

. . episcopo Herbipolensi.

Cum hii qui bone memorie C[onradi] Herbipolensis episcopi predecessoris tui Dei timore postposito sanguinem effuderunt, tuum quoque sitire sanguinem dinoscantur, nos viam impiis eorum desideriis precludere satagentes, presentium tibi auctoritate concedimus, ut venerabili fratre nostro . . Maguntino archiepiscopo, metropolitano tuo, in loco merito tibi suspecto concilium seu colloquium celebrante, tu ad locum huiusmodi personaliter accedere non tenearis invitus, set absentiam tuam suppleas per nuntios providos et honestos, per quos edoctus de hiis que in ipso concilio seu colloquio contigerit ordinari, ea sicut alii suffraganei ecclesie Maguntine recipias humiliter et observes, sententiam, si quam forte in te contra concessionem nostram tulerit archiepiscopus memoratus, decernentes irritam et inanem. Nulli ergo etc. nostre concessionis et constitutionis infringere. Si quis autem etc.

Dat. Lateran. II Nonas Augusti, pontificatus nostri anno tertio.

77.

Honorius III papa [Wilhelmo] archiepiscopo Burdigalensi et universis crucesignatis apud Ianuam existentibus litteras ab exercitu Christianorum Damiatam obsidentium

a) eos R. 1) Henrico

receptas mittit, eosque hortatur, ut attendentes discrimen in quo positus sit exercitus Christianus, nisi succursum habuerit festinatum, versus Damiatam dirigant celeriter iter suum. *1218, circa Aug. 13.*

Hon. III Reg. Vol. II, 9; Lib. III, 38. Pertzii exemplar supplevimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1218, § 7—9.
Potthast, Reg. 5892.

. . archiepiscopo Burdegalensi[1], et . . Parisiensi[2] et . . Andegavensi[3] episcopis, et dilecto filio R[oberto] tituli Sancti Stephani in Celiomonte presbytero cardinali, ac nobilibus viris . . Nivernensi[4] et . . Marchie[5] comitibus ac universo crucesignatorum exercitui apud Ianuam existenti.

Litteras fidelium existentium in partibus transmarinis recepimus in hec verba: Sanctissimo patri et domino Honorio Dei gratia summo pontifici R[adulfus] patriarcha. I[ohannes] rex Ierosolimitanus. E[ustorgius] Nychosiensis archiepiscopus, I[acobus] Acconensis. R[aynerius] Beethlemitanus episcopi. L[upoldus] dux Austrie, G[arinus] Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani. W[ilhelmus] militie Templi. Hermannus Hospitalis Teutonicorum magistri, et universi barones totusque clerus et populus in obsidione Damiate pro servitio Iesu Christi et Terre Sancte commorantes, in Domino salutem. Benedictus Deus pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui populum Sap. 9,1.
Christianum pro restitutione Terre Sancte diu fatigatum et peccatis nostris exigentibus non admissum, misericorditer, ut credimus, nunc respexit et saluberrimo consilio illustravit. Siquidem cum in Terram Sanctam propter multas et maximas difficultates, prout expediret, hactenus non potuerit proficere[a] populus Christianus, ad illius tandem consilii suffragium duximus recurrendum, quod iamdudum provisum fuit et divulgatum, et in sancto Lateranensi concilio novimus etiam approbatum, videlicet ut Egyptum, terram scilicet omnibus bonis fluentem, que vires maximas nostris hostibus subministrat, niteremur obtinere, quatinus extincto fonte divitiarum hostilium universi pariter rivuli exsiccentur, et post tantam hostium[b] nostrorum afflictionem et mutilationem terrenum Christi sanctuarium possit ab infidelibus detentatoribus liberari. Experimento namque passionum, quas diu toleravimus, didicimus et pro certo tenemus, quod quamdiu duo potentissima regna et opulentissima. Damascenum et Egyptium, sub eo dominio unientur, contra inimicos Christi non poterimus prevalere, cum e contrario contigerit in temporibus retroactis, quod quamdiu eadem regna fuerunt ab invicem divisa et sub diversis dominis constituta. Terram Sanctam non potuerint hostes obtinere. Hoc itaque pensato consilio, hiis quoque necessitatibus inducti, congregato exercitu ex variis nationibus, quantum potuimus, navigium in magnis expensis curavimus ordinari, de confidentia Dei, cui non est differentia superare vel in milibus vel in paucis, ac de vestra celeri subventione sperantes, illud attentavimus negocium, licet rebus et viribus impares infidelibus inimicis, quod nec a regibus vel ab imperatoribus novimus attentatum. Significamus igitur vobis, quod primi navigantes de exercitu Christiano tertia feria proxima ante pentecosten[6] applicuerunt portui Damiate, in quo accessu misericors Dominus mirabiles primitias gratie sue nobis impendit et futurum favorabilem se ostendit; nam contra spem omnium, nullo infidelium resistente, licet multa milia essent in civitate et extra, pauci descenderunt de navibus ad terram, et ante prefatam civitatem libere castra posuerunt. Eo quidem tempore, quo latores presentium nuncii nostri recesserunt a nobis, status obsidionis talis erat. Siquidem erexeramus machinas nostras ad expugnandam turrim quandam sitam intra fluvium, brachium Nyli scilicet, a

a) proficisci *coniecit Pertz.* b) hostilium *R.*

1) *Wilhelmo.* 2) *Petro.* 3) *Wilhelmo.* 4) *Herveo.* 5) *Hugoni.* 6) *Mai. 29.*

qua turri potenditur catena ferrea per medium fluvium usque ad civitatem, prestans impedimentum nostris navibus transituris. Tamen in recessu nunciorum ita processeramus in negocio Iesu Christi, quod naves et galee nostre galeis inimicorum nostrorum in fluvio prevalebant et in superiori parte fluvii consistebant, ita quod hostiles galee liberum navigium non habebant, nec aliorum Sarracenorum galee habebant aditum ad civitatem. His igitur vobis nuntiatis supplicamus sanctitati vestre in Domino et pro Domino flexis genibus exorantes, quatinus Christiano exercitui magnis periculis exposito curetis misericorditer et celeriter subveniri. Non enim de virium nostrarum confidentia tantum onus subire presumpsimus, sed de vestra post Deum sperantes subventione ausi sumus in remotis partibus obsidionem inchoare et civitatem excellentissimam et munitissimam impugnare. Qua obtenta firmiter speramus, ut totam possemus Egyptum obtinere et Terram Sanctam, pro qua laboramus, finaliter liberare. Veruntamen, ut prediximus, cum et expensarum et pugnatorum penuria graviter laboremus, in magno sumus periculo constituti. Nam potentissimus omnium infidelium soldanus vires contra nos colligit universas. Quamobrem mora subventionis trahit ad se periculum totius exercitus Christiani. Quod si forte peccatis nostris exigentibus, quod Deus avertat, deficeret, non credimus, quod in Terre Sancte negotio alii possint proficere Christiani.

Monemus igitur universitatem vestram, rogamus et exhortamur in Domino, per apostolica vobis scripta precipiendo mandantes, quatinus attendentes discrimen in quo positus est exercitus Christianus, nisi succursum habuerit festinatum, provideatis et disponatis ac irrefragabiliter ordinetis, quod tam vos quam alii crucesignati, qui ad portum Ianuam conveniunt, versus Damiatam in nomine domini Sabaoth dirigatis celeriter iter vestrum, quia, sicut et littere ipse innuunt et nuntii qui attulerunt eas expressissime dicunt, certa spes est, quod si vos et alii crucesignati applicueritis ad
Psal. 23.1. civitatem iamdictam, et illa et tota Egyptus ab eo, cuius est terra et plenitudo eius, dabitur in manibus populi Christiani.

Dat.

78.

Honorius III papa [Radulfo] patriarchae Hierosolymitano et toti clero et populo in obsidione Damiatae consistentibus significat se continuo Ianuam et Venetias et per alios Italiae portus litteras direxisse et crucesignatos illuc convenientes attentius adhortatum esse, ut celeriter versus Damiatam dirigant iter suum. *1218. Aug. 13.*

Hon. III Reg. Vol. II. 10: Lib. III. 39. Pertzii exemplar supplevimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1218, § 10, et ex Rec. des hist. des Gaules. XIX p. 666
Potthast. Reg. 5891.

Venerabili fratri . . patriarche[1] et karissimo in Christo filio Iohanni regi Iherosolimitano et . . Nycosiensi[2] archiepiscopo et . . Acconensi[3] ac . . Bethleemitano[4] episcopis et nobilibus viris duci Austrie[5] et Hospitalis[6] ac militie Templi[7] et Sancte Marie Teutonicorum[8] magistris ac universis baronibus ac toti clero et populo in obsidione Damiate consistentibus.

Multis divine scripture docemur exemplis, quod Deus, ad cuius nutum omnia disponuntur et cuius nichil potest resistere voluntati, sepe multitudinem fortium tradidit in manus debilium et paucorum. Receptis igitur litteris vestris et nuntiis, et intellecto

1) *Radulfo.* 2) *Eustorgio.* 3) *Iacobo.* 4) *Raynerio.* 5) *Lupoldo.* 6) *Garino.* 7) *Wilhelmo.* 8) *Hermanno.*

quam arduam rem estis de divino auxilio confidentes aggressi, etsi subito concussa fuerint ossa nostra, dum paucitatem vestram respectu opposite multitudinis pensaremus, mox tamen occurrente nobis quod legitur: *Dominum formidabunt adversarii eius et super* 1 Reg. 2,10.
ipsos in celis tonabit, fuimus fiducia et consolatione repleti, de illius auxilio confidentes, qui sperantes in sua misericordia non relinquit, sed eos in ipsa tribulatione dilatans, Psal. [illegible] Psal. [illegible]
prava in directa et aspera in vias planas sua omnipotenti pietate convertit, ut humana Is. 40,4
fragilitas in se gloriari non audeat, sed cum viderit se per supernum auxilium ibi proficere, ubi secundum causas inferiores deficere videbatur, humiliter in laudes divinas erumpat et dicat: *Dextera tua, Deus, glorificata est in virtute et tua confregit* Exod. 15,6.
potentia inimicos. Volentes autem operationi divine nostre humilitatis ministerium adhibere, continuo Ianuam, Venetias ac per alios Italie portus litteras nostras direximus, crucesignatos, qui ad portus ipsos convenerant et convenire debebant, attentius exhortantes, ac monentes terrarum episcopos et rectores, ut diligenter exhortentur eosdem, ut ad succursum vestrum celeriter festinantes versus civitatem Damiatam in nomine domini Sabaoth dirigant iter suum. Unde speramus tantum auxilium vobis Domino largiente in proximo affuturum, quod gentes, que Dominum non noverunt set in sola sua numerositate confidunt, ante vestram faciem conterentur ad laudem et 1 Mac. 3,[illegible]
honorem Christi ac nominis Christiani. Interim igitur vos sicut fideles servi et strenui milites Iesu Christi firmi et constantes estote, ac, quod pernecessarium est, unanimes et concordes quasi vir unus uno numero serviatis Domino deo vestro, et quicquid oculos divine maiestatis offendit, quantum humana permittit fragilitas, evitetis, ita ut supernum auxilium quod nostris et aliorum fidelium precibus vobis impetrare satagimus, debeatis merito expectare.

Dat. Lateran. Idibus Augusti, pontificatus nostri anno tertio.

79.

Honorius III papa archiepiscopos et alios prelatos per Siciliam constitutos adhortatur, ut si qua murmura contra Hospitalarios et Templarios se eorum auribus ingesserint, ea frivola reputantes ipsos habere curent more solito commendatos, cum per [Pelagium] Albanensem episcopum, apostolice sedis legatum, et alios sibi sit certius intimatum, quod dicti fratres inter omnes alios crucis negotium procurent.

1218, Nov. 24.

Hon. III Reg. Vol. II, 30; Lib. III, 131.

Archiepiscopis et episcopis, abbatibus, prioribus, archidiaconis, decanis, archipresbyteris et aliis ecclesiarum prelatis per Sycilian constitutis.

Humani generis hostis antiquus callidus[a] velut serpens pietatis insidiari operibus ideo non desistit, quoniam ipsa sola predam eripiunt ab eius faucibus animarum. Cum enim tamquam leo rugiens querat quem devoret toto die, assuetus quidem ex antiqua 1 Petr. 5,8.
malitia miserorum animas captivare, quotiens aliquod obstaculum invenit, livet invidia, et quasi gravia dampna passus, fremens dentibus sollicitius solito arma parat et insidias machinatur[b], ad veterne fraudis astutiam[c] denique recurrendo, ut eos quos armis nequit

[a]) calidus *R.* [b]) machinator *R.* [c]) astutia *R.*

devincere, saltim suggestione seducat. Illos vero qui tamquam veri Christi milites
1 Thess. 5,8. induti lorica fidei eius resistere machinationibus didicerunt, incessanter persequitur
Luc. 22,31. sicut hostes, querens ipsos utique ventilare velut triticum et cribrare[a], nisi eos Christi pietas gubernaret. Sane universitatem vestram latere non credimus, quod cum dilecti filii Hospitalis et militie Templi fratres inter Christicolas alios in orbe terrarum speciales extiterint hactenus et existant orthodoxe fidei defensores, ipsorum corda usque adeo igne sancti spiritus sunt accensa, quod non solum prelia Domini iugiter preliantur, coronam martyrii recepturi, verum etiam facti servi pauperum propter Christum hospitalitatis insistunt ministeriis, indefesse pietatis opera exercendo, quibus et ipsi Regis regum gratiam promerentur, et Christi fideles pia eis subsidia conferentes ab eterna dampnatione conantur eripere, preparando eis in celesti palatio mansionem. Ne vero ignem purgationis evaderent dicti fratres, excitavit diabolus linguas maliloquas contra eos, ita ut quidam de transmarinis partibus redeuntes eorum famam taliter denigrarunt[b],
Sap. 3,6. quod nisi necessitatis tempore ipsorum rutilasset in fornace innocentia velut aurum, nos ipsi rumores et murmura obloquentium audientes sinistra cogebamur de ipsis aliquando suspicari. Unde universitati vestre duximus declarandum, quod cum in Ierosolimitanis partibus inquiri fecerimus diligenter, utrum clamor qui ad aures nostras ascenderat, opere compleretur, per venerabilem fratrem nostrum . . Albanensem episcopum, apostolice sedis legatum, et alios nobis fuit certius intimatum, quod supradicti fratres inter omnes alios Christi athletas crucis negotium cum omni fidelitate ac sollicitudine procurantes, propugnatoribus Iesu Christi ex fidelium elemosinis grata subsidia largiuntur; et nisi Hospitalarii et Templarii expensas facerent, quas cotidie in militibus servientibus, balistariis ac aliis personis ad pugnandum utilibus et pauperibus faciunt, exercitus apud Damiatam non posset aliquatenus remanere, cum quelibet predictarum domorum, sicut ab eodem episcopo didicimus, fere duobus milibus personarum et septingentis equitaturis cotidie necessaria subministret. Caritatem igitur vestram rogamus et hortamur in Domino, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus rumores et murmura contra predictos fratres inventa, si qua se auribus vestris ingesserint, frivola et inventicia reputantes, ipsos habere curetis more solito commendatos, eorum innocentiam in vestris ecclesiis predicando singulis diebus dominicis et festivis, scituri pro certo, quod bona que ipsis feceritis non peribunt, set per manus pauperum retributori
Matth. 19,29. Domino presentantur, ut recipiatis exinde centuplum, eterne vite beatitudinem possessuri.

Dat. Lateran. VIII Kal. Decembris, pontificatus nostri anno tertio.

In eundem modum scriptum est multis aliis.

80.

Honorius III papa [Petro] archiepiscopo Senonensi et suffraganeis eius et universis Christi fidelibus per eorum dioceses constitutis scribit, se tristes litteras a crucesignatis in obsidione Damiatae consistentibus accepisse, quibus petant, ut succursum mittere festinet; monet eos, ut proximo Martio vel saltem Maio crucesignati transfretent.

1218. Nov. — Dec.

Hon. III Reg. Vol. II, 30, 31: Lib. III, 136. Pertzii exemplar supplevimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1218, § 12–14.

Potthast, Reg. 5934.

a) cribare *R.* b) *ita R.*

. . archiepiscopo Senonensi[1] et suffraganeis eius ac universis Christi fidelibus, tam crucesignatis quam aliis, per eorum dioceses constitutis.

Rem aggressus est exercitus Christianus existens in partibus transmarinis, in qua consistit aut plena victoria aut vincendi desperatio manifesta: obsidet enim civitatem Damiate opulentam et magnam, quam si Dominus in manibus eorum tradiderit, nullum, ut fertur, aut parvum obstaculum in tota Egypto invenient, quin immo infideles, qui detinent sanctam civitatem Ierusalem, fugient ex eadem et eam fidelibus sine bello relinquent. Si vero prefatam civitatem occupare nequiverint, in summo discrimine constitutus est idem exercitus, cum athlete Christi se in eo loco posuerint, ut nisi per victoriam vestigia nulla retrorsum, set nullo medio necesse habeant vincere aut perire; quod si exigentibus peccatis nostris et populi Christiani accideret, ita consternarentur animi et dissolverentur manus crucesignatorum et omnium qui ad illorum succursum aspirant, quod dispendiosissimus labor, qui pro Terre Sancte recuperatione assumptus totum orbem Christianum concussit, non sine perpetui doloris memoria, quod Deus avertat, irritus redderetur. Confisi autem de divino consilio presumimus meliora, cum Dominus faciens nobiscum signum in bonum, impiissimum soldanum Sephadinum, precipuum malleum Sancte Terre, nuper rebus humanis exemerit et inter infideles discordiam immiserit generalem, antiquo soldano Damasceno filio Saladini pugnante contra patruum suum et filium eius soldanos, et sic totam terram infidelium perturbante, ut alto consilio eius, qui admirabili providentia cuncta disponit, manus converterint in se ipsos, per quod sperandum est, quod Deus regnum eorum in se ipso divisum disposuit desolare. Qui etiam propugnatorum suorum devotionem respiciens eis ex insperato tradidit turrim quandam mirabilis fortitudinis, que sita in medio fluminis et protensis catenis ferreis accessum ad dictam denegans civitatem, eam inexpugnabilem reddere videbatur, tante siquidem latitudinis, ut trecenti armati consisterent in eadem, quos omnes cum ea in suorum fidelium manibus tradidit Dominus deus noster, ac etiam in hostes suos tantum terrorem immisit, ut montem Thabor, quem in grande dispendium Christiani populi castellaverant, et alia quedam munita loca suffossis muris pre timore reliquerint, nullum locum sibi satis tutum putantes, si Christianus exercitus contra sepedictam prevaluerit civitatem. Hec attendentes venerabilis frater noster patriarcha Ierosolimitanus[2] et episcopus Albanensis[3], apostolice sedis legatus, necnon et carissimi filii . . rex[4] et magistri Hospitalis[5] et militie Templi[6] et Sancte Marie Theutonicorum[7] Ierosolimitani, . . dux Austrie[8] ac principes exercitus Romanorum aliique prelati et magnates consistentes in obsidione predicta, litteris suis et precibus, que lapidea etiam corda emollire possent ad lacrimas, nobis instantissime supplicarunt, ut cum expense, quas fecerunt et faciunt in machinis et galeis, ac alii bellici sumptus eos pecunia sic exhauserint, ut viris bello strenuis, qui pro defectu rerum remeare coguntur, necessaria ministrare non possint, et sic exercitus paulatim quotidie dilabatur, eis post Deum in cismarinorum auxilio totam spem habentibus tam bellatorum quam pecunie succursum mittere festinemus. Monemus igitur universitatem vestram et obsecramus per aspersionem sanguinis Iesu Christi, qui pro vobis tradidit semetipsum, quatinus ponentes Gal. 2, 20 ante oculos vestre mentis, quantum gaudium quantaque exultatio erit iustis in Domino, si ceptum negotium finem ipso dante habuerit exoptatum, et apud vos recogitantes e contra, quantam confusionem quantumque merorem contrarium afferret toti populo Christiano, prefato exercitui succurratis, sicut res expostulat, festinanter, providentes

1) *Petro.* 2) *Radulfus.* 3) *Pelagius.* 4) *Iohannes.* 5) *Garinus.* 6) *Willelmus.* 7) *Hermannus.* 8) *Lupoldus.*

quod vos, filii crucesignati, proximo Martio vel saltem Madio transfretetis, vosque, fratres archiepiscope ac episcopi, singuli signatos sue diocesis sollicitantes instanter, eos ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellatis, alios subditos vestros ad exercitus predicti succursum sedulis exhortationibus animando; proviso quod vicesima et alia pecunia collata et conferenda pro Terre Sancte subsidio dilectis filiis Stephano familiari nostro et Henrico fratribus domorum Hospitalis et militie Templi, presentium portitoribus, quos propter hoc providimus destinandos, salvis specialibus concessionibus ab apostolica sede factis, integre assignetur in ipsius terre subsidium destinanda, in quod, licet pro navigio et alio crucesignatorum subsidio, in quo preter decimam fratrum nostrorum et pecuniam a felicis memorie I[nnocentio] papa predecessore nostro ad opus ipsius terre collatam ultra viginti milia marcharum expendimus, non modicas fecisse noscamur expensas, presentialiter tamen quinque milia marcharum contulimus, amplius collaturi, si plus subtrahere forte poterimus expensis familiaribus et aliis quas necessario facere nos oportet. Ad hec diligentia vestra eorum que iam collecta sunt, et que colligentur in posterum, et que iam missa sunt, et que presentium latoribus contigerit assignari, quantitatem attendat[a] et eam nobis curet fideliter intimare. Sane illud sub silentio pretereundum non duximus, quod patriarcha, legatus, dux et princeps aliique prelati et magnates exercitus suis nobis litteris intimarunt, ea[b] super quibus detractores Deo odibiles conati sunt karissimum in Christo filium nostrum I[ohannem] Ierosolimitanum regem illustrem et dilectos filios Templarios ac Hospitalarios infamare, omni fuisse vacua veritate, qui non solum eorum excusant innocentiam in hac parte, verum etiam illos multipliciter commendantes, ascribere videntur miraculo expensas quas fecerunt et faciunt pro negotio Terre Sancte, firmiter asserentes quod idem exercitus in obsidione iamdicta nullatenus posset sine illorum viribus remanere. Unde volumus et precipimus, ut eos tamquam veros Christi athletas et precipuos Christiane fidei defensores studeatis honorare, diligere ac fovere, eorum declarantes super hoc innocentiam et fidei ac virtutis constantiam predicantes.

Dat. Lateran. . . . . . pontificatus nostri anno tertio.

In eundem modum scriptum est universis archiepiscopis et eorum suffraganeis per regnum Francie constitutis. Similiter et per regnum Anglie.

81.

Honorius III papa [Theoderico II] archiepiscopo Trevérensi [Heribertum] abbatem Werdensem, qui cum [Wilhelmum] comitem Hollandiae de mandato magistri Oliverii, scholastici Coloniensis, praedicatoris crucis, ab excommunicationis vinculo absolvisset, ipse ab archiepiscopo illo excommunicatus erat, remittit absolutum. *1218. Dec. 4.*

Hon. III Reg. Vol. II, 33: Lib. III, 117.

. . archiepiscopo Treverensi.

Rediens de partibus transmarinis dilectus filius . . abbas Werdensis nobis exponere procuravit, quod cum ipse dudum crucesignatus in sue peregrinationis itinere constitutus, nobilem virum . . comitem Hollandie crucesignatum de mandato dilecti

a) attendant *R.* b) ea *R.*

filii magistri Oliverii scolastici Coloniensis, predicatoris crucis[1], ab excommunicationis vinculo, quo erat adstrictus, absolveret, tu in eum propter hoc excommunicationis sententiam promulgasti diligenti sollicitudine, non attendens quod hii qui regi regum Domino in tam urgenti negotio succurrebant, impediendi non erant, sed potius confortandi. Cum igitur venerabilis frater noster Ierosolimitanus patriarcha[2] dictum abbatem ab huiusmodi sententia duxerit absolvendum, nos absolutionem eius ratam habentes, ipsum ad te remittimus absolutum, mandantes quatinus eum pro Dei et apostolice sedis et nostra reverentia benigne recipias et habeas commendatum.

Dat. Lateran. II Nonas Decembris, pontificatus nostri anno tertio.

82.

Honorius III papa [Cunonis] abbatis Fuldensis curae Elewacense monasterium, cui diu laudabiliter praefuerat, usque ad triennium committit, ut videlicet, Fuldensem ecclesiam propriam habens, Elewacensem habeat commendatum. *1218, Dec. 9.*

Hon. III Reg. Vol. II, 35; Lib. III, 165.

. . abbati Wldensi.

Gaudemus in Domino et tuam in eo religionem ac prudentiam commendamus, quod sic exerces officium pastorale, ut et Wldense monasterium obtaverit te in suum pastorem assumere, et Elewacense, cui diu laudabiliter prefuisti, te cupiat retinere. Sane tam karissimi in Christo filii nostri Friderici, illustris regis Sicilie in Romanorum imperatorem electi, quam conventus ipsius Elewacensis ecclesie ac plurium aliorum preces recepimus, ut cum prefato Wldensi monasterio, quod multipliciter lapsum per sollicitudinem tuam posse resurgere sperabatur, te in abbatem duxerimus concedendum, iamdictum monasterium Elewacense, quod ex absentia tua timetur graviter collapsurum, sollicitudini tue saltim ad tempus committere dignaremur. Volentes igitur quod pro ecclesiarum statu petitur favorabiliter adimplere, sepedictum Elewacense monasterium usque ad triennium committimus cure tue, ut videlicet habens Wldensem ecclesiam propriam, Elewacensem habeas commendatam, religionem tuam sollicitantes et hortantes attente ac per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus sic vigilanter geras sollicitudinem utriusque, quod eedem sub tua gubernatione respirent, tuque per hoc crescere valeas et nomine apud homines et merito apud Deum.

Dat. Lateran. V Idus Decembris, pontificatus nostri anno tertio.

In eundem modum scriptum est conventui Elewacensi.

83.

Honorius III papa [Hartwico] episcopo Eistetensi mandat, ut decanum et archidiaconum et aliquos canonicos ecclesiae Pragensis, qui interdictum in ea positum violaverunt, officio beneficiisque privatos denuntiari procuret. *1218, Dec. 14.*

Hon. III Reg. Vol. II, 36; Lib. III, 166.
Potthast, Reg. 5939.

1) *de Oliverio cf. tum alia tum Chron. reg. Col. p. 245, 321, 347.* 2) *Radulfus.*

Eistetensi episcopo.

Non sine causa compellimur ammirari, quod hii qui in partem hereditatis Dominice sunt assumpti, ad tantam plerumque insipientiam se convertunt, quod dilatati ex adipe patrimonii Iesu Christi, non solum se ipsos efficiunt ex propria nequitia reprobos, sed alios scandalizant, propter quod expedit, ut ne malitia talium reproborum exemplum prebeat aliis malignandi, eorum ignominia impleatur. Ex litteris quidem venerabilis fratris nostri . . Ratisponensis episcopi[1] et dilectorum filiorum Sancti Emerammii et . . de Walderbach abbatum, exploratorum a nobis delegatorum, nos noveris accepisse, quod cum ipsi in Arnoldum decanum, Christoforum archidiaconum Pragensis ecclesie, et Benedictum, Vecemilum, Boluslaum, Pribizlaum, Valkinum, Drisilaum, et Seislaum de Horson eiusdem ecclesie canonicos ac aliarum ecclesiarum prelatos et alios expressos in suis citationibus nominatim suspensionis sententias auctoritate nostra protulerint exigentibus culpis suis, eidem suspensi eorum et venerabilis fratris nostri . . Pragensis episcopi[2] suspensionis et excommunicationis sententias contempnentes, usque adeo esse noscuntur in sua pertinacia obstinati, quod nostro se conspectui presentare, sicut per litteras nostras mandavimus, hactenus noluerunt, licet post prefixum de eis terminum ab episcopo et abbatibus supradictis diutius fuerint apud sedem apostolicam expectati. Ne igitur pertinaces prefati de sua malitia glorientur, et contemptus huiusmodi attrahat alios in errorem, nos eos a collatis sibi ecclesiasticis beneficiis amovemus, fraternitati tue per apostolica scripta mandantes, quatinus ipsos denuntiare procures officio beneficiisque privatos.

Dat. Lateran. XIX Kal. Ianuarii, pontificatus nostri anno tertio.

84.

Honorius III papa capitulo Coloniensi scribit de electione Conradi decani.

1218, Dec. 22.

Hon III Reg. Vol. II, 40; Lib. III, 190.

Capitulo Coloniensi.

Reprehensibile valde et prorsus inexcusabile est, quod cum preposituram, que primo in civitate Coloniensi vacaret, donationi apostolice servassemus, vos vacante prepositura ecclesie vestre, de illa disponere attemptastis. Unde licet dilectum filium Conradum, decanum vestrum, quem elegistis ad illam, dignum honore huiusmodi et maiori etiam reputemus, utpote virum vita, fama et scientia commendandum, vitio tamen electionis predicte, ad quam de iure procedere nequivistis, ipsam decrevimus irritam et inanem. Verum quia ecclesia vestra apostolice sedi semper se obedientem exhibuit et devotam, adeo ut ab obedientia et devotione ipsius eam nec tribulatio nec angustia separavit, vobis remittimus hanc offensam, concedentes ut, non obstante quod, sicut predictum est, preposituram, que primo in ipsa civitate vacaret, nostre donationi servavimus, preposituram ipsam per electionem canonicam libere ordinetis, scientes quod gratum nobis erit, si ad eam decanum elegeritis memoratum, qui non tam ad promotionem suam, quam ad statum ecclesie vestre in nostra presentia laboravit.

Dat. Lateran. XI Kal. Ianuar. pontificatus nostri anno tertio.

1) *Conradi IV.* 2) *Andreae.*

85.

O[takarus] Bohemiae rex Honorio III papae se iam paruisse asserens, ab eo petit, ut cum [Andrea] episcopo Pragensi legatus in Bohemiam mittatur. *1219. initio.*

Hon. III Reg. Vol. II, 62; Lib. III, 300.
Erben Reg. Boh. I, 282 n. 604

Littere ad dominum papam.

Reverendo in Christo patri et domino Honorio, Dei gratia sanctissime Romane ecclesie summo pontifici, O. eadem gratia Boemorum rex debitam in omni cum devotione reverentiam. Litteras vestre sanctitatis et iudices a sede vestra delegatos, videlicet Ratisponensem episcopum[1], de Ebra[2], et Valsasen[3] Cisterciensis ordinis abbates, ea qua decuit honestate et devotione recipientes, vestris humiliter, licet contra consuetudinem regni nostri, paruimus mandatis, sicut vobis per venerabilem abbatem de[a] Valsasen latorem presentium, et ex forma compositionis, quam vobis presentabit, plenius constabit. Et quia vestris, ut decuit, sacris exhortationibus et preceptis obtemperavimus, semper ecclesie Romane devotam gerere in omnibus cupientes voluntatem, paternitatis vestre genibus provoluti devotius supplicamus, quatinus episcopum nostrum ad gregem sibi commissum et ad nostram gratiam pacificum transmittere[b] non differatis, et cum eo aliquem de fratribus vestris virum sanctum, providum et discretum mittere dignemini, qui a clero et supanis terre et universo populo diligenter inquirat, utrum nos episcopo vel ipse nobis extiterit iniuriosus, ut per eum nostra vobis et fratribus vestris innocentia declaretur; scientes certissime, quod nos eundem legatum honeste, ut decet, tractabimus et benigne. Dignetur etiam vestra paternitas episcopo dare in mandatis, ut prelatis ecclesiarum, qui eum ex nostro precepto coacti offenderant, rancorem dimittens, officia beneficiaque restituat. Valde enim iniquum esse videretur, quod illi punirentur, quos nos compulimus nostris potestative preceptis parere, cum iam vestre et episcopi satisfecerimus voluntati.

86.

O[takarus] Bohemiae rex Honorio III papae formam mittit compositionis cum [Andrea] episcopo Pragensi factae. *1219, initio.*

Hon. III Reg. Vol. II, 62, 63; Lib. III, 301.
Erben Reg. Boh. I, 282 n. 605

Littere ad dominum papam.

Sanctissimo patri et domino Honorio, Dei gratia sacrosancte Romane sedis pontifici, O. eadem gratia Boemorum rex promptam in omnibus obedientiam. Cum ad nos venire decrevissent dominus Ratisponensis episcopus et . . de Hebra et . . de Waltsassen abbates, quibus hoc in mandatis dedistis, nos hylariter et devote cum prelatis ecclesiarum et nobilibus regni nostri maioribus illis occurrimus apud Cladrub[c], ea qua decuit devotione recipientes eosdem, relectisque paternitatis vestre

a) de *deest in R.* b) trasmittere *R.* c) *ita Erben ex apographo Palackyano, cum in nostro sit* Dadrub.

1) *Conradum IV.* 2) *Eberhardum Eberacensem.* 3) *scil. de Waltsassen, Hermannum.*

litteris super omnibus que in eisdem continebantur paterne vestre absque mora paruimus exhortationi, remittentes et concedentes domino episcopo[1] suisque successoribus institutiones et destitutiones, tam in ecclesiis quam in prelaturis, salvo iure patronatus, et iudicia in spiritualibus de personis clericorum secundum canonicas et apostolice sedis constitutiones, nulla illis occasione manus violentas, sicut hactenus notati fuimus, iniecturi, ac alia que noscuntur ad ius pontificalis officii pertinere. Episcopum quoque in liberam et quietam possessionem totius episcopatus sui per procuratores suos restituimus, benigno caritatis affectu recipere venientem promittentes; super dampnis et iniuriis, sibi et hiis qui sibi adheserunt, postquam a nobis recessit irrogatis, usque ad tres menses a die adventus sui et querele deposite plenam exhibituri satisfactionem de hiis que ad cameram vel ad usus nostros constiterit esse recepta. De aliis autem que preter nostram voluntatem a quibuscumque direpta[a] probabuntur, infra terminum predictum iudicium et iustitiam bona fide secundum regni nostri consuetudinem faciemus, datis et constitutis ad hoc exequendum fideiussoribus sex nobilibus regni nostri denominatis, scilicet Zlancone, Zhlawata, Budwoione, Benessone, Iarosone, et Witicone, qui apud nos, si negligentes quod absit, in hiis exequendis inveniremur, efficaciter deberent, sicut fide data promiserunt, elaborare. Ad hec decimas secundum consuetudinem hactenus habitam solvemus, et sicubi non consueverunt, solvi de cetero faciemus secundum consuetudinem eandem; securitatem persone sue cum reverentia debita sicut patri spirituali[b] et episcopo nostro promittentes et statuentes. Et ut hec omnia rata firmaque sibi suisque successoribus permanere debeant et a nobis observari, fide data, habito consilio et consensu nobilium nostrorum promisimus, dum idem episcopi nobis fidelitatem debitam exhibuerint et subiectionem; et vice cautionis sigillo nostro speciali cum sigillo communi regni Boemie, videlicet sancti Wencezlai, quia comites nostri speciali non utuntur in facto communi sigillo, fecimus confirmari, testium qui interfuerunt adnotatione idem factum similiter confirmantes.

Huius rei testes sunt: ipsi executores, scilicet dominus Conradus Ratisponensis episcopus, Eberhardus abbas de Hebera, Hermannus abbas de Waltsassen; Dluhomilus quoque electus de Breunow; et abbates reliqui: Silvester de Cladrub, Cassianus de Pozilliport, Reinerus de Insula, Hermannus de Wilamov; abbates quoque Cisterciensis ordinis: Heinricus de Lancheim, Hartmuoth de Nepomuoch, Albertus de Plaz; abbates etiam Premonstratensis ordinis: Adam de Stragow, Willehelmus de Syloe, Willehelmus de Tepla, et precipui quique Boemie comites cum multa clericorum et militum turba.

87.

Honorius III papa potestati Nicterinae [i. e. Nucerinae] mandat, ut uxori quondam [Conradi de Urslingen] ducis Spoletani de bonis suis intendant. 1219, Ian. 7.

Hon. III Reg. Vol. II, 13; Lib. III, 209.
Potthast, Reg. 5960.

. . potestati et universis tam civitatis quam diocesis Nicterine.

Presentium vobis auctoritate mandamus, quatinus donec de ipso ducatu plenarie disponamus, nobili mulieri . . uxori quondam . . ducis Spoletani, de hiis que de civitate vestra ac comitatu ipsius ad curiam pertinent intendatis; episcopi, clericorum et ecclesiarum per omnia iure salvo[c].

Dat. Lateran. VII Idus Ianuar. anno tertio.

a) directa *R.* b) *ita Erben;* speciali *apogr. nostrum.* c) salvis *R.*
1) *Andreae.*

88.

Honorius III papa R[aynaldo] nato quondam [Conradi de Urslingen] ducis Spoletani de ducatu Spoletano scribit: cf. supra n. 34. *1219, Ian. 7.*

Hon. III Reg. Lib. III, 223.

Nobili viro R. nato clare memorie . . ducis Spoletani.

Ad profectum tuum libenter, quantum cum Deo possumus, intendentes, cum B[ertuldo] fratre tuo diligentem habuimus super facto ducatus Spoletani tractatum, et quod inter nos et ipsum convenit, in scriptis redigi fecimus ad cautelam, et parati sumus, cum veneris, id auctore Domino ducere ad effectum, dummodo tu ex parte tua quod conventum est, sis observare paratus.

Dat. Lateran. VII Idus Ianuar. pontificatus nostri anno tertio.

89.

Fridericus Romanorum rex Honorio III papae scribit, se propter difficilem exercitus Christiani in Terra Sancta statum, pia sollicitudine motum, omnibus crucesignatis terminum indixisse et in Fuldensi curia sollemnem aliam curiam de hac re apud Magdeburg in media quadragesima convocasse; hortatur papam ad excommunicationem intentandam iis qui ad festum sancti Iohannis baptistae [Iun. 24] iter non arripuerint: petit insuper ut imperium et regnum suum sub sua protectione suscipiat et per coercitionem Henricum comitem de Brunsvich ad assignanda sibi insignia imperialia inducere velit.

1219, Ian. 12.

Hon. III Reg. Vol. II, 57, 58; Lib. III, 272.
Ed. a Winkelmann, Act. Imp. ined. p. 127, n. 151.

90.

Honorius III papa de Zuetla et de Valdrabach [Walderbach] abbatibus et priori de Zuetla mandat, ut de R[oberti] episcopi Olomucensis vita inquirant.

1219, Ian. 18.

Hon. III Reg. Vol. II, 50; Lib. III, 249
Potthast, Reg. 5964.

. . de Zuetla et . . de Valdrabach abbatibus et . . priori de Zuetla Pataviensis diocesis.

Ad aures nostras dilecto filio . . abbate Silocense[1] insinuante pervenit, quod licet venerabilis frater noster R. Olomucensis episcopus Cisterciensis ordinis regulam sit professus, ita tamen est in reprobum sensum datus, quod duobus homicidiis pertractatis, duas sorores Cunicensis monasterii moniales et plures mulieres alias coniugatas cognovit carnaliter, et quandam virginem defloravit, hec et alia committens turpia impudenter in sue salutis dispendium et scandalum aliorum. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus inquisita super hiis diligentius veritate, quod canonicum fuerit, appellatione postposita statuatis, facientes etc. Quod si non omnes etc.

Dat. Lateran. XV Kal. Febr. pontificatus nostri anno tertio.

1) *Willehelmo.*

91.

Honorius III papa [Angelo] patriarchae Gradensi mandat, ut crucesignatos qui de portu Venetorum ad partes Hierosolymitanas transfretare disponant, et nautas qui eos transfretare promittant, moneat, ut ad partes Damiatae, ubi sit exercitus Christianus, studeant applicare. *1219, Ian. 23.*

Hon. III Reg. Lib. III, 250. Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1219, § 11. Potthast, Reg. 5971.

Gradensi patriarche.

— — Crucesignatos qui de portu Venetorum ad partes Ierosolimitanas transfretare disponunt, necnon nautas qui eos transfretare promittunt, ut ad partes Damiate, ubi est exercitus Christianus, studeant applicare, moneas omnimodis et inducas, excommunicationis tam in crucesignatos quam in nautas, si contra monitionem tuam venerint, generalem sententiam auctoritate nostra, sublato appellationis obstaculo, promulgando; mandatum nostrum taliter impleturus, quod exinde illi cuius causa geritur placeas, et nos diligentiam tuam possimus in Domino merito commendare.

Dat. Later. X Kal. Febr. pontificatus nostri anno tertio.

92.

Honorius III papa F[riderico] Romanorum regi significat, se ad eum priorem Sanctae Mariae novae de Urbe mittere, ut H[enricum] ducem Saxoniae hortetur ad insignia imperialia resignanda; qui si contempserit monita, [Friderico] Halberstadensi et [Sigefrido] Hildeshemensi episcopis se mandare, ut eum excommunicent et villam Brunswich supponant interdicto. *1219, Febr. 8.*

Hon. III Reg. Vol. II, 58; Lib. III, 273. Pertzii exemplar supplevimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1219, § 23. Potthast, Reg. 5981.

F. illustri regi Sicilie in Romanorum imperatorem electo.

Cum tam litteris quam nuntiis tuis nobis intimare curasti, quod nobilis vir H. dux Saxonie insignia imperialia detinet et tibi resignare contemnit, nos tuis aspirantes profectibus et honori, dilectum filium priorem Sancte Marie nove de Urbe, virum utique magni consilii et honestate perspicuum, ad te duximus destinandum, ut ipsum commonefaciat vice nostra, et eo mediante ipsa regie serenitati resignet, ad quod illum monere ac hortari nostris curavimus litteris diligenter. Monemus igitur serenitatem regiam et exhortamur in Domino, quatinus eundem nobilem, si nostris monitis et consiliis acquiescens, hec curaverit adimplere, benigne recipias et mansuete pertractes, ut te illius menbrum esse demonstres, qui se velle misericordiam et non sacri- (Matth. 9) ficium contestatur; sciturus quod si dictus nobilis nostra et predicti prioris monita contempserit adimplere, nos iuxta quod per litteras nobis per dilectum filium . . fratrem Hospitalis sancte Marie in Accon ultimo destinatas petisti, venerabilibus fratribus nostris . . Halberstadensi et . . Ildesemensi episcopis nostris damus litteris in mandatis, ut ipsum et fautores suos appellatione postposita vinculo excommunicationis astringant, et eo in huiusmodi contumacia persistente, villam Brunsvich supponant ecclesiastico interdicto.

Dat. Lateran. VI Idus Febr. anno tertio.

93.

Honorius III papa F[ridericum] Romanorum regem et imperium sub sua protectione suscipit. *1219, Febr. 11.*

Hon. III Reg. Vol. 11, 59; Lib. III, 278.
Potthast, Reg. 5983.

F. illustri regi Sicilie in Romanorum imperatorem electo.

Deo, in cuius sunt manibus corda regum, et qui ea quocumque sibi placet inclinat, Prov. 21,1. gratiarum exolvimus actiones, quod te, magna que tibi fecit recognoscentem humiliter, et pie ac provide meditantem, sic fecit habere sui timorem nominis et amorem, ut tollens crucem tuam disposueris illum sequi ac contra blasphematores ipsius gladium ultionis exerere, ne illum[a] datum tibi ab ipso ad laudem bonorum malorumque vindictam videaris sine causa portare. Ut igitur pium et salubre propositum tuum devotius et tutius exequaris, personam tuam, et imperium, necnon coniugem tuam et filium tuum, ac regnum Sicilie sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et presentis scripti patrocinio communimus, statuentes ut ea interim cum omnibus iuribus et honoribus suis sub speciali apostolice sedis defensione consistant, ac sub anathematis interminatione districtius inhibentes, ne quis interea illa invadere aut diminuere seu quomodolibet perturbare presumat. Nulli ergo etc. nostre protectionis, constitutionis et inhibitionis infringere. Si quis autem etc.

Dat. Lateran. III Idus Febr. pontificatus nostri anno tertio.

94.

Honorius III papa [Eberhardo II] archiepiscopo Salisburgensi et [Ottoni] Herbipolensi et [Ottoni] Traiectensi episcopis significat, se F[ridericum] Romanorum regem et imperium sub sua protectione suscipere, eisque mandat, ut eos qui contra huius protectionis tenorem aliquid praesumpserint attemptare, compescant. *1219, Febr. 11.*

Hon. III Reg. Vol. 11, 59; Lib. III, 279.

. . archiepiscopo Zalzeburgensi et . . Herbipolensi et . . Traiectensi episcopis.

Deo, in cuius sunt manibus corda regum etc. usque: actiones, quod carissimum Prov. 21,1. in Christo filium nostrum F. illustrem regem Sicilie in Romanorum imperatorem electum, magna que sibi fecit recognoscentem humiliter, et pie ac provide meditantem, sic fecit habere sui timorem nominis et amorem, ut tollens crucem suam disposuerit illum sequi ac contra blasphematores ipsius gladium ultionis exerere, ne illum sibi datum ab ipso ad laudem bonorum malorumque vindictam videatur sine causa portare. Ut igitur idem rex pium et salubre propositum suum devotius et tutius exequatur, personam suam et imperium, necnon coniugem suam et filium suum, ac regnum Sicilie sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, etc. usque: communimus, statuentes etc. ut supra usque: presumat. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatinus si qui in Teutonia constituti contra

a) illi R.

huius nostre protectionis, constitutionis et inhibitionis tenorem aliquid temere presumpserint attemptare, vos presumptionem ipsorum monitione previa per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo compescatis, ita quod ubi non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum vel etiam singuli ea nichilominus exequantur.

Dat. Lateran. III Id. Febr. pontificatus nostri anno tertio.

95.

Honorius III papa F[riderico] Romanorum regi et universis tam crucesignatis quam aliis per Teutoniam constitutis scribens, regem monet et crucesignatis sub poena anathematis mandat, ut usque ad festum sancti Iohannis baptistae proximum [Iun. 24] iter arripiant versus Damiatam; regem et imperium sub sua protectione suscipit; eis qui remanserint in imperio praecipit, ut cui rex imperium committat, ei in omnibus obediant; [Eberhardo II] archiepiscopo Salisburgensi et [Ottoni] Herbipolensi et [Ottoni] Traiectensi episcopis mandat, ut crucesignatos, qui iter arripere ultra terminum distulerint, excommunicent. *1219, Febr. 11.*

Hon. III Reg. Vol. II. 59, 60; Lib. III, 281.
Potthast, Reg. 5984.

F. illustri regi Sicilie in Romanorum imperatorem electo et universis principibus, ecclesiasticis ac mundanis, necnon comitibus et baronibus, tam crucesignatis quam aliis, per Theutoniam constitutis.

Iusta doloris et anxietatis materia populo Christiano non deerit, quam diu terram in qua unigenitus Dei filius, redemptor noster ac dominus Iesus Christus, sua morte nostram dignatus est operari salutem, gens incredula et inimica Christiano nomini detinebit. Accessit autem hiis temporibus et alia sollicitudinis causa non modica, quod videlicet exercitus Christianus, qui obsidet Damiatam, sic in arto est positus, ut non tam videatur obsidens quam obsessus, nec sue salutis fiduciam habeat, nisi in eo qui salvat de sua misericordia confidentes, et in succursu quem de partibus cismarinis expectat. Licet vero divine miseratio pietatis causas humane salvationis exquirens, et virtutes largiens ut premia largiatur, ad illorum succursum et liberationem predicte terre animos multorum accenderit, creditur tamen et a multis quasi presagientibus dicitur, quod celestis altitudo consilii omnia regens fortiter suaviterque disponens tibi, fili rex, tanti operis gloriam reservavit, cum timor et tremor magnitudinis brachii tui sic cecidisse dicatur super gentem incredulam, ut a facie tua non putet sibi presidium aliud superesse quam fugam. Eia igitur, victoriosissime rex, dum increduli trepidant, dum fideles suspensis signis et animis te expectant: Tolle moras! semper nocuit differre paratis[1], et ei qui ad imperialis culminis fastigia te vocavit, in hoc articulo tue obsequium devotionis impende, comparaturus tibi fame immortale preconium et eternorum gloriam premiorum. Ne autem dignus comitatus desit regie maiestati, universitatem vestram, filii crucesignati, monemus et obsecramus in Domino, ac in remissionem vobis iniungimus peccatorum, et sub pena excommunicationis districte precipiendo mandamus, quatinus ad reddenda Domino vota vestra vos occasione ac excusatione cessantibus taliter preparetis, ut usque ad festum sancti Iohannis baptiste proximum una cum ipso rege arripiatis iter succurrendi exercitui supradicto, posito in

1) *Versus Lucani, Phars. I, 281.*

magno discrimine pro communi causa totius populi Christiani. Quicumque autem id adimplere neglexerint, nisi eos articulus manifeste necessitatis excuset, ex tunc se noverint excommunicationis vinculo innodatos. Ceterum ut tu, fili rex, devotius et securius aggrediaris hoc iter, personam tuam et imperium, necnon coniugem tuam et filium tuum, ac regnum Sycilie sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, statuentes ut ea cum omnibus iuribus et honoribus suis interim sub speciali apostolice sedis defensione consistant, ac sub interminatione anathematis districtius inhibentes, ne quis interea imperium aut regnum ipsum seu aliqua que ad illa pertineant, invadere, minuere, aut quomodolibet perturbare presumat. Ad hec universitati vestre districte precipimus, ut hii qui remanserint in imperio, ei cui regia providentia curam imperii duxerit committendam, de omnibus imperialibus iustitiis sine diminutione ac difficultate respondeant, et in omnibus obediant et intendant. Nec is cui regia circumspectio huiusmodi onus duxerit committendum, illud, si forte crucesignatus est, hac de causa recuset, set libere de licentia nostra remaneat, eandem indulgentiam cum hiis qui proficiscuntur, dummodo aliquos bellatores pro se mittat[a] in Terre Sancte subsidium iuxta proprias facultates, et fideliter gerat commissam sibi sollicitudinem, habiturus. Denique venerabilibus fratribus nostris . . archiepiscopo Salzeburgensi et . . Herbipolensi ac . . Traiectensi episcopis damus per nostras litteras in preceptis, ut crucesignatos qui arripere iter ultra terminum suprascriptum sine manifesto impedimento distulerint, cuiuscumque ordinis aut dignitatis existant, ex tunc denuntient excommunicatione illigatos, et omnes eos simili districtione compescant, si qui, quod non credimus, imperialia iura presumpserint subtrahere, invadere, aut quomodolibet temere perturbare. Accendatur igitur vestra devotio, ut et qui transibunt salutem promereantur eternam preliando Domini prelium, et hii qui remanebunt sic transeuntium studeant communicare laboribus, subveniendo illis et eorum iura illibata servando, ut esse possint participes premiorum.

Dat. Lateran. III Idus Februarii, anno tertio.

96.

Fridericus Romanorum rex Honorio III papae scribit super quibusdam articulis, de quibus ex relatione P[eregrini] Brundusini archiepiscopi se in curia Romana notari audiverit: primum quod procuret, quod filius suus in regem Theutonicorum eligatur contra promissiones quas fecerit de regno Siciliae imperio numquam uniendo; secundo quod patrimonium ecclesiae diminuat, cum [Ragnaldo] filio quondam Conradi ducis Spoletani permittat, ut in chartis se quoque cum titulo ducis subscribat; tertio quod ecclesiasticae libertati praeiudicet, electionibus se immiscendo. Respondet autem ad primum: imperium melius regi, dum ipse in servitium Christi absens fuerit, et si forte aliquid humani sibi acciderit, filium suum de hereditate securiorem fore; ad secundum: nullius esse momenti consuetudinem in Alemannia generalem, filium ducis ducem se nominare, licet ducatum non habeat; ad tertium: se electionibus ecclesiarum se immiscere non praesumpsisse, sed tantum commendationes adhibuisse. Concludit nuntiando se in proximo solemnes legatos ad curiam Romanam missurum, dum iam sit ad iter Romanum paratus, papaeque archiepiscopum Brundusinum et eius negotia commendat. *1219, ante Mai. 9.*

Hon. III Reg. Vol. II, 112; Lib. III, 527.

Ed. a Theiner, Cod. dipl. dom. temp. s. sed. I, p. 50, n. 74. De corrupta huius epistolae nota chronologica cf. Böhmer-Ficker, Reg. Imp. Frid. II, n. 1011.

---

[a]) mittant *R.*

97.

Honorius III papa F[riderico] Romanorum regi et universis crucesignatis terminum iter arripiendi usque ad festum sancti Michaelis proximum [Sept. 29] prorogat.

1219, Mai. 18.

Hon. III Reg. Vol. II 96, 97; Lib. III, 458.

F. illustri regi Sycilie et universis crucesignatis per Teutoniam constitutis.

Attendentes olim necessitatem instantem Christiano exercitui constituto in partibus transmarinis, et ad eius subventionem ferventi desiderio aspirantes, vobis sub pena excommunicationis districte dedimus in preceptis, ut curaretis vos taliter preparare, quod usque ad festum sancti Iohannis baptiste proximum arriperetis iter succurrendi exercitui memorato, venerabilibus fratribus nostris . . archiepiscopo Salzeburgensi, . . Herbipolensi et . . Traiectensi episcopis per scripta nostra mandantes, ut eos qui arripere iter ultra terminum suprascriptum sine manifesto impedimento differrent, ex tunc denuntiarent excommunicatione ligatos. Verum tu, fili rex, nuper tuis nobis litteris supplicasti, ut cum principes tecum ituri nequeant infra tam arti temporis brevitatem necessarium ad hoc facere apparatum, prefatum terminum prorogare usque ad festum sancti Michaelis proximum dignaremur. Nos igitur regis precibus benivolum impertientes assensum, usque ad dictum festum prorogamus terminum memoratum, universitatem vestram exhortantes attentius, et per apostolica vobis scripta firmiter precipiendo mandantes, quatinus interim vos taliter preparetis, quod exercitui supradicto magnifice, sicut vos decet, succurrere valeatis.

Dat. Rome apud Sanctum Petrum, XV Kal. Iunii, anno tertio.[1]

98.

Honorius III papa [Christiano] episcopo Prussiae concedit, ut, ad sedandas guerras inter [Waldemarum] Danorum regem et O[ttonem] de Luneburch nepotem eius ex parte una, et [Albertum] marchionem Brandenburgensem ex altera ortas, de matrimonio inter O[ttonem] et filiam marchionis, in quarto gradu cognatos, contrahendo auctoritate apostolica dispensare possit.

1219, Mai. 26.

Hon. III Reg. Vol. II. 99, 100; Lib. III, 469.
Potthast, Reg. 6071.

. . episcopo Prusciae.

Ascitis aliis in partem sollicitudinis, summus pontifex assumptus est in plenitudinem potestatis. qui cum moderator sit canonum. iuri non facit iniuriam, si dispensat,

1) *Recepisse Fridericum hanc epistolam Iun. 11 comperimus ex eius responsione Iun. 16 scripta. Huillard-Bréholles. Hist. dipl. Frid. II, Tom. I, p. 636. — Alia epistola, qua Honorius Friderico transfretandi terminum ad festum s. Michaelis prorogat, vulgata est a V. Cl. Winkelmann, Forsch. z. deutsch. Gesch. XV, p. 377, ex Summa dictaminis III, 6, Cod. Bern. n. 69, fol. 118. Est autem haec epistola ad verbum n. 112 nostrae collectionis, qua papa regi quartam prorogationem usque ad Kal. Mai. 1220 concedit, et nihil in ea mutatum est, nisi quod pro Kal. Mai. scriptum est ad festum s. Michaelis. Ita accidit, ut in ea quartam dilationem ad festum s. Michaelis papa regi concedat, quod falsum est, cum fuerit secunda; nam n. 106 tertium itineris terminum festum s. Benedicti 1220 [Mart. 21] praefigit.*

cum imminens necessitas et evidens utilitas id exposcit, presertim cum dispensatio sic iuris vincula laxet in aliquo, quod in aliis non dissolvit, et sic beneficium gratie specialis inducat, quod vigorem constitutionis non perimit generalis. Oblata siquidem nobis ex parte tua et aliorum quamplurium principum et baronum insinuatio patefecit, quod inter carissimum in Christo filium nostrum . . Danorum regem illustrem et O. de Lunenburch nepotem ipsius ex parte una, et nobilem virum marchionem Brandeburgensem ex altera, inimico homine superseminante zizaniam guerre ac inimicitie Matth. 13,25. pestifere ac mortales adeo succreverunt, quod preter stragem hominum miserabilem factam multotiens hinc et inde, combustiones villarum et inhumanitates alias, quas narrare per singula longum esset, altera alterius sanguinem sitiat et carnem in morte famescat. Unde contingit, quod subsidium quod conversis Pruscie per regem . ., nepotem ipsius, et marchionem predictum posset potissimum procurari, utpote qui sunt contigui terre illi, et tam multitudine gentium quam aliis divitiis locupletes, plurimum impeditur, et pereunt miserabiliter anime plurimorum. Quapropter nobis humiliter supplicastis, ut cum prefatus marchio dicto O. filiam suam vellet matrimonio copulare ad sedandas guerras et inimicitias supradictas, quod in quarto gradu contraere valeant, pro bono pacis dispensare de benignitate sedis apostolice dignaremur, maxime cum iidem, si sopiatur per huiusmodi copulam seminarium discordie inter eos, tibi et baptizatis Pruscie impensuros se decens auxilium repromittant. Nos igitur de discretione tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, tuis et dictorum nobilium precibus inclinati, per apostolica tibi scripta mandamus, quatinus super hiis auctoritate nostra statuas, quod secundum Deum videris statuendum.

Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VII Kal. Iunii, pontificatus nostri anno tertio.

99.

Fridericus Romanorum rex Honorio III papae gratias refert, quod litteras miserit pro curia generali in festo beati Iohannis [Iun. 24] celebranda perutiles: postulat, ut negotia sua ab ipso papa finem obtineant optatum, hortaturque, ne aurem accommodet detractionibus illorum qui se de terra ecclesiae concessionem fecisse mendaciter obloquantur.
1219, Iun. 16.

Hon. III Reg. Vol. II, 111: Lib. III, 531.
Ed. ap. Huillard-Bréholles, Hist. dipl. Frid. II, Tom. I, p. 636.

100.

Honorius III papa [Conrado IV] Ratisponensi et [Ulrico] Pataviensi episcopis et [Ulrico] praeposito Sancti Nicolai multiplices persecutiones [Andreae] episcopo Pragensi eiusque ecclesiae illatas enumerat, iisque mandat, ut [Otakarum] regem eiusque barones ad satisfactionem competentem exhibendam inducant, et si eorum monitis infra duos menses acquiescere noluerint, ex tunc eos excommunicatos denuntient. *1219, Aug. 2.*

Hon. III Reg. Vol. II, 122: Lib. IV, 541. Pertzii exemplar supplevimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1219, § 27.
Potthast, Reg. 6111.

. . Ratisponensi et . . Pataviensi episcopis et . . preposito Sancti Nycholai Pataviensis.

1160 1. Etsi nos cum propheta zelus domus Domini comedat, ita quod iniuriam eius nequeamus equanimiter sustinere, multo magis tamen exinde salutis illorum pericula formidamus, qui eidem iniuriari ausu sacrilego presumentes, dum ei dampna irrogant 2. Re 226. temporalia, eterne mortis laqueum sibi parant. Unde amarissime anexiamur, quod karissimus in Christo filius noster . . Boemie rex illustris, salutis sue, quam paterno zelamur affectu, neglector, in persecutionem Pragensis ecclesie suum videtur animum obfirmasse, quam debuerat a persecutionibus favorabiliter defensare, ut ex seculari potentia placens Domino seculorum compararet sibi apud Deum incomparabile meritum et apud homines nomen bonum. Nam cum olim idem rex et barones sui per procuratores ad hoc specialiter destinatos fidem coram venerabili fratre nostro . . archiepiscopo Maguntino[1] prestiterint, ac postmodum coram te, frater Ratisponensis, ac coram dilectis filiis . . de Ebra[2] et . . de Walsassen[3] Cisterciensis ordinis abbatibus Ratisponensis et Herbipolensis diocesum a sede apostolica delegatis prestita fide firmarint iura venerabilis fratris nostri . . episcopi et ecclesie Pragensis dimittere illibata, sicut idem rex suis nobis litteris intimavit, nunc, sicut prefatus episcopus, dicto abbate de Walsassen, qui a nobis super hoc datus fuerat executor, et . . nuntio eiusdem regis presentibus, exposuit humiliter coram nobis, ipsum et ecclesiam suam multipliciter persequentes, in ecclesiis suis personas instituunt et destituunt, vel potius intrudunt, et spoliant pro sue libito voluntatis, nec permittunt eum vel officiales suos ecclesiastica iudicia exercere. Decimas quoque sibi solvere denegant, pravam consuetudinem pretendendo, que dici debet potius corruptela; et non solum fructus ecclesiasticarum rerum et alia quibus prefatum episcopum, dum apud sedem apostolicam moraretur, illicite spoliarant, et tallias quas ab hominibus suis extorserant, sibi restituere denegant, verum etiam quedam predia Pragensis ecclesie ac aliarum ecclesiarum suarum necnon quedam alia sua propria, que longo tempore, antequam ad sedem apostolicam iter arriperet veniendi, quiete possederat et Pragensi ecclesie pro quodam debito assignarat, temere invadentes alienasse dicuntur, alias ecclesiarum privilegia infringendo. Preterea excommunicatis scienter communicant, et scismaticos non permittentes debita pena puniri, eis qui exigentibus culpis suis ecclesiasticis beneficiis sunt privati, proventus beneficiorum subtrahi nullatenus patiuntur, quin etiam clericos, qui citationis vel privationis litteras scismaticis offerunt eicientes de regno, inhibent, ne aliquis in tota Pragensi diocesi apostolicas vel ipsius episcopi litteras recipere audeat facientes de interdicti vel excommunicationis sententiis mentionem. Clericos etiam et nuntios episcopi exire vel intrare regnum libere non permittunt, nec hiis contenti, a clericis in pedagiis sive theloneis triginta denarios exigunt et extorquent, cum a laico non nisi unus denarius exigatur. A domibus autem religiosis currus magnorum sumptuum occasione cuiuslibet exercitus frequenter extorquent, et licet per nos et delegatos a nobis super hiis sepe ammoniti fuerint diligenter, numquam tamen ab episcopi et ecclesie Pragensis potuerunt molestiis revocari. Licet igitur sepedicto regi tanquam precellenti et baronibus tanquam ab eo missis deferre velimus, quia tamen non est deferendum hominibus contra Deum, cui est contra omnes homines deferendum, de fratrum nostrorum consilio discretioni vestre per apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus, quatinus regem et barones eosdem, ut prefato episcopo de damnis illatis et subtractis fructibus necnon irrogatis iniuriis satisfactionem exhibeant competentem et ab ipsius de cetero molestatione desistant, recepta super his ab ipsis pignoraticia

1) *Sifrido II.* 2) *Eberhardo.* 3) *Hermanno*

vel fideiussoria cautione, moneatis prudenter et efficaciter inducatis. Quod si monitis vestris, quod absit, infra duos menses acquiescere forte noluerint, denuntiamus eos ex tunc excommunicationis et totam terram eorum interdicti sententiis subiacere, quas vos renovantes singulis diebus Dominicis et festivis, faciatis easdem appellatione remota tam ab episcopis quam ecclesiarum prelatis et aliis omnibus vicinis inviolabiliter observari, donec redeuntes ad cor relaxari easdem sententias mereantur. Quod si non omnes etc.

Dat. Reate, IIII Non. Aug. pontificatus nostri anno quarto.

101.

Honorius III papa [Bertoldo] Lubecensi, [Brunoni] Suerinensi et [Henrico] Ratzeburgensi episcopis mandat, ut inquirant in [Valerium] archiepiscopum Upsalensem, qui post mortem Erici regis Sueciae nobilem virum I[ohannem] in regem unxerat, praeterito filio regis defuncti et nepote Waldemari regis Danorum.

1219, Aug. 7.

Hon. III Reg. Lib. IV, 551. Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1219, § 29–30. Potthast, Reg. 6114.

Lubecensi, Szerinensi[1] et Kaskeburgensi[2] episcopis.

Carissimus in Christo filius noster Waldemarus Danorum rex illustris nobis insinuare curavit, quod clare memorie Erico rege Suecie rebus humanis exempto, nobilis vir I.[3] regnum Suecie ad defuncti filium[4], dicti regis Danorum nepotem, iure hereditario devolvendum, quorundam magnatum eiusdem regni favore suffultus, violenter invasit. Porro idem rex intellecto, quod venerabiles fratres nostri . . archiepiscopus Upsalensis et suffraganei eius in regem volebant inungere supradictum nobilem, ne id facerent, inhibuit appellando, prefatum nepotem suum et omnia iura eius apostolice protectioni supponens ac prefigens terminum, quo per se vel per nuntios suos in nostra comparerent presentia, iis qui venirent pro tutela dicti nepotis sui iusticia responsuri. Sed ipsi legitima eius appellatione contempta in regem inunxerunt nobilem antedictum, in prefati nepotis sui pupilli ac etiam post patris obitum nati gravissimum preiudicium et contemptum nostrum ac sedis apostolice manifestum. Nolentes igitur huiusmodi presumptionis excessum sub dissimulatione transire, cum debite pene remissio audaciam tribuat delinquendi, per apostolica vobis scripta mandamus, quatinus inquisita plenius veritate, si vobis constiterit dictos archiepiscopum et episcopos ad inunctionem huiusmodi post appellationem legitimam processisse, auctoritate nostra firmiter iniungatis ipsi archiepiscopo et uni episcoporum, qui astiterunt eidem, ut infra competentem terminum sibi prefigendum a vobis cum procuratoribus aliorum apostolico conspectui personaliter se presentent, de huiusmodi satisfacturi contemptu; ipsos ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellentes. Quidquid autem inde feceritis, nobis per litteras vestras veraciter intimetis. Quod si non omnes etc.

Dat. Reate, VII Id. Aug. pontificatus nostri anno quarto.

1) *i. e. Suerinensi.* 2) *i. e. Ratzeburgensi.* 3) *Iohannes, filius Swerkeri, qui ante Ericum rex fuerat.* 4) *Ericum XI, qui post Iohannis mortem a. 1222 rex factus est.*

102.

Honorius III papa Alexandrinis scribit, se sustinere ad praesens pro eorum pace, quod Friderico Romanorum regi, si ab ipso fuerint requisiti, iuramentum fidelitatis praestent, salvis tamen in omnibus fidelitate ac iure Romanae ecclesiae.

1219, Aug. 30.

Hon. III Reg. Lib. IV, 555. Edimus hanc epistolam ex Rayn. Ann. eccl. a. 1219, § 24, suppletam tamen ex Ghilini, Annali di Alessandria p. 27.
Potthast, Reg. 6118.

Potestati et populo Alexandrino.

Devotionis vestre litteras paterna benignitate recepimus et earum tenorem perspeximus diligenter, fidelitatem vestram dignis in Domino laudibus commendantes, quod vos tanquam devoti et fideles ecclesie Romane filii committatis. Super eo igitur quod nostre voluntatis scire beneplacitum petiistis, utrum videlicet vos velimus cum aliis amicis vestris de Lombardia carissimo in Christo filio nostro Frederico illustri regi Sicilie in Romanorum imperatorem electo fidelitatis iuramentum prestare, si ab eo fueritis requisiti, vobis duximus presentibus intimandum, quod si alii cives Lombardie dicto regi fidelitatis prestiterint iuramenta, sustinemus ad presens pro pace vestra, ut si ab ipso fueritis requisiti, iuretis eidem, salvis tamen in omnibus fidelitate ac iure sacrosancte Romane ecclesie matris vestre.

Dat. Reate. III Kal. Septemb. pontificatus nostri anno quarto.

103.

Fridericus Romanorum rex omnibus in imperio et in regno Siciliae constitutis scribit, se Spoletanis et Narniensibus, qui contra summum pontificem erigere calcaneum attemptaverint, mandasse, ut eidem intendant; alioquin poni faceret eos in banno. Iniungit omnibus fidelibus suis, ut si iidem obedire neglexerint, tam personas quam res eorum capiant. *1219, Aug.—Sept.*[1]

Hon. III Reg. Vol. II, 138; Lib. IV, 593.
Ed. a Theiner, Cod. dipl. dom. temp. s. sed. I, p. 49, n. 70.

104.

Fridericus Romanorum rex Honorii III papae litteris per Alatrinum allatis respondet super quibusdam articulis, de quibus apud ecclesiam Romanam notabatur, et nuntiat se per has litteras universis notum esse velle, quod omnes concessiones suas et dona tam de ducatu Spoleti et terra comitissae Mathildis quam de sancti Petri patrimonio facta duxerit irritanda. *1219, Sept. 6.*

Hon. III Reg. Vol. II, 130, 131; Lib. IV, 572.
Ed. a Winkelmann, Act. Imp. ined. p. 145, n. 167.

1) *Pro corrupta nota chronologica huius epistolae:* apud Hagenowe XXVIII indict. *Theiner et Bohmer-Ficker, Reg. Imp. Frid. II, n. 1095* XXVIII Febr. VIII ind. *coniecerunt, quod cum in Reg. inter epistolas mensis Nov. a. 1219 haec legatur, minus probabile est; immo in curia Aug.—Sept. a. 1219 apud Hagenowe habita scripta esse videtur. Cf. Huillard-Bréholles, Hist. dipl. Frid. II, Tom. I, p. 675.*

105.

Fridericus Romanorum rex homines de Eboli et heredes eorum et terram ipsam Eboli cum omnibus iustis tenimentis et pertinentiis propter expertam eorum fidem in demanium suum et sub sua speciali protectione recipit et usus et consuetudines bonas iis confirmat. [1219, Sept.][1]

Alex. IV Reg. Vol. I, 29, 30; Lib. I, 221.
Ed. a Winkelmann, Act. Imp. ined. p. 117, n. 169.

106.

Honorius III papa [Friderico] Romanorum regi scribens conqueritur, quod in negotio Terrae Sanctae nimis tepidum se praebeat, cum iam bis dilationem arripiendi itineris postulaverit; tertium terminum sub poena excommunicationis festum sancti Benedicti [Mart. 21] praefigens regem adhortatur vehementer ad auxilium exercitui Christiano ferendum. 1219, Oct. 1.

Hon. III Reg. Vol. II. 172, 173. Lib. IV, 576. Pertzii exemplar supplevimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1219. § 9–10.
Potthast. Reg. 6129.

. . illustri regi Sicilie in Romanorum imperatorem electo.

Litteris excellentie regie consueta benignitate receptis, exultavit animus noster in Domino, quod accessit ad patris desiderium filius, dum et recepta beneficia recognoscis, et retributionis te non denegas debitorem. Porro satis prudenter potes advertere, de quo et quali affectu processerit, quod expetivimus et expectavimus excusationes probabiles, quibus quedam, que aliquid note videbantur habere ac quibusdam se ingerebant opinionibus hominum et[a] coniecturis, caute refelleres, contrarium per apertas et autenticas litteras deducens in notitiam plurimorum. Licet autem apud nos pro magnificentia tua sincera peroret dilectio et promptis affectibus instruat causam tuam, expedit tamen, ut non solum nos set etiam alii per actus tuos intelligant et cognoscant, quod memor es uberum, que tibi pia mater porrexit ecclesia, et memor es dextere, quam Romanus pontifex tamquam pater sollicitus et patenter et potenter in Domino ad auxilium tue promotionis extendit. Verumptamen quiddam est, quod multorum detractionibus videtur expositum et quod[b] ad aliquos non de facili se excusationibus applicat, videlicet quod ad Terre Sancte subsidium promptiorem et maiorem non exhibes apparatum. Ecce, fili carissime, quod ad hoc tibi duo prefixi sunt termini sed elapsi, quod adhuc commodum reportarunt? Quas naves, quas galeas ad transfretandum regia fecit sollicitudo parari? Que vasa usui transfretationis accommoda de sumptibus tuis vel mare recepit vel littus agnovit? Esto, carissime, quod transitus tuus impedimentis aliquibus hactenus fuerit retardatus: clarere tamen deberet magnus in apparatibus magnis affectus, ut opus, quantum illud possibilitatis effectus extenderet, esset efficax prompte voluntatis interpres. Et quidem in talibus vellemus esse te preducem potius quam sequacem, et non solum repetitioni dilationis non nimis insistere sed petentibus fortiter obviare. Verum propter impedimenta, que ad excusationem tua pagina continebat, honori tuo, quantum in Domino possumus, providere volentes,

a) et *deest in R.* b) quo *R.*

1) *Nota chronologica huius epistolae corrupta est; Bohmer-Ficker, Reg. Imp. Frid. II, n. 969 eam Dec. a. 1218 scriptam putat.*

dilationem tibi concedimus postulatam, festum beati Benedicti proximo futurum terminum prefigentes, quo ad Terre Sancte succursum iter arripias, prosecuturus, quantum sufficientia possibilitatis affuerit, votum tuum. Interim vero non dormias, ne in termino iam tertio laqueum, quod absit, excommunicationis incurras. Excita temetipsum et alios vigilare compelle, ut medio tempore paratis iis que desiderantur ad talia, terra, Deut. 32, 9 que funiculus est hereditatis Dominice, fructuosum sentiat tue magnitudinis quem diu desideravit et expectavit adventum. Festina, festina, expectate diutius, quoniam dum est in promotione negocium, minori consummatur auxilio et facilius perficitur in profectu. Festina, rex egregie, ad summi regis obsequium, ut non videaris omnino post terga relictus, sed tanto ferventiori affectione ac evidentiori utilitate procedas, quanto de maiori mora et minori sollicitudine quorundam iudicio notari videris. Festina, si forte Dominus tanti consummationem negocii tue glorie reservavit, ut in dextera tua perficiat multorum manibus inchoatum. Certe clare memorie avus tuus Fredericus ad id se viribus totis accinxit, et quis scit, si et tu Fredericus, nepos ipsius, illius memoriam non solum presentibus renovabis in nomine, sed etiam ad posteros prorogabis in opere, si quod ille ferventer in affectu assumpserat, tu salubriter produxeris ad effectum. Nihil ergo in tanto negocio vel tu ipse omittas, vel a tuis, quantum in te fuerit, patiaris omitti, quoniam cum tibi robur etatis sufficiat et potentie virtus abundet, si forte, quod absit, tam favorabilem causam neglexeris, quanto maiora de manu Domini recepisti, tanto id a te maioris exactionis periculo requiretur. Illud autem latere te nolumus, quod cum redeuntibus multis brevis sit, sicut accepimus, exercitus Christianus, nisi succursum habuerit in proximo passagio Martii, grande, quod Deus avertat, posset eis imminere discrimen. Unde non impedias set procures, ut sic aliqui medio tempore preparentur, quod in eodem passagio transeant, quatinus et reparetur robur exercitus et restauretur numerus bellatorum, et sic facilius et efficacius sub spe divine clementie prosequaris incepta, quam si quasi a capite oporteret te resumere sub dubio forsan eventu tam grande negotium, quod usque nunc satis prosperum habuit Domino dirigente processum.

Dat. Reate. Kal. Octob. anno quarto.

107.

Honorius III papa universis archiepiscopis, episcopis et Christi fidelibus per Teutoniam constitutis mandat, ut denuntient excommunicatos omnes non solventes usque ad festum sancti Benedicti proximum [Mart. 21] votum ultramarinum.

1219, Oct. 1.

Hon. III Reg. Vol. II, 133; Lib. IV, 577.
Potthast, Reg. 6130.

Universis archiepiscopis, episcopis et Christi fidelibus per Teutoniam constitutis.

De secreto patris in publicum egressus ad servos rex filius ad ima descendit, ut Rom. 6, 5 subditis ad summa pararet ascensum, sub texta nostre mortalitatis figulus in terris visus et cum hominibus conversatus. Qui tandem ut nostre servitutis cirographum suo sanguine cancellaret et temporali morte legem mortis aboleret eterne, non declinavit obprobria, non se subtraxit iniuriis, set cruci se obtulit et cruciatibus ultro dedit. Sane ad Christi mensam invitati Christicole, si considerare velint apposita, ut et ipsi similia preparent, ad crucis obsequium non tantum iam crucesignati set et alii se

accingent. Porro dolentes referimus, quod nonnulli de imperio, non tam minores quam maiores, faciem quam in Ierusalem direxisse videntur, creduntur convertisse post tergum, cum nec prosecuti sint votum emissum nec prosecutionis exhibuerint hactenus apparatum. Unde nos eorum saluti et Terre Sancte subsidio providere volentes, eis certum terminum duximus prefigendum quo inciperent reddere Domino vota sua. Set nec in illo nec in alio, quem adiecimus, paucis exceptis, peregrinationis debitum exolvere promisse, quin immo nec votive solutionis inditia pretenderunt. Unde in excommunicationis incidere sententiam, quam in tales iuxta generalis statuta concilii iussimus promulgari. Quid autem hii a suis inferioribus gratuitum exigent qui maiori et factori suo sponte oblata et omnino iam debita non exolvunt? Quia vero multotiens multa bona prestantur invitis et salubrem habet coactor quandoque profectum, cum excommunicationis sententia medicinalis existat, presentium vobis auctoritate mandamus, quatinus denuntietis generaliter tales excommunicationis vinculo subiacere, illis exceptis quos iustum impedimentum evidenter excusat. Verum quia non vinculum set solutionem querimus animarum, pia deliberatione providimus, ut si qui ex talibus beneficium absolutionis petierint, per vos recepto iuramento de stando mandatis ecclesie absolvantur, quibus iniungi volumus sub debito prestiti iuramenti, ut in festo beati Benedicti proximo futuro, vel ante qui voluerint, nisi iusto et evidenti fuerint impedimento detenti, iter arripiant in subsidium Terre Sancte, ac prout Dominus dederit prosequantur. Illud autem nolumus et vos crucesignatos latere, quod, sicut accepimus, nisi in passagio Martii aliqui transeant ad succursum exercitus Christiani, grave, quod Deus avertat, posset eis imminere discrimen, nec esset facile quasi a capite sub dubio forsan eventu resumere tantum negotium, quod usque nunc prosperum habuit Domino dirigente processum.

Dat. Reate, Kal. Octob. anno quarto.

108.

Fridericus Romanorum rex Honorio III papae scribit, se innovasse privilegium de regno Siciliae filio suo resignando, licet speret, quod in vita sua de benignitate pontificis hoc regnum habiturus sit. Notum facit, quid in curia apud Nuremberch et in alia Augustae celebrata egerit de negotio Terrae Sanctae, addens se ad eum et populum Romanum [Canonem] Fuldensem abbatem mittere, qui et ei devotionem suam exponat et cives moneat, ut erga Romanam ecclesiam se cum omni reverentia gerant. *1220, Febr. 19.*

Hon. III Reg. Vol. II, 167, 168; Lib. IV, 682.
Ed. a Winkelmann, Act. Imp. ined. p. 150, n. 173.

109.

Fridericus Romanorum rex Honorium III papam rogat, ut Firmanos cogat ad quaedam ablata mercatoribus Bononiensibus restituenda, seque excusat, quod Firmanis tanquam civitati imperii mandata direxerit et bannum comminatus sit, dum ea fecerit nesciendo quod ista civitas esset de marchia Anconitana et sic de iure Romanae ecclesiae. *1220, Febr. 29.*

Hon. III Reg. Vol. II, 171, 172; Lib. IV, 699.
Ed. a Theiner, Cod. dipl. dom. temp. s. sed. I. p. 49, n. 71.

110.

Honorius III papa Henrico regi Siciliae significat, se eius personam et regnum sub sua protectione suscipere. *1220, Mart. 16.*

Hon. III Reg. Vol. II. 172; Lib. IV, 700.

Henrico illustri regi Sicilie.

Licet omni tempore te sicut carissimum ecclesie Romane filium et fidelem apostolica dextera protegere ac defensare velimus, hoc tamen tempore specialiter, quo karissimus in Christo filius noster F. illustris rex Sicilie in Romanorum imperatorem electus, genitor tuus, ad transfretandum magnifice se accingit pro dilatanda favente Domino gloria nominis Christiani, habundantiorem de te curam gerere nos oportet, ut idem rex eo ylarius et securius prosequatur suum gloriosum et salubre propositum, quo sentiet te apostolici favoris protectione munitum. Hinc est, quod personam tuam et regnum Sicilie cum omnibus iuribus et pertinentiis suis sub beati Petri et nostra protectione ac defensione suscipimus, et presentis scripti patrocinio communimus, districtius inhibentes ne quis interim personam tuam aut regnum tuum seu aliqua iura tua molestare, minuere, aut quomodolibet perturbare presumat. Nulli ergo etc. nostre protectionis, defensionis ac inhibitionis infringere. Si quis autem etc.

Dat. Viterbii, XVII Kal. April. pontificatus nostri anno quarto.

111.

Honorius III papa [Eberhardo II] Salisburgensi archiepiscopo et [Rudigero] Chiemensi episcopo et [Wernhero] abbati Sanctae Crucis mandat, ut ad confinia regni Bohemiae accedentes partes suas interponant ad reformandam concordiam inter [Andream] Pragensem episcopum ex parte una et [Otakarum] regem et barones Bohemiae ex altera. *1220, Mart. 20.*

Hon. III Reg. Vol. II, 166; Lib. IV, 678. Pertzii exemplar supplevimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1220, § 34 et 35.

Potthast, Reg. 6215.

. Salzeburgensi archiepiscopo et . . episcopo Kymensi et . . abbati Sancte Crucis Cisterciensis ordinis Pataviensis diocesis.

Post diutinam moram, quam venerabilis frater noster Pragensis episcopus apud apostolicam sedem traxit pro questione inter ipsum ex parte una et . . illustrem regem ac barones Boemie ex altera super decimis, iurisdictione ecclesiastica, ecclesiarum immunitate ac nonnullis aliis ad ecclesiasticam pertinentibus libertatem suborta, pro qua etiam ipse rex et barones excommunicationi et regnum eius subiacent interdicto, tandem procuratoribus ipsius regis et baronum in nostra presentia constitutis utraque pars arbitrio nostro libere se commisit. Habito igitur cum fratribus nostris et cum ipsis partibus longo de compositione tractatu, ita quod partes ipse a forma sibi proposita in paucis articulis discordabant, ecce nobilis vir Dalebor maior iusticiarius, et Martinus pincerna ipsius regis, ac Marcuardus de Dechin et Divis de Prachen castellani, et Habra procurator nobilis viri B[enesonis] castellani de Budisin advenerunt ex parte dicti regis et sua, cum instantia postulantes, ut prefatum episcopum ad Viennam civi-

tatem nobilis viri . . ducis Austrie[1] mitteremus, ac affirmantes, quod rex et barones predicti, quos illuc venturos firmissime promictebant, presente dicto episcopo inducerentur facile ad concordiam, et ipsi ad hoc impenderent diligens studium et operam efficacem. Qui etiam firmarunt prestito iuramento, quod ipsi ad hoc directi hec de ipsorum regis et baronum mandato speciali dicebant, et quod ad pacem et concordiam fideliter laborarent, quodque custodirent personam episcopi sicut suas, tam deducendo eum ad civitatem predictam quam ad nostram presentiam reducendo, si forte non posset concordia provenire. Nos igitur acquiescentes precibus et instantie nobilium predictorum episcopum ipsum ad civitatem iamdictam duximus transmittendum, ut huiusmodi controversia finem dante Domino sortiatur. Ideoque per apostolica vobis scripta mandamus, quatinus ad locum ipsum vel propius, si necesse fuerit, ad regni confinium personaliter accedentes et commonentes ipsum regem, cui super hoc scribimus, ut et ipse iuxta promissionem dictorum nobilium cum aliquot de baronibus a ceteris, tam baronibus quam nobilibus Boemie, mandatum habentibus ad locum accedat eundem, interponatis prudenter et sollicite partes vestras ad reformandam concordiam inter eos; quae si studio vestro mediante provenerit, eadem sufficienti et idonea cautione firmata, prefatas excommunicationis et interdicti sententias relaxetis. Alioquin episcopum ipsum ad nos reduci iuxta promissum nobilium predictorum incolumem facientes, easdem sententias precipiatis usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Quod si non omnes etc.

Dat. Viterbii, XIII Kal. April. pontificatus nostri anno quarto.

112.

Honorius III papa F[riderico] Romanorum regi processus terminum non sine multa querela ad Kalendas Maii proximas prorogat, hortaturque illum, ut tandem se Christi athletam et Terrae Sanctae defensorem ostendat. *1220, Mart. — April.*

Hon. III Reg. Vol II, 169, 170; Lib. IV, 691.
Potthast, Reg. 6216.

F. illustri regi Sicilie in Romanorum imperatorem electo.

Sinceris, fili karissime, fulgebat affectibus, et ferventis animi desiderium exponebat pagina, quam misisti, devotione plena, humilitate non vacua; que dum perceptorum beneficiorum memoriam replicat et offert ad gratiarum vicissitudinem apparatum, habet mater ecclesia in tali ac tanto filio, ut gaudeat de collatis, habet etiam providere, ut et in conferendis de adiectionis plenitudine nil omittat. Benedictus, benedictus Dominus, Gen. 9,26. per quem reges regnant et in regno hominum dominantur, quia, sicut firma spe Prov. 8,15. creditur et probabili presumptione tenetur, ecclesie sue providit in filio, qui dum lac teneris annis exhibitum et cibum solidum in etate maiori perceptum plenis labiis et scriptis autenticis recognoscit, dulcior ac suavior redditur sollicitudinis labor in fructu. Hec itaque faciat Dominus et hec addat, ut quod super hiis salubriter inspiravit, salubrius prosequendo saluberrime ipse perficiat, quatinus continuata devotio sic uniat finem principio, quod toto tempore vite tue totus dicaris ecclesie, totus Dei. O quantum desideramus te in conspectu Altissimi, o quantum in oculis hominum, ut apud illum conscientia quicquid est integritatis observet, et apud istos fama nichil notabilis

1) *Liupoldi VI dicti Gloriosi.*

expositionis incurrat. Porro qui satis diligit, satis timet. Unde non mirum, si de retardato processu tuo in subsidium Terre Sancte tibi timeamus et nobis: tibi, ne per totiens repetite dilationis instantiam offensam, quod absit, potentissimi regis incurreris, nobis, ne facilitate prorogationum huiusmodi causam illius summi pontificis, qui pro Hebr. 10.12 salute populi in ara crucis se ipsum obtulit hostiam Deo patri, videamur negligentie reliquisse. Verum adhuc instas, ut adiciatur quarta dilatio, et non attendis, quod citatus tribus edictis, si ad iudicium venire contempnit, potest contumacie reprehendi. Set scimus quod ad purgationem more nonnullas causas excusationis allegas, scimus etiam quod non sic eas interpretantur emuli ut amici. Nos autem, ne tam cari filii famam exponere videamur contemptui, usque ad Kalendas Maii proximas tui processus terminum prorogamus, sperantes quod excellentia regia sic potenter aggredietur, sic expedite[a] prosequetur negotium Iesu Christi, quod totiens indulta dilatio, que hactenus visa est subiacere calumpnie, quasi excogitate ascribi prudentie ac utcumque assumi poterit ad cautelam. Sane considera, considera, cuius sit causa que geritur, quia Christi; cuius comodum, quia prosequentium ipsam; cuius gloria, quia totius populi Christiani; et negligis esse prosecutor cause Dei, procurator commodi tui et Christianitatis athleta? Et quidem ad ista te Dominus beneficiis allicit, miraculis provocat, et exemplis informat: beneficiis allicit, quia tam depressum aliquando sic tandem erexit in altum; miraculis provocat, quia de Damiata munitissima civitate plene desiderium pusilli exercitus Christiani, spe iam debilitata, perfecit: informat exemplis, quia non solum nobiles et potentes, set etiam pauperes et debiles hoc salubre negotium sunt aggressi. Quapropter diligenter avertat rex tam grandis et nobilis, tam potens et fortis, quod in hiis eo minus excusationis competere poterit, quo plus videtur suppetere facultatis. Exurgat igitur excellentia regia, exurgat princeps egregius, quoniam, ut speramus, paratus est Dominus grandem offerre triumphum, qui multam iam attulit de paucorum labore coronam. Accingere, accingere gladio circa femur, potentissime principum terrenorum, accingere in humilitate potens, accingere in potentia humilis, ut non in brachio[b] tuo confisus, de manu Altissimi suscipias in tanti consumatione negotii gloriam, que speratur. Ceterum licet prorogatus sit terminus, tu nichilominus interim prudenter et patenter, prout poteris, iter arripias, quoniam non solum prosecutio itineris, set etiam prosecutionis fama preambula multos sollicitabit ad iter, multos premittet in subsidium Terre Sancte, per quos dante Domino et nostri reparabitur robur exercitus et partes concutientur adverse. Alias quoque petitiones nobis ex parte tua porrectas curavimus exaudire benigne, sicut littere nostre super hiis facte te plenius edocebunt.

113.

Parendus, urbis Romae senator, nomine totius populi Romani Friderico Romanorum regi scribit, quantum ex insinuatione [Cunonis] abbatis Fuldensis legati eius gaudium susceperit, quod ipse in proximo sit Romam venturus ad recipiendum imperiale diadema; gratias agit de bona voluntate, quam erga Romanos ostendit; addit insuper se et illos, circa Romanam ecclesiam obedientiae filios, si quid discordiae emerserit, ad eam sedandam propensius enixuros, ut coronationis solemnitas in Urbe per summum pontificem quiete peragatur. *1220, Mart. — April.*

Hon. III Reg. Lib. IV, 693.
Ed. a Pertz. Mon. Germ. LL. t. II, p. 241.

a) expedire *R.* b) bachio *R.*

114.

Fridericus Romanorum rex Honorio III papae respondet super eius intercessione pro comite Raynerio: cum iste se et terram suam multipliciter persecutus, nec usurpatis territoriis contentus sanguinem suum sitierit, quando in Teutoniam sine salvo conductu venerit, incarcerari se eum fecisse; et cum etiam idem comes et propinqui eius de Tuscia hostiles apparatus contra Siciliam intendant, se in regnum suum mandasse capi omnes, quos missos illuc per terram seu per mare taliter inveniant. Ceterum propter papales preces pollicetur se comitem, postquam terram, quam teneat in Sicilia, sibi totaliter fecerit resignari, in potestatem Romanae ecclesiae liberum assignaturum esse.

1220, April. 7.

Hon. III Reg. Vol. II, 185; Lib. IV, 746.
Ed. a Winkelmann, Act. Imp. ined. p. 153, n. 176.

115.

Honorius III papa Ulrico praeposito eiusque canonicis petentibus ecclesiam sancti Nicolai Pataviensis sub sua protectione suscipit eiusque possessiones et bona, iura et privilegia confirmat. *1220. April. 9.*

Hon. III Reg. Vol. II, 170, 171; Lib. IV, 697.
Potthast, Reg. 6222

Ulrico preposito ecclesie sancti Nicholai Pataviensis eiusque fratribus, tam presentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum.

Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse presidium. etc. usque: religionis infringat. Eapropter etc. usque: annuimus et prefatam ecclesiam sancti Nicolai Pataviensis. in qua divino mancipati estis obsequio. sub beati Petri et nostra protectione etc. usque: privilegio communimus: in primis siquidem statuentes, ut ordo canonicus. qui secundum Deum et beati Augustini regulam in eadem ecclesia institutus esse dinoscitur. perpetuis etc. usque: observetur. Preterea quascumque possessiones, quecumque bona eadem ecclesia etc. usque: illibata permaneant. In quibus hec etc. usque: vocabulis: locum ipsum etc. usque: pertinentiis suis; ecclesiam de Alburch, de Eithinbach, de Hartchirchen, de Grizchirchen, de Munechruth et de Widemspach ecclesias cum omnibus pertinentiis suis; capellam sancte Marie Magdalene in Insula, sancti Iacobi in Burgo Pataviensi, de Owinchirchen, de Euchindorf, et sancte Marie in Anaso capellas cum pertinentiis suis; decimas, quas habetis in Eithinbach, in Hartchirchen, in Grizchirchen, in Munecruth, in Widemspach, in Owinchirchen, in Dorna, in Sebach, in Wachenwis, in Hutharn, in Chelepere, in Hirsheim, in Heimmingen, in Alburch, in Allenchoven, in Ebirswanc, in Schiltharn, in Aspach, in Wechilstorf, in Rusthe, in Izendorf, in Hohinwarth et in Buchriche. Preterea in suburbio civitatis Pataviensis undecim domata, fundum, quem habetis inter Danubium et Enum, duas curtes Senfehlingen et Numhoven, dimidium mansum ad Tanthobil, quatuor mansos Holzheim, unum mansum Heginbach, in Probestruth, in Pachmul, in Saumingen, in Hasinprul mansos et dimidium mansum in Peutrha. Unam curtem in Windeberch, quatuor curtes in Halburch, et in Gehei, in Engilmarsperge, in Sprinzenperge, in Peringen, in Euchindorf, in Betzrichstorf, in Dorna,

in Abstorf, in Altheim, in Owinchirchen, in Loche, in Erkerstorf, in Pinzheim, in Schalcheim, in Ruspach, in Grizchirchen, in Monte, in Tegernpach, in Wasin, in Ascha, in Xuemmareth, in Allenchoven, in Eusthin, in Hartheim, in Busingen, in Lintheim, in Mutharne, in Ruith, in Rusthe, in Izendorf, in Hohinward, in Burgerwis, in Stregin, et in Numbuch curtes et curias in quibus decime colliguntur. Tres mansos in Avechingen, in Dorna, in Seonenburch, in Aha, in Huckinchoven, in Hauspach, in Walde, in Harde, in Ruthe, in Liumptingen, in Chaltimbach, in Walgsingen, in Bulzenperch, et in Reginhalmingen mansos; septem mansos in Ruith, tres mansos in Gerchwis et tres carratas cervisie, tres mansos in Chufarne, in Bercheim, in Leimeharth, et in Richerstorf sex mansos; quatuor mansos in Straze; dimidium mansum in Euchindorf, in Doma, in Einhartstorf, in Vilshovine, in Winchlarn, in Studhe, in Eimlingen, in Thunheim, in Hartheim, in Busingen, in Lumptingen, in Bruhl, in Beringen, in Bochingen, in Winchil, et in Abstorf dimidios mansos. Villam in Enzurwis, in Wachinwis, in Sunbach, in Burcharthingen, in Ninlingen, et in Munechruth villas. Predia de Vilsa, in Rotha, in Prienpach, in Schalcheim, in Grizchirchen, in Eshetunowe, in Allenchoven, in Grindorf, in Friendorf, in Rusth, et in Fuchingen predia. Molendinum in Enzenwis, in Einhartstorf, in Bechingen, in Abstorf, in Priempach, in Chaltempach, et Patavie molendina. Redditus salis in Halle. Vineas in Grizchirchen, in Ascha, in Ibesburch, in Wachowe, in Huntesheim, in Friendorf, in Chrems, et in Mutharne vineas cum areis, domibus, pratis, pascuis, piscationibus, nemoribus et omnibus aliis utilitatibus suis. Liceat quoque vobis clericos vel laicos etc. usque: aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in ecclesia vestra professionem fas sit absque prepositi sui licentia, nisi artioris religionis obtentu, de eodem loco discedere, discedentem vero etc. usque: audeat retinere; illud districtius inhibentes, ne terras seu quodlibet beneficium ecclesie vestre collatum liceat alicui personaliter dari etc. usque: irritas esse censemus. Sepulturam quoque ipsius loci etc. usque: nullus obsistat, salva tamen iustitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero te nunc eiusdem loci preposito etc. usque: providerint eligendum. Paci quoque et tranquillitati vestre etc. usque: seu violentiam audeat exercere. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatam ecclesiam temere perturbare etc. usque: omnimodis profutura, salva sedis apostolice auctoritate et diocesani episcopi canonica iustitia. Si qua igitur in futurum etc. usque: districte ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco etc. usque: inveniant. Amen.

Dat. Viterbii per manum Willielmi sancte Romane ecclesie vicecancellarii, V Idus April. indict. VIII[a], incarnationis Dominice anno M° CC° XX°, pontificatus vero domni Honorii pape III anno quarto.

116.

Honorius III papa [Friderico] Romanorum regi respondet, se [Cunonem] abbatem Fuldensem, eius nuntium, recepisse et paratum esse diadema imperiale ei imponere, cum id exposcat et Terrae Sanctae succursus et conservatio ecclesiasticae libertatis, quae invalescentibus haeresibus plus solito conculcetur; legatum insuper ad Teutoniae partes destinare promittit. *1220, April. 10.*

Hon. III Reg. Vol. II, 170; Lib. IV, 695.
Potthast, Reg. 6224.

. . illustri regi Sicilie in Romanorum imperatorem electo.

Venientem ad presentiam nostram dilectum filium . . abbatem Fuldensem, nuntium tuum, virum providum et fidelem, consueta benignitate recepimus, et tam ea que super negotiis tuis nobis proposuit viva voce, quam ea que tue misse nobis per eundem littere continebant, intelleximus diligenter. Habito igitur super hiis, sicut decuit, cum fratribus nostris diligenti colloquio et tractatu, serenitati tue deliberato consilio respondemus, quod inter desideria cordis nostri quasi primum et precipuum est, ut tue sublimationis feliciter inchoata promotio felicius confirmetur, cum id exposcat et Terre Sancte succursus et conservatio ecclesiastice libertatis, que invalescentibus in plerisque locis heresibus plus solito conculcatur, et generaliter totius fere orbis tranquillitas, que insurgentibus ubique discordiis quasi quibusdam quatitur fluctibus tempestatum. Deo itaque gratias referentes super eo quod prava in directa (Es. 40,4.) et aspera convertens in plana, veniendi ad suscipiendum de more imperii diadema oportunitatem tibi tribuit a nobis diutius exoptatam, excellentie tue significatione presentium declaramus, quod licet predecessores tui pro tanto negotio archiepiscopos et episcopos ac alios ecclesiasticos et seculares principes consueverunt ad sedem apostolicam destinare, nos tamen et fratres nostri, excluso cuiuslibet occasionis et difficultatis obstaculo, parati et voluntarii sumus eam tibi honorificentiam promptis animis exhibere, quam a predecessoribus nostris tui consueverunt recipere decessores. Legatum quoque ad Teutonie partes iuxta petitionem regiam curabimus destinare, per cuius sollicitudinem et prudentiam status terre favente Domino in pace ac tranquillitate servetur. Verum quia cum hec scripsimus, de persona mittenda non deliberaveramus ad plenum, tu, non expectato eius adventu, si forte iter eius aliqua contingeret occasione differri, nichilominus iter arripias celerius veniendi, ne tempus tuo adventu oportunum sub expectatione huiusmodi dilabatur.

Dat. Viterbii, IIII Idus April. pontificatus nostri anno quarto.

117.

Honorius III papa Conrado [de Marburg] iniungit, ut crucesignatos ad celerem Terrae Sanctae succursum compellat, F[ridericum] Romanorum regem sollicite inducendo, ut si ipse nunc transfretare nequiverit, eos ulterius non detineat.

1220, April.—Iun.

Hon. III Reg. Vol. II, 181: Lib. IV, 744.
Potthast, Reg. 6244.

Magistro Conrado, scolastico Maguntino, capellano et penitentiario nostro.

Experti tue probitatis industriam et fidei puritatem, ac per hoc indubitatam de te fiduciam obtinentes, te ad partes Teutonie duximus destinandum, ut Terre Sancte succursum secundum datam tibi a Deo prudentiam studeas efficaciter procurare. Tuam ergo sollicitamus prudentiam, auctoritate tibi presentium iniungentes, quatinus litteras generales, quas pro eodem negotio destinamus, exponens per totam Teutoniam Christi fidelibus diligenter, ipsos ad celerem dicte terre succursum sedulo exhorteris, et auctoritate nostra iniungas eis, per quos nuper in partibus illis predicari mandavimus verbum crucis, ac aliis, prout videris expedire, ut id ipsum sollicite ac fideliter exequantur, cum velimus, ut tibi tam a predicatoribus ipsis quam aliis in omnibus, que hoc con-

tingunt negotium, intendatur humiliter ac devote. Illos vero qui iam sunt crucis caractere insigniti, ut votum suum in instanti passagio exequantur monens efficaciter et inducens, eos qui monitis acquiescere non curaverint, ad id per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas, karissimum in Christo filium nostrum F. illustrem regem Sicilie in Romanorum imperatorem electum, cui super hoc scribimus, sollicite inducendo, ut et ipse in eodem passagio iuxta promissionem suam studeat transfretare. Quod si facere forte nequiverit, crucesignatos ipsos ulterius non detineat, set data eis licentia reddendi Domino vota sua, in exercitus Christiani succursum libere transire permittat. Illud autem sollicite caveas, ne quis, quantumlibet pauper, a voto crucis ullatenus absolvatur, cum et pauperes plurimum sint necessarii negotio Terre Sancte.

Dat.

118.

Honorius III papa F[ridericum] Romanorum regem attentius adhortatur, ut una cum crucesignatis Teutoniae instanti passagio studeat transfretare; quod si forte non possit, crucesignatos ipsos ulterius non detineat. *1220, April.—Iun.*

Hon. III Reg. Vol. II, 184, 185; Lib. IV, 745.
Potthast, Reg. Add. I, 6244a—26053.

F. illustri regi Sicilie in Romanorum imperatorem electo.

Ecce Dominus exercitus sui longam afflictionem respiciens, in eorum manibus tam mirabiliter quam misericorditer tradidit Damiatam. Ecce nunc oportet eidem exercitui succurrere festinanter, quia cum nequaquam sufficiat, et predictam incolere civitatem et procedere ad alias expugnandas, sine quibus illa teneri a Christianis non potest, cum sita sit quasi in medio paganismi, non restat, sicut legatus[1] et magnates alii de exercitu suis nobis litteris intimarunt, nisi aut eam cum tanta gloria acquisitam ignominiose deserere, aut circumstantes expugnare viriliter et Christiano nomini divino preeunte auxilio feliciter subiugare. Videat igitur regia circumspectio, quam necessaria ibi sit fidelium multitudo, quantumque possit afferre dispendium, si ulterius detinueris ad eorum succursum paratam multitudinem signatorum. Rogamus itaque tue celsitudinis providentiam et in Domino attentius exhortamur, quatinus una cum crucesignatis Teutonie instanti passagio iuxta promissionem tuam studeas transfretare. Quod si forte non potes, crucesignatos ipsos ulterius non detineas, set data eis licentia reddendi Domino vota sua, illos ad exercitus predicti succursum libere transire permittas, sciens nos dilecto filio magistro Conrado, scolastico Maguntino, capellano et penitentiario nostro, tam viva voce quam litteris iniunxisse, ut eos ad vota sua in ipso passagio exequenda per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellat.

Dat.

119.

Honorius III papa Alatrino subdiacono mandat, ut terram comitissae Mathildis, quam F[ridericus] Romanorum rex resignare intendat, de manibus [Conradi] Metensis episcopi imperialis aulae cancellarii recipiat. *1220, Iun. 12.*

Hon. III Reg. Vol. II, 191, 192; Lib. IV, 779.
Potthast, Reg. 6270.

1) *Pelagius episcopus Albanensis.*

Alatrino subdiacono et capellano nostro.

Per tuas nobis litteras intimasti, karissimum in Christo filium nostrum F. illustrem regem Sicilie in Romanorum imperatorem electum venerabili fratri nostro . . Metensi episcopo, imperialis aule cancellario, iniunxisse, ut tibi terram clare memorie comitisse Matildis faciat resignari. Cum igitur cum ipso cancellario venias, sicut eisdem nobis litteris intimasti, presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus nomine nostro recipias terram ipsam eamque personis ecclesiasticis committas ecclesie Romane fidelibus et devotis, Romane ecclesie nomine conservandam, donec super dispositione ipsius mandatum nostrum receperint speciale, ac deinde ad presentiam nostram dilatione postposita revertaris. Quod si forte contingeret te huiusmodi occasione moram trahere longiorem, ea que ante regis adventum ad notitiam nostram expedit pervenire, nobis secreto significes per presentium portitorem.

Dat. apud Urbemveterem, II Idus Iunii, anno quarto.

120.

Honorius III papa [Sifrido II] archiepiscopo Maguntino mandat, ut F[ridericum] Romanorum regem moneat ad Raynerium comitem iuxta promissionem factam libertati restituendum. *1220, Iun. 20.*

Hon. III Reg. Vol. II, 192; Lib. IV, 781.
Potthast. Reg. 6275.

. . archiepiscopo Maguntino.

Obloquentibus olim multis de eo, quod karissimus in Christo filius noster F. illustris rex Sicilie in Romanorum imperatorem electus ceperat nobilem virum comitem Raynerium ad presentiam eius fiducialiter accedentem, ipsi regi super hoc scripta nostra direximus, qualia honori eius et fame vidimus expedire. Ipse vero nobis humili devotione ac devota humilitate rescripsit, quod restituta sibi terra sua, que dicti comitis nomine tenebatur, ipsum in manibus nostris libere resignaret. Cum igitur terra eadem nuntiis dicti regis sit plenarie, sicut accepimus, restituta, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus eundem regem ex parte nostra moneas diligenter et prudenter inducas, ut iuxta promissionem suam libertati restituat comitem memoratum, ut quibus captio eius occasionem tribuit obloquendi, libera et liberalis eiusdem dimissio materiam tribuat commendandi, nosque cognoscentes devotionem regiam in effectu, dignas ei grates reddere teneamur, et dictus comes ac sui, qui magni et potentes esse noscuntur, tanto fortius ad regia provocentur obsequia, quanto regalem clementiam erga se senserint proniorem. Hoc autem mandatum nostrum diligenter et sine dilatione studeas adimplere.

Dat. apud Urbemveterem, XII Kal. Iulii, pontificatus nostri anno quarto.

In eundem modum scriptum est nobili viro . . duci Austrie[1].

In eundem modum scriptum est . . episcopo Argentinensi[2].

1) *Liupoldo VI.* 2) *Henrico II.*

121.

Honorius III papa [Liupoldo] duci Austriae mandat, ut F[ridericum] Romanorum regem moneat, ut iuxta promissionem suam libertati restituat comitem Raynerium et restitui faciat eius familiam, prout a magistro Ph[ilippo] de Matera notario regio iuratum sit. *1220, Iul. 2.*

Hon. III Reg. Vol. II, 196; Lib. IV, 796.
Potthast, Reg. 6288.

Nobili viro . . duci Austrie.

Obloquentibus olim multis de eo, quod karissimus in Christo filius noster F. illustris rex Sicilie in Romanorum imperatorem electus ceperat nobilem virum comitem Raynerium ad presentiam eius fiducialiter accedentem, ipsi regi super hoc scripta nostra direximus, qualia honori eius et fame vidimus expedire. Ipse vero nobis humili devotione ac devota humilitate rescripsit, quod restituta sibi terra sua, que dicti comitis nomine tenebatur, ipsum in manibus nostris libere resignaret. Ad hec cum magister Ph[ilippus] de Matera, regius notarius, pro terra ipsa exigenda transmissus ad nostram presentiam accessisset, nos cum cognatis dicti nobilis ita fecimus, quod pro ea resignanda suos nuntios direxerunt, [prefato magistro][a] in nostra et fratrum nostrorum multorumque aliorum presentia iurante in animam dicti regis, quod postquam terra sepedicta restituta fuisset, fratres, familiam et omnes socios iamdicti comitis ad presentiam nostram duci faceret salvos et incolumes cum omnibus bonis suis. Nunc autem accepimus, quod cum terra sit libere restituta, illi non sine multorum oblocutionibus detinentur, quod est omnino indecens et indignum. Ideoque nobilitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus eundem regem ex parte nostra moneas diligenter et prudenter inducas, ut iuxta promissionem suam libertati restituat comitem supradictum et restitui faciat prefatam ipsius familiam, prout in eius animam est iuratum, ut quibus captio eius et illorum detentio occasionem tribuit obloquendi, libera et liberalis eorum dimissio etc. ut supra litt. 781, usque: adimplere.

Dat. apud Urbemveterem, VI Non. Iulii, anno quarto.

Scriptum est super hoc in eundem modum . . archiepiscopo Maguntino[1].

In eundem modum scriptum est . . abbati Wldensi[2].

122.

Honorius III papa potestati et populo Tudertino sub poena mille marcarum iniungit, ut paci inter ipsos et Spoletanos apud Meraniam de ducatu Spoletano, ad demanium Romanae ecclesiae reverso, per Pandulfum legatum firmatae acquiescant. *1220, Iul. 11.*

Hon. III Reg. Vol. II, 210, 211; Lib. IV, 818.
Potthast, Reg. 6299.

[a] *haec verba vel similia desunt in R.*

1) *Sifrido II.* 2) *Cunoni abbati Fuldensi.*

. . potestati et populo Tudertino.

Cum sit nostra sollicitudo continua, diversa mundi climata speculari et vineam domini Sabaoth vallare aggeribus sepibusque munire, ne fructus eius exterminet serpens aut reptile venenatum, subito a remotis oculorum vertentes aciem ad propinqua, Ieremie ollam conspeximus accensam in patrimonio Iesu Christi, cui universe terre (Ier. 1,13.) malleus, qui semper circa conflatorium commoratur, ab aquilonis facie incendia mini- (Ier. 50,23) strabat. Habentes igitur viscera compassionis cum Paulo, quibus infirmitati et scandalo singulorum cogimur subvenire, duplici gladio Petri nos circa femur accinximus [a], obviantes olle pestifere, que flammas ignivomas emiserat per ecclesie Romane filios speciales, per quas in parte non modica in tantum iam draco prevaluerat devorando, ut sine difficultate maxima salutis et pacis sequi spes aliqua non [b] speraretur. Cum enim inter Spoletanos, Narnienses, Cocoionenses, et adiutores eorum ex parte una, Iterampnenses, Tudertinos, Fuliginates, et adiutores ipsorum ex altera, in tantum inimicitie succrevissent, ut post multorum stragem, angustias et pressuras, dampna rerum et personarum, que irreparabiliter passi fuerant et intulerant alternatim, multi miseri sub artissima custodia vinculis ferreis mancipati iam quasi de vite solatio desperarent, ad liberationem ipsorum non sine compassione materna patris animum induentes, apud Viterbium constituti dilectum filium magistrum Pandulfum subdiaconum et notarium nostrum ad partes illas duximus destinandum, cui ad liberationem captivorum et reformationem pacis plenarie commisimus vices nostras, addentes ut virga correctionis honeste auctoritate nostra corriperet insolentes. Ad patris vero imperium spiritum fortitudinis assumens filius, captivos quos apud Narniam, Sanctum Geminum, Iterampnem, Spoletum, Tudertum et Cocoionem invenit, non sine magnis laboribus et expensis cum summa diligentia liberavit. Fuliginates vero, quia multos ex Cocoionensibus captivos habebant, per quos credebant in ipso castro aliquid sibi quomodolibet vendicare — [c], quia tamen apud nos non est acceptio personarum, set nobis hoc solum sufficit, ut omnia recte fiant, dicto subdiacono nostris dedimus litteris in mandatis, ut si forsan excommunicationis penam contempnerent rebellionis spiritum assumentes, ipsos ad liberationem captivorum compelleret saltim gladio temporali. Qui cum fideles ecclesie per Ducatum et Tusciam constitutos iuxta mandatum nostrum ad exercitum adversus [d] excommunicatos et interdictos faciendum viriliter immutasset, paratus eorum superbiam in manu forti et brachio extento punire, ipsi tandem ad cor reversi, per manus predicti subdiaconi nostris et suis precise iuraverunt stare mandatis, et primo plegios quinque pro quingentis, secundo decem pro mille libris Lucensium sine pacto et aliqua conditione dederunt, sicut in instrumentis exinde confectis vidimus contineri. Liberatis tandem ad ipsius subdiaconi mandata captivis, et post iuramenta potestatis, iudicum, consiliariorum omnium civitatis eiusdem ac aliorum multorum, qui in excommunicationem inciderant, excommunicationis et interdicti sententiis relaxatis, et sic captivis omnibus pristine redditis libertati, apud Mevaniam potestatibus civitatum et castrorum fere omnium de Ducatu, quos ad suam presentiam advocarat, sub debito fidelitatis, quo ecclesie Romane tenentur, et pena mille librarum iniunxit, ut in octavis apostolorum Petri et Pauli [1] quelibet potestas cum tribus vel quatuor de communitate sua vicem omnium habentibus se apud Urbemveterem nostro conspectui presentaret, ac interim pax aut firma treugua servaretur hinc inde. Quibus ad prefixum terminum in nostra presentia constitutis, post tractatum diutinum tam super pace inter ipsos plenius reformanda quam super Ducato retinendo ad manus

a) accinsimus *R.* b) non *deest in R.* c) *deesse aliquid videtur.* d) adversus *deest in R.*

1) *i. e. die sexto mensis Iulii.*

nostras, quod et ipsi diligenti meditatione tractaverant cum subdiacono memorato, tandem Perusini, Alisini, Fuliginates, Nucerini, et Iterampnenses iuxta mandatum nostrum munitiones, castra, regalia, sicut ea unquam habuit et possedit aliquo tempore bone memorie dux Conradus, in nostris manibus libere resignarunt. Spoletani autem super hiis, que de Ducatus demanio tenere dicuntur, taliter responderunt, quod hoc nullatenus in[a] sui iuris preiudicio resignabant, maxime cum contra eos quondam dux Conradus, si ea possedit aliquando, possessor extiterit violentus; hoc tamen promiserunt[b] firmiter, quod se in nullo nostro nuntio vel rectori opponerent[c], qui possessionem rerum ipsarum nostra fretus auctoritate intraret. Hoc autem articulo ad honorem Romane ecclesie ac nostrum necnon et totius Ducatus, prout decuit, expedito, ad pacem et tranquillitatem ipsorum diligenti sollicitudine ac sollicita diligentia intendentes, a Tudertinis, Fuliginatibus et Iterampnensibus pro se ac adiutoribus suis ore proprio non sine cautela osculum pacis accepimus ad invicem firmius observande, quibus in presentia fratrum nostrorum et de ipsorum consilio firmam pacem de cetero hinc inde iniunximus observandam; et sic Ducatum et omnia alia, sicut ea possedit et habuit quondam dux Conradus, ad proprietatem et domanium Romane ecclesie reducentes, ius suum unicuique, cum locus et tempus fuerit proponendi coram nobis, duximus reservandum. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta sub debito fidelitatis et pena mille librarum districte iniungimus, quatinus supradicta omnia et vos ipsi firmiter observetis et ab aliis vestre ditioni subiectis, quantum in vobis fuerit, faciatis firmiter observari.

Dat. apud Urbemveterem, V Idus Iulii, pontificatus nostri anno quarto.

Potestati et populo Spoletano scriptum est in eundem modum.

In eundem modum omnibus per Tusciam et ducatum Spoletanum constitutis.

123.

Fridericus Romanorum rex Honorio III papae se excusando scribit, qualiter apud Frankenford, discordia inter [Sifridum] Maguntinum archiepiscopum et [Ludowicum] lantgravium Thuringiae ingruente, principes imperii ex insperato filium suum [Henricum] in regem Romanorum elegerint ad maiorem securitatem imperii; propter hoc se disposuisse C[onradum] episcopum Metensem ad eum mittere, qui quodam languore superveniente hucusque distulerit iter suum. Rogat, ne de unione imperii et regni aliquam molestam suspitionem sumat. Addit etiam, quomodo in expeditione sua fuerit retardatus, tum ex dissidio suo cum Egenone comite de Urach, germano C[onradi] episcopi Portuensis, apostolicae sedis legati, qui eundem a voto crucis penitus absolverit, quam ex matrimonio comitis Campaniae cum vidua ducis Lotharingiae inito. 1220, Iul. 13.

Hon. III Reg. Vol. III, 9, 10; Lib. V, 10.
Ed. a Winkelmann, Act. Imp. ined. p. 156, n. 180.

124.

Honorius III papa [Pelagio] Albanensi episcopo scribit, quot summas pecuniarum, per quos et a quibus exactas ei mittat pro succursu Terrae Sanctae, et eum hortatur, ne

a) nullatenus quod in *R.* b) promisit *R.* c) opponeret *R.*

deficiat in laboribus, cum F[ridericus] Romanorum rex circa festum beati Michaelis venire proposuerit coronandus, deinde auctore Domino transfretaturus. *1220, Iul. 24.*

Hon. III Reg. Vol. III, 1: Lib V, 1.
Potthast, Reg. 6310.

. . Albanensi episcopo, apostolice sedis legato.

A memoria tua non credimus excidisse, qualiter paulo post promotionem nostram de communi consilio fratrum nostrorum fuit maxime te suadente statutum, ut ad omnem suspitionem vitandam de vicesima vel redemptione votorum ad manus nostras nichil penitus deveniret, sed vicesima singularum diocesum vel provinciarum per viros idoneos, et maxime per locorum episcopos, si crucesignati essent, portaretur fideliter ultra mare, distribuenda de consilio eius, qui esset ibi legatus, presertim inter crucesignatos illarum diocesum, in quibus collecta fuisset. Postmodum autem multi magnates et potentes crucesignati dicentes, quod ad exequenda vota sua sibi non sufficiebant proprie facultates, obtinuerunt a nobis de consilio fratrum nostrorum vicesimam terre sue. Verum videntes, licet sero, quod sic vicesima minus utiliter tractaretur, ne Terra Sancta ipsius subventione frustraretur omnino, capellanos et alios familiares nostros ad diversas partes mundi transmisimus pro residuo vicesime colligendo, et quicquid unquam habere potuimus de vicesima vel redemptione votorum et de hiis, que nobis remanserunt in camera, tibi curavimus destinare. Nam ut taceamus, quod decem et novem milia marcarum argenti dedimus pro navibus Romanorum, et quinque milia librarum Proveniensium pro armis et victualibus eorum deferendis ad portum, ac mille uncias auri tibi, cum a nostra presentia discessisti: in primis post discessum tuum de camera nostra per fratres Ierosolimitani Hospitalis et domus militie Templi quinque milia uncias auri, et postmodum per venerabilem fratrem nostrum . . Bethleemitanum episcopum[1] et fratres domus Theotonicorum quinque milia de camera nostra, et de vicesima et redemptione votorum sexcentas et duodecim inter marcas argenti et uncias auri, et de vicesima collecta in Francia undecim milia sexcentas, et per dilectum filium M. de Sancta Cecilia, scriptorem nostrum, camerarium tuum, tria milia de vicesima et redemptione votorum, per . . patriarcham vero Antiochenum[2] centum sexaginta marcas argenti de vicesima et redemptione votorum tibi transmisimus assignanda. Item nobili viro comiti Iacobo, marescalco nostro, pro quadam barbotta[3] et trabuccetto[4] octoginta marcas fecimus de vicesima solvi, pro quibus episcopatum tuum sibi diceris obligasse, sicut per litteras tuas accepimus. Item dedimus magistro Matheo, camerario tuo, pro mittendis litteris ducis Venetorum[5] Venetis, qui erant apud Damiatam cum galeis, octoginta uncias auri de vicesima. Item duci Bawarie[6] fecimus assignari duo milia marcarum, quas nobis imperator debebat; item per Ottonem de Machilon.[a] tria milia uncias auri de camera nostra. Et nunc ecce per dilectum filium Iohannem de Giso presbyterum, canonicum basilice principis apostolorum, et fratrem Octonem domus sancte Marie Theotonicorum Ierosolimitane tibi de vicesima quinque milia destinamus, et eisdem pro expensis suis et emendis equitaturis dedimus octoginta et sex libras Proveniensium de vicesima. Mandavimus quoque per dilectos filios Hugonem de Sancto Georgio et Iohannem de Novill.[b] et Gerardum de Soturririo et Rogerium Anglicum de vico Angli, fratres militie Templi, tredecim milia marcarum de vicesima collecta in Anglia in tuis manibus assignanda, daturi operam ut residuum tibi celeriter transmittatur. Hospitalarii quoque ac Templarii de Ungaria mille septin-

a) Machilon̄ *R.* b) Novill̄ *R.*

1) *Raynerium.* 2) *Raynerium.* 3) *barbotta sive barbota species navis. Du Cange.* 4) *trabuccettum sive trebuchetum catapultae species. Du Cange.* 5) *Petri Ziani.* 6) *Ludowico.*

gentas et undecim marcas argenti et triginta et octo marcas auri a dilecto filio magistro Acontio, capellano nostro, quem propter hoc ad partes illas dreximus, de vicesima Ungarie receperunt, ac debebant adhuc recipere quedam alia, de quibus ratio nondum erat eidem reddita capellano; que omnia in instanti passagio ultra mare transmitti et tibi assignari mandavimus per eosdem. Mandavimus etiam venerabili fratri nostro . . archiepiscopo Ianuensi[1], ut valentiam mille quadringentarum et quinquaginta octo librarum Ianuensium minorum, quam de redemptione votorum et vicesima sue diocesis habebat in sterlingis et aliis monetis argenteis, tibi mittat per venerabilem fratrem nostrum . . Lausanensem episcopum[2], qui Ianue navem conduxerat in Terre Sancte subsidium transiturus, aut per aliam personam idoneam, si eiusdem episcopi transitum aliquo casu contingeret retardari. Ad hec magistris militie Templi et Hospitalis Ierosolimitani de Ispania dedimus in mandatis, ut sexaginta quinque marcas et dimidiam auri, et viginti quinque milia sexcentos et quadraginta duos marabotinos, et septingentos quinquaginta quatuor obolos maximutinos, in argento vero trecentas quinquaginta tres marcas, et in diversis monetis Ispanie quinque milia et centum libras, que omnia per dilectum filium Centium, basilice principis apostolorum canonicum, collecta de vicesima Ispanie erant in certis locis Ispanie deposita, per prudentes et fideles nuntios tibi mittant et in manibus tuis assignent; nostraque spes et intentio est, quod tota supradicta pecunia tibi sit in instanti passagio consignanda. Quod autem vicesimam et pecuniam aliam per fratres Templi et Hospitalis frequentius mittere consuevimus, propter hoc fit, quod nuntios alios, de quibus videamur melius posse confidere, non habemus. Sed semper fuit et est nostra intentio, et illis expresse mandavimus, ut omnia tibi sine diminutione consignent. Unde qualiter super hiis se habuerint, utrumve receperis pecuniam presenti pagina nominatam, nos certificare, cum poteris, non omittas, certus quod nec desinimus, nec quamdiu vixerimus, desinemus omnem sollicitudinem et diligentiam adhibere, qualiter Terre Sancte iuxta tuum desiderium semper efficaciter succurratur, predicatores novos et indulgentias in diversis mundi partibus instaurantes. Speravimus quoque, ut karissimus in Christo filius noster F. illustris rex Sicilie in Romanorum imperatorem electus, cum sit crucesignatus, in hoc passagio transfretaret, sed sive ab aliis prepeditus, sive retardatus propria voluntate, id non potest efficere, cum, sicut idem suis nobis litteris intimavit, non ante quam circa festum beati Michaelis venire proposuerit coronandus, transfretaturus deinde auctore Domino in subsidium Terre Sancte. Porro licet exhortatione non indigeas aliena, qui stabilitus fidei firmamento, spei erectus virtute, caritatis fervore succensus, et totius divine armature a dextris et a sinistris protectione munitus, faciente Domino tecum signum in bonum, nosti confortare manus dissolutas et genua debilia roborare, ne tamen aliquid de contingentibus omittere videamur, fraternitatem tuam monemus et hortamur in Domino, quatinus in ipso confidens, qui dat virtutes et premia elargitur, semper ad fortia studeas mittere
I. Cor. 9, 24 manus tuas, ut de virtute proficiens in virtutem bravium accipias destinatum. Nos enim, quamdiu aliquid habemus vel habere poterimus, nequaquam tibi deerimus, quin modis omnibus procuremus omnia, que ad Terre Sancte subsidium iuxta votum tuum debeant provenire.

Dat. apud Urbem veterem, VIIII Kal. Augusti, pontificatus nostri anno quinto.

2. Cum preter supradicta plura diversis temporibus miserimus in subsidium Terre Sancte, quedam ex eis, ne a posterorum memoria dilabantur, presenti pagine fecimus annotari. A fratre Aimaro, domus Templi Parisiensis thesaurario, fecimus per Templarios una vice quinque milia marcarum de vicesima Anglie destinari. Item

1) *Ottoni III.* 2) *Berchtoldum, qui ante transitum mortuus est.*

frater St.[a], panetarius noster, similiter per Templarios misit de mandato nostro de vicesima Francie sex milia uncias auri, sicut suis nobis litteris intimavit. Item episcopo Ostiensi[1], quando ipsum in Lombardiam pro predicatione crucis transmisimus, dedimus centum marcas sterlingorum pro expensis, et pro debitis eius solvendis in Urbe ducentas quinquaginta libras Proveniensium, et episcopo Regino[2], qui cum eodem ad predicandum ivit, dedimus de vicesima quinquaginta marcas sterlingorum. Item episcopo Tusculano[3], quando ivit ad imperatorem, dedimus triginta libras denariorum senatus. Item marchioni Montisferrati[4], quando ad eundem ivit imperatorem, centum uncias auri de vicesima camere dari fecimus pro expensis; item eidem marchioni centum libras denariorum senatus. Item eidem DC uncias auri de vicesima fecimus assignari, que computande sunt in XV milibus marcis[5], quas ei dare debemus, cum transierit ultra mare. Item episcopo Regino L uncias auri de vicesima fecimus assignari[b].

125.

Honorius III papa Ianuensibus querentibus de [Iohanne] rege Hierosolymitano et qualiter de civitate Damiatae dispositum fuerit, respondet se dissimulare ad praesens quae facta sint, provisurum aliter, cum fuerit opportunum. *1220, Iul. 27.*

Hon. III Reg. Lib. V, 10. Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1221. § 16.

Ianuensibus.

Querelam, quam facitis de Ierosolimitano rege illustri, et quam faciunt nonnulli alii de Italia, nullus potest facere iustius quam nos ipsi; si enim aliquis debuit honorari in negotio Damiate, ecclesia Romana debuit honorari pre omnibus, que procuravit captionem illius magno studio et etiam dispendio, sicut scitis. Sed tanta fuit aviditas aliquorum, ut nec legato nostro, qui gerit personam nostram in partibus illis, et qui pro capienda ipsa civitate sustinuit tot sollicitudines, discrimina et labores, et per cuius studium Deus tradidit illam in manibus exercitus Christiani, nec nobis ipsis ex hoc exhibitus fuerit dignus honor, sed concitato tumultu ad clamorem populi aliter, quam decuerit, de ipsa fuerit dispositum civitate, non expectato nostro consilio vel mandato, cum etiam hodie per sollicitudinem ipsius legati et non parvas expensas Romane ecclesie teneatur. Nos tamen considerantes statum temporis, nec volentes hoc tempore facere scissuram aliquam in exercitu Christiano, dissimulamus ad presens omnia supradicta, provisuri aliter, cum fuerit opportunum, etc.

Dat. apud Urbem vet. VI Kal. Aug. anno quinto.

126.

Honorius III papa magistro Conrado [de Marburg] mandat, ut cum calipha de Bagdad gentem suam ad succursum Sarracenorum, qui sint in partibus Damiatae, continuo

a) Stephanus *in altero exemplari legi Pertzius indicavit.* b) *Extant in initio huius voluminis littere iam cancellate, quibus alio ordine minus congrua eadem referebantur. Quarum in fine legimus:* Summa omnium nonaginta novem milia marcarum, *et iterum:* Summa C et IIII milia marcharum. PERTZ.

1) *Hugolino.* 2) *Nicolao.* 3) *Nicolao.* 4) *Wilhelmo.* 5) *cf. n. 177.*

excitaverit, nunc diligentius ad promovendum crucis negotium intendat, et alios sibi constituat per totam Alamanniam in eodem negotio adiutores. *1220, Iul. 28.*

Hon. III Reg. Vol. II, 208; Lib. IV, 843.
Potthast, Reg. 6311.

Magistro Conrado, capellano et penitentiario nostro, scolastico Maguntino.

Fama referente didicimus et ex tuarum notavimus continentia litterarum, quod die noctuque in pectore geras commissum tibi crucis negotium, et ad promotionem illius ardenter insistas, ac iuxta factum tibi ab apostolica sede mandatum omnes principes, tam clericos quam laicos, necnon ceteros crucesignatos, si non transfretarent in instanti passagio, excommunicatos imperterritus nuntiasti. Sane licet sic feceris, sicut de tua probitate fuimus opinati, quia tamen, prout ex litteris venerabilis fratris nostri . . Albanensis episcopi[1], apostolice sedis legati, accepimus, caliph de Baldac, cui, ut Christiani nobis, blasphemi crucis intendunt, gentem suam ad succursum Sarracenorum, qui sunt in partibus Damiate, continuis exhortationibus et suis falsis indulgentiis excitavit, exercitusque Christianus sub spe adventus regii debilitatus est plurimum, viris presertim potentibus destitutus, quod ad grave peccatum regis accedit, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus, si hactenus diligenter, nunc diligentius ad promovendum crucis negotium et incessanter intendas, ad quod, si non potes solus sufficere, alios, de quorum circumspectione confidas, tui constituas per totam Alamanniam in eodem negotio adiutores, proviso ne quis a voti prosecutione occasione qualibet absolvatur, set indifferenter tribuatur omnibus qui voluerint signum crucis, cum numquam in maiori discrimine positus fuerit exercitus supradictus, propter quod ad subventionem ipsius ita sunt tota viscera nostra commota, quod quicquid erat in camera nostra, transmisimus ipsi legato illorum necessitatibus disponendum. Ceterum si cito ad te tuum non remisimus nuntium, non mireris, cum certos non intellexissemus de rege predicto rumores.

Dat. apud Urbem veterem, V Kal. Aug. anno quarto[a].

127.

C[onradus] episcopus Metensis, legatus imperialis per totam Italiam, Honorio III papae scribit de electione [Henrici] novi regis Theutoniae et de restituenda terra comitissae Mathildis. *1220, Iul. 31.*

Hon. III Reg. Vol. III, 153, 154; Lib. V, 761[2].
Theiner, Cod. dipl. dom. temp. s. sed. I, p. 55, n. 81.

Littere ad dominum papam.

Pio patri, domino atque benefactori suo, domino Honorio sacrosancte Romane sedis summo et universali pontifici, C. Dei et sui gratia Metensis episcopus, suus per omnia devotissimus, imperialis aule cancellarius, per totam Italiam legatus, subiectionis et obsequiorum omnimodam reverentiam cum osculo pedum et orationibus. Non mirari velit cum indignitate animi sublimitas apostolica super inopinata novi regis in

a) *Immo* quinto, *quod corrigendo restituendum non est, cum, quia epistola sive errore sive negligentia in librum quartum relata est, dubitandum non sit, quin ibi ita legatur.*

1) *Pelagii.* 2) *Ex eo quod haec epistola in fine libri V legitur, videmus minorem diligentiam in inserendis litteris receptis adhibitam esse.*

Alamannia electione, et quod ego humilis clericus sanctitatis vestre tempore indicto apostolicam non accessi presentiam. Cum enim filius sanctitatis vestre dominus noster F. inclitus rex Sicilie in Romanorum imperatorem[a] electus, ad paternam vocationem vestram necnon ad magnam commonitionis instantiam venerabilis in Christo fratris Alatrini, devoti capellani et subdiaconi vestri, ad iter suum tam pro solutione voti sui ad obsequia crucis Dominice quam etiam ad suscipiendam secundum gratiam apostolicam benedictionem imperialem se viriliter accinxisset, principes Theotonie animadvertentes mala preterita, timentes quoque ne, sicut prius accidit, ex mutatione regum et imperatorum, si quid forte, quod Deus avertat, de isto rege suo sinistri proveniret, ecclesiam et imperium contingeret perturbari, presertim ad sopiendam gravissimam discordiam inter venerabilem .. Maguntinum archiepiscopum[1] et illustrem langravium Turingie[2], que fuit imminens impedimentum regii processus, et non modicum nec immerito timebatur ad totius imperii pertubationem, de sanguine regio dominum et regem sibi relinqui instanter et inopinate postularunt. Super quo cum satis fuisset deliberatum, per quem consilium et assensus sapientie apostolice requiri sufficeret, deinde exiguitati mee talis imposita fuit inquisitio. Cum itaque, pater et domine, ad veniendum me preparavi, acutissime tertiane repentina me invasit et diutius detinuit infirmitas. Unde tempore indicto teste Deo venire nequivi. Verumtamen, pater et domine, diu ante electionem illam, si memor esse dignatur vestra benignitas, consului circumspectionem apostolicam super huius electionis celebratione. Sed cum non meruissem apostolicum inde habere responsum, per unum de fratribus dominis meis cardinalibus specialissimum meum fui instructus, vos dixisse nichil ad vos de electione Romanorum regis pertinere. Ex hoc, si placet serenitati apostolice, tam ista quam alia que ex necessitate agendorum imperialium mihi consueto supercreverunt incomoda, ad desidiam seu inobedientiam mihi non debent ascribi. Instante enim, sanctissime pater et domine, tempore regie expeditionis eamque controversia antedicta inter[b] principes prenominatos valde impediente, me quoque expedito ad procedendum, ne timor prefatus supervenire posset: casualiter et improviso[c] in filium domini mei, vestri devotissimi filii regis Friderici, vota tam electorum quam etiam omnium principum et nobilium Teutonie convenerunt, sperantes, immo minime dubitantes, id apostolice debere benivolentie complacere, que tam ipsum electum quam patrem electi ab ipsis uberibus paterno educavit et sublimavit affectu[3]. Sic igitur dominus rex ad subsequendum expeditus iam me insufficientem premisit, ita quod feria quarta prima ante festum sancti Iacobi[4] Veronam sum ingressus, de honore ecclesie et imperii, de concordia totius Italie secundum temporis instantiam per totam Italiam tractaturus. Sciatis autem in Deo et in verbo obedientie, totum animum meum, tamquam veri filii obedientie, ad profectum totius honoris et utilitatis pie matris mee sacrosancte Romane ecclesie consistere, sicut Deo dante bonus finis approbabit. Supplico itaque, pater et domine reverende, ne tantam moram desidie mee[d] velitis deputare, omnia premissa oculo pie compassionis circumspicientes[e], quia teste Deo altissimo, si studia mea et solertia domini Alatrini non affuissent, adhuc credo dominum meum regem vix posse esse expeditum. Adhuc, domine, multiplicatis precibus efflagito, ut si quid, antequam accedam presentiam apostolice sublimationis, me facturum esse dignamini, id mihi rescribendo precipere curetis, quia tam super terra comitisse Matildis, ad quam ecclesie specialiter sum datus executor, quam super omnibus aliis negotiis ecclesie Deo dante taliter me geram, quod in effectu operis

a) imperatorem *deest in R.* b) inte *R.* c) improvisus *R.* d) me *R.* e) circumspiciens *R.*

1) *Sifridum II.* 2) *Ludowicum.* 3) *De electione Heinrici VII cf. n. 123 et Winkelmann, Fried. II, p. 123–125.* 4) *Iul. 22.*

meam comprobabitis devotionem. Completis autem per Italiam agendis imperialibus, cum sepedicto Alatrino vita comite festinabo me sanctissime presentie vestre offerre, debitam in omnibus et per omnia excellentie apostolice exhibiturus reverentiam simul et obedientiam, super omnia recommendans pietati vestre verum filium obedientie, dominum meum vestre sanctitatis filium regem F., flexis genibus humiliter deposcens, ut ipse plenam in oculis vestris invenire debeat gratiam ad honorem Dei et ecclesie, et pacem ac tranquillitatem totius imperii. Scio enim firmiter et cum ipso atque pro ipso spondeo fideliter et promitto, quod ipse nullo unquam casu seu eventu animum suum a devotione vestra et sancte Romane ecclesie declinabit.

Dat. Mantue, II Kal. Augusti.

128.

Honorius III papa [Conradum] episcopum Metensem rogat et monet, ut terram comitissae Mathildis secundum mandatum regium Raynaldo Munaldi subdiacono nomine sedis apostolicae resignet. *1220, Aug. 5.*

Hon. III Reg. Vol. III, f; Lib. V, 16.
Potthast, Reg. 6320.

. . episcopo Metensi, imperialis aule cancellario.

Tua, sicut credimus, fraternitas recognoscit, qua te prerogativa dilectionis mater tua Romana ecclesia fuerit amplexata, que ita tibi iamiam sue bonitatis aperuit, ut quadam singulari gratia te duxerit inter ceteros honorandum. Tenere insuper firmum debes, quod nos ea te caritatis habundantia prevenimus, ut de tuo simus honore solliciti et libenter de hiis, que tuum incrementum[a] respiciunt, cogitemus, quare de te apostolica sedes et nos cum ipsa confidimus, quod memorans eam quam ab ipsa gustasti dulcedinem, et considerans rorem tibi sue benedictionis magis ac magis, si in eius devotione perstiteris, infundendum, gerere in pectore tuo debeas ecclesie Romane negotia, et etiam ea nobis tacentibus procurare. Cum autem iam dudum regias acceperimus litteras continentes, quod regia auctoritate debebas terram comitisse Matildis dilecto filio Alatrino, subdiacono et capellano nostro, nomine sedis apostolice assignare, tuque per tuas, quas in testimonium reservamus, litteras intimasses te super hoc regium accepisse mandatum, et dictus subdiaconus idem nobis scribere procurasset, mirati sumus non modicum, quod cum te intrasse intellexerimus Lombardiam, nichil est nobis de hiis per te vel dictum subdiaconum nuntiatum. De ipsius ergo subdiaconi absentia dubitantes, dilectum filium Raynaldum Munaldi, subdiaconum et capellanum nostrum, virum providum et discretum, nobis et fratribus nostris sue merito probitatis acceptum, ad te duximus destinandum, fraternitatem tuam rogantes, monentes et hortantes attentius, per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus ipsum, immo potius nos in eo, benigne recipiens et honeste pertractans, terram comitisse Matildis secundum mandatum regium ei nomine nostro et ecclesie Romane omni mora et occasione postpositis restituas et resignes, ita quod per promptum affectum de tuo regiis videaris beneplacitis adiecisse, per quod gaudeamus de gratia, quam tibi apostolica sedes exhibuit, cognoscentes te ipsam non in vacuum accepisse, ac ad exhibendum habundantius sinceritati tue comodum et honorem constituamur tibi cum Romana ecclesia debitores.

Dat. apud Urbemveterem, Nonis Aug. anno quinto.

a) crementum *R.*

129.

Honorius III papa R[agnaldo] subdiacono mandat, ut [Conradum] Metensem episcopum conveniat, ponens coram oculis mentis eius excommunicationis sententiam, quod non arripuerit peregrinationis iter; ad accipiendum absolutionis beneficium eum inducat et praesertim ad terram comitissae Mathildis sedi apostolicae resignandam hortetur.

1220, Aug. 9.

Hon. III Reg. Vol. III, 8; Lib. V. 34.
Potthast, Reg. 6327.

R. subdiacono et capellano nostro.

Presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus . . Metensem episcopum ex parte nostra convenias, ponens coram oculis mentis sue excommunicationis sententiam, que fuit in omnes crucesignatos Alamannie, tam clericos quam laicos, qui non arriperent peregrinationis sue iter in Kalendis Maii proximo preteritis, promulgata. Unde cum ipse non arripuerit iter in termino constituto, dicas eidem, nos ideo sibi nostras litteras non misisse, ne cogeremur in illis salutationis eloquium subticere. Ad hec suggeras illi, ut videat, consideret et attendat, si eum super hoc sua conscientia remordeat et accuset, ut in hoc casu a te sibi postulet secundum formam ecclesie beneficium absolutionis impendi, proponens nos, qui eum diligimus affectione paterna, id sibi consulere bona fide, cum in manus Dei viventis incidere sit orrendum. Quod si Hebr. 10, 31 dixerit super hoc se lesam conscientiam non habere, set propter aliqua impedimenta non potuisse iter arripere in termino supradicto, seque absolvi noluerit, dicas ei, ut exponat nobis impedimenta per litteras suas, quas per tales ad nos studeat destinare personas, per quas super hiis certificari possimus et omnem a corde nostro dubitationis scrupulum removere. Tu tamen, licet hoc ducat forsitan eligendum, ex parte nostra non cesses illi consulere, quod absolutionem accipere non omittat, et si tuis super hoc acquieverit consiliis, ei auctoritate nostra iuxta formam ecclesie beneficium absolutionis impendas. Licet autem ille absolutionis beneficio non obtento impedimenta nobis forte duxerit rescribenda, non tamen dimittas, quin instanter petas terram comitisse Matildis tibi nomine nostro et ecclesie Romane secundum mandatum regium interim assignari. Sane quicquid super hoc inveneris, aut dictus Metensis fecerit, responderit aut dixerit, totum nobis per cursorem nostrum sine mora rescribas.

Dat. apud Urbemveterem, V Idus Aug. anno quinto.

130.

Honorius III papa Iohanni regi Hierosolymitano sub anathematis poena districtissime inhibet, ne hoc tempore aliquatenus arma moveat contra Armenos aut quoslibet alios Christianos.

1220, Aug. 11.

Hon. III Reg. Lib. V. 26. Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1220, § 55–56.
Potthast, Reg. 6329.

Iohanni regi Ierosolimitano illustri.

Audivimus te secessisse a partibus Damiate et ad civitatem Accon collectis tuis viribus accessisse; quod si eo proposito et consideratione fecisti, ut paganorum partes illas infestantium incursibus obvies et conatus elidas, tuam commendamus in Domino

providentiam, maxime si Christiani a parte illa usque adeo infestantur, quod tanto videantur auxilio indigere. Porro alias regiam magnificentiam non deceret, aliis pro fide Christiana pugnantibus, te vacare quieti vel negociis specialibus occupari. Illud profecto credere non valemus, quod quidam somniant, te contra regnum Armenie velle arma movere, cum credamus, tantam esse in regia serenitate prudentiam, quod perspicue vides, quantum periculum, quanta iactura, quanta confusio per hoc evenire posset fidelibus constitutis in partibus orientis ac toti populo Christiano, et quantum apostolice sedi et universis fidelibus te redderes odiosum, si nunc, totius orbis Christiani viribus pro succursu tuo et Terre Sancte concussis, tu communi utilitate posthabita intenderes speciali, que, nisi communi promota feliciter, non posset stabiliter promoveri. Licet igitur confidamus, quod tu hec prudenter attendens evitabis aliquid attentare, per quod perire ac evacuari posset totus labor, quem hactenus pro Terra Sancta subiit populus Christianus, ex abundanti tamen sub obtentu gratie divine ac nostre et sub anathematis pena tibi auctoritate presentium districtissime inhibemus, ne hoc tempore aliquatenus arma moveas contra ipsos Armenos aut quoslibet alios Christianos, sed studeas, ut tota Christianitas ultramarina in unitate consistat, et venerabili fratri nostro P[elagio] Albanensi episcopo, apostolice sedis legato, qui strenuitatem tuam frequenter suis nobis litteris commendavit, sicut persone nostre reverenter intendens studeas, quod commune populi Christiani negotium desideratum largiente Domino consequatur effectum, postmodum tuis specialibus commodis operam diligentius utiliusque daturus. Alioquin, quantumcunque tuam diligamus personam et deferre regie dignitati velimus, contra tamen communem utilitatem, immo contra ipsum Deum deferre tibi vel cuiquam alii non possemus.

Dat. apud Urbem veterem, III Idus Aug. pontificatus nostri anno quinto.

131.

Honorius III papa universis principibus Teutoniae sub poenis ecclesiasticis mandat, ut terram et omnia iura Friderici Romanorum regis ad Terrae Sanctae succursum magnifice se accingentis illaesa servent. *1220. Aug. 20.*

Hon. III Reg. Vol. III, 14; Lib. V, 63.
Potthast, Reg. 6334.

Universis principibus, tam ecclesiasticis quam mundanis, per Teutoniam constitutis.

Cum karissimus in Christo filius noster Fridericus, illustris rex Sicilie in Romanorum imperatorem electus, ad Terre Sancte succursum magnifice se accingat, Dominum et apostolicam sedem ac Christianitatem totam vehementer offenderent, quicumque terram et iura imperii seu alia ad ipsum regem quocumque iure spectantia, que omnia sub nostra speciali defensione suscepimus, temere perturbarent, nec nos possemus id in patientia tolerare. Ideoque universitatem vestram rogamus et hortamur in Domino, et sub obtentu gratie divine ac nostre per apostolica vobis scripta districte precipiendo mandamus, quatinus et illi vestrum, qui cum ipso rege transibunt, curent sic ordinate dimittere terram suam, et illi qui remanebunt in terra, semetipsos ac suos sic regere[a] studeant et ab illicitis cohercere, quod et regia iura interim, sicut

a) regem *R.*

decet, quieta et illesa consistant, et in tota terra Deo auctore pax et tranquillitas conservetur; pro certo scituri, quod si qui presumerent aliter attemptare, nos preter regiam ultionem, quam demum effugere non valerent, presumptionem eorum taliter puniremus, quod pena docente cognoscerent, quam gravem hanc reputaremus offensam, et quanto zelo zelemur ipsum regem et fidei Christiane negotium, quod per eundem regem divina largiente potentia speramus feliciter promovendum.

Dat. apud Urbem veterem, XIII Kal. Septembris, anno quinto.

132.

Honorius III papa [Egberto] episcopo Babenbergensi mandat, ut contra F[ridericum] Romanorum regem machinari desinat. *1220, Aug. 20.*

Hon. III Reg. Vol. III, 15; Lib. V, 71.

. . episcopo Babembergensi.

Grave gerimus et indignum, quod spretis inhibitionibus et commonitionibus nostris iam sepius tibi factis, contra karissimum in Christo filium nostrum F. illustrem regem Sicilie in Romanorum imperatorem electum machinari, sicut accepimus, non desistis. Ideoque presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus taliter ab huiusmodi perversitate quiescas, quod clamor ad nos super hoc de cetero non recurrat, quia id non possemus ulterius in patientia sustinere.

Dat. apud Urbemveterem, XIII Kal. Septembris, pontificatus nostri anno quinto.

133.

Honorius III papa Henricum de Niffen crucesignatum a voti sui executione absolvit, cum Fridericus Romanorum rex filium suum [Henricum] et totam Sueviam eius curae commiserit. *1220, Aug. 21.*

Hon. III Reg. Vol. III, 15; Lib. V, 70.

Nobili viro Henrico de Niffen cruce signato.

Ad preces karissimi in Christo filii nostri Friderici, illustris regis Sicilie in Romanorum imperatorem electi, qui filium suum et totam Sueviam tue cure commisit, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut executione voti tui, quam diu fuerit de beneplacito nostro suspensa, nullus te ad illud cogere valeat exequendum, nisi de speciali apostolice sedis mandato faciente de hac nostra indulgentia mentionem.

Dat. apud Urbem veterem, XII Kal. Septembris, pontificatus nostri anno quinto.

134.

Honorius III papa archiepiscopis et episcopis per Teutoniam constitutis inhibet, ne pro levi causa terras Friderici Romanorum regis subiciant interdicto, quamdiu rex ipse iuri stare paratus sit. *1220, Aug. 21.*

Hon. III Reg. Vol. III, 15; Lib. V, 69.

Archiepiscopis et episcopis per Teutoniam constitutis.

Karissimus in Christo filius noster Fredericus, illustris rex Sicilie in Romanorum imperatorem electus, nobis insinuare curavit, quod cum aliqui vestrum sibi movent aliquas questiones, licet ipse paratus sit stare iuri, ipsi tamen asserentes se nolle cum suo domino litigare, terras eius pro levi causa interdum subiciunt interdicto, et sic dicto regi quasi deferendo plus inferunt, quam si prosequerentur legitime iura sua. Ideoque auctoritate vobis presentium inhibemus, ne huiusmodi sententias proferatis, quamdiu procuratores idonei apparebunt, qui possint et velint ipsius regis nomine stare iuri. Quod si aliquas iam forte tulistis, eas ipso vel procuratoribus suis prestantibus cautionem idoneam standi iuri relaxare curetis[1].

Dat. apud Urbemveterem, XII Kal. Septembris, pontificatus nostri anno quinto.

135.

Honorius III papa [Garino de Monte acuto] magistro et fratribus Hospitalis Hierosolymitani scribit de quibusdam Gaietanis e Sarracenorum captivitate liberandis.

1220, Aug. 24.

Hon. III Reg. Vol. III, 11; Lib. V, 48.

Magistro et fratribus Hospitalis Ierosolimitani.

Quod non absque gravi dolore possumus recensere, Gaietani quidam, cum versus Damiatam intenderent navigare, vento impulsi contrario in portu Alexandrie applicuisse dicuntur et ab inimicis nominis Christiani detineri captivi. Eorum itaque captivitati debito compatientes affectu, devotionem vestram monemus attente per apostolica scripta mandantes, quatinus ad liberationem ipsorum sive per commutationem, reddendo videlicet pro eis aliquos Sarracenos captivos, sive alias cum effectu intendere satagatis.

Dat. apud Urbem veterem, nono Kal. Septembris, pontificatus nostri anno quinto.

In eundem modum scriptum est magistro[2] et fratribus militie Templi.

136.

Honorius III papa Friderico Romanorum regi gratias agit, quod preces suas exaudiens C[onstantiam] uxorem suam secum ducat ad suscipiendum imperiale diadema.

1220, Aug. 28.

Hon. III Reg. Vol. III, 11; Lib. V, 62.
Potthast, Reg. 6342.

Frederico, illustri regi Sicilie in Romanorum imperatorem electo.

Gratanter accepimus, quod karissimam in Christo filiam nostram C. illustrem reginam coniugem tuam precum nostrarum intuitu tecum ducis, ut et ipsa tecum

1) *Cf. n. 131.* 2) *Petro de Monte acuto.*

suscipiat imperialis glorie diadema. Nos siquidem id tibi ea consideratione suasimus, quia procul dubio ad tuum et filii tui honorem cognoscimus pertinere. Set nichilominus gratiarum tibi referimus actiones pro precibus exauditis.

Dat. apud Urbemveterem, V Kal. Septembris, pontificatus nostri anno quinto.

137.

Honorius III papa [Conrado] Constantiensi episcopo et [Eberhardo] abbati de Salem mandat, ut Egenonem comitem de Urach et alios crucesignatos ad vota sua exequenda compellant. *1220, Aug. 28.*

Hon. III Reg. Vol. III, 15: Lib. V, 68.
Potthast, Reg. 6343.

. . Constantiensi episcopo et . . abbati de Salem Cisterciensis ordinis Constantiensis diocesis.

Cum nobilis vir Egeno comes de Uraha[1] sumpto crucis signaculo transire in Terre Sancte subsidium voverit, sicut accepimus, et iurarit, discretioni vestre presentium auctoritate mandamus, quatinus tam ipsum quam crucesignatos alios de Alsatia ad exequenda vota sua sine more dispendio per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogatis.

Dat. apud Urbem veterem, V Kal. Septembris, anno quinto.

138.

Honorius III papa [Conrado] episcopo Metensi imperialis aulae cancellario mandat, ut terram comitissae Mathildis dilatione et excusatione cessantibus Raynaldo subdiacono resignari faciat. *1220, Sept. 4.*

Hon. III Reg. Vol. III, 18: Lib. V, 91.
Potthast, Reg. 6351.

. . episcopo Metensi, imperialis aule cancellario.

Si benignitatem, quam circa te apostolica sedes exhibuit, diligenter attenderes, eius negotia diligentius et fidelius procurares. Sane non possumus non mirari, quod cum regale mandatum acceperis, prout tuis nobis litteris intimasti, ut nobis resignari faceres terram clare memorie . . comitisse Matildis ad Romanam ecclesiam pertinentem, ac propter hoc dilectum filium Raynaldum, subdiaconum et capellanum nostrum ad te iamdudum curaverimus destinare, tu cum promissionibus hactenus detinendo in negotio ipso efficaciter minime processisti. Certe talia de te non sperabamus obsequia, quia scimus nos et apostolicam sedem de te longe alia meruisse. Monemus igitur fraternitatem tuam et per apostolica scripta tibi precipiendo mandamus, quatinus terram dilatione ac excusatione cessantibus nomine nostro capellano facias resignari predicto, et eidem ab ipsius terre hominibus fidelitatis iuramenta prestari, pre-

1) *Hunc eius frater Conradus episcopus Portuensis paulo ante a voto crucis penitus absolverat: cf. n. 123.*

cedentem negligentiam subsequenti diligentia taliter purgaturus, quod operum exhibitione demonstres, te ad nos et Romanam ecclesiam debitam devotionem habere, nosque ac fratres nostri non contra te set pro te cogitare potius debeamus.

Dat. apud Urbemveterem, II Nonas Septembris, pontificatus nostri anno quinto.

139.

Honorius III papa Alatrino subdiacono mandat, ut ad resignandam terram comitissae Mathildis tam apud regiam celsitudinem quam apud [Conradum] episcopum Metensem imperialis aulae cancellarium, qui R[agnaldum] subdiaconum vanis promissionibus detineat, operam conferat. *1220, Sept. 4.*

Hon. III Reg. Lib. V, 91b.
Potthast, Reg. 6352.

Alatrino, subdiacono et capellano nostro.

Cum olim nobis tuis litteris intimasses, venerabilem fratrem nostrum . . Metensem episcopum imperialis aule cancellarium regium recepisse mandatum, ut terram clare memorie comitisse Matildis tibi nomine nostro faceret resignari, nos postmodum intellecto quod cum cancellario non veniebas eodem, dilectum filium R. subdiaconum et capellanum nostrum propter hoc cum nostris litteris curavimus destinare, qui eum diu vanis promissionibus detinens, non processit efficaciter in negotio nec procedit. Ideoque per apostolica tibi scripta mandamus, quatinus tam apud regiam celsitudinem quam apud prefatum cancellarium ita studeas operari, quod terra ipsa predicto capellano vel tibi ac ei, si te presentem esse contigerit, resignetur et nomine nostro ab ipsius terre hominibus fidelitatis iuramenta prestentur, mandatum nostrum ita sollicite impleturus, quod occasione litterarum et consilii tui non videamur delusi, denuntians, si opus esse videris, ipsi regi, quod si cognoverimus, quod nos in hac parte velit eludere, faciet nos aliud cogitare. Quicquid autem super hoc feceris, nobis celeriter intimare procures.

Dat. ut supra.

140.

Fridericus Romanorum rex Honorio III papae gratias agit de his, quae sibi per Alatrinum subdiaconum et per notarium Petrum de Salerno nuntium suum litteris et oretenus transmiserit; se aeternum pro beneficiis acceptis erga papam et Romanam ecclesiam debitorem fore confitetur; quidquid sibi consulere volens animae suae providere curaverit, acceptat, licet non inciderit in latam sententiam, impedimentis evidentibus praepeditus; rogat papam, ut suae exaltationi quam citius intendat, supplicans ne iniquis et fallacibus detractionibus sacras aures praebeat. *1220, Sept. 13.*

Hon. III Reg. Vol. III, 27; Lib. V, 110.
Ed. ap. Böhmer, Act. Imp. I, 244.

141.

Honorius III papa [Fridericum] Romanorum regem rogat, ut secundum promissa sua terram comitissae Mathildis Alatrino et Raynaldo capellanis vel eorum alteri resignari faciat, et contra haereticos in Lombardia statuat aliquid dignum regia maiestate.

1220, fine mensis Sept.

Hon. III Reg. Vol. III, 27; Lib. V, 139.
Potthast, Reg. 6358.

. . illustri regi Sicilie in Romanorum imperatorem electo.

Non oportet nos verbis exprimere, quam pure, quam sollicite ad exaltationem tue celsitudinis intenderimus et constanti proposito intendamus, quia ipsa operis exhibitio id habundanter[a] exprimit et demonstrat; unde non inmerito admiramur, quod ea, que a te iuste requirimus, cum tante difficultatis angustia obtinemus. Cum enim venerabili fratri nostro . . Metensi episcopo[1], imperialis aule cancellario, dederimus in mandatis, ut terram clare memorie comitisse Matildis, ad Romanam ecclesiam pertinentem, dilecto filio Alatrino, subdiacono et capellano nostro, faceret nostro nomine resignari, nosque intellecto quod dictus A. cum cancellario non veniebat eodem, dilectum filium Raynaldum, subdiaconum et capellanum nostrum, propter hoc ad ipsum cancellarium curaverimus destinare, ipse illum diu variis promissionibus detinens, terram ipsam sibi non fecit, quecumque causa sulfuerit, resignari. Ideoque serenitatem tuam rogandam duximus et hortandam attentius requirentes, quatinus id, quod regio privilegio roborato subscriptionibus principum et aliis tuis litteris promisisti, curans effectui mancipare, predictam terram capellanis predictis vel eorum alteri, si forte non ambo presentes esse potuerint, facias nomine nostro libere resignari, attendens quod si promissionem tuam in re tam modica violares, dedeceret regiam celsitudinem, et etiam presumi posset, quod promissa[b] tua, violata in minimis, non esses in maximis ecclesie servaturus; propter quod iterata prece deposcimus, ut ita provideas, quod ad sublimationem tuam, quam non solum volumus set etiam affectamus, nos de voluntariis amplius voluntarios et de promptis efficias promptiores. Ad hec serenitatem tuam ad ea libenter hortantes, per que Deo valeas propensius complacere, sollicitamus regiam celsitudinem, quatinus cum vitium heresis dicatur in Lombardia plurimum excrevisse, quod apparet ex iniquis statutis, que plereque illius provincie civitates contra Dei ecclesiam ediderunt, contra hereticos et fautores ac receptatores eorum statuas et servari facias aliquid dignum regia maiestate, ipsaque statuta, quantum ad capitula que de radice pravitatis heretice prodeuntia sunt contra libertatem ecclesiasticam attemptata, generaliter casses et precipias abiurari, ut fideles videntes zelum tuum circa fidem et Dei ecclesiam, merito gratulentur, per tua opera cognoscentes te ad bonorum laudem et malorum vindictam gladium a Domino accepisse.

Dat. apud Urbemveterem[2].

a) habundater *R.* b) promissio *R.*

1) *Conrado.* 2) *additum est in copia:* (fine mensis Septembris anno V).

142.

L[iupoldus] dux Austriae H[onorio III] papae scribens se excusat, quod cuidam instrumento sigillum suum apponere denegaverit; supplicat insuper, ne Arnoldo decano Pragensi ecclesiae suae restituantur, cum alios clericos de iisdem investiverit.

1220 fine mensis Sept. — initio mensis Nov[1].

Hon. III Reg. Vol. III, 37, 38; Lib. V, 185.
Winkelmann, Act. Imp. ined p. 177, n. 595.

Littere ad dominum papam.

Sanctissimo patri ac domino suo H. venerabili sacrosancte Romane ecclesie summo pontifici, devotus in Christo filius L. Dei gratia dux Austrie Stirieque[a] tam debitum quam devotum cum filiali reverentia obsequium. Cum propter paternitatis vestre benivolentiam et gratiam, que pre ceteris Alamannie principibus parvitatem meam dignata est habundantius et familiarius respicere, firmiter proposuerim et adhuc proponam vobis et ecclesie Romane fore semper fidelis ac devotus, non modicum gravat me indignatio quam erga me concepistis, eo quod instrumento vestro apponere sigillum meum denegavi. Sed pro certo vestra noverit paternitas, quod hoc non ex malitia mea vel indevotione factum est, set propter hoc quod quedam clausula continebatur in eodem, que valde me terrebat: hoc scilicet ut ego et uxor mea et liberi sub pena excommunicationis nos astringeremus, ne rex et principes contra id venirent, quod in eodem continebatur instrumento. Proinde vestre humiliter supplico clementie, quatinus omnem rancorem et indignationem erga me conceptam pure in Deo remittatis. Nam quicquid rex et principes circa ecclesie Romane honorem ac exaltationem facere qualitercumque voluerint, ego revera illud non solum non impediam, immo ad idem promovendum pro posse meo studebo Deo dante operam efficacem adhibere. Preterea vestre significo paternitati, quod in reditu meo de partibus transmarinis, cum essem apud vos constitutus, de magistri Arnoldi quondam decani Pragensis depositione in curia vestra fama tunc fuit celebris et nullus ibidem de illa hesitabat, in tantum quod etiam quidam curie vestre clerici me rogabant, ut beneficia, que idem A. tenuerat a me, conferrem eisdem. Postmodum reversus ad propria tales inveni rumores, quod archiepiscopus Salzeburgensis, Pataviensis, Ratisponensis et Eistetensis episcopi ex mandato vestro eundem A. officio et beneficiis omnibus denuntiaverant esse privatum, et iudices a vobis delegati mihi vestra mandaverunt[b] auctoritate, ut ad ecclesias, quas prefatus A. tenuerat a me, que etiam per annum vel amplius propter meam vacaverant[c] absentiam, clericos idoneos presentarem, quod et feci: et duo capellani mei ad presentationem meam de eisdem ecclesiis fuerunt canonice investiti, qui etiam per biennium iam vel amplius easdem pacifice possederunt. Unde humiliter supplico clementie vestre in Domino, quatinus in meum et capellanorum meorum preiudicium et gravamen memorato A. ecclesias predictas restituere non intendatis. Nam si vestre placuerit liberalitati, absque scandalo et congruentius poteritis eidem alio modo providere.

a) Strig R. b) mandaverit R. c) vacaverat R.

1) *Haec est Lib. V ep. 185: ep. 182 et 183 datae sunt Nov. 30, ep. 191 Dec. 1 et epistolae sequentes secundum ordinem chronologicum in regestis leguntur, propter quod credendum est ep. 185 initio mensis Dec. in tabulario curiae fuisse. Missa est post Sept. 1: nam cum dux timeat et supplicet, ne Arnoldo ecclesiae suae reddantur, necesse est eundem quondam excommunicatum iam restitutum esse; restituitur autem epistola papae Sept. 1 data, ut legimus apud Erben, Reg. Bohem. I, p. 294, n. 629. Ex hoc apparet hanc epistolam inter ultimos dies mensis Sept. et primos Nov. scriptam esse.*

143.

Fridericus Romanorum rex Honorio III papae gratias agit de benefactis sibi iugiter impensis; nuntiat se statum Lombardiae ad honorem ecclesiae et imperii disposuisse, praetermissis imperii iustitiis a quibuslibet occupatis, ad quarum recuperationem oporteret se facere longam moram, et nunc ad pedes papae ardenti desiderio properare; rogat, ut G[uilielmum] Cumanum episcopum, H[enricum] imperialis aulae protonotarium et fratrem Hermannum benigne recipere velit. 1220, Oct. 4.

Hon. III Reg. Vol. III. 31; Lib. V. 150.
Ed. a Winkelmann, Act. Imp. ined. p. 161, n. 185.

144.

Honorius III papa N[icolao] episcopo Tusculano et Alatrino subdiacono mandat, ut quaedam capitula, quae iis mittat, sub nomine regio in leges publicas redigantur, ut in die coronationis sub imperiali nomine solemniter publicentur. Ad haec studeant perspicere regium animum tam super vitanda regni et imperii unione quam super subsidio Terrae Sanctae. 1220, Nov. 10.

Hon. III Reg. Lib. V. 184. Edimus ex LL. t. II, p. 242.
Potthast, Reg. 6395.

N. episcopo Tusculano, apostolice sedis legato, et dilecto filio Alatrino subdiacono et capellano nostro.

De communi fratrum nostrorum consilio presentium vobis auctoritate mandamus, quatinus efficaciter studeatis, ut capitularia, que vobis mittimus presentibus interclusa, sub competentibus verbis servata sententia sub nomine regio in leges publicas redigantur, nobisque mittantur regie bulle roborata munimine, in die coronationis sub imperiali nomine in basilica principis apostolorum solemniter publicanda. Ad hec prudenter et caute studeatis investigare ac perspicere regium animum et propositum tam super vitanda regni et imperii unione quam super subsidio Terre Sancte, expresse regiis auribus inculcantes, quod videtur contra promissa et privilegia sua manifeste venisse, cum et filium suum coronatum in regem Sicilie in Romanorum regem eligi procurarit, et prelatos et magnates regni ad coronam vocarit imperii et ab eis de novo fidelitatis exegerit et exigat iuramenta, per que in sedis apostolice necnon posteritatis sue dispendium videtur prefata unio procurari; unde multi non immerito admirantur. Necessitatem vero Terre Sancte exaggeretis, sicut res ipsa deposcit, insinuantes regie celsitudini, quomodo fiducia et spes illius negotii in eo post Deum quasi tota dependet, sicut per nuntios et litteras legati, prelatorum et baronum exercitus Christiani evidenter apparet, et quomodo ipsum ita instanter ad coronam vocavimus specialiter hac de causa; et addatis, quod nisi in instanti passagio exercitui Christiano magnifice succurratur, est procul dubio formidandum, ne predictum negotium Terre Sancte penitus dissolvatur. Quidquid autem super his poteritis intelligere, nobis curetis quamcitius fideliter intimare.

Dat. Later. IV Id. Novemb. pontificatus nostri anno quinto.

145.

Fridericus Romanorum imperator constitutionem generalem publicat et ab omnibus iubet observari, qua vetat, ne quis privilegia ecclesiastica attentare presumat, haereticos omnes et eorum fautores proscribit, personas et bona naufragantium et advenarum tuetur, atque agricultores cum instrumentis eorum rusticis contra invasores protegit.

1220, Nov. 22.

Hon. III Reg. Vol. III, 95, 96; Lib. V, 483.
Ed. a Pertzio, LL. t. II, p. 243—245.

146.

Honorius III papa Conrado scholastico Maguntino nuntiat, quomodo exercitus Christianus apud Damiatam sit in angusto positus, sperandum tamen esse, quod in brevi ei succurratur, cum Fridericus Romanorum imperator die coronationis suae se in futuri mensis Augusti passagio transfretaturum iuraverit et multi cum eo Theutoniae et Apuliae magnates se in proximo mensis Martii passagio transfretaturos devoverint.

1220, Nov. 27.

Hon. III Reg. Lib. V, 254. Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1220, § 53—54.
Potthast, Reg. 6414.

Conrado scolastico Maguntino et penitentiario nostro.

Venerabilis frater noster . . Albanensis episcopus[1], apostolice sedis legatus, necnon dilecti filii universus exercitus Christianus existentes apud Damiatam in servitio Iesu Christi, suis nobis nuntiis et litteris intimarunt, quod nunc maiori et maturiori succursu, quam nunquam indiguerit, indiget Terra Sancta, cum multis de partibus illis reversis ad propria Christianus exercitus sit nimium rarefactus, ita quod, nisi novis bellatoribus celeriter instauretur, non solum terram Sarracenorum aggredi non audebunt, verum etiam vix poterunt parta tueri; quin etiam timent, ne in manibus hostium relinquantur, in universorum Christi fidelium opprobrium sempiternum et in perditionem perpetuam modice terre transmarine, que adhuc a Christi fidelibus obtinetur[a]. — Ad hec, ut leteris nobiscum et alios letifices audientes, noveris, quod carissimus in Christo filius noster Fridericus, Romanorum imperator illustris et rex Sicilie, nuper in dominica[2], que precedit dominicam de adventu, in omni pace ac tranquillitate suscipiens de manibus nostris imperii diadema in omni devotione affixit suis humeris publice signum crucis, prestito ex intimo mentis fervore corporaliter iuramento, quod in proximo futuri mensis Augusti passagio transfretabit auctore Domino in subsidium Terre Sancte. Venerabilis quoque frater noster Metensis episcopus, imperialis aule cancellarius, et dilecti filii nobiles viri . . dux Bavarie ac Warnerus de Bollandia[3] dapifer necnon alii marchiones, comites, barones de Theutonia et Apulia plures quam quadringenti et cum eis numerosa militum et peditum multitudo, recepto palam crucis signaculo, in proximo passagio Martii se transfretaturos in predicte terre subsidium

a) obtinentur *Rayn.*

1) *Pelagius.* 2) *Nov. 22.* 3) *Neque Conradus episcopus Metensis neque Wernerus de Bollanden votum suum executus est; Ludowicus dux Bavariae transfretavit a. 1221 circa mensem Aprilem; cf. Winkelmann, Fried. II. p. 167, 168 not. 1, 269, 271.*

devoverunt. Propter quod expedit, ut crucesignati et crucesignandi ad transfretandum sine omni mora festinent, quatinus coadunatis viribus procedentes facilius, ut speramus, auctore Domino inimicos nominis Christiani valeant profligare.

Dat. Later. V Kal. Decemb. pontificatus nostri anno quinto.

147.

Honorius III papa [Ludovico] duci Bavariae scribit de termino transfretandi in Terram Sanctam. *1220, Nov. 30.*

Hon. III Reg. Vol. III, 37: Lib. V, 182.
Potthast, Reg. 6416.

Nobili viro duci Bavarie.

Cum carissimus in Christo filius noster Fredericus, Romanorum imperator illustris, quinque milia marcarum se certo termino soluturum promiserit tibi, promittenti eidem te in instanti Martio ad subventionem Christiani exercitus transiturum, presentium tibi auctoritate concedimus, ut, si dicta pecunia tibi soluta non fuerit termino constituto, tu usque ad Augustum proximum dilationem habeas transfretandi.

Dat. Lateran. II Kal. Decembris, anno quinto.

148.

Honorius III papa [Pelagio] Albanensi episcopo, apostolicae sedis legato, scribit de [Ludovico] duce Bavariae proximo Martio ad succursum Terrae Sanctae transituro. *1220, Nov. 30.*

Hon. III Reg. Lib. V, 183.

Albanensi episcopo, apostolice sedis legato.

Tuum et Terre Sancte succursum accelerare anexie satagentes, ordinavimus cum karissimo in Christo filio nostro Frederico Romanorum imperatore illustri, ut quia ipse ante proximum Augustum personaliter transire non potest, premittat in proximo Martio cum parte sui exercitus nobilem virum . . ducem Bavarie, in Augusto proximo cum apparatu imperiali magnificentia digno personaliter transiturus. Ad animum autem ipsius ducis ad id fortius incitandum eidem promisimus, quod duo milia marcarum a te sibi faceremus exolvi in exercitus Christiani subsidio convertenda. Ideoque fraternitati tue presentium auctoritate mandamus, quatinus si dux ipse moram in exercitu Christiano fecerit congruentem, dictam pecuniam sibi de hiis, que tibi Dominus per misericordiam suam et per nostrum studium ministrabit, per diversos terminos tribuas cum ea providentia et cautela, quod in iamdicte terre subsidium convertatur.

Dat. ut supra.

149.

Honorius III papa C[onrado] episcopo Metensi scribit, se personam et ecclesiam eius, cum in Terrae Sanctae subsidium proposuerit proficisci, sub sua protectione suscipere. *1220. Dec. 1.*

Hon. III Reg. Vol. III, 38, 39; Lib. V, 191.

C. Metensi episcopo, imperialis aule cancellario.

Dignum est, ut divinis insistentes obsequiis privilegio gaudeant gratie specialis. Cum igitur zelo fidei et devotionis accensus proposueris in Terre Sancte subsidium proficisci, nos personam et ecclesiam tuam cum omnibus bonis suis sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, statuentes ut sub speciali apostolice sedis defensione consistant, donec de tuo reditu vel obitu certissime cognoscatur. Ad hec ut comodius exequi valeas votum tuum, obligandi propter hoc redditus mense tue a festo purificationis [1] instante usque ad quadriennium liberam tibi concedimus facultatem. Nulli ergo etc. nostre protectionis, constitutionis et confirmationis infringere. Si quis autem etc.

Dat. Lateran. Kal. Decembr. anno quinto.

150.

Honorius III papa Alberto comiti de Mangone quaedam loca terrae comitissae Mathildis, quae singula enumerantur, in feudum concedit, ea conditione, ut singulis annis unum asturem et duos braccos solvat et cum quattuor militibus per octo dies in servitio ecclesiae moretur. *1220. Dec. 5.*

Hon. III Reg. Vol. III, 41; Lib. V, 211.
Potthast, Reg. 6126.

Nobili viro Alberto comiti de Mangone [2]; cum seta.

Ad communem notitiam volumus pervenire, quod fidelitatis iuramento a te recepto pro terra Vallese, Rocca Gomfienti, Monticelli, Barga, Arigaza, Pidierla, Casi, Rocca de Vico, Castreola, Limango, Greta, Mocone, Palliano, Monticello, Fossato, Torri, Baeti et Savingnano cum omnibus earum pertinentiis, que fuerunt de terra clare memorie comitisse Matildis, et que pater tuus noscitur tenuisse, te de fratrum nostrorum consilio et consensu investivimus de eisdem, nobis de imperiali voluntate libere restitutis, ea in feodum tibi et tuis legitimis heredibus concedendo, ecclesiarum omnium iure salvo. Singulis autem annis nobis et successoribus nostris dabis unum asturem [3] et duos braccos [4] in feodi recognitionem predicti, et cum fueris requisitus, semel in anno venies cum quatuor militibus, in servitio seu exercitu ecclesie per octo dies in tuis moraturus expensis, veniendi ac redeundi tempore minime computato. In huius autem rei memoriam presentes litteras tibi concessimus bulle nostre munimine roboratas.

Dat. Lateran. Nonis Decembr. anno quinto.

1) *Febr. 2.* 2) *Ex septentrione urbis Florentiae.* 3) *accipitrem maiorem.* 4) *canes sagaces.*

151.

Honorius III papa nobili viro Azoni de Fregnano alia loca terrae comitissae Mathildis, quae ibi enumerantur, eisdem conditionibus in feudum concedit.

1220, Dec. 5.

Hon. III Reg. Lib. V. 212.
Potthast, Reg. 6427.

Nobili viro Azoni de Fregnano[1]; cum seta.

Ad communem notitiam volumus pervenire, quod nos fidelitatis a te iuramento recepto pro castro Rofensi[a] cum plebatu et curte, Labanto, Castello novo, Fusiano, Arimannis, Rodiano, Calvezano, curte de Pratis, Sancto Petro, Montese, Montaltu, et Monte Torture, cum omnibus earum pertinentiis, que fuerunt de terra clare memorie comitisse Matildis, et que pater tuus etc. etc. ut supra.

152.

Honorius III papa [Eberhardo II] archiepiscopo Salisburgensi et [Carolo] Seckoviensi et [Roberto] Vespriniensi episcopis mandat, ut [Andream] Ungariae regem compellant, ut Constantiae imperatrici restituat pecuniam et alias res preciosas, quas in domo Hospitalis Hierosolymitani apud Strigonium depositas per violentiam occupaverit.

1220, Dec. 5.

Hon. III Reg. Vol III, 12, 13; Lib. V, 220.
Potthast, Reg. 6409; sub. Nov. 25.

. . archiepiscopo Salzeburgensi et . . Sechowensi et . . Vesprimiensi episcopis.

Cum apud nos esse non debeat acceptio personarum, qui magnum iudicare Ephe. 6.9.
tenemur ut parvum, sicut impotentibus contra potentes adesse debemus iuxta nostre plenitudinem potestatis, sic et potentibus viris non debemus auxilium denegare, ne laxare licentiam iniuriis videremur. Sane karissima in Christo filia nostra Constantia, Romanorum imperatrix illustris, sua nobis conquestione monstravit, quod cum olim quasi capta in Ungaria remansisset, karissimus in Christo filius noster . . Ungarie rex illustris pecuniam et res alias pretiosas usque ad valentiam triginta milium marcharum, quas in domo Hospitalis Ierosolimitani apud Strigonium[2] deposuerat, nec Deo nec loco deferens, per violentiam occupavit. Ut igitur dictus rex conscientie sue consulat et honori, serenitatem suam monemus et hortamur attente, ut super hoc eidem imperatrici taliter satisfaciat, quod nulla ei de se iuste remaneat materia conquerendi. Cum igitur absurdum sit predicte imperatrici negari iustitiam, que humilitatem potentie preferens, non fortitudine set ratione prosequitur quod intendit, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus si dictus rex monitionem nostram neglexerit adimplere, vos eum ad id districtione, qua convenit, appellatione remota veritate cognita compellatis. Testes autem etc. Quod si non omnes etc.

Dat. Lateran. Nonis Decembr. pontificatus nostri anno quinto.

a) Rofeñ *R.*

1) *E meridie Mutinae.* 2) *Gran.*

153.

Honorius III papa eisdem mandat, ut [Andream] Ungariae regem, qui Constantiae imperatrici, [Emerici] regis viduae, XII milia marcarum eidem nomine dotalicii quondam assignatarum solvere deneget, ad id compellant. *1220, Dec. 5.*

Hon. III Reg. Lib. V, 221.
Potthast, Reg. 6428.

Eisdem.

Cum apud nos esse non debeat acceptio personarum etc. usque: videremur. Sane karissima in Christo filia nostra Constantia, Romanorum imperatrix[a] illustris, sua nobis conquestione monstravit, quod cum clare memorie . . rex Ungarie ipsam ducens legitime in uxorem, duos comitatus ei nomine dotalicii assignasset, ita quod si superviveret regi, quamdiu vellet in Ungaria remanere, ipsos cum suis proventibus plenarie retineret, vel si remanere nollet ibidem, duodecim milia marcarum sibi pro dotalicio solverentur, processu temporis viro et filio suo parvulo viam universe carnis ingressis, regnum exivit, set karissimus in Christo filius noster . . Ungarie rex illustris dicta duodecim milia marcarum, sibi debita iuxta conventionis tenorem, eidem solvere denegat pluries requisitus. Ne igitur dictus rex eidem imperatrici negando debitum iniuriari probetur, quam debet propensius honorare, serenitatem suam monemus et hortamur attente, ut taliter super hoc eidem imperatrici satisfacere studeat, quod ex iustitia gratiam sibi comparet, et nos mansuetudinem regiam possimus merito commendare. Cum itaque non possimus eidem in iure deesse, precipue in huiusmodi causa, in qua pauperculis etiam mulieribus nos favorabiles exhibemus, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus si dictus rex etc. ut supra usque in finem.

154.

Honorius III papa Friderico Romanorum imperatori significat, quamquam imperatores non habeant fodrum exigere in Maritima vel Campania, se tamen in illas partes direxisse R[omanum] Sancti Angeli diaconum cardinalem, ut id studiose et diligenter ei impendi faciat. *1220, Dec. 11.*

Hon. III Reg. Vol. III, 44; Lib. V, 228.
Potthast, Reg. 6434.

Friderico, Romanorum imperatori semper augusto et regi Sicilie.

Non credimus, quod unquam aliquis Romanus pontifex sinceriorem caritatem ad aliquem imperatorem habuerit, quam nos ad personam tue sublimitatis habemus, sicut evidentibus potuisti cognoscere argumentis, et cognosces dante Domino diebus omnibus vite nostre. Si ergo in exhibendo tibi fodro imperiali difficultas fuit aliqua vel defectus, grave nobis est plurimum et molestum, nec id nobis potest aliquatenus imputari. Te enim appropinquante ad Tuscie partes universis civitatibus nostre ditioni subiectis expresse mandavimus, ut procurationes seu fodrum tibi liberaliter et ylariter exhiberent, ac ne quis iussioni nostre presumeret contraire, dilectum filium Alatrinum,

a) imperatris *R.*

subdiaconum et capellanum nostrum, qui non minus est tibi quam ecclesie Romane devotus, immo qui totus est tuus, illuc destinare curavimus, ut omnia decenter per eius sollicitudinem complerentur, et quia secundum tenorem privilegii super hoc facti inter ecclesiam et imperium fodrum ipsum non debet nisi per nuntios ecclesie Romane requiri. Porro imperatores Romani huiusmodi procurationes seu fodrum exigere non habent per[a] Maritimam vel Campaniam, cum per partes illas non fit eorum transitus, quando ad coronam veniunt, vel quando ad propria revertuntur, et si qui hec aliquando receperunt ad invadendum regnum Sicilie anhelantes, non iustitia set violentia intervenit. Sed et si hoc debitum esset, deberet tamen per nuntios ecclesie Romane requiri, iuxta tenorem privilegii memorati. Nos tamen hec circa personam tuam minime attendentes, set volentes a nostris omnem tibi honorificentiam liberaliter exhiberi, ad partes illas direximus dilectum filium nostrum R. Sancti Angeli diaconum cardinalem, qui tibi est speciali affectu et devotione coniunctus, et qui totius Campanie ac Maritime rector existit, iniuncto eidem, ut fodrum et omnem honorificentiam tibi faceret studiose ac diligenter impendi. Et ecce receptis tue magnificentie litteris eidem cardinali per scripta nostra dedimus in mandatis, ut ita provideat, quod omnia tibi sic exhibeantur ad plenum, ne ullus possit inveniri defectus, tue celsitudini protestantes nos hec facere non ex debito set ex speciali gratia et sincere caritatis affectu.

Dat. Lateran. III Idus Decembr. anno quinto.

155.

Honorius III papa R[omano] Sancti Angeli diacono cardinali mandat, ut Friderico Romanorum imperatori notificet, quod fodrum per Maritimam et Campaniam ei dari mandaverit non ex debito sed ex speciali gratia. *1220, Dec. 11.*

Hon. III Reg. Vol. III, 45; Lib. V, 232.
Potthast, Reg 6435.

R. Sancti Angeli diacono cardinali, Campanie Maritimeque rectori.

Karissimus in Christo filius noster Fridericus, Romanorum imperator et semper augustus et rex Sicilie, quasdam nobis litteras destinavit, in quibus insinuare videtur, quod in exhibitione fodri Campanie ac Maritime sibi digne non fuerit satisfactum, asserens quod ad recolligendum fodrum ipsum magistrum Iohannem notarium suum et Stephanum Tiniosum curavit per Campaniam et Maritimam destinare. Sane tuam credimus nosse prudentiam, huiusmodi fodrum Romanis imperatoribus a Campanis vel Maritimanis non deberi, cum partes illas transire non habeant, nisi forte pro facto regni Sicilie, ad quod eis non debet a nobis vel nostris auxilium exhiberi, et licet eorum aliqui aliquando fodrum ipsum extorserint, dum ad invadendum regnum ipsum avide properarent, non tamen iustitia set violentia intervenit. Denique si sepedictum fodrum de iure ipsis imperatoribus deberetur, non deberet tamen requiri nisi per sedis apostolice nuntios, prout privilegium super huiusmodi fodris factum[b] inter ecclesiam et imperium manifestat. Ideoque discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus hec omnia eidem imperatori prudenter et diligenter exponens, sibi notifices, quod fodrum ipsum per Maritimam et Campaniam sibi dari mandavimus non ex debito

a) in *R.* b) factis *R.*

set ex speciali gratia et sincero caritatis affectu, suadendo eidem, ne sibi contrarium suggerentibus in hiis aut aliis aures imperialis maiestatis inclinet, cum plus benefactis nostris credere debeat quam fallacibus sermonibus aliorum. Porro fodrum per Campaniam et Maritimam a nuntiis tuis colligi facias et predictis imperatoris nuntiis exhiberi, ut quod incepimus facere de gratia liberali, liberaliter compleatur.

Dat. Lateran. III Idus Decembr. pontificatus nostri anno quinto.

In eundem modum scriptum est Alatrino, subdiacono et capellano nostro, usque: sermonibus aliorum.

156.

Honorius III papa archiepiscopis et aliis praelatis per regnum Arelatense constitutis mandat, ut consilium, auxilium et favorem praestent Guillielmo marchioni Montisferrati, cui Fridericus Romanorum imperator hoc regnum ordinandum commiserit.

1220, Dec. 13.

Hon. III Reg. Vol. III, 41; Lib. V, 229.
Potthast, Reg. 6439, 6440.

Archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis aliis ecclesiarum prelatis per regnum Arelatense constitutis.

Karissimus in Christo filius noster Fridericus, Romanorum imperator et semper augustus et rex Sicilie, regnum Arelatense dilecto filio nobili viro Guillielmo marchioni Montisferrati commisit, qui, sicut coram nobis exposuit, regnum ipsum in fidelitate imperii et ecclesie devotione desideret solidare. Cum igitur idem marchio et proienitores sui semper fuerint viri catholici et ecclesie Romane devoti, ac per hoc non iniuste speremus, quod negotium fidei, quantum in ipso fuerit, promovere studebit, universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus eidem id iuxta nostram fiduciam facienti prestare studeatis consilium, auxilium et favorem, prout negotii sibi commissi promotio videbitur postulare.

Dat. Lateran. Idibus Decembris, anno quinto.

In eundem modum scriptum est super hoc . . Diensi[1] et . . Valentinensi[2] episcopis, excepto ubi dicitur: universitati; in ista dicitur: fraternitati etc.

In eundem modum scriptum est C[onrado] Portuensi episcopo, apostolice sedis legato, usque: auxilium et favorem, et facias a prelatis et aliis consistentibus in tua legatione prestari. Specialiter autem venerabiles fratres nostros . . Valentinensem et . . Diensem episcopos, de quorum fide atque prudentia nos et idem marchio gerimus fiduciam specialem, ei consiliarios et auxiliarios deputes, ut vice tua dirigant gressus eius et faciant alia, que negotii sibi commissi promotio videbitur postulare.

Dat. ut supra.

157.

Honorius III papa P[elagio] Albanensi episcopo nuntiat, se Fridericum Romanorum imperatorem una cum consorte eius coronasse; qui cum se exercitui Christiano proximo

1) *Desiderio.* 2) *Geroldo.*

Martio succursum destinaturum ipsumque sequenti Augusto personaliter transfretaturum promiserit, de desiderato succursu confortetur. 1220, Dec. 15.

Hon. III Reg. Lib. V, 250. Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1220, § 21. Potthast, Reg. 6442.

P. Albanensi episcopo, apostolice sedis legato.

Quia scimus animum tuum super statu imperii expectatione suspensum, ecce tue fraternitati exponimus, nos dominica ante adventum Domini proxima[1] karissimum in Christo filium nostrum Fredericum, Romanorum imperatorem semper augustum et regem Sicilie, et illustrem imperatricem consortem eius in principis apostolorum basilica cum inestimabili alacritate ac pace civium Romanorum solemnissime coronasse. Qui facta tribus diebus in Monte Malo[2] mora continua, tandem prestita nobis securitate, quod tibi et Christiano exercitui in proximo Martio succursum magnifice destinabit et in sequenti Augusto personaliter transfretabit, regnum cum pace ac gaudio est ingressus, ea que ad subsidium Terre Sancte pertinent provisurus. Confortare ergo in Domino, et in eius servitio exercitus Christiani corda confirma, desideratum succursum favente Domino magnifice habiturus.

Dat. Later. XVIII Kal. Ianuar. pontificatus nostri anno quinto.

158.

***H**onorius III papa de Nordia, de Feldvir et de Agavert abbatibus mandat, ut guerram inter Hinetensem et Federgensem provincias exortam per pacem vel treugas conficiant.* 1220, Dec. 16.

Hon. III Reg. Vol. III, 51. Lib. V, 254.

. . de Nordia[3] et . . de Feldvir[4] et . . de Agavert[5] abbatibus Monasteriensis diocesis.

Ad audientiam nostram noveritis pervenisse, quod inter Federgensem[a] [6] et Hinetensem[b] [7] provincias occasione cuiusdam provincie, quam illarum utraque contendit sue subicere ditioni, guerra gravissima est exhorta, per quam multitudo crucesignatorum in illis partibus existentium a Terre Sancte subsidio retardatur. Ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus partes ad firmam pacem vel saltim ad treugas ineundas ex parte Dei et nostra moneatis prudenter et efficaciter inducatis, eos ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellentes.

Dat. Lateran. XVII Kal. Ianuar. pontificatus nostri anno quinto.

a) Federgeñ. b) Hineteñ.

1) *Nov. 22.* 2) *Monte Mario, ad dextram Tiberis ripam extra Romae ambitum versus septentrionem.* 3) *Norden in Frisia orientali.* 4) *Feldwerte apud ostium Amisiae.* 5) *Adoardiam, ex septentrione Groningae sitam, esse puto.* 6) *Haec provincia ecclesiastica nomen accepit a pago Federitgo inter Emden et Norden.* 7) *Ex septentrione oppidi Emden: extat hodie vicus Hinte nomine.*

159.

Honorius III papa [Pelagium] episcopum Albanensem providere iubet, si tractatus usque ad adventum F[riderici] Romanorum imperatoris cum Sarracenis haberi possit.

1221, Ian. 2.

Hon. III Reg. Vol. III. 61; Lib. V, 304.

Episcopo Albanensi, apostolice sedis legato.

Firmiter credimus et nullatenus dubitamus, multis sollicitudinibus te urgeri pro negotio Iesu Christi; credimus etiam, quod in dubium prudentia tua non revocat nos non dare tempora otio, quin immo diligenti cura et diligentia multa insistere circa idem. Et quidem hec fuit quasi potissima causa, propter quam iuxta consilium tuum ad coronationem karissimi in Christo filii nostri F., Romanorum imperatoris semper augusti et regis Sicilie, festinum et efficacem curavimus habere processum. Quid autem ipse et ante coronationem suam et in die ipsius coronationis promiserit, quamque sollempniter promissionem suam in omnium astantium audientia publicaverit, et quos et quales et quantos sollicitaverimus ad subsidium Terre Sancte, per alias litteras iam ad te credimus pervenisse. Verum quia futura frequenter dubio suspenduntur eventu, circumspectio tua provideat, si medio tempore possit haberi tractatus, qui ad gloriam Dei et Christianitatis cedat honorem, et quod occurrerit nobis, ante quam stabilias aliquid, cito et caute rescribas, ut facta collatione de illis, que per te nobis fuerint intimata, et hiis, que tunc parata viderimus ad succursum, dirigatur prudentius negotium Iesu Christi, et provideatur salubrius subsidio Terre Sancte.

Dat. Lateran. IIII Non. Ianuarii, pontificatus nostri anno quinto.

160.

Honorius III papa [Henrico] Bononiensi episcopo nuntiat, se nuper in coronatione Friderici Romanorum imperatoris omnes haereticos eorumque fautores excommunicasse; mandat ei, ut hanc sententiam publicari faciat et inviolabiliter observari.

1221, Ian. 4.

Hon. III Reg. Lib. V, 310. Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1220, § 23. Potthast, Reg. 6469.

Bononiensi episcopo.

Noverit fraternitas tua, quod nos nuper in basilica principis apostolorum presente karissimo in Christo filio nostro Frederico, illustri Romanorum imperatore semper augusto et rege Sicilie, in celebratione missarum, postquam capiti suo imposuimus imperii diadema, de consilio fratrum nostrorum accensis candelis excommunicavimus ex parte Dei omnipotentis, auctoritate quoque beatorum apostolorum Petri et Pauli et nostra, omnes hereticos utriusque sexus, quocunque nomine censeantur, et fautores, receptatores et defensores eorum, necnon et qui de cetero servari fecerint statuta edita et consuetudines, vel potius abusiones introductas contra ecclesie libertatem, et nisi ea de capitularibus suis infra duos menses post huiusmodi publicationem sententie fecerint amoveri. Item excommunicavimus statutarios et scriptores statutorum ipsorum, necnon potestates, consules, rectores et consiliarios locorum, ubi de cetero huiusmodi statuta vel consuetudines edite fuerint vel servate, necnon et illos, qui

secundum ea presumpserint iudicare vel in publicam formam scribere iudicata etc. — Fraternitati tue per apostolica scripta precipimus mandantes, quatinus prescriptam sententiam per civitatem et diocesem tuam solemniter et frequenter publicari facias et inviolabiliter observari.

Dat. Laterani, II Nonas Ianuar. pontificatus nostri anno quinto.

161.

Fridericus Romanorum imperator ad requisitionem amici sui Hugolini Ostiensis et Velletrensis episcopi donat et confirmat abbati et conventui Sanctae Mariae de Monte Mirleti supra Nimpham tenimentum Turrianum, quod post mortem Symonis de Mamistra ad suum demanium devenerat, eique aliquot magni pretii iura et libertates concedit.

1221, Ian.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 85, 86; Lib. VII, 300
Ed. a Winkelmann, Act. Imp. ined. p. 187, n. 210.

162.

Fridericus Romanorum imperator universis imperii fidelibus mandat, ut viriliter ad succursum Terrae Sanctae se praeparent et accingant, de quo ipse diebus et noctibus cogitet; monet, ut efficaciter impleant, quaecunque Hugolinus Ostiensis et Velletrensis episcopus, apostolicae sedis legatus, iis duxerit proponenda. *1221, Febr. 10.*

Hon. III Reg. Vol. III, 88; Lib. V, 146.
Ed. a Pertzio, LL. t. II, p. 245.

163.

Fridericus Romanorum imperator Hugolino Ostiensi episcopo gratulatur, quod Honorius III papa ei ad promotionem crucis Christi per Lombardiam et Tusciam plenae legationis officium concesserit, eique potestatem dat, ut omnes illos, qui suppositi sint banno, ab eo, cum expedire viderit, in favorem negotii Terrae Sanctae absolvere valeat.

1221, Febr. 10.

Hon. III Reg. Lib. V, 147.
Ed. a Pertzio, LL. t. II, p. 246.

164.

Fridericus Romanorum imperator potestatem et populum Mediolanensem rogat et hortatur, ut pro subsidio Terrae Sanctae sine dilatione in praesenti passagio certum numerum militum destinent. *1221, Febr. 10.*

Hon. III Reg. Lib. V, 148.
Ed. a Pertzio, LL. t. II, p. 247.

165.

Honorius III papa universis notum facit, quomodo ducatum Spoletanum et terram comitissae Mathildis sub ecclesiae Romanae dominium revocaverit. *1221, Febr. 18.*

Hon. III Reg. Vol. II, 212, 213; Lib. IV, 860[1].
Potthast, Reg. 6567.

Universis presentes litteras inspecturis.

Ne rerum gestarum memoria cum tempore labente labatur, et in oblivionem veritas veniens vagetur incerta, si ei fuerit fides adempta, inventum est autenticarum remedium scripturarum, que factorum perpetuantes memoriam, indubitatam fidem faciant veritati, que sua luce clarescens non patitur iustitiam falsis calumpniis obumbrari. Unde ad universorum notitiam volumus pervenire, quod cum magna pars comitatus comitisse Matildis, qui totaliter ad Romanam ecclesiam pertinet pleno iure, a multis et variis personis detineretur indebite occupata, et tam cives Spoletani quam fere totus ducatus Spoletanus nobis nullatenus responderent, nos in illo spe nostra (Psal. 144.18.) totaliter posita, qui adest in veritate invocantibus nomen eius, quamquam infinitis et arduis essemus negotiis inevitabiliter occupati, ad recuperanda iura ecclesie sollicite intendentes, venerabili fratri nostro . . Ostiensi episcopo[2], tunc legationis fungenti officio in partibus Lombardie, direximus scripta nostra, ut duo castra, videlicet Medicinam et Argillatam, que Bononienses tunc temporis detinebant, ad demanium sedis apostolice revocaret. Qui iuxta mandatum nostrum illa recipiens, dilecto filio Henrico de Paragnano[a], subdiacono nostro, quamdiu nobis placeret, commisit fiducialiter gubernanda, et homines castrorum ipsorum eidem nomine nostro fidelitatis iuramenta prestantes, ei de rationibus nostris responderunt integre ac respondent. Deinde[3] inter[b] Spoletanos, Narnienses, Coccionenses et adiutores eorum ex parte una et Iterampnenses, Tudertinos, Fuliginates et adiutores eorum ex altera gravi guerra suborta, ita quod preter stragem virorum et multimoda rerum dampna et, quod est gravius, animarum pericula, que utraque pars incurrerat, multi detinerentur hinc inde captivi, nos eis paterno compatientes affectu, licet quidam ex illis viderentur filialem obedientiam abiecisse, dilectum filium Pandulfum, subdiaconum et notarium nostrum, illuc curavimus destinare, ut omnes ad pacis federa inienda tam spirituali quam temporali districtione compellens, captivos utrimque faceret liberari. Qui mandatum nostrum diligenter adimplens, studuit in manu forti corripere inquietos et pusillanimes consolari, et quorundam rebellium pertinacia congrue castigata et captivis redditis libertati, potestatibus civitatum et castrorum fere omnium de ducatu, quos apud Bevaniam[4] ad suam presentiam evocarat, sub debito fidelitatis et pena mille librarum iniunxit, ut in octavis apostolorum Petri et Pauli quelibet potestas cum tribus vel quatuor de comunitate sua vicem omnium habentibus se apud Urbemveterem nostro conspectui presentaret. Quibus in prefixo termino in nostra presentia constitutis, post tractatum diutinum tam super pace inter ipsos plenius reformanda quam super ducatu ad manus ecclesie retinendo, quod et cum predicto subdiacono tractaverant diligenter, tandem Perusini, Asisinates, Fuliginates, Nucerini et Iterampnenses iuxta mandatum

a) Hen̄ de Paragnañ. *R.* b) Deinde cum inter *R.*

1) *Haec est postrema epistolarum voluminis secundi. Scriba qui eas in regesta referebat, huius epistolae exemplum habuisse videtur, quod nota chronologica adhuc caruit, quodque recte inserere nesciens volumini secundo addidit.* 2) *Hugolino.* 3) *cf. n. 122.* 4) *sive Mevanium, hodie Bevagna prope Spoletum.*

nostrum munitiones, castra et regalia, sicut ea umquam habuit aliquo tempore clare memorie dux Conradus, in nostris manibus libere resignarunt. Et licet Spoletani super hiis, que de ducatus demanio detinebant, exhibuerint se difficiles, asserentes quod, si predictus dux ea possedit aliquando, possessor fuerat violentus, tandem tamen super hiis nostris paruerunt beneplacitis et mandatis; et sic toto ducatu ad manus sedis apostolice revocato, tam ducatui quam Asisii et Nucerie comitatibus dilectum filium nostrum R[aynerium] Sancte Marie in Cosmidin diaconum cardinalem prefecimus in rectorem. Qui omnia, que in hiis ad Romanam ecclesiam pertinent, obtinens pacifice ac quiete, cuncta pro voluntate sua disposuit et disponit, iuramentis fidelitatis ab hominibus ducatus et comitatuum sine difficultate receptis. Ad hec cum quidam Teutonicus marescalcus castrum Pretense detinuisset diutius occupatum, nos missis illuc nuntiis nostris amoto exinde marescalco predicto recuperavimus castrum ipsum, universis habitatoribus eius dilecto filio S. camerario nostro, ad hoc a nostro latere destinato et ab eis honorifice ac devote recepto, nomine nostro fidelitatis exhibentibus iuramenta. Unde nos tam idem castrum quam Radicofanum et Aquapendentem[1] dilecto filio Musee potestati Viterbiensi fideli nostro commisimus, quamdiu nobis placuerit, gubernanda. Preterea cum karissimus in Christo filius noster F. Romanorum imperator, tunc rex, veniens suscepturus de manibus nostris imperii diadema, venerabilem fratrem nostrum . . Metensem episcopum[2], imperialis aule cancellarium, in Italiam premisisset, misimus ad eum dilectum filium Raynaldum Munaldi, subdiaconum et capellanum nostrum, ut ei vice nostra comitatum comitisse Matilde libere resignaret, sicut a rege ipso fuerat sibi iussum. Et licet cancellarius ipse petitionem eiusdem subdiaconi usque ad adventum regis circa partes Bononie distulisset, tandem tamen idem rex tam de castro Gonzage[3] quam de aliis castris, scilicet Pepugneno, Bondeno veteri et Bondeno novo[4], necnon de toto comitatu et podere ac terris comitisse predicte magistrum Alatrinum, subdiaconum et capellanum nostrum, qui erat cum eo, et eundem R. ecclesie Romane nomine investivit, et eos constituit possessores, mandans ipsos per venerabilem fratrem nostrum . . episcopum Taurinensem[5] vicarium suum in corporalem possessionem induci, et precipiens tam omnibus militibus et habitatoribus castrorum ipsorum quam aliis vassallis de ipso comitatu seu terris et podere, ut omnes ab omni iuramento, quo ipsi tenebantur ratione terrarum ipsarum, penitus absoluti, eisdem capellanis vel eorum alteri seu cuilibet alii ab ecclesia Romana misso fidelitatis iuramenta prestarent et abiurarent alia hiis contraria iuramenta; quod si non facerent, scirent se ex tunc omnibus bonis comitatus sive poderis seu terrarum ab ipsis possessis regia sententia perpetuo esse privatos. Preterea iniunexit firmiter et mandavit potestatibus, consulibus et rectoribus civitatum sub pena mille marcarum, ut omnes possessiones comitatus predicti detentas ab ipsis sine difficultate ac mora qualibet restituerent, et absolverent omnes de comitatu et terris predictis ab omni iuramento, districtu et obligationibus, quibus ratione alicuius iurisditionis, quam in eis hactenus exercuerant, tenerentur eisdem, et removerent consules et rectores, baiulos et si quos officiales ipsis prefecerant, et extraherent, quoscumque posuerant, de terris eisdem, et de cetero memoratis capellanis vel eorum alteri seu cuilibet alii a sede apostolica destinato ad retinendam possessionem, quam habent, et recuperandam, quam non habent, prestarent consilium, auxilium et favorem. Et sic factum est, quod multi barones, milites et alii terrarum ipsarum eisdem capellanis nomine nostro fidelitatis iuramenta prestantes, recognoverunt se omnia, que de comitatu predicto tenebant, per Romanam ecclesiam possidere. Verum quia nobiles

1) *Ex occidente Urbis veteris.* 2) *Conradum.* 3) *Ex oriente Wardistallae.* 4) *Prope Padum, ex occidente Ferrariae.* 5) *Iacobum.*

viri filii comitum Alberti et Neresii[1] castrum[a] Gonzage cum pertinentiis suis detinebant invasum, predictus cancellarius eis sub pena mille marcarum iniunexit, ut castrum ipsum sine difficultate qualibet resignarent; quia id efficere renuerunt nec voluerunt in regis presentia comparere, idem rex de consilio suorum principum bannum ipsius cancellarii confirmavit, et personas eorum sub perpetuo imperii banno ponens, bona ipsorum, ubicumque inventa forent, confiscari precepit, nisi usque ad diem dominicum proximo tunc venturum resignarent in manibus capellanorum ipsorum vel eorum alterius castrum ipsum. Precepit quoque Cremonensibus, Parmensibus, Reginis, Mutinensibus, Bononiensibus et generaliter universis fidelibus suis, ut predictis nobilibus, adiutoribus et fautoribus vel aliis detentoribus castri predicti facerent vivam guerram. Inhibuit etiam Mantuanis, Veronensibus, Ferrariensibus, Brixiensibus et aliis fidelibus suis sub obtentu fidelitatis et certa pena, ne ipsis impenderent consilium, auxilium vel favorem, sicut in litteris regio sigillo munitis perspeximus plenius contineri. Et quia castrum Bondense vetus dirutum erat, nuper reedificatum est et ab ecclesie Romane fidelibus pacifice habitatur. Dilectus quoque filius Albertus comes Pratensis fidelitatis nobis prestito iuramento . . .[2] castra recepit a nobis in feodum, unum asturem et duos braccos pro eisdem castris ecclesie Romane annis singulis redditurus, quos etiam nobis pro uno anno persolvit. Preterea licet marchiam Anconitanam ad manus suas ecclesia Romana pro maiori parte teneret, nichilominus tamen predictus imperator eam nobis omnino quietans et refutationem faciens, prout in ipsius litteris plenius continetur, precepit omnibus de marchia, ut nobis tamquam domino suo decetero plenarie responderent. Cumque nos postmodum dilecto filio nobili viro . . marchioni Estensi[3] eam in feudum duxerimus concedendam, presente imperatore investientes eundem de ipsa marchia per vexillum, nos prenominatum Pandulfum, subdiaconum et notarium nostrum, et imperator venerabilem fratrem nostrum . . patriarcham Aquilegensem[4] illuc curavimus destinare, ut eum in possessionem marchie inducentes, ei facerent de omnibus rationibus suis integre responderi, civitate tamen Anchonitana, quamdiu nobis placuerit, in nostris manibus reservata, et universo patrimonio beati Petri a ponte Ceperani[5] usque Radicofanum possesso et disposito pacifice ac quiete pro nostre beneplacito voluntatis.

Dat. Laterani, XII Kal. Martii, pontificatus nostri anno quinto[6].

166.

Honorius III papa magistro Conrado poenitentiario et Iohanni scholastico Xantensi mandat, ut pecuniam de redemptione crucesignatorum nondum collectam in Coloniensi et Bremensi provinciis colligentes, eam in praeparandis navibus ad succursum Terrae Sanctae faciant expendi. *1221. Mart. 2.*

Hon. III Reg. Vol. III, 84; Lib. V, 422.
Bibl. Patrist. Hon. III Ep. Lib. V, n. 276.

[a]) Neresii qui castrum *R.*

1) *Cf. Huillard-Bréholles, Hist. dipl. Frid. II, t. I, 855.* 2) *cf. n. 150.* 3) *Azzoni VII.* 4) *Bertoldum.* 5) *apud Garilianum e meridie Verolae.* 6) *Datum Pertzius supplevit ex Cencii libr. cens. fol. 167.*

Magistro Conrado, cappellano et penitentiario, et Iohanni scolastico Xanctonensi[1].

Quia novimus vos una nobiscum ad Terre Sancte subsidium totis desideriis aspirare, que ad id pertinent promovendum, vobis committimus fiducialiter et libenter. Cum igitur, sicut accepimus, in Coloniensi et Bremensi provinciis multi susceperint signum crucis et plurimi suscepturi sperentur, qui navium indigent apparatu, per quas predicte terre tanto utilius possunt succurrere, quanto tam victualia quam arma et alia instrumenta bellica comodius illuc possunt Domino adiuvante transferre, nos volentes eos in hoc congruis auxiliis adiuvare, discretioni vestre, de qua in Domino plenam obtinemus fiduciam, per apostolica scripta mandamus, quatinus pecuniam de redemptione crucesignatorum nondum collectam in predictis provinciis colligentes, eam secundum providentie vestre studium in preparandis navibus ad succursum Terre Sancte faciatis expendi: attentius provisuri ut pecunia ipsa taliter expendatur in terre supradicte profectum, quod nos concepta de vobis fiducia non fraudetis, set potius vos apud Deum et homines reddatis merito commendandos. Preterea ut hiis, qui de partibus suis navigio iter intendunt arripere ad subsidium Terre Sancte, dilationem exequendi votum iuxta quod expedire videritis concedatis, liberam vobis concedimus facultatem.

Dat. Lateran. VI Non. Martii, pontificatus nostri anno quinto.

167.

Honorius III papa confirmat privilegium Friderici imperatoris, quo ecclesiae, praeposito et capitulo Aquensi concedit, ut in omni districtu imperii homines ipsius ecclesiae victualia frumenti et vini ad opus ecclesiae tam per terras quam per aquas deferant sine theloneo, passagio aut exactione aliqua. *1221, Mart. 2.*

Hon. III Reg. Vol. III, 86; Lib. V, 434.
Privilegium ipsum edidit Huillard-Bréholles, Hist. dipl. Frid. II, t. II, p. 78.

Huic privilegio in fine additum est: Confirmata Lateran. VI Non. Martii, pontificatus nostri anno quinto.

In eundem modum scriptum est pro . . preposito et capitulo Traiectensi, nichil addito vel mutato.

168.

Honorius III papa [Nicolao] episcopo Tusculano et E[gidio] Sanctorum Cosmae et Damiani diacono cardinali et W[ilhelmo] vicecancellario quinque milia marcarum et totam vicesimam Theutoniae assignat, ut ea expendant ad subsidium Terrae Sanctae.
1221, Mart. 11.

Hon. III Reg. Vol. III, 90; Lib. V, 456.

1) *Immo scholastico Xantensi, qui crucem praedicavit apud Mosam inferiorem a. 1214 et Aquisgrani a. 1215, ut legimus in Chron. reg. Colon. ed. a Waitzio in oct. p. 192 et 236.*

. . episcopo Tusculano et E. Sanctorum Cosme et Damiani diacono cardinali et W. sancte Romane ecclesie vicecancellario.

De sinceritate vestra plenam in Domino fiduciam obtinentes, ecce nunc quinque milia marcarum vobis manualiter assignamus, et totam vicesimam Theutonie in proximo auctore Domino curabimus assignare, ut ea omnia secundum providentiam et dispositionem venerabilis fratris nostri . . Hostiensis episcopi[1], apostolice sedis legati, expendatis pro subsidio Terre Sancte.

Dat. Lateran. V Idus Martii, pontificatus nostri anno quinto.

169.

Honorius III papa [Hugolino] Ostiensi episcopo mandat, ut constitutiones F[riderici] Romanorum imperatoris infra fines legationis suae publicari faciat easque a magistris Bononiensibus in codicibus scribendas et in scholis legendas curet.

1221. Mart. 25.

Hon. III Reg. Vol. III, 100; Lib. V, 498.
Potthast, Reg. 6598.

. . Hostiensi episcopo, apostolice sedis legato.

Fraternitati tue presentium auctoritate mandamus, quatinus constitutiones[2] a karissimo in Christo filio nostro F., illustri Romanorum imperatore et rege Sicilie, in die quo suscepit imperii diadema sollempniter editas, quas tibi sub bulla nostra mittimus interclusas, quasque imperiali aurea munitas bulla in archivo apostolice sedis duximus retinendas, per omnes civitates constitutas infra fines legationis tibi commisse publicari facias et servari, iniungens magistris et scolaribus Bononiensibus[3] universis, ut in codicibus suis faciant eas scribi, et in scolis legi sollempniter a magistris, utrosque ad hec, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellens.

Dat. Lateran. VIII Kal. April. anno quinto.

170.

Honorius III papa omnibus Christi fidelibus, qui ad ecclesiam beati Mauricii Magdeburgensis aedificandam elemosynas erogaverint, quadraginta dies de iniunctis poenitentiis relaxat. *1221. Mart. 31.*

Hon. III Reg. Vol. III, 102; Lib. V, 507.

1) *Hugolini.* 2) *n. 115.* 3) *Imperatoris epistola, qua iisdem idem fere mandat, edita est LL. t. II, p. 245.*

Universis Christi fidelibus presentem paginam inspecturis.

Quoniam, ut ait apostolus, etc. usque: vitam eternam. Cum igitur ecclesia beati Mauricii Magdeburgensis, que destructa incendio fuerat, nunc egregia structura et valde sumptuosa consurgat, nec sine fidelium adiutorio perfici valeat tantum opus, nos volentes desiderio premii fideles ad subventionem tam pii operis provocare, universis Christi fidelibus, qui ad ecclesiam ipsam in sollempnitate ipsius beati martiris devotis animis accedentes suas ibidem erogaverint elemosinas, quadraginta dies de iniunctis sibi penitentiis de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli, apostolorum eius, auctoritate confisi misericorditer relaxamus.

Dat. Lateran. II Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno quinto.

171.

Honorius III papa [Alberto] archiepiscopo Magdeburgensi scribit de celebratione dedicationis ecclesiae sanctae Mariae Magdeburgensis. 1221, Apr. 27.

Hon. III Reg. Vol. III, 113, 111; Lib. V, 563.

. . Magdeburgensi archiepiscopo.

Dilecti filii . . prepositus et conventus ecclesie sancte Marie Magdeburgensis nobis humiliter supplicarunt, ut cum celebratio dedicationis ecclesie sue occurrat tempore quo in civitate Magdeburgensi nundine celebrantur, ac propter hoc gravibus onerentur expensis, illam in alium diem transferri de nostra permissione liceret. Ideoque fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus eis licentiam tribuas postulatam, si videris expedire.

Dat. Lateran. V Kal. Maii, anno quinto.

172.

Honorius III papa Beneventanis scribit se statuere, ne quis de civitate ipsa domos alterius occupet, sub poena confiscationis bonorum, neve collectae nisi rectoris, iudicum, consulum et octonariorum totius populi consensu imponantur. 1221, Mai. 14.

Hon. III Reg. Vol. III, 131; Lib. V, 652.
Potthast, Reg. 6662.

Iudicibus, consulibus et populo Beneventano.

Ad tranquillitatem vestram tanto diligentius intendentes, quanto civitas vestra inter ceteras[a], que iuris beati Petri existunt, noscitur preminere, presentium auctoritate statuimus, ut si qui de civitate ipsa domos vel turres alterius de cetero per violentiam ceperit, nisi eas ad mandatum nostrum vel rectoris[b], qui pro tempore in ipsa fuerit

[a]) cetera R. [b]) rectores R.

civitate, infra tres dies libere resignaverit, ex tunc universa bona ipsius nostris regalibus applicentur, ita quod de illis satisfacto ei qui fuerit passus iniuriam, apostolica sedes de residuo sicut de ceteris regalibus libere pro sua voluntate disponat. Si vero clericus fuerit, officio et beneficio sit privatus. Ad hec districtius inhibemus, ne quis civitatem ipsam presumat aggravare collectis, nisi cum rector, iudices, consules et octonarii totius populi accedente consensu id pro communibus ipsius terre negotiis viderint expedire. Nulli ergo etc. nostre constitutionis et inhibitionis infringere. Si quis autem etc.

Dat. Lateran. II Idus Maii, anno quinto.

173.

Honorius III papa Fridericum Romanorum imperatorem rogat, ut Thomasium comitem Acerrarum et balivos suos a vexatione civium Beneventanorum cessare faciat.

1221, Mai 14.

Hon. III Reg. Vol. III, 127, 128; Lib. V, 636.
Potthast, Reg. Add. I, 6662a — 26075.

Friderico, illustri Romanorum imperatori semper augusto et regi Sicilie.

Dilecti filii cives Beneventani fideles nostri nobis conquerendo monstrarunt, quod balivi tui ab eis terratica, fidantias, pedagia, forestationes, plateatica et erbatica exigunt et extorquent, hiis et aliis modis eos ac specialiter illos, qui aliquando de terris subiectis tue ditioni fuerunt, multipliciter molestando. Cum igitur civitatem Beneventanam inter alias, que iuris et proprietatis apostolice sedis existunt, caram specialiter habeamus, et eadem tuo et parentum tuorum privilegio contra exactiones huiusmodi sit munita, serenitatem tuam rogamus et attente requirimus, quatinus, cum parati simus omnibus, habentibus adversus predictos fideles nostros habitantes in civitate predicta aliquam questionem, exhibere de ipsis iustitie complementum, balivos tuos super predictis faciens ab ipsius civitatis vexatione cessare, privilegia, quibus dicti parentes tui ac tu ipse munivistis eandem, sibi pro reverentia nostra refirmes et illibata conserves. Ad hec cum parati sint nobili viro Thomasio comiti Acerrarum coram nobis exhibere iustitiam, si adversus eos habet aliquam questionem, inhibeas ei, ne civitatem ipsam molestare presumat, set in presentia nostra ius suum ordine iudiciario prosequatur. Taliter autem in hiis nostra cures precamina exaudire, quod devotionem celsitudinis tue commendare merito debeamus.

Dat. Lateran. II Idus Maii, anno quinto.

174.

Honorius III papa confirmat institutionem praepositi et capituli in ecclesia Northusensi, in qua antea quaedam mulieres consistebant, quae vitam canonicorum saecularium ducebant.

1221, Mai. 28.

Hon. III Reg. Vol. III, 133; Lib. V, 668.

. . preposito et capitulo Nortusensi.

Cum olim tam a karissimo in Christo filio nostro Friderico, Romanorum imperatore semper augusto et rege Sicilie, quam a quibusdam archiepiscopis et episcopis, nostris fuisset auribus intimatum, quod ecclesia vestra in manibus quarundam mulierum tunc consistentium in eadem, que vitam ducebant canonicorum secularium et canonice vocabantur, erat ita collapsa, ut illis existentibus ibi non videretur posse de facili relevari, nos ad instantiam ipsius imperatoris et aliorum multorum venerabili fratri nostro . . archiepiscopo[1] et dilectis filiis G. decano et V. Sancte Marie preposito Magdeburgensi dedimus in mandatis, ut requisito super hoc venerabili fratre nostro . . archiepiscopo Maguntino[2] dioecesano loci, qui suum dicebatur prestitisse consensum, prepositum cum secularium canonicorum collegio loci facultatibus congruente appellatione remota instituerent in eadem, eiusdem loci sororibus prius in aliis locis congrue collocatis[3]. Nuper autem idem archiepiscopus et eius collega suis nobis litteris intimarunt, quod ipsi, prefatis sororibus in locis oportunis et acceptatis ab ipsis congrue collocatis, una dumtaxat excepta, que impudenter huiusmodi ordinationi reluctari conata dixit se ad locationem suam apostolica gratia non egere, vos iuxta mandatum apostolicum instituerunt in ecclesia supradicta, quare nobis fuit humiliter supplicatum, ut eorum processum apostolico roborare munimine dignaremur. Nos igitur eorundem processum iuxta mandati nostri tenorem rite ac provide factum auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis infringere. Si quis autem etc.

Dat. Lateran. V Kal. Iunii, pontificatus nostri anno quinto.

175.

Honorius III papa F[ridericum] Romanorum imperatorem adhortatur ad galeas, quas praeparari fecerit, in auxilium Christiani exercitus celeriter transmittendas, cum multi iam de eius mora murmurent sibique dilationem voti praecipue imputent.

1221, Iun. 13.

Hon. III Reg. Vol. III, 141; Lib. V, 706. Pertzii exemplar supplevimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1221, § 6.
Potthast, Reg. 6682.

F. imperatori Romanorum illustri semper augusto et regi Sicilie.

Si aliqua tue celsitudini scribimus, que utcumque amara videntur, cum ea ex sincero amore procedant, egre ferre non debes, set illa te decet potius omnimodis acceptare, quia pater filium quem diligit corripit, et Dominus quos amat arguit et Prov. 3,12.
castigat, in cuius sacrificio mel prohibetur offerri, quoniam abhominatur blanditias adulantium, que, licet sapiant mellitam dulcedinem, dum aures demulcent, periculose sunt tamen, quia nonnunquam audientis animum alienant; et ideo sunt diligentis vul-

1) *Alberto.* 2) *Sifrido.* 3) *Friderici diploma de reformatione ecclesiae Northusensis a. 1220, Iul. 27: ap. Huillard-Bréholles, Hist. dipl. Frid. II, t. 1, p. 806.*

nera meliora quam obscula blandientis. Ut autem te quasi personaliter alloquamur, scis, quam sollempniter suscepisti venerabile signum crucis, quam publice promiseris in Terre Sancte subsidium transfretare, nec ignoras, quam late votum tuum sit fere ubilibet divulgatum. Utinam attenderes, quam desiderabiliter te prestolatur exercitus Christianus militans Domino in partibus transmarinis, et adverteres, quantam de te spem promiseris ecclesie generali, credenti pro certo, quod proponens Ierusalem in principio letitie tue, postpositis aliis, ad recuperationem eius totis desideriis aspirares, presertim cum ad hoc tibi Dominus omnem obtulerit facultatem. Sed nunc multi murmurant, multi clamant, quod postponis exequi votum tuum, at ut velle id exequi videaris, galeas, quas feceras preparari, detines, quasi tecum in tuo comitatu ducturus easdem; que si forsitan nunc transirent, magnum possent conferre auxilium exercitui Christiano, qui eo indiget vehementer. Ut igitur hoc a te opprobrium auferas, nec nos facias ab hominibus lacerari, qui dilationem voti nobis precipue imputantes contra nos iurant incessanter, immo ut illi complaceas, cuius te obsequio devovisti, serenitatem tuam rogamus, monemus et hortamur attente, obsecrantes per dominum Iesum Christum, quatinus ei, qui est veritas, verax existens, causam eius in veritate pertractes, et galeas paratas quamtotius in Terre Sancte subsidium studeas destinare[1], ut sic eidem terre auxilia sperata continuans, cum dante Domino transfretaveris, paratiora invenias universa et Christi negotium efficatius exequaris. Alioquin scias, quod nos acriter perturbares et nomen nostrum a multis faceres blasphemari, pro eo quod personam tuam tenerrime diligentes, quecumque facis equanimiter comportamus.

Dat. Lateran. Idibus Iunii, pontificatus nostri anno quinto.

176.

Honorius III papa [Pelagio] Albanensi episcopo nuntiat, F[redericum] Romanorum imperatorem mense Martio proximo futuro transfretaturum esse et [Wilhelmum] marchionem Montisferrati ad festinum subsidium se accingere. 1221. Iun. 20.

Hon. III Reg. Vol. III, 116; Lib. V, 729.

. . Albanensi episcopo, apostolice sedis legato.

Absit, ut Terre Sancte negotium cursu non dirigatur optato, pro quo, sicut Domino placuit, tanta multitudo Christianorum occubuit, et nos a principio promotionis nostre tam graves labores sustinuimus et expensas, tuque a tam longo tempore supra opinionem omnium laborasti, te infinitis periculis exponendo, cum etiam de erogatis ab aliis ad ipsius promotionem negotii sit numerus expensarum. Porro benigne receptis litteris tuis et consideratis, que olim a parte altera sunt oblata, et que ab eadem noviter offeruntur, pactio in litteris ipsis expressa, cum iam dudum conditionem habere potuerimus eque bonam, sicut te quasi statim, quod Egyptum applicuisti, accepimus referente, grata nobis non potuit existere vel accepta[2]. Sane licet significaverimus tibi per alias litteras, quod[a] karissimus in Christo filius noster F. Romanorum imperator et semper augustus et rex Sicilie ante et post coronationem suam et in die

[a]) quas *R.*

1) *Imperatorem galeas paratas mox transmisisse comperimus ex n. 177.* 2) *Cf. n. 159.*

coronationis ipsius festinum ad eandem terram promisisset accessum, predictus tamen asserit imperator, quod cum venientibus secum ad coronationem eandem principibus et aliis magnam pecuniam erogarit et post coronationem suam grandem accedentibus Damiatam tribuerit pecunie quantitatem, nondum potuit, sicut decet, eodem[a] in manu valida transfretare, metuens ne, si prout eius exigit magnificentia non veniret, confundi potius quam promoveri contingeret negotium memoratum. Idem quoque imperator non tantum nobis, set omnibus generaliter firmiter pollicetur, quod in proximo futuro passagio mensis Martii in forti et potenti brachio transfretabit, propter quod suppliciter et plurimum institit, ut dilationem sibi concedere dignaremur, ad quam concedendam, licet usque ad predictum passagium videatur accepisse terminum per se ipsum, quantumcumque rogati nunquam potuimus inclinari. Preterea nos venerabili fratri nostro . . Hostiensi episcopo[1] pro eodem negotio in Lombardiam et Tusciam destinato, et non modica de nostro erogata pecunia per eundem, obtinuum procuravimus Terre Sancte succursum, ita quod si dictus imperator, quod avertat Dominus, non transiret, operante illo, a quo est omne datum optimum et omne donum perfectum, felicem poteris ipsius negotii expectare processum. Et ecce dilectus filius nobilis vir . . marchio Montisferrati[2] cum militum multitudine strenuorum, vexillo principis apostolorum et signo crucis accepto, ad festinum eidem terre subsidium se accingit, qui nobis propter hoc tribuentibus quindecim milia marcharum argenti tuus et ecclesie Romane vexillifer constitutus, obsequi tibi tenetur super negotio memorato. Cum autem nos in sinu circumspectionis tue caput intrepidi reclinemus, per apostolica tibi scripta mandamus, quatinus predicta diligenter attendens et circumstantias considerans universas, habito magnorum et prudentum virorum de exercitu, quos videris expedire, consilio sive super hoc seu super aliis, cum ea, que te decet et tantum negotium, maturitate procedas, prout ad gloriam Dei et Christianitatis salutem cognoveris procedendum.

Dat. Lateran. XII Kal. Iulii, pontificatus nostri anno quinto.

In eundem modum scriptum est Templariis, Hospitalariis, . . magistro[3] et fratribus Hospitalis sancte Marie Teutonicorum et . . archiepiscopo Burdegalensi[4], cuilibet per se.

Cum aditus pateat consumationi negotii manifestus, et magnificus speretur[b] in proximo Deo faciente succursus a partibus cismarinis, et sicut dicitur, orientis se pluribus accingentibus ad subsidium Terre Sancte, utilius consilium nobis videtur, adhuc manum misericordie Dei expectare, quam huiusmodi pactionibus inclinari.

177.

Honorius III papa F[riderico] Romanorum imperatori gratias agit, quod quadraginta galeas [Waltero] Cathanensi episcopo et [Henrico] comite Maltensi ducibus ad subsidium Terrae Sanctae destinaverit; conqueritur, quod eas non prius miserit, monet, ut votum suum reddat. *1221, Iul. 20.*

Hon. III Reg. Vol. III, 152; Lib. V, 760.
Potthast, Reg. 6699.

a) eandem *R.* b) speratur *R.*

1) *Hugolino.* 2) *cf. n. 124.* 3) *Hermanno.* 4) *Wilhelmo II.*

F. illustri Romanorum imperatori semper augusto et regi Sicilie.

Litteras tuas affectione consueta recepimus, continentes quod quadraginta galeas, quas ideo retinebas, ut tecum transirent, cum duceres transfretandum, statim mandato nostro recepto in Terre Sancte subsidium destinasti, ac ipsis venerabilem fratrem nostrum . . Cathanensem episcopum, regni Sicilie cancellarium, et nobilem virum . . comitem Maltensem exercitatos in rebus arduis prefecisti. Sane gratum nobis est de huiusmodi subsidio galearum, set cum ad obsequium te devoveris Iesu Christi et iamdudum specialiter missionem stolii promisisses, nequaquam hoc adeo fuerat differendum, cum modicum sit de cetero, quia per mensem comodum galearum[a], ex quibus, si a tue promissionis tempore transivissent, grandis potuerat provenisse profectus. Cum autem ex te maxime pendeat negotium Terre Sancte, attende, fili karissime, an expediat, ut sic ad factum regni Sicilie convertaris, quod votum non reddas Domino
Es. 40,4. deo tuo. Certe si iuxta nostrum consilium processisses, prava in directa et aspera in vias planas tibi fuissent; nec hoc dicimus, ut de nostra temere scientia presumamus, set tamquam ex diuturnitate temporis causas varias et diversas experti. Pro te igitur contra nos graviter acclamatur; dicitur enim intra et extra Romanam ecclesiam, quod illum ad personam tuam habeamus affectum, ut contra Deum et negotium suum non dubitemus tibi deferre, iamque ad hoc ventum est, ut iudicemus nos esse perplexos, cum deferre tibi pre dilectione nimia suademur, et de negotio crucis solliciti necessitatem recolimus populi Christiani. Ceterum postulasti a nobis, ut predicatores aliquos, qui exhortari deberent alios ad transfretandum tecum, dirigere dignaremur, set cum debueris in instantis mensis Augusti passagio transfretare, ridiculum est, si de hoc intellexisti passagio, et si de alio, quare id in litteris exprimere noluisti[b]? Porro attende fili, ne decipiaris, dum credis decipere; nosque propter hoc serenitatem tuam monemus et hortamur attente, quatinus votum reddas Altissimo quod vovisti, nam mentiri Deo possumus, ipsum vero fallere non valemus. Et quidem venerabilem fratrem nostrum . . episcopum Ostiensem[1], magnum et speciale ecclesie Romane membrum, cum venerabili fratre nostro . . Regino episcopo[2] propter hoc misimus in Tusciam et provinciam Lombardie. Set et dilectus filius magister C[onradus], capellanus et penitentiarius noster, specialiter pro crucis negotio fuit a nobis cum pluribus aliis in Teutoniam destinatus. Litteras etiam, quas ad prelatos ecclesiarum pro eodem negotio sedes apostolica destinavit, nuper fecimus innovari, ut insistentibus verbi crucis exhortationi prelatis fideles fortius ad Terre Sancte subsidium animentur.

Dat. Lateran. XIII Kal. Aug. anno quinto.

178.

Honorius III papa F[riderico] Romanorum imperatori scribens de negotio Terrae Sanctae conqueritur, quod ipse Christianum exercitum pollicitis fefellerit, gravesque superaddit minas, quod ad electiones ecclesiarum in regno suo vacantium manus extenderit; privilegium renuntiationis quod ediderat memorat, monetque, ut a tanta temeritate desistat.

1221, Aug. 21.

Hon. III Reg. Vol. III. 155; Lib. VI. 1. Pertzii exemplar supplevimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1221, § 32—33.

Potthast, Reg. 6703.

a) *hic locus depravatus est.* b) voluisti *R.*

1) *Hugolinum.* 2) *Nicolao.*

F. illustri Romanorum imperatori semper augusto et regi Sicilie.

Quanto mentis affectu, quantave cordis letitia expectavimus sublimationis tue diem, desiderio desiderantes ut ad culmen imperii pervenires, novit ille, cui nil est incognitum et qui est conscius secretorum. Delectabamur enim in exaltatione tua, sicut pater in incremento filii iocundatur, credentes ut sic de nobis, nostris et ecclesie Romane negotiis, sicut de patre filius cum studio suo ad perfectum ductus est, curam gereres indefessam, quatinus caput in te ac per te in sinu tuo intrepidi reclinantes requiescere valeremus. Hoc autem de tua specialius quam de cuiuslibet aliorum principum sublimatione fuerat extimandum, quoniam a puero Romana te nutrivit ecclesia, tuque lactis eius dulcedine educatus sub alis ipsius continuis proficiens incrementis, suscepisti tandem de manibus nostris imperii diadema. Ad te itaque tanquam pater ad filium absque verborum velamento loquemur, quod omnino cavendum tibi est, ne nostris presertim temporibus contra sedem apostolicam quicquam attemptes, unde ingratitudinis illaqueari vitio te contingat. An quod illaqueatus sis, non consideras, cum diversis et variis te sponsionibus obligaris ad transfretandum in subsidium Terre Sancte, faciendo te ad hoc diversis acceptis induciis per sententiam excommunicationis artari, a qua in tuo ad coronationem accessu, cum nostris iurasses stare mandatis, fecimus te absolvi? Certe pollicitis tuis graviter diceris Christianum exercitum fefellisse, ita quod sub tui expectatione securus in magno est hodie discrimine constitutus. Et quid est, quod iamdudum audivimus et nuper etiam perculit aures nostras, quod ad electiones episcoporum videlicet manus extendas, electioni Aversane presertim ecclesie et episcopatuum in provincia Salernitana vacantium te immiscens? An forte suspiras ad progenitorum tuorum abusum, quem Dominus zelotes abominans ita illis sua providentia obviavit, ut preter te vix de ipsorum progenie quis supersit? Sed et recolis abiurasse te abusum eundem, et bone memorie Innocentio pape predecessori nostro et postmodum nobis renuntiationem huiusmodi privilegio confirmasse. numquid ergo spretis privilegiis et promissionibus tuis et iuramenti religione contempta gladium in nos acues, extimantes quod quecumque tibi contra ecclesiam, quod absit, obreperet cogitatio, tranquilla ei tribueres tempora quamdiu vivimus et quieta? Nec hoc quidem diximus, ut in regno tuo pati velimus suspectas tibi episcopari personas; nemini etenim deferre proponimus, quin, si de ipso reddamur attenti, parati simus, prout persone tue ac regni tranquillitati expedit, providere. Sane, sicut credimus, non hec a te ipso sed de aliorum malitia excogitata procedunt, qui, ut iuxta vulgare proverbium melius possint in turbida aqua piscari, inter te ac ecclesiam malas immissiones excogitant, turbationem facere molientes, quorum apud te forte sunt aliqui, qui non cum honore tuo suorum promotionem propinquorum diligunt et procurant. Porro, fili karissime, nequaquam talibus acquiescas, ne in manus Dei viventis incidas, dum contra divina, canonica et Hebr. 10,31.
humana statuta presumis ponendo in gloria tua maculam, dum et privilegiis et promissionibus tuis a tergo dimissis in denigrationem tui nominis variares. Ceterum cur non attenderes, qualiter tibi successerit et succedat, existente te inter apostolice sedis amplexus, quantumve deperire honori tuo posset, si, quod avertat Dominus, contra te Romanam ecclesiam ad iracundiam provocares, presertim cum casum quorundam superbe se extollentium contra ipsam respicias e vicino. Et quidem non minus nobis quam tibi attribuitur, quod quiete regnat in Theotonia natus tuus. Nos quoque, qui multorum oculos et aures habemus, non ignoramus in Theotonia et aliis partibus imperii ac regno Sicilie posse aliquid quod non acceptares fieri, si vellemus. Preterea cum semper ad personam tuam veri patris affectum gesserimus et geramus,

imperatoriam maiestatem monemus et rogamus attente per Dominum obsecrantes, quatinus nobis et tibi prospiciens, inter te et ecclesiam nasci tantum scandalum non permittas, quia profecto, si in hoc scandalizati a te fuerimus, in quo contra nos nostra reputaremus interiora moveri, huiusmodi doloris aculeus transverberaret cor nostrum et per intima ossium pertransiret. Sed cum ad te ob hoc dilectum filium . . priorem Sancte Marie nove cum nostris litteris et transcripto tui privilegii dirigamus, per te ipsum que aliter quam deceat acta sunt corrigas, electiones iuxta privilegium et promissiones tuas libere ac sine impressionis vitio fieri permissurus. Alioquin noveris, quod id nulla poterimus ratione in proprie anime periculum sustinere, presertim cum contra nos intra et extra Romanam ecclesiam iugiter clametur, quod tibi detulerimus in pluribus contra Deum, sed difficultates tuas, in quas te hactenus ingessisti et inducis, in totius orbis notitiam adducemus, celi et terre testimonium invocantes, quod ad hoc procedimus dolentes plurimum et inviti.

Dat. Lateran. XII Kal. Sept. pontificatus nostri anno sexto.

179.

Honorius III papa universis principibus Theutoniae mandat, ut crucesignatos non solum exactionibus indebitis non vexent, verum etiam eis remittant aliquid debitorum.

1221, Sept. 9.

Hon. III Reg. Vol. III, 158.
Potthast, Reg. 6709.

Universis principibus, ducibus, comitibus, baronibus et aliis magnatibus per Theutoniam constitutis.

Cum hii qui fidei amore succensi affixo suis humeris signo crucis se ascribunt obsequio Iesu Christi ad prelium Domini preliandum in partibus transmarinis, gerere intendant rem publicam totius populi Christiani, non sine causa miramur nec inmerito commovemur, quod, sicut audivimus, quidam vestrum, qui deberent eos[a] intuitu crucifixi favoribus et subsidiis adiuvare, spreto timore divino ipsos exactionibus indebitis et aliis vexationibus fatigantes, pium eorum propositum prepediunt et retardant, minime attendentes quod dum sic amicis officiunt, eidem[b] proficiunt inimicis. Ne igitur causam Christi negligere videamur, qui eius sumus licet immeriti vicarii constituti, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, mandantes, quatinus singuli crucesignatos terrarum vestrarum habentes omnimodis commendatos, non solum indebite non vexetis eosdem, verum etiam eius intuitu, cuius se devoverunt obsequiis, remittatis aliquid debitorum, ita quod eum, cui debetis omnia que habetis, vobis constituatis merito debitorem, et nos, qui quod crucesignatis fit nobis fieri reputamus, devotionem vestram prosequi debeamus actionibus gratiarum.

Dat. Lateran. V Idus Septembris, anno sexto.

In eundem modum archiepiscopis et episcopis et aliis ecclesiarum prelatis per Teutoniam constitutis.

[a]) qui deberent eos *deest in R.* [b]) *an* eiusdem?

180.

Honorius III papa [Henricum] ducem Saxoniae monet, ut magistro Conrado electo Hildeshemensi contra malefactores, qui bona ecclesiae diripiant, potenter assistat.

1221, Sept. 9.

Hon. III Reg. Vol. III, 158; Lib. VI, 18.

Nobili viro . . duci Saxonie[1].

Cum usque adeo multiplicata sit iniquorum superbia et iniquitas superborum, quod inter sanctum et prophanum minime discernentes ecclesias impie persequantur, bona earum ausu sacrilego rapiendo, expedit ut hii, qui secularem potentiam receperunt a Domino seculorum, huiusmodi malefactoribus viriliter se opponant, ut corripientes per iustitiam inquietos et pie pusillanimes consolantes, meritum exinde sibi comparent apud Deum et suam reddant apud homines potentiam gratiosam. Quia igitur, sicut dilectus filius magister Conradus capellanus et penitentiarius noster Hildesemensis electus transmissa nobis petitione monstravit, multi de partibus illis abiecto divino timore in bonis ecclesie sue non solum prodigaliter debachantur, verum etiam ea publice diripiunt ut predones, nobilitatem tuam rogamus, monemus et hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus tamquam vir catholicus eandem ecclesiam fovens favorabiliter et defendens, eidem electo contra malefactores suos potenter et patenter assistas, ita quod ipse quieta serviens Domino libertate, pro te suorum acceptabiles offerat Domino vitulos labiorum, qui orationes servorum Osea, 14 3. suorum exaudit, et nos devotionem tuam possimus merito commendare.

Dat. Lateran. V Idus Sept. anno sexto.

181.

Fridericus Romanorum imperator Honorio III papae scribit de confusione exercitus Christiani [scilicet de redditione Damiatae][2], nuntiat se iam ad maturum subsidium accinctum nunc ad apparatum instantem invigilare, mittit ad eum I[acobum] episcopum Pactensem et L. capellanum sedis apostolicae, ut eius consilium recipiant.

1221, Oct. 25.

Hon. III Reg. Vol. III, 171; Lib. VI, 81.
Ed. Winkelmann, Act. Imp. ined. p. 213, n. 231.

182.

Honorius III papa C[arii] archiepiscopi Montis Regalis et C[onstantiae] imperatricis precibus inclinatus, confirmat privilegium Friderici Romanorum imperatoris, quo ecclesiae Montis Regalis omnia bona restituerat, quibus Willielmus rex eam dotaverat.

1221, Nov. 4.

Hon. III Reg. Vol. III, 163; Lib. VI, 45.

1) *Hunc non esse Albertum sed Henricum de Brunswic comperimus ex duabus epistolis Henrici VII regis ap. Scheid, Origin. Guelf. tom. III, p. 680 et 682.* 2) *Kamel soldanus Aegypti Sept. 8 Damiatam intraverat; cf. Winkelmann, Fried. II, p. 170 et 171.*

C. archiepiscopo Montis Regalis[1].

Cum a nobis petitur etc. usque: perducatur effectum. Sane karissimus in Christo filius noster Fridericus, illustris Romanorum imperator semper augustus et rex Sicilie, suis nobis litteris intimavit, quod cum possessiones et redditus, quibus clare memorie Willielmus rex Sicilie, ecclesie tue fundator, ipsam dotavit ecclesiam, tempore turbationis regni essent a diversis, tam Christianis quam Sarracenis, et tam clericis quam laicis, occupati, ipse volens ut iam dicta ecclesia suo felici tempore debita prosperitate gauderet, ei restituit castra, possessiones, dignitates, libertates et iura generaliter universa, que dictus rex eidem ecclesie noscitur contulisse[2]. Nos igitur eiusdem imperatoris et karissime in Christo filie nostre C. illustris Romanorum imperatricis ac regine Sicilie, uxoris eius, ac tuis iustis precibus inclinati, restitutionem ipsam, sicut pie ac provide facta est et in eiusdem imperatoris privilegio plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis infringere. Si quis autem etc.

Dat. Lateran. II Non. Novembr. pontificatus nostri anno sexto.

183.

Honorius III papa F[riderico] Romanorum imperatori infelicem exercitus Christiani casum exprobrat, quem sibi etiam multi imputent, cum toties dilationem processus postulanti morem gesserit; hortatur ad hoc vituperium Deo et hominibus satisfaciendo diluendum, monens quod si nimis remisse egerit, ipsi ulterius parcere non possit, mittitque ad eum Nicolaum Tusculanum episcopum, apostolicae sedis legatum. 1221, Nov. 19.

Hon. III Reg. Vol. III, 166; Lib. VI, 61. Pertzii exemplar supplevimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1221, § 18—21.

Potthast, Reg. 6723.

F. illustri Romanorum imperatori semper augusto et regi Sicilie.

Merore plenas tibi cogimur litteras destinare, quia nostram animam acerbi doloris gladius pertransivit; adhuc incessanter concidimur vulnere super vulnus. Cum enim flebilis casus exercitus Christiani nos dolore intolerabili sauciaverit, deplorantes non tam labores et sumptus, quos iam per quinque annos indesinenter pertulimus quosque Christianus populus in rebus et personis subiit, esse prorsus amissos, quam confusionem Christiani nominis et ipsius iniuriam Iesu Christi, qui peccatis nostris exigentibus blasphematur. Ecce novi doloris vulnere sauciamur, clamante contra nos universo populo Christiano et nobis ruinam prefati exercitus imputante, ac publicis inproperante clamoribus, quod totum orbem confudimus Christianum[3], eo quod te, sicut noveras, transire non compulimus in subsidium Terre Sancte, culpam tuam in nos penitus refundendo, et utique non prorsus immerito, quia revera, dum tibi nimis detulimus, reliquimus Christianum exercitum sub periculo casus, quem hodie deploramus. Ut enim recenseamus ab exordio culpam nostram, scis quod te iam a pluribus annis crucesignatos sub spe ac specie tui transitus detinente, nos tue morem gessimus

---

1) *Monreale prope Palermo.* 2) *Cf. Huillard-Bréholles, Hist. dipl. Frid. II, t. II, 149—152.* 3) *Sententiae scriptorum huius aetatis collectae sunt a Schirrmacher, Kaiser Friedr. der Zweite, II, t. II, 364, not. 29.*

voluntati, ne promotio tue sublimitatis, ad quam aspirabamus ex animo, posset nobis aliter facientibus retardari. Postmodum vero te cum instantia postulante, ut excommunicaremus te et crucesignatos Theutonie universos, nisi una cum illis in subsidium Terre Sancte transires infra eum quem ipse tibi terminum prefixisti, in hoc quoque gessimus tibi morem: sed quotiens ipsum prorogari terminum postulaveris, et quoties in hoc tue acquieverimus voluntati, et nos scimus et tua prudentia non ignorat. Denique quam solemniter et quam publice in tua coronatione promiseris, te in succursum dicti exercitus transiturum, cismarini noverunt et etiam transmarini. Unde propter exspectationem tui subsidii, quod etiam per litteras tuas promisisti exercitui sepe dicto, refutata est compositio, per quam Ierosolimitana civitas restituebatur cultui Christiano; ac demum tota Christianitas passa est illius confusionem opprobrii, quod nulla poterit oblivione deleri. Quid igitur mirum, si contra nos et contra te murmurat, immo clamat populus Christianus, si credit et dicit nos tibi dedisse licentiam remanendi, ac per hoc nobis imputans totum malum quod accidit, nos et Romanam ecclesiam pro te inauditis lacessere contumeliis non desistit? Certe si hoc tecum digna meditatione pensaveris, recognosces in te gravis culpe periculum, nec ante letitia letaberis, quam feceris aliquid, per quod satisfecisse Deo et hominibus videaris. Expergiscere igitur, expergiscere, serenissime princeps, et ad vindicandam iniuriam Christi et nominis Christiani accingere totis viribus, toto corde. Pensa, quam magna tribuit tibi Deus, et satage iuxta humane possibilitatis modum in hoc sibi articulo retribuere pro omnibus, que retribuit ipse tibi. Profecto, si debitum extimes, nullum invenies, qui te amplius Domino teneatur, cum nulli fecerit ampliora quam tibi. Si oportunitatem serviendi sibi in hoc articulo cogites, in nullo eam maiorem poteris repperire, cum copia rerum necessariarum ad hoc negotium pre ceteris ipso largiente redundes, potens terra et mari, dives personis et rebus et ad prosequendam Christi iniuriam ipsa vicinitate plus aliis oportunus. Porro si gloria est querenda, de quibus potest gloriosior haberi a Christiano triumphus quam de inimicis nominis Christiani? queve potest esse magis gloriosa victoria, quam que et temporalem gloriam tribuit et sempiternam insuper repromittit? Eia igitur, assume animum celsitudine tua dignum, et Deo, cui servire vere regnare est, te devotum impende, sciens quod, si hoc negotium aggredi animose curaveris, nos ad eius promotionem diligens studium et studiosam diligentiam adiuvante Domino impendemus. Et ecce speramus in Domino, quod si hoc negotium cum digna devotione susceperis, ipse illud in tuis manibus prosperabit facilius quam speretur, quia etsi in hoc novissimo articulo prospere nostris cesserit inimicis, constat tamen illos esse plurimum fatigatos et inextimabilia personarum et rerum dispendia pertulisse, propter quod si viderint bellum ex adverso consurgere et te personaliter instaurato exercitu transfretare, saltem ad compositionem, nisi fallimur, facile inducentur, per quam rehabebimus sancta nostra, et Christianus populus, qui nunc confusionis ignominia premitur, in redivive letitie gloriam erigetur. Illud autem nolumus te latere, quod si nec Christiane fidei zelo nec nostris exhortationibus excitatus, in negotio, quod absit, fueris tepidus memorato, nos tibi non parcemus ulterius, nec saluti nostre nec utilitati totius populi Christiani te amplius preferemus; quin immo te tanquam voti proprii contemptorem excommunicatum solemniter publicabimus, idque per totum Christianum orbem faciemus in confusionem tuam publice nuntiari. Tu ergo sicut vir sapiens et catholicus princeps diligenter attende que dicimus, et cave prudenter, ne te ipsum in eius articulum difficultatis inducas, de quo facile nequeas expediri. Et ecce mittimus ad te venerabilem fratrem nostrum Nicolaum Tusculanum episcopum apostolice sedis legatum, virum utique prudentia et religione conspicuum et nobis inter ceteros fratres nostros suis meritis exigentibus specialiter carum, et, sicut certis argumentis comperimus, tibi devotum ac fidum, excellentiam tuam rogantes et hortantes

attente, quatinus ipsum, immo verius nos in ipso, digna devotione suscipias et eius salubribus monitis et consiliis humilis et mansuetus intendas, ita quod devotione tua per exhibitionem operis apparente, nos illum sincerum amorem, quo tuam amplectimur celsitudinem, continuare perpetuo ac ampliare merito debeamus.

Dat. Lateran. XIII Kal. Decembr. pontificatus nostri anno sexto.

184.

Honorius III papa [Nicolaum] Tusculanensem episcopum laborare iubet, ut F[ridericus] Romanorum imperator certum terminum statuat, ad quem secum de promotione negotii Terrae Sanctae tractaturus conveniat. *1221, Dec. 10.*

Hon. III Reg. Vol. III, 182; Lib. VI, 111.

. . episcopo Tusculanensi, apostolice sedis legato.

Volumus, fraternitati tue de fratrum nostrorum consilio iniungentes, quatinus si spiritum karissimi in Christo filii nostri F. illustris Romanorum imperatoris semper augusti et regis Sicilie ad Terre Sancte recuperationem cognoveris, quod circumspectio tua perpendere poterit, suscitatum, et quod ei Dominus ad prosequendum negotium fidei Christiane inspirarit affectum, labores efficaciter et attente, ut ipse certum et breviorem quem valueris terminum statuat et prefigat, ad quem nobiscum de ipsius promotione negotii tractaturus debeat convenire. Quod cum obtinueris, studeas diligenter, ut idem imperator per cursores suos civitatibus et per totum imperium imperialia scripta transmittat, in quibus declarando se ad fidelium obprobrium relevandum infra certum terminum, quem faciat manifestum, prosecuturum personaliter causam crucis, hoc petat ab omnibus, hoc imploret, ut ad eiusdem terre recuperationem secum transeant et procedant fidei zelatores.

Dat. Lateran. IIII Idus Decembr. anno sexto.

185.

Honorius III papa [Petro] archiepiscopo Senonensi et suffraganeis eius scribit de gravi casu, qui accidit in partibus transmarinis; addit se ordinare colloquium cum F[riderico] Romanorum imperatore de passagii termino habendum; hortatur eos, ut commissos sibi populos ad subventionem negotii Terrae Sanctae animent.

1221, Dec. 19.

Hon. III Reg. Vol. III, 178; Lib. VI, 123.
Potthast, Reg. 6741.

. . archiepiscopo Senonensi et suffraganeis eius.

Licet graviter conturbati super gravi casu qui accidit in partibus transmarinis, distulerimus hactenus super hoc vobis scripta nostra dirigere, non tamen credatis nos dormitare super ipso negotio vel etiam interim dormitasse, quin immo, quanto casus

est gravior, tanto fortius cum Dei adiutorio surgere fortius satagentes, ad karissimum in Christo filium nostrum F. Romanorum imperatorem semper augustum et regem Sicilie, venerabilem fratrem nostrum N[icolaum] episcopum Tusculanum propter hoc curavimus destinare[1], studentes eundem imperatorem ad relevationem casus huiusmodi tam litteris nostris quam viva voce ipsius episcopi animare. Set et ipse imperator spiritu divino preventus, antequam ad eum prefatus episcopus pervenisset, propter hoc idem negotium sollempnes ad presentiam nostram nuntios destinavit, tam litteris suis quam viva voce ipsorum nuntiorum nobis insinuans, quod eius est desiderium et propositum, hanc iniuriam Christi et populi Christiani, si desuper datum fuerit, vindicare, super hoc se omnino beneplacito nostre voluntatis exponens. Quia igitur per mutuos nuntios et etiam per colloquium, si comode fieri poterit, cum ipso imperatore habendum, ordinare satagimus tam de passagii termino quam de aliis que sunt circa tantum negotium ordinanda, mox que ordinata fuerint, significaturi Christi fidelibus et eos ad subventionem negotii, prout expedire videbimus, hortaturi, fraternitatem vestram rogamus et hortamur in Domino, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus interim singuli commissos vobis populos ad id sedulis exhortationibus animetis, ut exhortatio nostra eos tanto paratiores inveniat, quanto vestra fuerint exhortatione preventi.

Dat. Lateran. XIIII Kal. Ianuar. anno sexto.

In eundem modum scriptum est archiepiscopis et suffraganeis eorundem per Franciam, Angliam, Scotiam, Yberniam, Theutoniam, Ungariam, Tusciam et Lombardiam.

186.

Honorius III papa populo de Porcena interdicit, ne cuiquam nisi ecclesiae Romanae procurationes exsolvant. *1221, Dec. 21.*

Hon. III Reg. Vol. III, 182; Lib. VI, 146.
Potthast, Reg. 6743.

Populo de Porcena.

Auctoritate vobis presentium districtius inhibemus, ne cuiquam nisi nobis et nuntiis nostris albergarias, procurationes vel alia, que ad dominium pertinent, exolvatis, nec presumatis subire iudicium in alia curia quam in nostra.

Dat. Lateran. XII Kal. Ianuar. anno sexto.

187.

Honorius III papa communi de Pertena concedit, ut ex hominibus castri sui consules sibi eligant. *1221, Dec. 22.*

Hon. III Reg. Lib. VI, 147.
Potthast, Reg. 6744.

1) *Cf. n. 183 et 184.*

Communi de Pertena[a].

Presentium vobis auctoritate hac vice concedimus facultatem, ut ex hominibus castri vestri aliquos prudentes et fideles viros vobis in consules eligatis, qui nobis de iure Romane ecclesie fideliter respondentes, sciant et possint eiusdem castri regimen salubriter gubernare.

Dat. Lateran. XI Kal. Ianuar. pontificatus nostri anno sexto.

188.

Honorius III papa [Hugoni] episcopo Vercellensi mandat, ut sententiam excommunicationis, cui H[ugolinus] Ostiensis episcopus civitatem Mediolanensem propter A[micaei] Sacci quondam potestatis inauditam temeritatem supposuerit, solemniter publicet et inviolabiliter observari faciat. *1222, Ian. 14.*

Hon. III Reg. Vol. III, 186; Lib. VI, 172.

. . episcopo Vercellensi.

Gravem nobis venerabilis frater noster . . Mediolanensis archiepiscopus[1] obtulit questionem, quod A. Saccus quondam potestas Mediolanensium pro eo, quod quosdam excommunicatos absolvere noluit nisi forma ecclesie observata, eum banno supponere inaudite temeritatis absurditate presumpsit, et bona eius etiam confiscare post inhibitionem a venerabili fratre nostro H. Ostiensi episcopo tunc legato sedis apostolice sibi factam, propter quod idem legatus ipsum et illos, quorum consilio et suasu id fuerat attemptatum, excommunicavit et fecit excommunicatos publice nuntiari, mandando eis per venerabiles fratres nostros . . Pergamensem[2] et . . Laudensem[3] episcopos, quod nisi huiusmodi bannum infra certum terminum revocarent, ipse civitatem Mediolanensem supponeret interdicto, et eos excommunicatos nuntiari faceret singulis diebus dominicis et festivis. Sed ipsi bannum ipsum revocare hactenus non curarunt, licet terminus prefixus ab ipsis episcopis sit elapsus. Nolentes igitur tante presumptionis abusum sub dissimulatione transire, fraternitati tue per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatinus dictam sententiam singulis diebus dominicis et festivis pulsatis campanis et candelis accensis sollempniter publicans per loca in quibus videris expedire, eam facias tamdiu inviolabiliter observari, donec ipsi archiepiscopo fuerit tam de iniuria quam de dampnis congrue satisfactum, et prefatus A. personaliter ad nostram presentiam venerit absolvendus. Ad hec L. potestatem Mediolanensium moneas efficaciter et inducas, ut infra competentem terminum sibi prefigendum a te bannum relaxet publice antedictum, et ipsi archiepiscopo restitui faciat universa, que de bonis suis occupata huiusmodi occasione fuerint. Quod si facere non curaverit, sed culpe predicti A. se constituerit successorem, tu, ut eidem etiam in penam succedat, similem in ipsum sententiam appellatione remota promulges, et civitatem predictam subicias ecclesiastico interdicto, ac facias utramque sententiam usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Dat. Lateran. XVIIII Kal. Febr. anno sexto.

[a] Porcena *legit Theiner, Cod. dipl. dom. temp. s. sed. t. I, p. 71, n. 113.*

1) *Henricus.* 2) *Iohannem.* 3) *Ottobellum.*

189.

Honorius III papa universos Christi fideles per Saxoniam constitutos hortatur, ut noviter in Livonia conversis succurrant; proficiscentibus in subsidium eorum eam peccatorum veniam indulget, quae in Terrae Sanctae subsidium proficiscentibus indulta est.
1222, Ian. 18.

Hon. III Reg. Vol. III, 188; Lib. VI, 181.

Universis Christi fidelibus per Saxoniam constitutis.

Ne terra vaste solitudinis, quam in partibus Livonie Dominus per ministerium predicatorum suorum reducens ad cultum nominis Christiani facit de semine verbi sui nova fidelium segete pullulare, quod absit, in salsuginem redigatur, set potius crescens in messem in fructum exuberet oportunum, expedit, ut a paganis, qui adhuc gentilis erroris orrore sunt ispidi tanquam spine, nullatenus opprimi permittantur, set potenter defendantur ab eis, alias congruis auxiliis favorabiliter confovendi, quatinus ipsi non solum fortius radicentur in fide, verum etiam conversionem aliis valeant efficacius suadere. Quantus enim dolor, quantusve pudor esset populo Christiano, et maxime circumposite regioni, si terra Domino acquisita nunc per desidiam fidelium taliter perderetur, qui ad acquirendam aliam totis deberent desideriis aspirare. Ut igitur Christi fideles quasi certo illecti stipendio ad succurrendum eis fortius animentur, nos omnibus de Saxonia, exceptis hiis qui vel voverunt vel proposuerunt ire in subsidium Terre Sancte, proficiscentibus et morantibus per triennium in subsidium noviter in Livonia conversorum, eam peccatorum suorum veniam indulgemus, que in Terre Sancte subsidium proficiscentibus est indulta, ipsis nichilominus cum familiis et omnibus bonis suis sub apostolice sedis et nostra protectione susceptis. Ideoque universitatem vestram monemus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus provide attendentes, quam salubre sit homini pro illo animam suam ponere, qui pro se positam in vitam custodit eternam, libenter illi militetis ad tempus, qui pro nobis in cruce suis stipendiis militavit, predictis conversis succurrendo utiliter et potenter, ita quod in partibus illis augeatur numero et merito populus Christianus, et vobis exinde apud Deum accrescat cumulus meritorum, qui multa maiora retribuit fideliter obsequentibus quam speretur.

Dat. Lateran. XV Kal. Febr. anno sexto.

190.

Honorius III papa [Eberhardo II] archiepiscopo Salisburgensi, cum ecclesiae suae, in qua canonici regulares existant, de aliquo viro perito in facultate theologica, qui ipsos docere valeat, providere velit, concedit, ut magistrum B. monachum monasterii de Hausen ad hoc officium assumat.
1222, Febr. 7.

Hon. III Reg. Vol. III, 197; Lib. VI, 225.

Salzeburgensi archiepiscopo.

Tua laudabilis devotio promeretur et honesta intentio nos inducit, ut te tanquam nobile ac preclarum ecclesie Dei menbrum favore sedis apostolice prosequentes, postulationibus tuis, que non solum ecclesie tue profectum verum etiam gregis tibi

commissi salutem continere noscuntur, annuere non immerito debeamus. Ex parte siquidem tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum ecclesie tue, in qua canonici regulares existunt, velis iuxta constitutionem concilii generalis de aliquo viro perito in facultate theologica providere, qui et ipsos docere valeat et commisso tibi clero et populo ministrare pabulum verbi Dei, quia indecens videretur personis religiosis
Deut. 22,10 personam adiungere vel potius preficere secularem, cum nequaquam in bove ac asino sit arandum nec induenda sit vestis lino lanaque contexta, tibi assumendi ad officium huiusmodi magistrum B. monachum monasterii de Hausen Augustensis diocesis, de cuius scientia et religione liquido tibi constat, licentiam concedere dignaremur. Nos itaque tuis supplicationibus favorabiliter annuentes, fraternitati tue, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, licentiam concedimus postulatam.

Dat. Lateran. VII Id. Febr. anno sexto.

191.

Honorius III papa Ph. subdiacono priori Sancti Petri et archidiacono Spoletano mandat, ut iudices et tabelliones Reatinos, qui statuta iniqua contra constitutionem F[riderici] Romanorum imperatoris scripserint, ab officiis publicis amoveant. 1222, Mart. 28.

Hon. III Reg. Vol. III, 222; Lib. VI, 317.

Ph. subdiacono nostro priori Sancti Petri et . . archidiacono Spoletano.

Grave gerimus et indignum, quod quidam officia publica exercentes plerumque in tantam prorumpunt audaciam, ut nec Dei timor nec pene metus etiam temporalis presumptionem eorum valeant cohibere. Intelleximus enim, quod quidam iudices et tabelliones publici Reatini statuta iniqua, contra constitutionem karissimi in Christo filii nostri F. illustris Romanorum imperatoris semper augusti et regis Sicilie, confirmatam a nobis, contra libertatem ecclesiasticam edita, temerario ausu scribere presumpserunt in apostolice sedis et nostram iniuriam et contemptum. Nolentes igitur tante presumptionis audaciam relinquere incorreptam, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus illos quos vobis constiterit[a] huiusmodi scripsisse statuta, et alios qui similia de cetero perpetrare presumpserint, ab officiis publicis appellatione remota amovere curetis, ita videlicet quod ad ipsa officia sine nostro speciali mandato nullatenus admittantur.

Dat. Anagnie, V Kal. April. anno sexto.

192.

Honorius III papa [Petrum] magistrum et fratres domus militiae Templi reprehendit, quod contra fratres domus sancte Mariae Theutonicorum occasione alborum mantellorum, super quibus specialem ab apostolica sede indulgentiam impetraverint, aliquantulum moti sint. 1222, April. 17.

Hon. III Reg. Vol. III, 230; Lib. VI, 319. Pertzii exemplar supplevimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1222, § 7.

Potthast, Reg. 6817.

a) constituerit *R.*

. . magistro et fratribus domus milicie Templi.

Quanto vos ampliori caritate diligimus, tanto nobis amplius displiceret, si, quod absit, reprehensione seu etiam irrisione dignum aliquid faceretis. Siquidem privilegia fratribus domus sancte Marie Teutonicorum ab apostolica sede concessa manifeste demonstrant, quod ordo vester in clericis et militibus ac aliis fratribus, Hospitalis vero in pauperibus et infirmis in ipsa domo iam dudum extitit institutus et per sedem apostolicam confirmatus. Licet autem fratres ipsi tum propter negligentiam suam, dum essent pauci et pauperes, tum etiam propter scandali vestri metum, tam in habitu deferendo quam in quibusdam aliis aliquando contra institutionem fecerint memoratam, nos tamen inclinati sue religionis merito et precibus karissimi in Christo filii nostri F[riderici], Romanorum imperatoris illustris semper augusti et regis Sicilie, qui in die coronationis sue id a nobis pro speciali munere postulavit [1], institutionem ipsam de communi fratrum nostrorum consilio nostro privilegio confirmavimus [2], domum ipsam aliis privilegiis, indulgentiis et libertatibus munientes. Accepimus autem, quod vos occasione alborum mantellorum, super quibus deferendis specialem a nobis indulgentiam impetrarunt [3], pro eo quod in hoc specialiter fecisse contra institutionem huiusmodi videbantur, moti estis aliquantulum contra eos, quod quantum sit vestra religione indignum, quisquis recogitare voluerit, facile recognoscet. Si enim vos ab huiusmodi motu nec apostolica nec imperialis reverentia cohibet, cohibere saltem omnium id audientium subsannatio vos deberet, quibus videtur, sicut est revera, ridiculum, vos indigne ferre alios a vobis album portare mantellum, presertim a vestro habitu sic distinctum signaculo speciali, ut timeri non possit, ne quis unius ordinis fratres ordinis esse alterius arbitretur. Ideoque circumspectionem vestram attente rogandam duximus et hortandam, quatinus omni rancore deposito, si quem forte contra dictos fratres occasione huiusmodi concepistis, ambuletis in caritatis spiritu et unitatis vinculo cum eisdem, eorum profectum, sicut decet viros religiosos, proprium reputantes, ita quod idem imperator, cum illuc Deo dante pervenerit, fraternam inter vos inveniat unitatem, quia, si aliter faceretis, non solum apostolicam et imperialem incurreretis offensam, verum etiam in detractionem vestram ora quorumlibet audientium laxaretis.

Dat. Verulis, XV Kal. Maii, pontificatus nostri anno sexto.

193.

Fridericus Romanorum imperator comitibus, baronibus, iusticiariis ceterisque officialibus suis in regno Siciliae constitutis mandat, ut tam ecclesias quam personas ecclesiasticas regni sui in nullo indebite aggravantes, omnes libertates et immunitates, quas tempore Willielmi secundi regis habere consuerint, iis integre conservent.

1222, April. 23.

Hon. III Reg. Vol. III, 231; Lib. VI, 354.
Ed. a Huillard-Bréholles, Hist. dipl. Frid. II, tom. II, p. 239.

1) *Cf. Huillard-Bréholles, Hist. dipl. Frid. II, tom. II, p. 224.* 2) *a. 1221, Ian. 9; Strehlke, Tab. ord. Theut. p. 281, n. 309.* 3) *eodem die; Strehlke, p. 280, n. 308.*

194.

Honorius III papa universis archiepiscopis et episcopis Theutoniae notificat, se Friderici Romanorum imperatoris personam et imperium usque ad reditum eius ex Terra Sancta sub sua protectione suscepisse, eisque mandat, ut eos qui eius iura invadere praesumant, poenis ecclesiasticis compescant. *1222, April. 24.*

Hon. III Reg. Vol. III, 231; Lib. VI, 352.

Universis archiepiscopis et episcopis per Theutoniam constitutis.

Sincera devotio, quam karissimum in Christo filium nostrum Fridericum, Romanorum imperatorem et regem Sicilie, ad Deum et eius ecclesiam habere conspicimus, nos inducit, ut ad eius tranquillitatem et pacem diligenti studio et studiosa diligentia intendamus. Cum igitur idem zelo fidei et devotionis accensus ad liberationem terre, in qua rex regum et dominus dominantium Iesus Christus generis humani salutem dignatus est misericorditer operari, potenter, sicut imperialem decet magnificentiam, se accingat, nos, ut tam pium et salubre propositum eo[a] melius valeat adimplere, suam et uxoris ac filii sui personas cum imperio, regno et universis iuribus et honoribus suis sub beati Petri et nostra protectione suscepimus, districtius inhibentes ne quis interim ea invadere, minuere vel quomodolibet perturbare presumat, set usque ad reditum eius sub speciali apostolice sedis et archiepiscoporum ac episcoporum defensione libera et quieta consistant. Ideoque universitati vestre per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatinus si qui contra prohibitionem nostram ausu temerario venientes, ipsius imperatoris honores aut iura invadere vel minuere seu quomodolibet presumpserint indebite perturbare, singuli vestrum huiusmodi presumptores in sua diocesi constitutos, ut a sua presumptione desistant et de presumptis debitam satisfactionem impendant, monitione previa per excommunicationem in personas et interdictum in eorum terras sublato appellationis obstaculo compellatis, quotiens fueritis requisiti.

Dat. Verulis, VIII Kal. Maii, pontificatus nostri anno sexto.

195.

Honorius III papa archiepiscopo Brundusino aliisque episcopis Apuliae scribit de electione episcoporum regni Siciliae. *1222, April. 24.*

Hon. III Reg. Lib. VI, 353.

In Apulia. . . Brundusino et . . Ydrontino archiepiscopis et . . Melfiensi et . . Botontino episcopis.

Presentium vobis auctoritate mandamus, quatinus si karissimus in Christo filius noster F[ridericus], Romanorum imperator semper augustus et rex Sicilie, in personam alicuius electi suspitionis causam obiecerit, si tunc idem imperator in Apulia fuerit, vos de eo una cum ordinario suo, si commode poterit interesse, Deum habentes pre oculis legitime cognoscatis, aliis que ad confirmationem vel infirmationem electionis pertinent, ordinario reservatis. Id autem usque ad reditum prosecutionis voti sui absque nostro et ipsius preiudicio volumus observari.

Dat. ut supra.

---

a) in *R.*

In Calabria. In eundem modum scriptum est . . Cusentino[1] et . . Regino[2] archiepiscopis, . . Bissinianensi et . . Militensi episcopis.

In Terra Laboris. In eundem modum . . Capuano et . . Neapolitano[3] archiepiscopis. . . Theanensi et . . Sancte Agathe episcopis.

In Sicilia. In eundem modum . . Panormitano[4] et . . Messanensi[5] archiepiscopis, . . Pactensi et . . Agrigentino episcopis.

196.

Honorius III papa P[elagio] Albanensi episcopo scribit, se colloquio cum F[riderico] Romanorum imperatore de rebus Terrae Sanctae habito aliud colloquium in civitate Verona circa festum beati Martini [Nov. 11] indixisse, ad quod Iohannem regem Hierosolymitanum et ipsum Pelagium invitet, si possint sine damno a Terra Sancta abesse; Fridericum insuper iuravisse, quod iter arrepturus sit termino, quem sive in praedicto colloquio sive circa tempus, quo colloquium indictum sit, ipsi praefigendum duxerit.

1222, April. 25.

Hon. III Reg. Vol. III, 232; Lib. VI, 355. Pertzii exemplar supplevimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1222, § 2–3.
Potthast. Reg. 6816.

P. Albanensi episcopo, apostolice sedis legato.

Celestis altitudo consilii ex hiis, que mala videntur, bona novit elicere et adversa feliciter in prospera commutare. Licet igitur gravem iacturam et grande obprobrium in partibus transmarinis nuper passus fuerit populus Christianus et inimicis fidei videatur nimis prospere successisse, speramus tamen in eo, in cuius ditione cuncta sunt posita et cuius nemo potest resistere voluntati, quod permisit cadere suum exercitum, ut resurgeret fortior, et passus est infideles erigi, ut gravius alliderentur[a]. Cum enim karissimus in Christo filius noster F. Romanorum imperator semper augustus et rex Sicilie, dudum in animo gereret ad liberationem intendere Terre Sancte, nunc propter casum qui accidit digno dolore permotus et animatus divinitus ad ulciscendam tantam iniuriam Christi et populi Christiani, tanto ferventius ad id se preparat et accingit, quanto ipsum predicti casus adversitas et ipsa indignatio vehementius animavit. Denique nos et ipse ad id unanimiter intendentes, celebre colloquium nuper habuimus[6] specialiter pro negotio memorato, et post multos tractatus super hoc diligentissime habitos demum concorditer disposuimus aliud colloquium in Lombardia in civitate Verona circa festum beati Martini proximum celebrare, in quo nos et ipse imperator personaliter esse decrevimus Domino annuente, et ad illud Christianos principes, tam ecclesiasticos quam mundanos, ac fideles alios, quos expedire videbimus, convocare, ut prosecutio dicti negotii, quod Christianos tangit communiter universos, cum deliberatione in tanto negotio necessaria ordinetur, et universi et singuli eo magis proprium ipsum negotium reputantes, quo cum ipsorum consilio et deliberatione ordinatum fuerit, ad illud prosequendum fortius animentur. Cum igitur ad ipsum colloquium, in quo tam de ipsius imperatoris passagio quam de aliis negotium contingentibus decrevimus plenius ordinare, invitemus karissimum in Christo filium

a) allidentur *R.*

1) *Lucae.* 2) *Landoni.* 3) *Petro.* 4) *Berardo.* 5) *Berardo.* 6) *Verulis, April. 12 convenerant.*

nostrum Iohannem regem Ierosolimitanum illustrem, et in eo propter notam industriam et probatam prudentiam tuam habere tuam quoque presentiam affectemus, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus super hoc habens consilium cum ipso rege et patriarcha et aliis, quos ad hoc videris opportunos, quod sine discrimine terre, quam Christiani tenent in partibus transmarinis, possis venire ad colloquium sepe dictum, ad illud personaliter venire cures termino suprascripto; quod si venire forte nequiveris, per litteras vel nuncios tuos super iamdicto negotio tua nos fraternitas procuret instruere, de quibus videris expedire. Id autem fraternitati tue volumus esse notum, quod ipse imperator volens propositum et desiderium suum super dicto Terre Sancte negotio facere manifestum et ad sublimitatis sequelam alios animare, in iam celebrato colloquio publice in conspectu multitudinis prelatorum, principum et baronum ac aliorum, qui ad colloquium ipsum convenerant, manu propria spontanea voluntate iuravit, quod iter transfretandi arripiet termino, quem sibi seu in colloquio apud Veronam ut duximus celebrando, seu circa tempus, quo colloquium ipsum indictum est, duxerimus prefigendum.

Dat. Verulis, VII Kal. Maii, pontificatus nostri anno sexto.

In eundem modum scriptum est eidem legato usque: animentur. Cum igitur karissimum in Christo filium nostrum Iohannem regem Ierosolimitanum illustrem ad ipsum colloquium invitemus, fraternitatem tuam sollicitandam duximus et hortandam, quatinus ad terre custodiam vigilanter intendens, fideles consistentes ibidem conservare studeas in vinculo caritatis, ac per litteras aut nuntios tuos nos instruas de quibus videris expedire. Id autem discretioni tue volumus esse notum, quod ipse imperator volens propositum et desiderium suum etc. ut supra usque in finem.

In eundem modum scriptum est Iohanni regi Ierosolimitano illustri usque: decrevimus plenius ordinare, presentia tua plurimum esse utilis videatur, nos ac ipse imperator te ipsi colloquio interesse propter notam industriam et probatam prudentiam tuam maxime affectamus, unde nobis attendentibus te ad id venire non posse sine gravi dispendio, et asserentibus quod forte non posses de facili ad id habere dignum tue celsitudini apparatum, idem imperator respondens, quod super hoc provideret, instanter petiit te ad ipsum colloquium apostolicis litteris invitari. Ideoque serenitatem tuam rogandam duximus et hortandam, quatinus super hoc habens consilium cum venerabilibus fratribus nostris P. Albanensi episcopo apostolice sedis legato et . . patriarcha Ierosolimitano[1] aliisque prelatis, nec non cum magistris . . Hospitalis[2] et . . Templi[3] ac . . preceptore domus sancte Marie Teutonicorum aliisque quos ad hoc videris oportunos, si videris, quod sine discrimine terre, quam Christiani tenent in partibus transmarinis, possis venire ad colloquium sepedictum, ad illud personaliter venire cures termino suprascripto. Quod si venire forte nequiveris, discretos et fideles nuntios ad ipsum cures colloquium destinare, qui vice tua nobis dare valeant consilium oportunum. Id autem excellentie tue volumus esse notum etc. ut supra usque: prefigendum.

197.

Honorius III papa universis Christi fidelibus notum facit, se omnibus poenitentibus et confessis, qui ad consummationem ecclesiae sancti Mauritii Magdeburgensis subsidia impendant, quadraginta dies de iniunctis poenitentiis relaxare. *1222, Mai. 17.*

Hon. III Reg. Vol. III, 234; Lib. VI, 362.

1) *Radulfo.* 2) *Garino.* 3) *Petro.*

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.

Divine benignitatis immensitas virtutes largiens, ut premia largiatur. ex affluentia bonorum, que suis prestat fidelibus, gaudet ab eis vel modica sibi reddi, ut sic gratiam promereantur ex gratia. et pro temporalibus bonis felici commertio recipiant sempiterna. Cum igitur ecclesia sancti Mauritii Magdeburgensis, cuius venerabilis frater noster Hugo Hostiensis episcopus et dilectus filius L[eo] tituli Sancte Crucis presbyter cardinalis tunc apostolice sedis legati fundamenta iecerunt, nobili structura et opere adeo sumptuoso consurgat, ut ad eius consumationem ipsius non sufficiant facultates, universitatem vestram rogamus in Domino et hortamur, vobis in remissionem peccaminum iniungentes, quatinus de bonis vobis a Deo collatis ad id conferatis subsidia oportuna, ut dictum opus per vestre subventionis auxilium feliciter consumetur, et vos per hec et alia pietatis opera, que Deo auctore feceritis, eterna vobis premia comparetis. Nos autem de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad ecclesiam ipsam in die sollempnitatis ipsius gloriosi martyris Mauritii vel etiam infra octavas devote convenerint, ad consumationem predicti operis subsidia impensuri, quadraginta dies de iniunctis sibi penitentiis misericorditer relaxamus, presentibus litteris usque ad decem annorum spatium valituris.

Dat. Alatri, XVI Kal. Iunii, anno sexto.

198.

Honorius III papa capitulo Magdeburgensi scribit de electione decani.

1222. Mai. 17.

Hon. III Reg. Vol. III, 231; Lib. VI, 364.

Capitulo Magdebergensi[a].

Cum ecclesia vestra decano vacet ad presens, et venerabilis fratris nostri . . archiepiscopi[1] vestri presentiam credamus in electione decani existere oportunam, volumus et presentium vobis auctoritate mandamus, quatinus cum idem archiepiscopus negotiis imperii circa partes Italie occupatus hoc tempore nequeat ad propria remeare, ipsum usque ad mediam quadragesimam expectetis, interim ad decani electionem nullatenus processuri.

Dat. Alatri, XVI Kal. Iunii, anno sexto.

199.

Honorius III papa [Iacobo] Taurinensi et [Hugoni] Vercellensi episcopis mandat, ut excommunicationis sententiam, quae in A[micaeum] potestatem et populum Mediolanensem lata sit, solemniter publicent et firmiter observari faciant. Cf. n. 188.

1222, Iun. 1.

Hon. III Reg. Vol. III, 296; Lib. VI, 415.

a) *ita R.*

1) *Alberti, qui 1222—1226 legatus imperialis in Italia erat: Winkelmann, Fried. II, p. 217.*

. . Taurinensi et . . Vercellensi episcopis.

Venerabilis frater noster . . Mediolanensis archiepiscopus[1] gravem nobis obtulit questionem, quod A. potestas populi Mediolanensis necnon et ipse populus contra eum nequiter conspirantes, pro eo quod manutenere nititur ecclesiasticam libertatem, ipsum in banno ponere ausu temerario presumpserunt. Et licet propter hoc lata sit excommunicationis sententia in eosdem, ipsi tamen in sue iniquitatis duritia persistentes, non solum non corrigunt quod temere attemptarunt, verum etiam insidiari vite ipsius archiepiscopi non verentur. Cum igitur tam absurde temeritatis abusum tolerare in patientia non velimus, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus latam in eos excommunicationis sententiam pulsatis campanis et candelis accensis sollempniter publicantes singulis diebus dominicis et festivis per loca in quibus videritis expedire, ac precipientes usque ad satisfactionem condignam firmiter observari, auctoritate nostra districtius inhibere curetis, ne dictis civibus in huiusmodi duritia persistentibus, aliqua civitas eorum aliquem presumat assumere in rectorem, nullusve regimen Mediolanensis audeat assumere civitatis, nec cum eis aliquod celebrare colloquium, commertium vel contractum, si similem desiderat sententiam evitare.

Dat. Alatri, Kal. Iunii, anno VI.

200.

Honorius III papa universis Christi fidelibus notum facit, se omnibus vere poenitentibus, qui ad ecclesiam Halberstadensem die cuiusdam sollemnitatis accesserint, quadraginta dies de iniunctis poenitentiis relaxare. *1222, Iun. 15.*

Hon. III Reg. Vol. III, 254; Lib. VI, 412.

Universis Christi fidelibus presentem paginam inspecturis.

Immensa Dei benignitas virtutes largiens, ut premia largiatur, etsi bonorum nostrorum non egeat, ex multis tamen que nobis donavit, gaudet a nobis aliqua sibi reddi, ut sic habeat nos remunerandi materiam et pro gratia gratiam conferendi. Cum igitur venerabilis frater noster C[onradus] episcopus quondam Halberstadensis de civitate Constantinopolitana olim attulerit multas sanctorum reliquias easque obtulerit Halberstadensi ecclesie, cui eo tempore presidebat, ac in die, quo reliquie ipse oblate fuerunt eidem ecclesie, celebris in earum veneratione sollempnitas celebretur ibidem, nos ad ea vos inducere satagentes, que ad Dei honorem et salutem vestram cognoscimus pertinere, omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad ecclesiam ipsam devote in die predicte sollempnitatis accesserint, quadraginta dies de iniunctis sibi penitentiis misericorditer relaxamus.

Dat. Alatri, XVII Kal. Iulii, pontificatus nostri anno sexto.

201.

Honorius III papa [Friderico] Halberstadensi et [Conrado] Hildeshemensi episcopis et H[enrico] duci Saxoniae et [Henrico] comiti Ascariae mandat, ut iuramentum,

1) *Henricus.*

quo ad pacem in terris suis per mutuum auxilium conservandam se astrinxerint, observare studeant. *1222, Iun. 26.*

Hon. III Reg. Vol. III, 251; Lib. VI, 145.
Potthast. Reg. Add. II, 6867a — 26646.

. . Halberstadensi et . . Ildesemensi episcopis, et nobilibus viris H. duci Saxonie, comiti palatino Reni, . . comiti Ascarie, et ministerialibus Madeburgensis ecclesie.

Gratum gerimus et acceptum, quod, sicut audivimus, vos ad procurandam et conservandam pacem in terris vestris mutuum vobis conferre auxilium iuramento interposito astrinxistis, ut sic populus vobis commissus in pulcritudine pacis sedeat et in requie opulenta. Super quo discretionem vestram dignis in Domino laudibus commendantes, per apostolica vobis scripta mandamus, quatinus huiusmodi iuramentum, sicut est licitum et honestum, studeatis taliter observare, quod conscientiam apud Deum et famam conservetis illesas, aliasque vos faciatis providos reputari.

Dat. Lateran. VI Kal. Iulii, anno sexto.

202.

F*ridericus Romanorum imperator Honorio III papae conqueritur, quod Iohanni de Traiecto notario suo a capitulo Brundusino unanimiter electo confirmationem impertire noluerit, licet contra eundem nihil argui possit, nisi quod infra trimestre tempus ipsa electio non extiterit celebrata; rogat, ut si defectus aliquis in electione forte comparuerit, ipsum precum suarum suppleat interventio; mittit propter hoc M. abbatem monasterii sancti Spiritus de Panormo.* *1222, Iul. 8*[1].

Hon. III Reg. Vol. IV, 70; Lib. VII, 218.
Ed. Winkelmann. Act. Imp. ined. p. 213, n. 267.

203.

H*onorius III papa [Bonaventurae] Ariminensi, [Petro IV] Firmano et Urbinati episcopis mandat, ut a civibus Fanensibus, qui quondam culpis exigentibus excommunicati*

1) *Haec epistola data est:* in castris apud Latum, VIII Iulii, XII indictionis. *Winkelmann eam propter indict. XII ad annum 1224 refert, in quo eum errare puto, cum maioris momenti quam indictio certe sit locus, quo invenitur in regestis. Continetur in lib. VII, neque vero in postremo, ubi poterat postea esse addita ut n. 165, sed sequuntur adhuc 13 epistolae, quarum tres, n. 221, 222, 223 ab imperatore mense Aprili a. 1223 papae missae sunt. Si igitur epistola nostra, ut Winkelmann credit, a. 1224 scripta est, sed in regestis collocata ante epistolas aestatis a. 1223, credendum est per annum et diutius tantam confusionem vel negligentiam in tabulario curiae fuisse, ut aliquot epistolae a. VII et fere omnes a. VIII non ante Iul. 8 a. 1224 in regesta relatae sint. Sed talia facta non esse elucet iam ex eo, quod totus liber VII ab uno scriba confectus est, qui non est idem atque scriptor libri VIII [cf. Praef.]. — Dubitare fortasse licet, utrum epistola anni 1223 sit an anni 1222; cum autem in regestis legatur ante Friderici epistolas mense Aprili missas, nec sit verisimile eam, si mense Iul. a. 1223 scripta esset, adhuc lib. VII insertam esse, eam ascribimus a. 1222. Illud vero mirandum non est, quod tam sero in regesta relata est, cum in inserendis litteris receptis minor cura adhiberetur [cf. n. 127]. Si denique Winkelmann eam post n. 251 scriptam esse ducit, hoc quoque difficile probatu esse existimo; nam in altera imperator rem exponit, in altera de re loquitur iam saepius tractata; in altera dicit:* instamus precibus, *in altera:* institimus et instamus, nuntios nuntiis et litteras litteris frequentius inculcantes; *et fortasse aliquid est in altera abbatem mitti, in altera archiepiscopum. Cf. Böhmer-Ficker, Reg. Imp. Fried. II, n. 1399.*

satisfacere parati sint, iuramentum recipiant de stando mandatis ecclesiae; his peractis de damnis, quae iidem cives ecclesiae Forosimphroniensi irrogaverint, inquirant.

1222, Aug. 17.

Hon. III Reg. Vol. IV, 1: Lib. VII, 6.

. . Ariminensi, . . Firmano, et . . Urbinati episcopis.

Pro destructione civitatis et ecclesie Forosimphroniensis[1] et Fanensium eiectione militum ac suorum spoliatione bonorum in Fanenses cives semel et iterum de mandato nostro excommunicationis sententia lata fuit, et cum in ea ipsi per annum et amplius contumaciter perstitissent, nos, quia crescente contumatia crescere pena debet, comminando eis, quod secundum generalis statuta concilii tamquam heretici nuntiari poterant et cathedrali dignitate privari, qua iam reddiderant se indignos, eandem sententiam mandavimus per venerabilem fratrem nostrum . . Anconitanum episcopum[2] et suos coniudices singulis diebus dominicis et festivis pulsatis campanis et candelis accensis publice usque ad satisfactionem congruam innovari. Verum venerabilis frater noster . . Fanensis episcopus[3] de commissi sibi gregis salute sollicitus, ne dissimulando eius interitum non pastor set mercennarius haberetur, ad presentiam nostram accedens diu ad misericordie nostre hostium, non modica apud sedem apostolicam mora protracta, pulsavit, et supplicare instantissime, licet sepe a nobis repulsam sustinuerit, non desistens, nos tandem, qui non debemus veniam petentibus denegare, oportuna supplicationum suarum importunitate devicit et ad misereadum predictis civibus inclinavit. Cum autem predicti cives, ut idem episcopus nobis ex parte ipsorum obtulit, ad mandatum nostrum satisfacere sint parati, dignumque sit, quod precedentem culpam subsequens satisfactio redimat, ut gravamen, quod presumptio intulit, ex satisfactionis humilitate tollatur, fraternitati vestre per apostolica scripta districte et in virtute obedientie precipiendo mandamus, quatinus ad Fanensem civitatem personaliter accedentes ac attendentes sollicite, quod alias fuit tergiversatione dictorum civium Romana ecclesia circumventa, ab omnibus et singulis recipere procuretis de stando mandatis ecclesie iuramentum, et quatuor milium librarum Ravennatium pignora, et viginti obsides de melioribus civitatis eligendos a vobis, quos cum predictis pignoribus faciatis Ariminum deportari. Hiis itaque cum provida deliberatione ac debita, prout in tanto negotio exigitur, maturitate peractis, postmodum de dampnis Forosimphroniensis ecclesie inquiratis, que, ut iidem cives adderent afflictionem afflicto, dampnande temeritatis audacia semel et iterum irrogasse dicuntur, et de satisfactione, quam post prima gravamina[a] dilecto filio . . eius electo[4], sicut dicitur, impenderunt, ac de expensis, siquas pro utilitate ipsius ecclesie ab alterutra partium constiterit esse factas, nec non et universis circumstantiis dictum negotium contingentibus ab ipso dictorum civium presumptionis initio usque ad hec tempora plenissime veritatem, quod inveneritis, per vestras nobis litteras expressuri, ut instructi a vobis super satisfactione ipsorum securius procedere valeamus. Mandatum autem apostolicum tam vigili cautela[b] et sollicita[c] diligentia exequi studeatis, ut ex hoc apud homines fama et merito augeamini apud Deum, et nos providentiam et circumspectionem vestram possimus in Domino commendare. Quod si non omnes —, duo vestrum etc.

Dat. Lateran. XVI Kal. Septembris, pontificatus nostri anno septimo.

a) gravimina *R.* b) causa *R.* c) sollita *R.*

1) *Fossombrone ad Metaurum.* 2) *Gerardum.* 3) *Ricardus.* 4) *Monaldo.*

204.

Fridericus Romanorum imperator ab Honorio III papa petit, ut canonicos Cephaludenses ad eum accedentes in iustis petitionibus suis habeat commendatos.

1222, Oct. 26.

Hon. III Reg. Vol. IV, 14; Lib. VII, 54.
Ed. Winkelmann, Act. Imp. ined. p. 223, n. 242.

205.

Fridericus Romanorum imperator Honorium III papam certiorem facit de electione Hugonis decani in archiepiscopum Capuanum; petit, ut cum electum ad regimen huius ecclesiae sufficientem esse audiverit ideoque electioni assensum praebuerit, papa quod desit opportuno tempore suppleat.

1222, Oct. 29.

Hon. III Reg. Vol. IV, 11; Lib. VII, 44.
Ed. Winkelmann, Act. Imp. ined. p. 224, n. 243.

206.

Fridericus Romanorum imperator U[golino] Ostiensi et N[icolao] Tusculano episcopis et aliquibus cardinalibus ecclesiae Romanae scribit, quam moleste tulerit iniuriam R[aynerio] Sanctae Mariae in Cosmedin diacono cardinali rectori ducatus Spoleti a G[unzolino] imperialis aulae dapifero illatam; nunc autem ipsorum litteris et a magistro R[offredo] subdiacono, nuntio ad se destinato, certiorem factum de detestandae illius dapiferi temeritatis excessu se ei districte mandare, ut baliros ecclesiae restituat, iuramenta ab hominibus ducatus recepta relaxet et satisfactionem exhibeat, unde liquide cognoscatur haec omnia se nolente fuisse praesumpta.

1222, Nov. 22.

Hon. III Reg. Lib. VII, 41.
Ed. Raynaldus, Ann. eccl. a. 1222, § 27—29.

207.

Fridericus Romanorum imperator Honorio III papae idem scribit de eadem re.

1222, Nov. 22.

Hon. III Reg. Vol. IV, 11; Lib. VII, 42.
Ed. Theiner, Cod. dipl. dom. temp. s. sed. I, p. 72, n. 119.

208.

Fridericus Romanorum imperator Honorium III papam rogat, ut ea quae Iacobus Pactensis episcopus et H[ermannus] magister domus Theutonicorum ei proposuerint, benigne audiat et credat. [1222, Nov. 22][1].

Hon. III Reg. Lib. VII, 43.
Ed. Theiner, Cod. dipl. dom. temp. s. sed. I, p. 72, n. 120.

209.

Fridericus Romanorum imperator Bertaldo filio quondam ducis Conradi scribit sibi displicere, quod Gunzolinus dapifer ad eius suggestionem in ducatu Spoletano egerit, eique mandat, ut haec emendari faciat. [1222, Nov. 22].

Hon. III Reg. Vol. IV, 11: Lib. VII, 45.
Ed. Theiner, Cod. dipl. dom. temp. s. sed. I, p. 72, n. 118.

210.

Fridericus Romanorum imperator Gunzolino dapifero mandat, ut quae in ducatu Spoletano et in marchia Anconitana egerit, revocet. [1222, Nov. 22].

Hon. III Reg. Lib. VII, 46.
Ed. Theiner, Cod. dipl. dom. temp. s. sed. I, p. 72, n. 117.

211.

Fridericus Romanorum imperator Spoletanis significat se omnia revocasse, quae Gunzolinus dapifer suus in ducatu Spoletano in praeiudicium ecclesiae Romanae egerit, iisque mandat, ut pontifici obediant. 1222, Nov. 22.

Hon. III Reg. Lib. VII, 47.
Ed. Theiner, Cod. dipl. dom. temp. s. sed. I, p. 71, n. 116.

212.

Fridericus Romanorum imperator Marchianis et [Petro] Firmano et [Guidoni] Assisinati episcopis idem scribit; episcopis insuper praecipit, ut mandatum et voluntatem suam per ducatum et marchiam publicent. 1222, Nov. 22.

Hon. III Reg. Lib. VII, 48.
Ed. Theiner, Cod. dipl. dom. temp. s. sed. I, p. 73, n. 121.

1) *Et haec epistola et duae sequentes signo chronologico carent; cum autem in iis de eadem re atque in praecedentibus et sequentibus agatur, non errabimus, si eas sub Nov. 22 ponimus, credentes negligentia scribae tabularii curiae datum excidisse.*

213.

Honorius III papa [Conrado] episcopo Spirensi scribit de sepultura Alberti militis de Lechimehan. *1222, Dec. 17.*

Hon III Reg Vol. IV, 15; Lib. VII, 60.

. . Spirensi episcopo, imperialis aule cancellario.

Dilectorum filiorum . . abbatis et conventus de Mulembrunnen[a] litteras recepimus, continentes quod cum Albertus miles de Lechimehan defunctus propter incendium et homicidium vinculo haberetur excommunicationis astrictus, gravi tandem correptus egritudine, qua decessit, cum vera cordis contritione de peccatis suis confessus est proprio sacerdoti, iurisiurandi vinculo se astringens, quod ipso redito[b] sanitati ad apostolicam sedem accederet eius beneplacitum suscepturus; quo facto ab eodem presbytero absolutus, participans corpori et sanguini Domini, debitum nature persolvit. Quare prefati abbas et conventus suppliciter postularunt, ut tradi eum ecclesiastice sepulture, ad quam nondum admissus extitit, mandaremus. Nos autem de fraternitate tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, per apostolica tibi scripta mandamus, quatinus satisfactione ab heredibus defuncti super homicidio et incendio prestita competenti, super hoc auctoritate nostra facias, quod secundum Deum et sine scandalo videris faciendum.

Dat. Lateran. XVI Kal. Ianuar. anno septimo.

214.

Honorius III papa Hermanno magistro et fratribus Sanctae Mariae Theutonicorum libertates et immunitates iis ab Otakaro rege Bohemiae concessas, sicut in privilegio super hoc a. 1222, Aug. 26 confecto et hic inserto continetur, confirmat. *1222, Dec. 19.*

Hon. III Reg. Vol. IV, 22, 23; Lib. VII, 80. — In codice tab. reg. Berol. h. I. C. 12 fol. II, 123 huic chartae formula confirmationis papalis praemittitur, quae in copia Pertzii non legitur; cf. Strehlke, Tab. ord. Theut. p. 161, n. 176.

Potthast, Reg. 6901.

. . magistro et fratribus Hospitalis sancte Marie domus Theutonicorum Ierosolimitane.

In nomine sancte Trinitatis et individue unitatis ego Odoacer, rex Boemorum tertius, Hermanno magistro Hospitalis sancte Marie domus Theutonicorum Ierosolimitane eiusque fratribus, tam presentibus quam futuris, in perpetuum. Cum regie magnificentie et munificentie beneficia ad omnes generaliter[c] debeant extendi, nostra tamen consulte decrevit serenitas eos tueri potentius et fovere clementius, qui divinis insudantes obsequiis non solum res suas pro Terre Sancte defensione largiter expendunt, set etiam corpora sua animo imperturbato et affectu pio gravissimis periculis exponunt devotius. Noverit itaque tam presens etas quam futura posteritas, quod nos domos et possessiones et fratres Hospitalis sancte Marie domus Theutonicorum Ierosolimitane et insuper omnes in eorum possessionibus habitantes constitutos in regno nostro, tam in Boemia quam in Moravia seu in aliis provinciis regno nostro

a) Mulembruñ R. b) i. e. reddito R. c) geraliter R.

attinentibus, sub nostre magnitudinis recepimus protectione, et omnes possessiones cum omnibus appendiciis suis, quas vel nos eidem domui contulimus, vel inclite memorie dux Conradus Boemie, vel pie recordationis frater noster Wladizlaus marchio Moravie, vel etiam alii nobiles viri, vel ingenue matrone, sive etiam alii Christi fideles minoris facultatis et potentie prefate domui contulerunt, eidem libere et pacifice possidendas nostra regia auctoritate confirmamus. Emancipavimus etiam omnia predia eis collata et conferenda cum eorum colonis et inquilinis et omni familia, sive sint liberi sive servi, ab omni iure ad usus nostros vel nobilium a nobis inbeneficiatorum vel ceterorum officialium spectante vel utilitate secundum morem terre pertinente vel accrescente, hoc statuentes ne quis prenominatam domum aliquomodo super hiis institiis vel consuetudinibus vel comoditatibus, que usui regni vel nobilium vel ceterorum competere videbantur, audeat impetere vel gravare, vel ea que a nobis eis concessa sunt, in irritum revocare. Ubi autem eos ab omni iure generaliter absolvimus, non est necesse, ut de aliqua iuris specie aliquis questionem debeat movere. Addidimus etiam, quod firmiter sancimus ipsos et eorum homines per thelonea transeuntes nullum dare passagium pro se ipsis vel pro aliquibus rebus ad domum eorum spectantibus, nisi sint mercatores eorum publici, qui pro comodis propriis ampliandis laborant: quos a theloniis non absolvimus. Si vero contigerit, quod aliquis occidatur ab hominibus eorum et amici occisi velint occisores de homicidio impetere, in curia nostra respondeant, res vero occisorum in providentia fratrum permaneant. Si autem fur vel predo manifeste in ipso actu deprehenditur, bona furis fratribus remaneant, et ipsi secundum consuetudinem terre a nostris iudicibus puniantur. Si vero naroc, quod latine vocatur accusatio, furum vel nocturnorum predonum super eorum homines evenerit, iudicio astent curie secundum morem terre, in nullo nostre celsitudini nec nostris, quoad aliquam utilitatem, responsuri, sed omnis culpe satisfactio cedat in usus fratrum; et tamen homines, si rei fuerint comprobati, adversariis satisfaciant. Si vero homo accusatus per honestos vicinos suos fide eorum requisita fuerit absolutus, curie non respondeat; et hoc diligenter notandum, quod ubi eos ab omni utilitate nostra et nostrorum absolvimus, nichil iuris, quod ad hoc, nostre magnitudini vel nostrorum comoditatibus retinemus. Nullus etiam cogat fratres aut homines eorum ad aliquod servile officium vel pro castrorum edificatione vel pro aliquo servitio tali, quod eis sit ad impedimentum libertatis sue, quia plenam et integram in omnibus possessionibus suis eis concessimus libertatem, ita ut ipsi de hominibus suis disponant omnia ad profectum domus. Cum vero celebris memorie tam imperatores magnifici quam alii gloriosissimi reges prescriptam domum amplissimis ditaverint possessionibus et muniverint privilegiis, nos, etsi eis nequaquam divitiis, tamen pro posse nostro volumus eis beatis parificari meritis; ideoque indulsimus eis, quod sive maiores sive minores in regno nostro constituti proprias possessiones eidem domui contulerint, vel ipsi aliquas iustis conditionibus vel debitis modis acquisierint, ab omni prefato iure ad usus nostros vel nostrorum accedente, secundum quod superius est determinatum, easdem possessiones esse liberas et absolutas, ut per hanc indulte libertatis concessionem et utilitatis nobis debite collationem nostre clementie apud Deum et ipsius matrem nostra merita sint favorabiliora et excellentiora. Ut autem hec nostre constitutionis pagina tam serenis temporibus nostris quam futuris robur habeat et firmitatem, eam nostre sublimitatis sigillo fecimus insigniri, districte sanctientes ut quicumque has libertates vel indulgentias temere transgressi fuerint, vel ea que a nobis vel predecessoribus nostris vel a fratre nostro vel ab aliis fidelibus viris eidem domui sunt collata, violenter invaserint vel abstulerint, pena decem marcarum auri in nostram cameram solvendarum puniantur, ita tamen ut prius lesis satisfaciant.

Huius rei testes sunt: Robertus Olomucensis episcopus, abbas Gradicensis[a], abbas Welegradensis, Bavarus camerarius, Zavisa castellanus Olomucensis, Chistibonus castellanus Preroviensis, Zulizlaus dapifer, Weliz iudex, Zpitata, Zlaweta magistri venatorum, Ioras, Boruta castellanus de Podwin et filius eius Boruta, Witheo et frater eius Henricus, Groznata subcamerarius regis, Boguzlaus filius Zlawconis, Stephanus de Medelov, Emeramus de Bozcowiz, Ones castellanus Olomucensis, Luder et frater eius Neplah, Gerardus de Zbraizlav, Adlart filius Razonis, Wogna de Bistrici, Prozimus castellanus Znoimensis, Echardus et frater eius Artheleybus castellani Znoymenses, Petrus et frater eius Zwoiso, Olricus filius Iuriconis, Holaz subpincerna regis.

Actum Olomucen.[b] anno incarnationis Dominice MCCXXII, VII Kal. Septembris, indictione X. Dat. per manum Hermanni magistri regis notarii.

Confirmata Lateran. XIV Kal. Ianuarii, anno septimo[c].

215.

Fridericus Romanorum imperator Honorio III papae scribit, sibi a H[ermanno] Theutonicorum magistro ad se redeunte expositum esse, quod in curia Romana asseratur se litteras, quas super facto ducatus et marchiae per magistrum Roffredum notarium apostolicum transmiserit, revocasse. Ut evidentius cognoscatur haec esse a veritate aliena, transmittit ad curiam praefatum magistrum et Gonzolinum senescalcum, ut alter, si necesse fuerit, ad expurgandam innocentiam suam iuramentum offerat, alter papae mandatum plenius adimpleat. *1222, Dec. 20.*

Hon. III Reg. Vol. IV, 14; Lib. VII, 55.
Ed. Theiner, Cod. dipl. dom. temp. s. sed. I, p. 73, n. 123.

216.

Fridericus Romanorum imperator Honorio III papae scribit, quidquid Gonzolinus dapifer et Bertoldus filius quondam ducis Conradi in marchia Anconitana et ducatu Spoletano contra iura ecclesiae Romanae fecerint, id se nolente fuisse attentatum; nuntiatque se banna posita et iuramenta ab iisdem recepta et omnia mandata, quae praesentibus contraria appareant, penitus evacuare et relaxare. *1223, Ian. 1.*

Hon. III Reg. Vol. IV, 16, 17; Lib. VII, 64.
Ed. Theiner, Cod. dipl. dom. temp. s. sed. I, p. 74, n. 124.

217.

Fridericus Romanorum imperator universis per ducatum Spoletanum constitutis scribit, se Gonzolinum dapiferum ad summum pontificem misisse, ut pro omnibus excessibus

a) Gradirensis *R.* b) Olomuceñ *R.* c) V *R.*

quos in partibus illis commiserit, satisfactionem congruam exhibeat; monet eos, ut cum banna posita et iuramenta recepta relaxaverit, omnino summi pontificis seu legatorum eius mandatis obediant. *1223, Ian. 1.*

Hon. III Reg. Vol. IV, 17; Lib. VII, 65.
Ed. Theiner, Cod. dipl. dom. temp. s. sed. I, p. 74, n. 125.

218.

***F**ridericus Romanorum imperator [Petro] Firmano et [Guidoni] Assisinati episcopis et universis per Anconitanam marchiam constitutis eadem scribit, addens quod in praesentia magistri Roffredi notarii apostolici nobiles viros de marchia Fidesminum de Maione, Guittielmum de Massa et Gottipuldum nepotem Conradi abiurare fecerit sacramenta, quae suo nomine praestiterint.* *1223, Ian. 1.*

Hon. III Reg. Lib. VII, 66.
Ed. Theiner, Cod. dipl. dom. temp. s. sed. I, p. 75, n. 125.

219.

***H**onorius III papa [Christiano] episcopo Prusciae annuum viginti marcarum redditum et libertates et immunitates et exemptiones ei et ecclesiae eius a nobili viro Ottone de Luneburg indultas auctoritate apostolica confirmat.*

1223, April. 7.

Hon. III Reg. Vol. IV, 38; Lib. VII, 139.
Potthast, Reg. 6984.

. . episcopo Pruscie.

Sacrosancta Romana ecclesia etc. usque: confovere. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis iustis precibus inclinati, annuum viginti marcharum redditum tibi et per te ecclesie tue et tuis successoribus a nobili viro Octone de Luneburch pietatis obtentu concessum, nec non libertates, immunitates et exemptiones ab eodem nobili tibi et hominibus tuis indultas, sicut ea omnia iuste, canonice ac pacifice obtines, et in ipsius nobilis litteris plenius perspeximus contineri, tibi et per te ecclesie tue et successoribus tuis auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis infringere. Si quis autem etc.

Dat. Lateran. VII Idus Aprilis, pontificatus nostri anno VII.

In eundem modum scriptum est eidem episcopo usque: precibus inclinati, annuum viginti marcharum redditum a dilecto in Christo filio nobili viro Alberto marchione Brandeburgensi tibi et per te etc. in ipsius marchionis litteris etc. usque in finem.

220.

***H**onorius III papa Philippo regi Francorum nuntiat, F[ridericum] Romanorum imperatorem ad se in Campaniam venisse, ibique iurasse se ab aestate praesenti ad*

biennium ad Terrae Sanctae succursum transfretaturum esse; monet regem, ut cum H[enrico] rege Anglorum pacem ineat vel saltem treugas proroget hactenus observatas.

1223, April. 18.

Hon. III Reg. Vol. IV, 39; Lib. VII, 141.
Potthast, Reg. 6997.

Philippo regi Francorum illustri.

Hereditate superna se reddit indignum et excludendum ab ea se potest non immerito formidare, quem zelus Christiane fidei non accendit, quem non movet iniuria Iesu Christi, et quem non urit pollutio sanctuarii ac contumelia redemptoris, in hereditatem ipsius gentibus venientibus et polluentibus templum eius, posita Ierusalem velud pomorum custodiarium, et filia Syon quasi tugurium in cucumerario derelicta. Es. 1,8. Numquid Christi poterit esse coheres qui ei succursum iuxta vires proprias prestare neglexerit, a terra, quam ad exhibenda misteria nostre redemptionis elegit, a blasphemis nominis eius expulso vel saltem patienti eidem non compatiatur ex animo, cui qui compatiuntur et conregnabunt? Nonne vassallus cuiuslibet domini temporalis quasi proditionis reus et feodo quod tenet ab eo indicaretur indignus, si domini sui terram intrantibus hostibus pro viribus non resisteret, et se iuxta posse ad expulsionem non accingeret eorundem? Quantomagis hii, qui Christiana professione censentur, a celesti patria se timere poterunt proscribendos et rudentibus inferni detractos in 2. Petr. 2,4. tartarum cruciandos, si Christo querenti, quod hereditas eius ad alienos sit versa et ad extraneos templum eius, subtraxerint[a] devotionis et compassionis succursum et non posuerint gladium super femur, de porta transeundo ad portam in ultionem blas- Exod. 32,27. phemantium nomen eius, qui licet bonorum nostrorum non egeat et solo verbo possit conterere inimicos, ad hoc tamen nostrum clementer requirit auxilium, quod fructibus nostre[b] devotionis accrescat, quibus eterne vite nobis premia largiatur. Gratias autem Deo, qui sollicitudinem huius negotii dedit in corde karissimi in Christo filii nostri F. Romanorum imperatoris illustris semper augusti et regis Sicilie, ut exhortatione nostra recepta ad nos propter hoc venerit in Campaniam[1] et negotium assumpserit in se ipso, prestito corporaliter iuramento promittens, quod ab estate presenti ad biennium ad Terre Sancte succursum vita comite transfretabit. Cum ergo ad eiusdem terre subsidium undique preparandum sit permaxime necessarium, ut inter principes et populos Christianos pax interim firmiter observetur, sicut in colloquio cum eodem imperatore habito duximus statuendum, serenitatem tuam rogandam duximus et monendam, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatinus eius intuitu, qui pacificos filios Dei asserit appellandos, cum karissimo in Christo filio nostro H. Anglo- Matth. 5,9. rum rege illustri, si fieri potest[c], inheas firmam pacem, vel saltem proroges treuguas inter te ac ipsum hactenus observatas, ne occasione huiusmodi guerre regis celestis impediatur militia, et Gallia, que preliari prelia Domini potissimum consuevit, preliis intrinsecis occupata debite servitutis et devotionis obsequia subtrahat Regi regum, et eadem, que in hoc negotio usque modo strenue Domino militavit, triumphi, quem idem dominus Sabaoth suo daturus est exercitui, fiat expers. Moveat itaque ad hoc, serenissime princeps, aspersio sanguinis Iesu Christi, per quem reconciliavit nos patri, inimicitiam in carne sua solvens, et duo condens in unum pacem fecit[d] in Ephes. 2,14. semetipso, quam transiturus ad patrem discipulis in testamento reliquit, post huius vite curricula eternitatis pacis premia largiturus. Attendas igitur diligentissime, fili, quod qui cum proximo pacem non habet, vix aut numquam potest mentis tranquilli-

a) subtraxerunt *R.* b) vestre *R.* c) potes *R.* d) facit *R.*

1) *Ferentini mense Martio convenerunt; cf. Winkelmann, Friedr. II, p. 174.*

tatem habere, sine qua nemo eterne pacis premio poterit munerari. Studeas denique intuitu retributionis celestis, quantum in te fuerit, pacem habere cum proximo, ut sic pacem habeas in te ipso, et per eam inoffenso pede currendo, ad pacis eterne premia valeas pervenire. Ceterum cum venerabilem fratrem nostrum . . Norwicensem episcopum[1], quem sue probitatis obtentu sinceritatis brachiis amplexamur, ad presentiam tuam propter hoc specialiter destinemus, serenitatem tuam iterato rogamus, quatinus ob reverentiam apostolice sedis et nostram eidem super hiis benignum prestes auditum, et monitis ab eo regie serenitati ex parte nostra propositis acquiescas.

Dat. Lateran. XIIII Kal. Maii, pontificatus nostri anno septimo.

221.

Fridericus Romanorum imperator Honorio III papae scribit, se, postquam Celanum personaliter se contulerit, comitem Thomasium arctius obsedisse; tamen, ut pro facto transitus sui ad servitium Iesu Christi pax ubique reformetur integra, compositionem se cum eo fecisse, qua tam ipsi comiti quam Raynaldo de Aversa et omnibus, qui cum iis fuerint, plenam securitatem in personis et mobilibus rebus concesserit, ea conditione ut ipse comes in proximo Augusto exeat regnum suum; promittit papae se omnia supradicta inviolabiliter observaturum esse, rogatque, ut ecclesia in se eadem recipere velit et nuntium transmittat, qui comitem cum omnibus suis salvum ducat.

1223, April. 24.

Hon. III Reg. Vol. IV, 76; Lib. VII, 229.
Ed. Winkelmann, Act. imp. ined. p. 232, n. 255.

222.

Fridericus Romanorum imperator Honorio III papae mittit formam concordiae, quam fecit cum comite Thomasio de Celano, in qua comprehenduntur Raynaldus de Aversa et omnes qui contra se eidem comiti adhaeserunt.

1223, April. 25.

Hon. III Reg. Vol. IV, 76—77; Lib. VII, 230.
Ed. Pertz, LL. t. II, p. 250.

223.

Fridericus Romanorum imperator Honorio III papae formam concordiae cum comite Thomasio de Celano, Raynaldo de Aversa et fautoribus eorum initam dirigit intuendam, promittens se eam absque malo ingenio servaturum esse.

1223, April. 25.

Hon. III Reg. Vol. IV, 75; Lib. VII, 228.
Ed. Winkelmann, Act. imp. ined. p. 233, n. 256.

---

1) *Pandulfum.*

224.

Honorius III papa archiepiscopo et suffraganeis eius notum facit, se principes saeculares inducere, ut in terris sui dominii statuant, ut quaelibet domus singulis mensibus usque ad triennium saltem unum Turonensem vel aequivalentem monetam pro negotio Christi exsolvat; mandat iis, ut minores clericos ad idem inducant et alios praelatos, qui abundent redditibus, ad maiorem subventionem sollicitent.

1223, circa April. 26.

Hon. III Reg. Vol. IV, 56, 57; Lib. VII, 183.

Archiepiscopo[a] et suffraganeis eius.

De celo prospexit Dominus ad sui restaurationem negotii, quod videbatur infirmis Psal. 13,2.
aliquibus auxilio destitutum, karissimi in Christo filii nostri Friderici, Romanorum imperatoris illustris semper augusti et regis Sicilie, cor ad Terre Sancte subsidium ferventer accendens. Ecce ad faciendam vindictam in nationibus et increpationes in populis, qui sepulchrum Domini gloriosum facientes inglorium, Christum blasphemiis impetunt et insultant improperiis nomini Christiano, se potenter accingit. Verum cum sit generalis iniuria tangens universaliter singulos et singulariter universos qui sub Christo principe militant, terram nativitatis eius ad salutem nostram suo sanguine consecratam a blasphemis detineri captivam, de multa negligentia notaremur, si reges, principes, duces, comites, communia civitatum nec non et alios Christianos per predicatores et litteras non sollicitaremus ad illius regis obsequium, qui retributionis habundantia et servitii quantitatem exuperat et meritum servientis excedit. Et quidem nescimus, qua conscientia quave securitate coram unigenito Dei filio poterunt comparere, qui ei pro peccatoribus crucifixo subvenire contempserint in hoc negotio quasi proprie sibi proprio, cuius munere vivunt, cuius munere gubernantur, quin etiam cuius sanguine sunt redempti. Ceterum quia generali domino generalis debet exhiberi subventio, eo quod, sicut nullus beneficiorum eius est expers, sic et nullus se potest ab eius obsequiis excusare, principes seculares inducimus, ut in terris sui dominii statuant, quod quelibet domus singulis mensibus usque ad triennium saltem unum Turonensem vel equivalentem monetam exolvat, quoniam ex collecta contributione huiusmodi sine cuiusquam gravamine per personas idoneas fideliter aggregata poterit provideri Terre Sancte subsidium oportunum. Verum quia non decet, ut onera que imponimus aliis, digito[b] movere nolimus, non decet, ut manum a Christi negotio subtrahant, qui[c] de Christi patrimonio sustentantur, non decet, ut quod predicamus in laicis, taceamus in clericis, cum debeamus opere prevenire quos volumus invitare sermone, viam labiis dextera preparante: id quod de Turonensi vel equivalenti moneta in laicorum domibus est provisum, in singulis clericis qui minora beneficia obtinent volumus provideri, ab aliis maioris subventionis auxilio expectato. Quocirca universitatem vestram rogamus et obsecramus in Domino, per apostolica scripta mandantes, quatinus ad hoc minores clericos efficaciter inducentes, vos ipsos ad invicem et alios prelatos ecclesiarum seu monasteriorum necnon et alios clericos, qui habundant redditibus, sic sollicitare curetis, ut effectus plenioris subsidii manum et animum

---

a) Mediolanensi *apographo scribae a Pertzio uncis inclusum additum est, quod verbum recipere dubitavi, quia verisimillimum est id in regestis non legi, sed hanc epistolam formulam esse, ad cuius similitudinem permultae missae sunt, Pertzium autem ex eo, quod papa verbis huius epistolae utitur, ubi praedicatores crucis per Mediolanensem dioecesim instituit, coniecisse,* Mediolanensi *errore scribae excidisse.* b) digitur *R.* c) quia *R.*

liberalitatis ostendant. Speramus siquidem, quod cum illi domino parcos vos esse non deceat, qui sui quasi prodigus factus est pro subiectis, ad prosecutionem cause sue, qui suo periculo prosecutus est causam nostram, plus vestra liberalitas providebit, quam superioris auctoritas indixisset. Quicquid autem super hiis vestra circumspectio feccrit, et de predicatorum quos ad vos mittimus processu atque profectu nobis plene, cum se facultas obtulerit, rescribatis.

In eundem modum . . Mutinensi[1] et . . Laudensi[2] episcopis. De celo prospexit etc. usque: sanguine sunt redempti. Hinc est, quod per diversas mundi partes predicatoribus destinatis, persone vestre, de quibus laudabile testimonium perhibetur, per Mediolanensem provinciam super hoc predicationis officium duximus committendum, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus ad ea que continentur in aliis litteris vobis per . . latorem presentium exhibendis, detis opem et operam efficacem, processum vestrum nobis fideliter rescripturi. Ceterum ne aliqua macula in gloria vestra ponatur, aliquodque offendiculum commisso vobis officio contingat opponi, districte precipimus, ut manus ad nulla munera extendatis, nec octo evectionum numerum[a] excedentes, sitis tantum necessariis et predicationis prosecutione contenti. Non enim predicatorem sumptuosum aut cupidum causa pauperis exigit crucifixi.

Dat. Lateran. VI Kal. Maii, anno VII.

In eundem modum aliis ad predicationis officium per singulas mundi provincias deputatis.

Dat. Lateran. etc.

225.

Honorius III papa [Philippo] regi Francorum notum facit, Fridericum Romanorum imperatorem ad se in Campaniam venientem secum de Terrae Sanctae subsidio tractavisse, et sponte iurasse se in festo beati Iohannis baptistae [Iun. 24] proximo secuturo post biennium transfretaturum esse, et ut ad id plenius suum manifestet affectum, se ducturum [Isabellam] regis Hierosolymitani filiam in uxorem legitimam insuper iureiurando firmasse; rogat regem, ut exurgat ad adiutorium Christi. *1223, circa April. 27*[3].

Hon. III Reg. Vol. IV, 53—55; Lib. VII, 176. Hanc epistolam edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1223, § 1—5 collatam cum Recueil des hist. des Gaules, t. XIX, p. 735.
Potthast, Reg. 6969 et 7035.

Regi Francorum illustri.

Iustus Dominus in omnibus viis suis, qui unicuique pro meritis condigna retributione respondet, circa negotium Terre Sancte spem populi Christiani fovit aliquando prosperis et interdum debilitavit adversis. O quantum Christicolis videbatur arridere prosperitas! O quantum illuxisse credebatur fidelibus felicium aurora successuum, quando crucesignatorum exercitus Egyptum aggrediens, post turrim captam, post transitum fluminis, post hostes exterritos in adversariorum stationibus castra fixit et Damiatam, que robur censebatur Egypti, duris obsidionis angustiis coarctavit! Res

[a] numero *R.*

1) *Wilhelmo.* 2) *Ottobello.* 3) *Datum deest: cum in eundem fere modum, ut vides infra, regi Anglorum scriptum sit, et in autographo huius epistolae, quod vidit et edidit Rymer, Foedera I, 1 p. 91, legatur: Dat. Lateran. V Kal. Maii, anno septimo, credimus hanc epistolam eodem fere tempore scriptam esse.*

quidem agebatur miraculi, cum[a] Dominus, qui elegit infirma mundi, ut confunderet fortia[b], [1 Cor. 1,27.] civitatem expugnationi difficilem eo tempore tradidit gerentibus bellum eius, quo invaluerat multum partis adverse potentia, et abbreviatus erat non modicum nostrorum numerus bellatorum. Habebat autem in iis universitas Christiana, unde protenderet quasi certe spei fiduciam in futurum, verum succedentibus prosperis victores obliti nomen Domini post triumphum, dato virtutibus libello repudii, sic contraxere cum vitiis, quod detrahebatur fidei, ubi convertendi fuerant infideles, et maior erat peccatorum commissio, ubi maior remissio sperabatur. Quapropter provocatus Dominus dexteram in sinistram et gratiam mutavit in iram, citharam nobis vertit in luctum et [Iob 30,31.] gaudium transtulit in merorem, cum nostris in manu hostili conclusis et perdita Damiata, brevi dierum numero sic exinaniti sunt temporis longi labores, quod non solum blasphemorum iniuriis nomen est expositum Christianum, verum etiam, quoad aliquos qui aliquando communicaverant fidei, contemptui datus est ipse Christus. Unde facta est durior post prosperitatem adversitas et eo minus habuit[c] consolationis afflictio, quo minus argumenta prosperitatis preterite subsecute iacture pati poterant[d] coniecturam. Sed licet iniquitates nostre quandoque diviserint inter nos et dominum nostrum, non est tamen aggravata eius auris, ut non exaudiat, nec abbreviata manus [Is. 59,1.] eius, ut salvare non possit. Misericordiam quippe non continebit in ira, quin saltem propter nomen suum, ne ulterius blasphemetur in gentibus, potenter exurgens iudicet causam suam, et exaltans humilem in salutem, iniquos abigat et consternat elatos. Ecce ipsius inspiratione, ut firmiter credimus, carissimus in Christo filius noster Fridericus, illustris Romanorum imperator semper augustus et rex Sicilie, omissis multis arduisque negotiis, quorum onus honorem imperialis celsitudinis sequebatur, venit ad nos in Campaniam nobiscum de predicte terre subsidio tractaturus, ibique presentibus venerabili fratre nostro patriarcha[1] et carissimo in Christo filio nostro Iohanne illustri rege Ierosolimitano, Bethleemitano episcopo[2], magistro Hospitalis[3], preceptore Templi et magistro domus Theutonicorum[4] ac aliis, quos ad tractatus huiusmodi e diversis mundi partibus credidimus adhibendos, singulis que natura negotii requirebat diligenti meditatione pensatis, idem imperator ad nostrum beneplacitum et consilium predictorum transfretandi terminum in festo beati Iohannis baptiste post biennium proximo secuturo prompta voluntate suscepit, corporale super hoc exhibens spontaneus iuramentum. Denique ut ad id plenius suum manifestaret affectum et plus fidei daretur negotio ac omnino suspitionis contrarie scrupulus tolleretur, ad instantiam patriarche predicti et aliorum orientalium in nostra et fratrum nostrorum presentia et multitudinis hominum, qui ad colloquium venerant, se ducturum in uxorem legitimam filiam regis eiusdem iurisiurandi religione firmavit. Sane probabili presumptione tenemus, quod a Domino factum est istud, ut votis fidelium optate rei successus exolvat, quod preconcepte spei preludia promiserunt ad sui restaurationem negotii: tuum et aliorum regum ac principum animos ipse filius summi regis accendet, qui de secreto patris in publicum egressus ad servos, ad ima descendit, ut subditis ad summa pararet ascensum, sub testa nostre mortalitatis figulus in terris visus et cum hominibus conversatus. Tuum procul dubio expetit et expectat auxilium causa Christi, et probatam domus tue potentiam desiderat Terra Sancta. Numquid qui habuit de iuventutis tue primitiis, et de maioris etatis reliquiis, quasi de vite, decimam[f] non habebit? O quantum accresceret eiusdem terre subsidio, si de propagata devotione patris in filios per unum ex ipsis subvenires in tante

a) ut *Ragn.* b) fortiora *Ragn.* c) habuerit *Ragn.* d) poterat *Ragn.* e) non habuerit *Ragn.* f) decima *Ragn.*

1) *Radulfo.* 2) *Ragnerio.* 3) *Garino.* 4) *Hermanno.*

necessitatis articulo crucifixo! O quam magnifice ad succursum devota Gallia se pararet, ut mittenti placeret et misso! Absit ut post terga remaneat, que precedere consuevit. Absit ut tam salutari Christi servitio gens tam Christiana se subtrahat. Absit ut, que pro Domino hactenus onera multa sustinuit, in peculiari bello Dei filii solvat militie cingulum, arma relinquat rubigini, animum neget victorie, cum corona non desit victoribus per gratiam et meritum in presenti, per gloriam et premium in futuro. Hinc est quod excellentiam tuam affectuose rogamus, serenissime regum, et a te instanter poscimus, Christianissime principum, obsecrantes per Patrem et Filium et Spiritum sanctum, per sanguinem Iesu Christi, ut exurgas in adiutorium Christi tui, qui quodammodo in se prodigus et parcus in servis, temporali morti se tradidit, ut te a faucibus mortis eriperet sempiterne. Exurgas et liberes terram illam, in qua salutem humani generis operatus est personaliter ipse Salvator. Exurgas ad contritionem nationis prave atque perverse, que, ubi sit Deus Christianorum, improperat, et multis insultat obprobriis nomini Christiano. Et quidem illatas subditis tuis offensas ulcisceris, et Dei tui non vindicabis iniurias tam atroces? Ad hereditates tuorum manus invasorum extendi non pateris, et patieris hereditatis Dominice tanto tempore detentores? Ne igitur in Deo periculose dissimules, quod iuste non tolerares in homine, pungat cor tuum tui contumelia Creatoris, accendat te zelus fidei Christiane, ut sic in forti manu et extento brachio terre memorate subvenias, quod insinuato nobis subventionis tue proposito ante faciem aliorum te fructuose ponamus exemplar in tuis laudibus gloriantes, tibique accrescat cumulus meritorum non solum ex iis que feceris per te ipsum, sed ex aliis etiam que facti tui similitudine subsequantur.

Dat. Lateran.

Scriptum in eundem modum regi Ungarie. Iustus Dominus etc. usque: desiderat Terra Sancta. O quantum usque: ad succursum Ungaria inimicis crucis terribilis se pararet, usque: misso. Absit ut in peculiari bello Dei filii gens tibi subiecta solvat usque: futuro. Hinc est quod excellentiam tuam affectuose rogamus et a te instanter exposcimus, obsecrantes etc. usque in finem.

In eundem modum aliis regibus quibusdam verbis mutandis competenter mutatis.

. . illustri regi Anglorum[1]. Iustus Dominus etc. usque: desiderat Terra Sancta. Sensit enim, quis, qualis et quantus ei fuerit illustris memorie rex Riccardus, cuius nomen sic in terrorem hostium fidei creverat, quod exclamatio eius in prelio nonnumquam sufficiebat ad stragem. Et forte non deest, quod hostes adhuc in proximo sanguinis metuant, dummodo resurgat patrui dextera in nepote. Illud etiam non duximus omittendum, quod cum in thronum regni crucesignato successeris, decet, ut et in crucis obsequium te votivum exhibeas successorem, quia si patris debita legitimus heres exolves, expedit non minus celesti quam terreno satisfieri creditori, presertim cum favor crucis persone tue per Dei gratiam satis fuerit fructuosus. Certe ad id gens tibi subiecta plenis desideriis et totis viribus debet assurgere, quia non sine nota in peculiari bello Dei filii etc. usque: in futuro. Hinc est, quod excellentiam tuam affectuose rogamus, obsecrantes etc. usque in finem[2].

Scriptum est universis Christi fidelibus per Tarantasiensem provinciam constitutis. Iustus Dominus etc. usque: ad sui restaurationem negotii; regum, principum ac aliorum corda ipse summi regis filius etc. usque: conversatus. Sane quia tempus est, ut tollatur illa confusio, qua filii ancille insultant in filios libere, terram nostri prin-

1) *Henrico III.* 2) Datum Lateran. V Kal. Maii, pontificatus nostri anno septimo, *ut legimus in autographo ap. Rymer, Foedera, t. I, 1, p. 91.*

cipis detinendo miserabiliter occupatam. tempus est, ut hii qui ere peccatorum se diabolo vendiderunt, ammissam recuperent libertatem et per salutifere redemptionis remedium animas redimant fraude diabolica captivatas: exurgat nunc qui dormit, et ab operibus mortis excitetur, ut illuminet eum Christus. Exurgat et currat in splendore fulgoris armorum Domini, accinctus ad illius prelium preliandum, qui legitime certantibus coronam vite promittit. Nos autem iuxta generalis statuta concilii personas et bona eorum, qui crucis sunt caractere insigniti, recipientes sub protectione sedis apostolice speciali, omnibus qui laborem istum in propriis personis subierint et expensis, plenam suorum peccaminum, de quibus veraciter fuerint corde contriti et ore confessi, veniam indulgemus et in retributione iustorum salutis eterne pollicemur augmentum. Eis autem qui non in propriis personis illuc accesserint, set in suis dumtaxat expensis iuxta facultatem et qualitatem suam viros idoneos destinarint, et illis similiter qui licet in alienis expensis in propriis personis tamen accesserint, plenam suorum veniam[a] concedimus peccatorum. Huius quoque remissionis volumus et concedimus esse participes iuxta quantitatem subsidii et devotionis affectum omnes, qui ad subventionem ipsius terre de bonis suis congrue ministrabunt aut circa predicta consilium et auxilium impenderint oportunum. Et quoniam pernecessarium est prosecutioni negotii memorati, ut principes et populus Christiani pacis gaudeant unitate, per ecclesiarum prelatos discordantes reducantur ad plenam pacem vel firmam treuguam inviolabiliter interim observandam. Hinc est, quod tam pro exhortatione verbi crucis quam pacis seu treuguarum federe suadendo mittimus ad vos . .[b], universitatem vestram monentes et obsecrantes in Domino, quatinus ipsum recipientes ylariter et benigne tractantes sic super premissis eius salubribus monitis intendatis, ut opere clareat, quod vobis non desit magnanimitas Mathathie, qui videns sancta Domini prophanari prosiliit, ut Dei legem et paternas observantias tueretur[1].

226.

Honorius III papa [Philippum] regem Francorum rogat, ut a crucesignatis sive ab illis, qui necessaria eorundem deferant, extorqueri pedagia non permittat, et ut in regno suo statuat, ut quaelibet domus singulis mensibus usque ad triennium saltem unum Turonensem vel aequivalentem monetam pro subsidio Terrae Sanctae exsolvat.

1223, circa April. 27[2].

Hon. III Reg. Lib. VII, 180.
Potthast, Reg. 6970.

Regi Francie.

Cum sit non solum impium set etiam abusivum, illis auferri pedagia, qui ei cuius pedibus omnia sunt subiecta fideliter obsequi affectantes, ad vindicandam iniuriam crucis eius et terram, que funiculus est hereditatis ipsius, ab hostibus vendicandam, cognatis et natis ac possessionibus derelictis, laudabiliter accingantur, excellentiam tuam rogamus et hortamur in Domino, quatinus a cruce signatis in Terre Sancte subsidium profecturis, sive ab illis qui necessaria deferent eorundem, in

Psal. 104 11.

a) veniam *deest in R.* b) . . et . . *R; cf. n. 229.*

1) *In eundem modum verbis non multum mutatis papa episcopo et capitulo Tarantasiensi Mai. 26 [n. 229] scripsit.* 2) *Eiusdem tenoris epistola ad regem Angliae sub April. 27 ap. Rymer, Foedera, t. I, 1, p. 92.*

regno tuo extorqueri pedagia non permittas, ab extorsione huiusmodi presumptores potestate tibi tradita compescendo. Ceterum quia generali domino generalis debet exhiberi subventio, eo quod, sicut nullus beneficiorum eius est expers, sic et nullus se potest ab eius obsequiis excusare, inter alios subventionis modos in regno tuo[a] serenitas regia statuat, ut quelibet domus singulis mensibus usque ad triennium saltem unum Turonensem vel equivalentem monetam exolvat, quoniam ex collecta contributione huiusmodi sine cuiusque gravamine fideliter aggregata provideri poterit Terre Sancte subsidium oportunum. Hoc etiam ab aliis regibus et principibus et aliis Christianis exposcimus, non erubescentes pro illo apud alios fieri petitores, qui parati sumus de hiis que habet ecclesia, et aliis que ad succursum terre predicte provenerint, libenter et liberaliter subvenire[b].

Scriptum est in eundem modum comitibus, baronibus et aliis nobilibus per Siciliam constitutis.

Scriptum est in eundem modum universis potestatibus, rectoribus ac consiliariis civitatum per Mediolanensem provinciam constitutis.

In eundem modum omnibus regibus, marchionibus, ducibus, comitibus, baronibus et aliis nobilibus per singulas provincias constitutis.

227.

Honorius III papa [Lupoldo] duci Austriae nuntiat, F[ridericum] Romanorum imperatorem ad se in Campaniam venientem sponte iurasse, se in festo beati Iohannis baptistae proximo futuro post biennium transfretaturum, et ad exhibendum plenius erga Terram Sanctam devotionis affectum [Isabellam] natam Iohannis regis Hierosolymitani affidasse in uxorem, quare in eodem festo passagium generale a se indictum sit; monet ducem, ut pro hoc negotio laborare non desistat.

1223, April. 27.

Hon. III Reg. Vol. IV, 55; Lib. VII, 181.

Nobili viro duci Austrie.

Satis credimus incunctanter, quod crucifixi te inurit iniuria et obprobria sibi exprobrantium super te tamquam catholico viro cadunt, sicut tuorum probas operum argumentis. Illo enim de cuius munere venit, ut sibi a fidelibus suis digne ac laudabiliter serviatur, tibi salubriter inspirante, olim quasi abnegans temetipsum, ut eius obsequiis te totum ascriberes, assumpto crucis signaculo transfretasti magnifice in subsidium Terre Sancte, ibique causam Christi gerens ex animo ad tempus tam viriliter quam utiliter militasti; teque presente prosperatus est Dominus exercitui Christiano, ita quod paulo post reditum tuum inde Damiatam, que quasi porta est et munimen Egypti, adlete Christi victoriosissime occuparunt. Verum quia forte plures ex illis repleti spoliis non sapuerunt intelligere, ut ei tante victorie gloriam attribuerent, sine quo nulla potest esse victoria, et fatue cogitantes quod manus eorum excelsa et non Deus omnia hec fecisset, dissoluti sunt multipliciter nec compuncti, abominationes eorum nolens[c] Dominus comportare, ipsos frustratos suis cogitationibus dereliquit in confusionem totius populi Christiani, quam flere libet potius quam referre.

---

a) tuo *deest in R.* b) provenire *R.* c) nec noles *R; sed nescio an aliquid exciderit.*

Ceterum quia non obliviscitur Dominus misereri, ne saltem nomen suum sanctum ulterius in gentibus blasphemetur, ecce resumpsit causam propriam promovendam, negotium Terre Sancte noviter instaurando. Adeo enim cor karissimi in Christo filii nostri F[riderici], Romanorum imperatoris semper augusti et regis Sicilie, animavit, quod ad nos in Campaniam veniens spontaneus corporale prestitit iuramentum, quod in festo beati Iohannis baptiste primo futuro post biennium iter arripiet[a] transfretandi, et ad exhibendum plenius erga predictam terram devotionis affectum natam karissimi in Christo filii nostri Iohannis illustris regis Ierosolimitani affidavit publice in uxorem, quare in eodem festo passagium indiximus generale, firmam spem fiduciamque tenentes, quod consolabitur Dominus plebem suam, restituens nobis Ierusalem et circumpositam regionem, et certantes pro ipsa legitime coronabit in illa figurata per istam, que est superius mater nostra. In tam ergo sancto et tam arduo negotio eo te fiducialius requirentes, quo promptiorem fidei et proniorem devotionis affectum habere te novimus erga Deum, nobilitatem tuam rogamus, monemus et exhortamur in Domino, quatinus plura quam exprimamus prudenter intelligens, hoc oportuno tempore domino Iesu Christo, qui etsi bonorum nostrorum non egeat, exhibita tamen sibi gratis obsequia gratuitis retributionibus incomparabiliter recompensat, modis quibus potes assistere non desistas, ita quod continuatis obsequiis totalem ostiam proberis Domino laudabiliter immolare, ac alios[b] ad idem tuo animans exemplari maiorem tibi compares cumulum meritorum. Ad hec quoque non mediocriter debes induci ex eo, quod karissimus in Christo filius noster F. Romanorum imperator illustris, sicut in eius litteris perspeximus contineri, habere te cupiens in Christi servitio socium et precipuum consultorem, ad tue subventionis auxilium decem milia marcharum tibi offerat liberaliter et libenter, spem nichilominus innuens auxilii potioris, quod utique non expedit[c] aspernari, ne, quod avertat Dominus, Christi causam parvipendere videreris.

Dat. Lateran. V Kal. Maii, pontificatus nostri anno VII.

228.

Honorius III papa universis Christi fidelibus per patriarchatum Hierosolymitanum constitutis mandat, ut [Radulfo] patriarchae, cui plenae legationis officium in Terra Sancta concesserit, humiliter intendant. *1223, Mai. 12.*

Hon. III Reg. Vol. IV, 12; Lib. VII, 153.

Archiepiscopis et episcopis et magistris et fratribus Hospitalis et Templi ac domus Theutonicorum ceterisque Christi fidelibus universis per patriarchatum Ierosolimitanum constitutis.

Si Deus incircumscriptibilis et immensus, qui nec aliquo includitur loco nec a quoquam excluditur, set existens intra omnia non inclusus, extra omnia non exclusus, sua maiestate replet et circuit universa, nichilominus angelorum ministeria miro ordine miraque provisione dispensat, alios aliis ineffabili providentia preponendo: multo magis nos, qui simul in diversis locis corporaliter esse non possumus, necesse habemus dispensare nostrorum ministeria subditorum et potestatem nobis a Deo concessam ibi exercere per alios, ubi esse personaliter non valemus. Et quidem tanta est arduitas

---

a) arripuit *R.* b) ac ad alios *R.* c) expendit *R.*

negotiorum instantium Terre Sancte, quod ad ea necessaria circumspectione gerenda opus esset nostra presentia corporali, quam quia illic exhibere non possumus, occupati communi cura ecclesie generalis, venerabili fratri nostro . . patriarche Ierosolimitano, viro utique prudentie ac honestatis experte, vices nostras in hac parte duximus committendas, eidem plene legationis officium concedendo ac tribuendo liberam potestatem, ut secundum datam sibi a Deo prudentiam corrigat et emendet, ordinet et disponat, prout queque officio suo indigere cognoverit et securitati, tranquillitati ac statui vestro viderit expedire. Ideoque per apostolica vobis scripta precipiendo mandamus, quatinus eidem tamquam apostolice sedis legato reverentiam, obedientiam et honorificentiam exhibentes, eius salubribus monitis et mandatis intendatis humiliter et devote. Alioquin sententiam, quam rationabiliter tulerit in rebelles, precipimus usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Dat. Lateran. IV Idus Maii, pontificatus nostri anno VII.

229.

Honorius III papa episcopo et capitulo Tarantasiensi eadem ac regi Francorum de colloquio cum imperatore habito scribit, eosque ad succursum Terrae Sanctae monet[1].

1226, Mai. 26.

Hon. III Reg. Vol. IV, 55; Lib. VII, 177.

Episcopo et capitulo Tarantasiensi.

Psal. 117.16. Dextera Domini fecerat in captione Damiate virtutem et exaltaverat gloriam nominis Christiani, set quia Christiana devotio ex divinis tepuit beneficiis, ex quibus
Ierem. 17.5. novum fervorem debuerat assumpsisse, ac spiritu elationis inflata carnem suum posuisse brachium videbatur, eadem dextera Domini sic elatam graviter allisit ad terram et inebriavit calice ire sue, gratiam convertens in iram et gaudium in merorem, ignominia, per quam eadem est perdita[a] civitas, gloriam, per quam conquisita fuerat, superante. Speramus autem, quod divina benignitas misericordiam non continebit in ira, set illam a nobis avertens, eandem effundet in eos, qui non noverunt eum nec invocant nomen eius, set in eius obprobrium nobis improperant atque dicunt: Ubi est Deus eorum? Hanc autem spem nostram non parum corroborat, quod karissimus in Christo filius noster F[ridericus], illustris Romanorum imperator semper augustus et rex Sicilie, divinitus inspiratus, omissis multis arduisque negotiis etc. ut supra in littera que sic incipit: Iustus Dominus usque: iurisiurandi[b] religione firmavit. Nos igitur ipsius imperatoris pium et salubre propositum, sicut ad officium nostrum pertinet, adiurantes, reges et principes ac alios Christi fideles sedulis exhortationibus et apostolicis indulgentiis excitamus, ut et ipsi ad liberationem terre, in qua deus et dominus noster Iesus Christus nostram dignatus est operari salutem, pro nobis morti tradidit semetipsum, viriliter se accingant. Sane quia tempus est, ut tollatur illa confusio, qua filii ancille insultant in filios libere, terram nostri principis detinendo miserabiliter occupatam, tempus est, ut hii qui ere peccatorum se diabolo vendiderunt, ammissam recuperent libertatem, et per salutifere redemptionis remedium animas

a) predicta R. b) iusiurandi R.

1) Cf. epistolam per Tarantasiensem provinciam missam, sub n. 225.

redimant fraude diabolica captivatas: exurgat nunc qui dormit, et ab operibus mortis excitetur, ut illuminet eum Christus. Exurgat et currat in splendore fulgoris armorum Domini, accinctus ad illius prelium preliandum, qui legitime certantibus coronam vite promittit. Nos autem iuxta generalis statuta concilii personas et bona eorum, qui crucis sunt caractere insigniti, recipientes sub protectione sedis apostolice speciali, omnibus qui laborem istum in propriis personis subierint et expensis, plenam suorum peccaminum, de quibus veraciter fuerint corde contriti et ore confessi, veniam indulgemus et in retributione iustorum salutis eterne pollicemur augmentum. Eis autem qui non in propriis personis illuc accesserint, set in suis dumtaxat expensis[a] iuxta facultatem et qualitatem suam viros idoneos destinarint, et illis similiter qui licet in alienis expensis in propriis personis tamen accesserint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Huius quoque remissionis volumus et concedimus esse participes iuxta quantitatem subsidii et devotionis affectum omnes, qui ad subventionem ipsius terre de bonis suis congrue ministrabunt aut circa predicta consilium et auxilium impenderint oportunum. Et quoniam pernecessarium est prosecutioni negotii memorati, ut principes et populus Christiani pacis gaudeant unitate, per ecclesiarum prelatos discordantes reducantur ad plenam pacem vel firmam treuguam inviolabiliter interim observandam. Hinc est, quod tam pro exhortatione verbi crucis quam pacis seu treuguarum federa suadendo mittimus ad vos . .. discretionem vestram monentes et obsecrantes in Domino, quatinus ipsum recipientes ylariter et benigne tractantes, sic super premissis eius[b] salubribus monitis intendatis[c], ut opere clareat, quod vobis non desit magnanimitas Mathathie, qui videns sancta Domini prophanari prosiliit, ut Dei legem et paternas observantias tueretur.

Dat. Lateran. VII Kal. Iunii, pontificatus nostri anno VII.

230.

Honorius III papa L[udovico] lantgravio Thuringiae eadem de colloquio cum imperatore habito scribit, eumque hortatur, ut cum imperatore transeat, nuntians hunc quattuor milia marcarum pro huiusmodi laboris subventione ei promittere.

1223. Mai.

Hon. III Reg. Lib. VII. 178

Nobili viro langravio Thuringie.

Dextera Domini etc. usque: accingant. Quoniam igitur inter alios principes non parvum locum nosceris obtinere, nobilitatem tuam rogandam duximus et hortandam, obsecrantes per aspersionem sanguinis Iesu Christi ac in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatinus attendens, quod quanto a Deo maiora recepisse dinosceris, tanto devotiora sibi obsequia exhibere teneris, assumas in eius nomine signum crucis, ut cum ipso imperatore transiens termino constituto, imperialem, apostolicam et divinam gratiam insimul merearis. Imperialis enim munificentia, que tibi quatuor milia marcharum argenti pro huiusmodi laboris subventione promittit, sicut in eius litteris perspeximus contineri, hec et maiora tibi, sicut credimus, exhibebit, nosque terram et omnia iura tua, postquam crucem assumpseris, curabimus sub nostra et beati Petri protectione recipere et usque ad reditum tuum illibata servare, in hiis et aliis exhibituri tibi apostolicam gratiam et favorem.

a) exceptis *R.* b) eius *deest in R.* c) m. et int. *R.*

231.

Honorius III papa [Petro Ziano] duci et populo Venetorum eadem de colloquio cum imperatore habito scribit, eosque ad succursum Terrae Sanctae hortatur.

1223, Mai.

Hon. III Reg. Lib. VII, 179.

Nobili viro . . duci et populo Venetorum.

Dextera Domini etc. usque: accingant. Cum igitur vestrum in hoc negotio tanto maius speretur auxilium, quanto Dominus maiorem vobis contulit facultatem, et nos devotionem vestram ad id eo fiducialius excitemus, quo ipsam semper in hoc invenimus proniorem, universitatem vestram rogamus, monemus et obsecramus in domino Iesu Christo, quatinus ad succursum ipsius terre tam in navigio quam in aliis vos taliter preparetis, quod cum terminus passagii supradictus advenerit, exfortium, quod terre vestre magnitudinem deceat, exercitui Christiano impendere valeatis, per hoc Deo et hominibus placituri. Ut autem alii ad id vestro provocentur exemplo et nos ipsi de vestra devotione letemur, promptum vestre voluntatis affectum nobis per vestras litteras declaretis.

In eundem modum . . potestati et populo Ianuensi.

In eundem modum militibus et populo Pisano.

In eundem modum . . potestati et populo Anconitano.

232.

Honorius III papa Friderico Romanorum imperatori conqueritur, quod Capuanae et Aversanae ecclesiis ipse providere praesumat, et si alios ad easdem ecclesias curia Romana mittat, hos se recipere nolle declaraverit, verba contumeliosa per nuntium suum adiciens. Ius suum in ecclesias regni Siciliae memorat, hortaturque, ut saniore consilio usus asperitatem verborum negando removeat et in nuntium refundat.

1223, Iun. 27.

Hon. III Reg. Lib. VII, 194. Edimus hanc epistolam ex Rayn. Ann. eccl. a. 1223, § 15—19 [R], correctam tamen et suppletam ex editione ap. Huillard-Bréholles, Hist. dipl. Fridr. II, tom. II, p. 384, qui praeter Fr. Hahn, Coll. I, 321 etiam usus est cod. Paris. 8604.
Potthast, Reg. 7043.

Friderico, illustri Romanorum imperatori semper Augusto et regi Sicilie.

Venientem ad presentiam nostram dilectum filium L. iudicem Barensem consueta benignitate recepimus, et ea que nobis ex parte tua dicere voluit audivimus diligenter. Eo autem nominante quasdam in presentia nostra personas, de quarum aliquibus Capuane ac Aversane petebat ecclesiis provideri, nos, cum propter quorundam fratrum nostrorum absentiam super hoc deliberare finaliter non possemus, fecimus ad te deferendas fieri litteras, quales tunc vidimus faciendas. Sed dictus iudex illas ad te deferre recusans, audientiam a nobis et fratribus nostris sibi dari petiit; qua ei benigne concessa, verba quedam proposuit a te sibi, prout dicebat, iniuncta, in que

tua non debuisset prorumpere circumspectio, etiam si gravem a nobis iniuriam pertulisset. Dixit enim nos tibi protectionem dedisse, que non erat protectio sed destructio appellanda, utpote tendens, prout idem subiutulit, ad persone tue perditionem et regni; et adiecit ut, quandoquidem nolebamus a te nominatos recipere, nullos ad prefatas mitteremus ecclesias, quia non reciperes aliquos, nec recipi sustineres a nobis ad ipsas ecclesias destinatos. Denique[a] nostris est auribus postmodum intimatum, te Capuanis, Salernitanis et Aversanis firmiter mandavisse, ut si alios quam a te nominatos ad ecclesias miserimus eorundem, ipsi nullatenus admittantur, sed porte non solum ecclesiarum sed etiam civitatum obserentur eisdem. Quae vera vix esse credimus, et si vera sunt, tua circumspectio videat, utrum te deceat talia facere, utrumve apostolica sedes talia debeat tolerare. Sane non satis sano, ut cum pace tua loquamur, fuisti usus consilio, quando mandasti talia dici nobis vel fieri[b], quia sic innuisti te, quod non credimus, esse paratum et promptum ad rumpendum inter nos et te vinculum caritatis. Desideramus enim, fili carissime, ut omni tempore et maxime nostro sit inter te ac ecclesiam Romanam firma et sincera dilectio, quia id et ipsi ecclesie et tibi et toti Christianitati cognoscimus expedire, nec quicquam amarius facile posset nobis accidere, quam si statum tuum, quem multa cura promovere studuimus, cogeremur aut perturbare, quod absit, aut perturbari ab aliis, illum, si tibi favorem apostolicum deesse cognoscerent, perturbare paratis, conniventibus oculis pertransire. Sed si, quod Deus avertat, necesse est ut veniant scandala, que causa excogitari potest conflatura tibi plus odii, vel conciliatura ecclesie plus favoris, quam si tu per intolerabilem usurpationem attemptes ecclesiasticam libertatem evertere, apostolica vero sedes illam secundum divinas et humanas sanctiones studeat conservare? Certe vides, quod qui talia persuadent, aut sua cecati ambitione falluntur, aut malitiose te fallunt et gressuum tuorum vias fraudulentis dissipare consiliis et machinationibus pravis subvertere moliuntur. Videre potes etiam, quam sincero, quamque paterno te zelemur affectu, qui non solum tuorum verborum iniuriam patienter accipimus, verum etiam contra nos ipsos te quodammodo premunimus, dum dissuademus te causam illam assumere, ex qua posses quasi commune incurrere odium, sede apostolica ex eadem favorem plurimum[d] assequente. Quid enim[c]? non obtinebimus eam iurisdictionem vel potestatem in regno Sicilie, quam in Francie, Anglie, Hispanie ac ceteris Christianorum regnis et in ipso imperio noscimur obtinere? Numquid in regno Sicilie minus auctoritatis vel potestatis habebimus, quia[e] in eo tanquam in[f] sedis apostolice patrimonio plus iuris et iurisdictionis habemus? Quid conaris aggredi, quid meditaris incipere, seductus falsis consiliis et animatus tue calore et robore iuventutis? An credis esse prudentiam vel consilium aut potentiam contra Deum, et eius timore postposito speras te posse prevalere adversus eius ecclesiam, cum qua promisit se usque ad consummationem seculi permansurum? Si contempnis nostris acquiescere Matth. 28,20 monitis, domesticis saltem acquiescas exemplis, tecum ipse recogitans manum Domini abbreviatam non esse, ut non possit erigere ac deprimere, perdere ac salvare. Hec Es. 50,1. tibi benigno animo et sincero affectu, princeps inclytissime, scribimus, satagentes inconsultos animi tui motus paterna commonitione, comminatione, redargutione, obsecratione ac increpatione compescere, teque ad ea, quae terrenum stabiliant tibi regnum et eternum preparent, informare. Denique ut tibi consulamus, quantum ad presentem articulum, bona fide consilii nostri est, ut litteras tuas seorsum nobis et seorsum fratribus sine dilatione transmittas, per quas si forte prefatus nuntius tuus de mandato tuo usus non fuit predictorum asperitate verborum, nec mandasti quod

a) Denique nostris — debeat tolerare *deest ap. R.* b) vel fieri *deest ap. R.* c) enim *deest ap. R.* d) publicum *R.* e) quam *R.* f) in *deest ap. R.*

premisimus de civitatibus et ecclesiis obserandis[a], huiusmodi culpam a te removeas et refundas in nuntium sepedictum. Quod si forte dici predicta et fieri[b] inconsulto motu animi precepisti, non te pudeat culpam tuam agnoscere et eam reverenter, ut condecet, excusare, certus quod et nos et fratres nostri te sincera in Domino caritate diligimus et gerimus firmiter in proposito, quantum cum Deo et honestate possumus, ea semper efficere, que tue placere debeant voluntati, et inter te ac apostolicam sedem pacem et caritatem perpetuam conservare. Super[c] hiis autem dilectum filium A. subdiaconum et capellanum nostrum, virum fidei et probitatis expertum, ad tuam duximus presentiam destinandum, rogantes ut eum vultu sereno recipias et ad nos laudabiliter expeditum sine longa dilatione transmittas.

Dat. Signie, V Kal. Iul. pontificatus nostri anno septimo.

233.

Nicolaus patriarcha Alexandrinus Honorio III papae tristes litteras mittit de persecutionibus, quas Christiani in Aegypto patiantur, docet quid imperator, cum venerit, facere debeat, ut terram occupet; supplicat, ut eum ad iter faciendum impellat.

1223, aestate.

Hon. III Reg. Lib. VIII, 14. Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1223, § 9—10 [R].

[Littere ad dominum papam.][d]

Reverendo patri ac domino Honorio, Dei gratia sanctissime Romane ecclesie summo pontifici et universali pape, Nicolaus eadem gratia Alexandrine sedis humilis patriarcha, tam promptam quam debitam reverentiam. Archiepiscopi, episcopi, presbyteri, clerici ac omnes Christiani, qui sunt in terra Egypti, vestre paternitati atque sanctitati supplicant cum suspirosis et lacrimosis vocibus. O quanta est tribulatio et angustia, que in hac vita nobis data est ad sustinendum! Credimus iam vobis clarificatum esse, quamvis ut non fiat [*sic*], vobis domino nostro, prout possumus, patefacimus. Equum in domibus nostris habere non audemus, nec mortuos nostros cum cruce per civitatem portare non sumus ausi. Quod si aliqua ecclesia Christianorum aliquo casu ceciderit, de cetero nullo modo sumus ausi eam reedificare, et unusquisque Christianus de Egypto a quatuordecim annis in antea oportet dare geliam. Latine autem dicitur tributum, bizantium unum auri et quatuordecim karubbas, et si pauper erit, mittitur in carcerem et non poterit inde exire, nisi reddat totam geliam, id est tributum. Tot et tanti Christiani sunt in terra Egypti, quod omni anno oportet reddere curie soldani centum milia bizantios aureos sarracenatos de Babylonia. Quid vobis plura referam, cum ad omnia vituperalia et sordida opera et etiam ad plateas civitatis mundificandas[e] mittantur Christiani, quod est dedecus totius Christianitatis? Ierusalem, quae edificatur ut civitas, qualiter iacet destructa in terra et desolata, non oportet vobis scribere. Scitum est per universum orbem de facto Damiate; qualiter vituperabiliter factum fuit, non oportet per litteras assignare, quod turpissimum est dicere. Miserere itaque domine, miserere nostri, veni et libera nos, pater noster spiritualis. Sicuti sancti ante adventum Christi expectabant redemptionem et liberati-

a) nec mandasti — obserandis *deest ap. R.* b) ipsum verba eadem dicere *R.* c) Super — transmittas *deest ap. R.* d) *haec inscriptio deest ap. R.* e) mundificantes *R.*

onem a Christo salvatore, ita expectamus adventum filii vestri imperatoris, et non solum nos expectamus hanc gratiam, sed etiam renegati plus quam decem milia, qui dispersi sunt per terras Sarracenorum. Hoc non est omittendum, sed semper in corde tenendum, qualiter, cum venerit, facere debeat dominus imperator. Hec est via salvationis et sanitatis et sine perditione annuente Domino: scilicet galee et naves, quantecunque fuerint, per flumen Rasceti[1] intrent et ad villam, que sita est in insula fluminis, que vocatur Folia, ibi applicent, et sic Domino concedente habebunt totam terram Egypti sine perditione. Flumen Rascetum est profundum et altum et latum et dicta insula plena omnibus bonis, sicut lator presentium fidelis et familiaris noster poterit vobis narrare; cognovimus eum prudentem et discretum super hoc et ob hanc causam vobis eum misimus. Unum quidem pessimum factum fuit in terra Egypti ad dedecus Christianorum, scilicet pro facto Damiate, quod CXV ecclesie facte fuerunt destructe. Per viventem in secula! non mentior. Valeat manus vestra super inimicos crucis Christi. Sarraceni, qui dicuntur Molene, id est domini, qui ante Saladinum regnum Egypti tenuerunt, vestre sanctitati supplicant et rogant per Deum, ut festinetis mittere, quem missuri estis, quia tota terra Egypti vestra est. Valete.

234.

Honorius III papa F[riderico] Romanorum imperatori significat, se dispensare, ut copuletur cum I[sabella] filia I[ohannis] regis Hierosolymitani, quae ei in quarta consanguinitatis linea attinere dicatur. *1223, Aug. 5.*

Hon. III Reg. Vol. IV, 84; Lib. VIII, 7. Pertzii exemplar supplevimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1223, § 7.

Potthast, Reg. 7068.

F. illustri Romanorum imperatori semper augusto et regi Sicilie.

Qui[a] celestia simul et terrena omnipotenti prudentia moderatur, ad hoc beato Petro tamquam vicario suo et successoribus eius post ipsum conferens claves regni celestis, ligandi et solvendi tradidit pontificium, ut summus pontifex non humane adinventionis studio, sed divine potius inspirationis instinctu leges statuens salutares, quodam necessitatis vinculo liget homines ad observantiam earundem, quod utique nonnumquam, cum urgens necessitas exigit vel evidens utilitas maxime publica persuadet, sic laxat provide circa quosdam de sue plenitudine potestatis, ut ceteri nichilominus astricti teneantur eodem, nulla tamen interveniente acceptione indebita personarum, cum non sit reputandum deferri persone, cum pro causa, loco et tempore non privati set publici commodi gratia et maxime consideratione divini servitii, quicquam alicui sine iuris iniuria indulgetur. Cum igitur zelo fidei Christiane succensus, et inspirante Domino aspirans ardenter ad vindicandam iniuriam Iesu Christi et terram eius de perfidorum manibus vindicandam, accepta cruce illuc devoveris transfretare, ac ut exhiberes circa Christi causam ferventioris devotionis affectum, et ad persecutionem eius te arctius obligans alios ad id efficacius exhorteris, fastigium excellentie

a) Quia *R.*

1) *Raschid, Rosetta, occidentale Nili ostium.*

imperialis decenter humilians, ad consilium nostrum et fratrum nostrorum nobilem mulierem I. natam carissimi in Christo filii nostri I. illustris regis Ierosolimitani affidaveris publice in uxorem: nos, provide attendentes quod tanta res, que noscitur principaliter Dei esse, non erat impedimento aliquo retardanda, sed potius favore benevolo prosequenda, impedimentum consanguinitatis vel affinitatis, si quod obsisteret, tunc decrevimus submovendum, et nunc, ut, non obstante quod in quarta consanguinitatis linea eadem I. tibi dicitur attinere, legitime copulemini, auctoritate presentium dispensamus. Nulli ergo etc. nostre dispensationis infringere. Si quis autem etc.

Dat. Signie, Non. Aug. pontificatus nostri anno octavo.

235.

Honorius III papa [Simeoni] episcopo Terracinensi scribit de facto galeae balistariorum, pro quo F[riderico] Romanorum imperatori fideiussorem se statuerit.

1223, Aug. 9.

Hon. III Reg. Vol. IV, 87, 88; Lib. VIII, 9, 10.

. . episcopo Terracinensi.

Ad supplicationem dilectorum filiorum, consulum et populi Terracinensis, pro facto galee balistariorum karissimo in Christo filio nostro F. illustri Romanorum imperatori semper augusto et regi Sicilie, fideiussores nos duximus statuendos, propter quod eam super hoc Terracinenses ipsos oportet adhibere cautelam, ut fefellisse non videamur imperatorem predictum, neque ipsi[a] indignationem nostram incurrere, aut ab imperatore ipso possint periculum sustinere. Unde nos eisdem civibus nostris damus litteris in mandatis, ut si qui suorum civium, qui fideles mercatores existant et de quibus sinistra suspitio non possit haberi, galeam emere voluerint supradictam, iidem, sufficienti ab eis cautione recepta, quod galea eadem ad balistarios eosdem non redeat, et quod eam alicui de quo aliqua possit esse suspitio non revendant, nec ipsi super Christianos piraticam debeant exercere, predictis civibus cum consilio tuo vendi permittant eandem. Quocirca fraternitati tue firmiter precipiendo mandamus, quatinus hec coram consulibus et populo supradictis studeas legere ac exponere diligenter, tuque cum ea super hoc circumspectione procedas, ut nec imperator de nobis habeat materiam conquerendi nec cives Terracinenses gravem propter hoc difficultatem incurrant.

Dat. Signie, V Id. Aug. pontificatus nostri anno octavo.

Consulibus et populo Terracinensi de eadem re.

Dat. ut supra.

236.

Honorius III papa F[ridericum] Romanorum imperatorem monet, ut monasterium sancti Salvatoris de Lingua propter provisionem, quam inter ipsum et ecclesiam Messanensem pro bono pacis ediderit, gravatum non reputet, nece credat sibi ex ea ullatenus derogatum.

1223, Oct. 14.

Hon. III Reg. Vol. IV, 113, 114; Lib. VIII, 69.
Potthast, Reg. 7086.

---

[a] ipsos *R.*

F. illustri Romanorum imperatori semper augusto et regi Sicilie.

Serenitatis tue litteris[a] nobis pro monasterio sancti Salvatoris de Lingua Messanensi transmissis solita benignitate receptis et earum tenore perspicaciter intellecto, mirati sumus imperialem celsitudinem ammirari super provisione, quam inter ecclesiam Messanensem et dictum monasterium pro bono pacis edidimus equitatis mansuetudine suadente, quasi exinde dictum monasterium indebite sit gravatum. Cum enim quodlibet monasterium necessario sit episcopali sedi subiectum, nisi forsan exemptum sit per privilegium sedis apostolice speciale, nec dictum monasterium privilegium exemptionis ostenderit, quamquam felicis memorie Alexander papa predecessor noster quedam capitula citra exemptionem concedens eidem monasterio confirmarit, que per nos sunt postmodum renovata, nichil per provisionem ipsam, nisi de hiis que clare memorie rex Roggerius et predictus predecessor noster ecclesie Messanensi concessisse videntur, est nullatenus diminutum, nec est verisimile, quod nos, qui viros religiosos intimo caritatis amplexantes affectu, eos quantum possumus fovemus in dulcedine libertatis, personas in memorato monasterio Domino famulantes velimus indebite aggravari, quas potius ob tui gratiam intendimus favorabiliter confovere. Et quidem non est alicui viro discreto credendum, ut nos aliquod exemptum monasterium ecclesie Romane velimus adimere, cuius iura tenemur omnimodis conservare. Ne igitur vocibus facile querelantium videaris plus debito commoveri, mansuetudinem tuam rogamus et monemus attente, quatinus tenorem provisionis inspici faciens diligenter, monasterium ipsum exinde gravatum non reputes, nec tibi ex hoc credas ullatenus derogatum. Absit quoque a te, fili karissime, ut pravo alicuius instinctu propter hec a pio proposito construendi et dotandi ecclesias vel in modico revoceris, set provoceris potius ad quelibet opera pietatis, que secundum apostolum ad omnia valens promissionem habet 1. Tim. 4 8.
vite que nunc est et future, quia Dominus exequentibus eam bona retribuit temporalia et eterna.

Dat. Anagnie, II Id. Octub. anno octavo.

237.

Honorius III papa Ludovico VIII regi Francorum, qui Ph[ilippi] regis patris sui obitum suumque in regem promotionem nuntiaverat, rescribit patrem laudibus celebrans et filio gratulans, simulque ei notum facit, se Theobaldo de Ulliaco et eius consanguineis, quos rex ei commendaverit, secundum quod honeste potuerit, super negotio eorum providisse. 1223, Oct. 25.

Hon. III Reg. Lib. VIII, 77. Edimus hanc epistolam ex Rayn. Ann. eccl. a. 1223, § 36—37, suppletam ex Rec. des hist. des Gaules, t. XIX, p. 737.
Potthast. Reg. 7089.

Ludovico regi Francorum illustri.

Ineffabilis providentie divine profunditas attingens a fine usque ad finem, fortiter omnia suaviterque disponens, ac secundum sue dispositionis arcanum mutans per successiones labentium temporum reges terre, inclyte recordationis Ph. rege Francorum patre tuo post laudabiliter acta regni terreni negotia, sicut firmiter credimus, ad

[a]) litteras R.

meliora vocato[1], te in eius solio feliciter collocavit, ut te regnante pro ipso ac eius pietatem et iustitiam imitante, pater in filio vivere videatur. Licet igitur eiusdem patris tui obitus nos, qui eum sincera caritate dileximus, secundum hominem contristaverit, accepimus tamen in persone tue sublimatione solatium, ita quod ex hoc orta letitia dolorem, qui ex morte iamdicti patris tui acciderat, temperavit, ipsa nativa bonitate tui preclari generis plenam nobis tribuente fiduciam, quod progenitorum tuorum vestigia imitanda non deseres, sed sicut in regni sede sic et in decore virtutum eis Domino largiente succedes. Propter quod illam dilectionem sinceram, qua sepedictum patrem tuum fuimus amplexati, in te totaliter transfundentes, firmiter gerimus in proposito honori et profectui tue sublimitatis intendere, et in quibuscunque decuerit, tibi favorem apostolicum exhibere. Rogamus igitur circumspectionem tuam et hortamur attente, quatinus prefatum patrem tuum tum in ceteris commendandis actibus, tum specialiter in vera devotione, quam ad apostolicam sedem et ad totam Dei ecclesiam habuisse dignoscitur, taliter imiteris, quod, sicut ipse apostolicam gratiam suis exigentibus meritis incessabiliter habuit, sic et tu illam iugiter merearis. Sane litteras, quas super negotio nobilis viri Theobaldi de Ulliaco et consanguineorum eius tua nobis serenitas destinavit, diligenter audivimus, et ea que continebantur in illis pleno concepimus intellectu, dictoque Theobaldo specialiter consideratione persone tue, secundum quod honeste potuimus, super hoc curavimus providere, sicut littere nostre super hoc venerabili fratri nostro Parisiensi episcopo[2] et aliis destinate tibi plenius declarabunt. Tu ergo ius tuum cum ea mansuetudine et eo moderamine tuearis, quod tue celsitudinis circumspectio merito commendetur et apostolicus favor tibi deesse non debeat sed adesse.

Dat. Laterani, VIII Kalend. Novembris, pontificatus nostri anno octavo.

238.

Honorius III papa [Engelberto]. Coloniensi archiepiscopo mandat, ut Henricum comitem de Suerin moneat diligenter, ut infra mensem post susceptionem litterarum, quas super hoc ei dirigat, [Waldemarum] regem Daniae et filium eius plenae libertati restituat. Qui si monitis acquiescere non curaverit, ipsum eiusque fautores excommunicet, et diocesim, in quacunque regem et filium eius detineat, subiciat interdicto, et quoslibet ei fidelitatis vinculo astrictos denuntiet absolutos. *1223, Nov. 1, 2, 4.*

Hon. III Reg. Vol. IV. 116—118; Lib. VIII. 82. Pertzii exemplar supplevimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1223. § 24—27.

Potthast, Reg. 7093, 7095, 7094, 7098.

. . Coloniensi archiepiscopo.

Immanitas detestandi facinoris, quod Henricus comes de Zwerin in carissimum in Christo filium nostrum . . illustrem regem Dacie, dominum suum, et eius filium attentavit, Deum procul dubio incitat, et incitare debet homines contra eum, ipsumque reddere odibilem universis, qui perfidie dolositatem oderunt et diligunt fidei puritatem. Sicut enim ex litteris prelatorum et principum regni Dacie nobis innotuit, cum idem rex in quandam insulam ipsius regni estivo tempore ob aeris clementioris temperiem cum sua privata familia secessisset, nec aliquas suspicaretur insidias, utpote qui non

1) *1223, Iul. 14.* 2) *Wilhelmo de Signiliaco.*

moliebatur adversus aliquem quicquam mali, ecce dictus comes, transgressor iuramenti fidelitatis quod ei prestiterat, et multorum beneficiorum que ab ipso receperat immemor et ingratus, nocturno tempore in tentorium eius irruens cum armatis, immitis mitem, armatus inermem, vasallus dominum in strato suo dormientem invasit[1], et quod sine dolore nec audire potuimus nec possumus recitare, ipsum regem impie vulneratum una cum prefato filio suo in silvam quandam adduxit, ac deinde cum illis extra regnum se transferens, eos in districtu imperii captos detinere presumit. Omnes siquidem reges et principes tangere debet tam enorme flagitium, eo quod aliis attentandi contra dominos suos similia tribuere potuit incentivum, audentibus hoc exemplo presumere que comitem predictum audiverint presumpsisse. Sane licet apostolatus officium vos universos[a] constituat debitores, dicto tamen regi specialis ratio, non una sed multiplex, nos astringit, ita quod sine lesione fame nostre ac etiam conscientie sibi non possemus in tam gravis articuli necessitate deesse. Primo enim regnum Dacie specialiter ad Romanam spectat ecclesiam et ad specialis ditionis indicium ei esse noscitur censuale. idemque rex sicut et predecessores sui se apostolice sedi fidelem semper exhibuit et devotum; unde si eadem ipsum in hoc casu, quod absit, desereret, se non solum ingratam sed indignam quoque fidelitatis et devotionis huiusmodi exhiberet. Accedit et alia ratio non invalida, sed que sola sufficeret nos ad ipsius regis subventionem inducere, etiamsi rationes deficerent supradicte. Idem enim rex, etsi pro subsidio Terre Sancte non baiulat signum crucis in publico, illud tamen ad nostram exhortationem susceptum baiulat in occulto, certa nobis promissione facta, quod ipse vel filius eius in ipsius Terre Sancte succursum transfretabit in instanti passagio generali. Et si forsan neuter ipsorum personaliter transfretare potuerit, illuc centum vel ad minus quinquaginta milites destinabit; unde patet cuilibet volenti veritatem oculo rationis inspicere, quod sepedicto regi tenemur saltem sicut aliis crucesignatis adesse. Gaudentes igitur et caritatem tuam dignis in Domino laudibus commendantes, quod ad liberationem ipsius regis et filii sui hactenus, sicut accepimus, fideliter intendisti, fraternitatem tuam rogamus attentius et hortamur, ac tibi per apostolica scripta firmiter iniungendo mandamus, quatinus quod hactenus fecisti laudabiliter per te ipsum, de cetero studiosius facias[b] mandato et precibus apostolicis invitatus, ad liberandum eos modis quibuscumque potes incessanter intendas, ita quod studium tuum clareat per effectum, et tu preter sedis apostolice gratiam, quam ex hoc plenius assequeris, crescas et nomine apud homines et merito apud Deum. Inter cetera vero dictum comitem ex parte nostra moneas diligenter, ut infra mensem post susceptionem litterarum nostrarum, quas super hoc sibi dirigimus, prefatum regem et filium eius plene libertati restituat et absque difficultate qualibet liberos abire permittat, nosque ipsi faciemus exhiberi iustitie complementum, si adversus eum habet aliquid questionis. Qui si tuis, immo nostris acquiescere monitis non curaverit, ipsum et omnes eius in hac iniquitate fautores sublato appellationis obstaculo excommunices, faciens excommunicationem ipsam singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, solemniter publicari per universa loca in quibus videris expedire. Ad hec diocesim, in quacumque sepedictum regem et filium eius contigerit detineri, subicias interdicto, interdicens in ea et omnino cessare faciens omnia ecclesiastica sacramenta et sepulturas specialiter mortuorum, eo dumtaxat excepto quod baptisma parvulis et morientibus penitentia non negetur, hoc idem faciens de quolibet loco ad quem comitem ipsum devenire contigerit, quandiu fuerit in eodem. Denique cum iam dictus comes fidelitatem in subditis suis invenire non debeat, quam

a) *ita Rayn.* b) facies *Rayn.*

1) *In insula Lyoe inter Funen et Alsen insulas sita, 1223, Mai. 6.*

in prefatum dominum suum tam dampnabiliter violavit, quoslibet ei vinculo fidelitatis astrictos ab illo auctoritate nostra denunties absolutos, in eos, si ei post huiusmodi absolutionem presumpserint adherere, excommunicationis sententiam proferendo, ac faciendo eosdem usque ad satisfactionem condignam sicut excommunicatos artius evitari. Taliter autem ea que premisimus exequaris, quod de diligentia possis et debeas merito commendari.

Dat. Lateran. Kal. Novembr. anno octavo.

In eundem modum . . episcopo Lubicensi[1] usque: crucesignatis adesse. Ideoque fraternitati tue per apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus, quatinus nisi dictus comes infra mensem post susceptionem litterarum, quas super hoc sibi dirigimus, ipsum regem ac filium eius reddiderit libertati, ipsum et omnes eius in hac iniquitate fautores appellatione remota excommunicatos publice nunties, et facias usque ad satisfactionem condignam artius evitari, faciendo excommunicationem ipsam, pulsatis campanis et candelis accensis, publicari sollempniter singulis diebus dominicis et festivis per loca in quibus videris expedire.

Dat. Lateran. IIII Non. Novembr. anno octavo.

In eundem modum scriptum est Friderico, illustri Romanorum imperatori semper augusto et regi Sicilie, usque: crucesignatis adesse. Imperialis quoque clementie providentiam decet et expedit impendere auxilium dicto regi, ac ipsi presumptori signa dire indignationis ostendere, ac per hoc alios a presumptione simili deterrere. David cuidam nuntianti, quod regem Saulem persecutorem eius occiderat et propter
2. Re. 1 14 hoc ab ipso premia expectanti: 'Quare', inquit, 'non timuisti mittere manum tuam, ut occideres christum Domini?' et statim illum imperavit occidi, ut qui audirent huiusmodi vindictam, plenius intelligerent, quanta reverentia debeatur regie dignitati, et attemptare similia formidarent. Non tibi suggerimus hoc exemplo, ut occidas comitem memoratum, absit hec a mansuetudine apostolice sedis impietas, set utique suademus, ut rex regi feras auxilium et citra sanguinis penam sic ipsum comitem punias, quod audacia perfidie sue non transeat in exemplum. Monemus itaque serenitatem tuam et quanta possumus affectione rogamus, pro grandi et speciali munere postulantes, quatinus pro Dei et sedis apostolice reverentia necnon pro consideratione regie dignitatis, cui te debes favorabilem exhibere, dictum regem et filium eius plene restitui facias libertati super hoc imperialia scripta ita expressa et efficacia dirigendo, quod eorum liberatio non possit diutius protelari; preces nostras taliter impleturus, quod preter hominum laudes et perpetuam devotionem ipsius regis ac filii sui, quam ex hoc plenarie assequeris, eterna tibi a rege regum premia reserventur.

Dat. ut supra.

In eundem modum scriptum est . . episcopo Werdensi[2] usque: crucesignatis adesse. Cum igitur idem rex et filius suus in tua dicantur diocesi detineri, fraternitati tue per apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus, quatinus nisi dictus comes etc. usque: fautores excommunicatos publice nuntians, et faciens excommunicationem ipsam pulsatis campanis et candelis accensis sollempniter publicari singulis diebus dominicis et festivis in ipsa diocesi, quamdiu rex ipse ac filius eius detenti fuerint in eadem. Interdicas et omnino cessare facias omnia ecclesiastica sacramenta etc. sicut in prima usque: quamdiu fuerit in eodem; preceptum nostrum ita sollicite impleturus, quod de negligentia reprehendi non debeas et puniri.

Dat. Lateran. II Non. Novemb. anno octavo.

1) *Bertoldo.* 2) *Ison.*

239.

Honorius III papa mercatoribus Perusinis concedit, ut salvis per omnia statutis I[ohannis] tituli Sanctae Praxedis presbyteri cardinalis ex se rectores eligant, qui puniant falsarios mensurae et monetae et pacis foedera ineant. *1223, Nov. 27.*

Hon. III Reg. Vol. IV, 124; Lib. VIII, 106.
Potthast, Reg. 7107.

Mercatoribus Perusinis.

Licet in civitate Perusina per statuta dilecti filii nostri I. tituli Sancte Praxedis presbyteri cardinalis colligationes omnes et societates universe dissolute noscantur, falsitatibus tamen et iniquis adinventionibus plurimorum obviare volentes, universitati vestre presentium auctoritate concedimus, ut aliquos possitis ex vobis rectores eligere, qui puniant falsitatem in mensura et pondere committentes, et prout consuevistis stratas reficiant, pacis iniant federa, et de conductu possint providere securo, salvis per omnia statutis eisdem, ut occasione huiusmodi nec societates vel colligationes aut alia per eundem cardinalem inhibita resumantur. Nulli ergo etc. nostre concessionis —. Si quis etc.

Dat. Lateran. V Kal. Decembr. anno octavo.

Addidit Pertzius partem instrumenti, quo I[ohannes] tituli Sanctae Praxedis presbyter cardinalis universa iuramenta et pactiones in civitate Perusina factas ad sedandam discordiam a. 1223, Iul. 11 penitus irritaverat, quodque papa Oct. 4 confirmaverat; cf. Theiner, Cod. dipl. dom. temp. s. sed. t. I, p. 76, n. 127.
Hon. III Reg. Vol. IV, 105—108; Lib. VIII, 52.

. . potestati et populo Perusino.

In nomine Domini amen. Cum nos I. Dei gratia tituli Sancte Praxedis presbyter cardinalis ad sedandam discordiam inter milites et sequaces eorum ex parte una, et populares Perusinos et adiutores eorum ex altera, de mandato domini pape Perusium venissemus, habitis ab eis de parendo super discordia ipsa mandatis apostolicis atque nostris iuramentis, pignoribus, obsidibus ac tenutis, et intellectis que partes in nostra proposuere presentia, universa iuramenta, pactiones, obligationes, colligationes et promissiones, que[a] tam ex parte societatum, communitatum seu fraternitatum cedonum[b], pellipariorum, lanificum et aliorum artificum occasione generaliter vel singulariter facte sunt quam ex parte militum et peditum in civitate Perusina et eius districtu, penitus irritamus, ac ab eorum observatione absolvimus universos.

240.

Honorius III papa [Liupoldum] ducem Austriae laudat, quod B[elam] regem benigne pertractet, eumque hortatur, ut in hoc perseveret. *1224, Febr. 22.*

Hon. III Reg. Vol. IV, 164, 165; Lib. VIII, 298.
Potthast, Reg. 7177.

---

a) que societatum — facte sunt tam ex parte quam in parte militum *R.* b) *an* cerdonum?

. . duci Austrie.

Devotionem tuam in Domino commendamus, quod karissimum in Christo filium nostrum B. regem, primogenitum karissimi in Christo filii nostri . . regis Ungarie[1] illustris, qui gravem pro eo, quod . . uxorem suam[2] ad mandatum nostrum recepit, persecutionem patitur et ad[a] te propter hoc coactus est insuper se transferre, tam benigne ac honeste pertractas, tuo eum consilio et auxilio refovendo. Licet igitur eum tibi commendare necesse non esset, quia tamen sibi ex hoc merito adesse tenemur, nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente, quatinus in fovendo ipsum solita constantia perseverans, pro ecclesie Romane reverentia eum habeas[b] propensius commendatum, ita quod in hoc sicut et in aliis tue bonitatis appareat magnitudo, et nos id etiam habeamus acceptum.

Dat. Lateran. VIII Kal. Martii [anno octavo][c].

241.

Honorius III papa potestati et populo Mediolanensi praecipit, ut H[enricum] archiepiscopum et capitulum Mediolanense, quos e civitate eiecerint, revocent, iisque de damnis irrogatis satisfaciant; nisi obedirent, se [Vicedomino] episcopo Placentino mandare, ut eos excommunicet et terram eorum subiciat interdicto.

1224, Febr. 27.

Hon. III Reg. Vol. IV, 165; Lib. VIII, 302.

. . potestati et populo Mediolanensi.

Quanto maior est potentie ac prudentie vestre fama, tanto debetis ea cautius evitare, que contra vos Deum et homines provocant vestramque famam diminuunt et obfuscant. Sane venerabilis frater noster . . archiepiscopus et dilecti filii capitulum Mediolanense nuper suis nobis litteris intimarunt, quod tu, fili potestas, non contentus gravibus iniuriis et irreparabilibus dampnis, que ipsis et eorum fidelibus dextruendo eorum terras et modis aliis contra Deum et iustitiam irrogasti, eos ac res eorum in publica contione presente nec contradicente potestate communis de tua quasi loco banni fiducia eiecisti, eisdem rerum suarum dextructionem et etiam mortem personarum temere cominando. Ad hec legitima matrimonia, quod etiam dictu ridiculum est, de facto, cum de iure nequeas, separare inaudita temeritate presumis, per hec et alia, que inconsulte committis, Mediolanensis civitatis famam plurimum denigrando et augendo infamiam, qua notatur vitio heretice pravitatis infecta, cum proculdubio rami huiusmodi non nisi de radice pravitatis antedicte procedant. Monemus igitur universitatem vestram et hortamur attente, ac per apostolica vobis scripta firmiter precipiendo mandamus, quatinus prefatos archiepiscopum et capitulum, qui civitatem ipsam ob furoris huiusmodi rabiem exierunt, cum debita reverentia revocantes ac satisfacientes

a) a *R.* b) habeatis *R.* c) anno octavo *deest in R.*

1) *Andreae.* 2) *Mariam, Theodori Lascaris filiam, quam patris iussu dimiserat; cf. Fessler, Gesch. v. Ungarn, bearb. von Klein, t. I, p. 324 et 340.*

eisdem de dampnis et iniuriis irrogatis, ab huiusmodi pravitatibus, que, licet presumi videantur ab uno, sunt tamen vobis omnibus imputanda, cum eadem favore vestro ac viribus perpetrentur, taliter de cetero abstinere curetis, quod clamor ad nos ulterius non ascendat nec nos contra vos graviora cogitare cogamur. Denique damus venerabili fratri nostro . . Placentino episcopo in mandatis, ut, nisi infra competentem terminum vobis prefigendum ab ipso curaveritis efficere quod mandamus, ipse ex tunc in omnes principales auctores et fautores iniquitatis huiusmodi excommunicationis sententiam appellatione remota promulget, totamque terram districtissimo subiciat interdicto. Vos igitur sicut providi viri provide caveatis hec et alia gravamina, que merito incurretis, si, quod absit, in incepte perversitatis malitia duxeritis persistendum.

Dat. Lateran. IIII Kal. Martii, anno octavo.

In eundem modum scriptum est . . episcopo Placentino super eodem, verbis competenter mutatis.

242.

Honorius III papa [Radulfo] patriarchae Hierosolymitano aliisque notum facit, F[ridericum] Romanorum imperatorem sollemnes nuntios pro negotio matrimonii cum Isabella nata [Iohannis] regis Hierosolymitani ineundi in Terram Sanctam missurum esse.

1224, Mart. 1.

Hon. III Reg. Vol. IV, 170; Lib. VIII, 337.

. . patriarche Ierosolimitano, . . Tirensi[1] et . . Nazareno archiepiscopis et . . episcopo Acconensi[2].

Intelleximus, quod karissimus in Christo filius noster F. illustris Romanorum imperator semper augustus et rex Sicilie, sollempnes nuntios[3] ad partes vestras destinare disponit, ut consensum suum in karissimam in Christo filiam nostram Helisabeth natam illustris regis Ierosolimitani, exprimat per eosdem, et ipsa nichilominus in eorum presentia suum exprimat in ipsum imperatorem consensum. Ideoque fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus, cum nuntios ipsos propter hoc illuc venire contigerit[a], hec in vestra presentia fieri cum sollempnitate tanto digna negotio faciatis. Quod si non omnes etc., tres vestrum vel etiam duo ea nichilominus etc.

Dat. Lateran. Kal. Martii, anno octavo.

243.

Fridericus Romanorum imperator Honorio III papae scribit, se centum galeas et quinquaginta usseria in regno suo pro subsidio Terrae Sanctae parari iussisse, et cum in Sicilia detineatur ad recipiendam Sarracenorum deditionem, in Alamanniam ad principes imperii Hermannum magistrum Theutonicorum misisse; conqueritur, quod nimis remisse

a) contingerit *R.*

1) *Simoni.* 2) *Iacobo de Vitriaco.* 3) *Iacobo episcopo Pactensi duce; cf. n. 243.*

crucis praedicatores in partibus Alamanniae, Franciae et Angliae agant; nuntiat se habere in proposito Iacobum Pactensem episcopum Acconem destinandum, ut consensum futurae consortis recipiat. Petit igitur, ut ad promovendum negotium crucis idoneas personas deleget praestandae indulgentiae auctoritate munitas, et legatum specialem pro treuga inter Francorum et Anglorum reges tractanda destinet. *1224, Mart. 5.*

Hon. III Reg. Vol. IV, 178—180; Lib. VIII, 383.
Ed. Winkelmann, Acta Imp. ined. p. 237. n. 261.

244.

Honorius III papa [Henrico] abbati de Heisterbach et Gerungo scholastico Bunnensi committit praedicandae crucis officium in provincia Treverensi, et recenset privilegia, quae iis attribuit, ut eorum sermones et labor fructum uberiorem afferant.
1224, Mart. 7.

Hon. III Reg. Vol. IV. 170; Lib. VIII, 338. Huius epistolae Pertzius nihil descripsit, nisi inscriptionem et notam chronologicam, dicens tenorem eundem esse atque in ea, quae episcopo Roeskildensi missa sit. Cum autem inter copias haec non extet, tenorem sumpsimus ex Skand. Literat. Selsk. Skrift. t. XXI, p. 11, ubi edita est, collatum cum Wurdtwein, Nova Subs. dipl. t. IV, p. 120, ubi epistola episcopo Hildeshemensi et magistro Salomoni scripta impressa est.
Potthast, Reg. 7186.

. . abbati de Ehistrebach Cisterciensis ordinis et magistro Gerungo scolastico Bunnensi Coloniensis diocesis.

Cum predicande crucis officium in provincia Treverensi vobis duxerimus committendum, ut inoffense possint currere sermones vestri et labor fructum uberiorem afferre, presentium vobis auctoritate committimus, ut cum ad loca veneritis interdicta, liceat vobis in eorum singulis unam semel ecclesiam aperire et ibidem excommunicatis et nominatim interdictis exclusis celebrare divina, ut sic efficacius possitis ibi proponere verbum crucis; nichilominus concedentes, ut eorum vota, qui voverunt beati Iacobi vel aliorum sanctorum limina visitare, in transmarine peregrinationis possitis commutare laborem, et hiis, qui commiserunt incendia, quique pro violenta manuum iniectione in canonem inciderunt, dummodo non sit enormis excessus, valeatis iuxta formam ecclesie beneficium absolutionis impendere vice nostra, siquidem passis iniuriam satisfecerint competenter et devote susceperint signum crucis pro subsidio Terre Sancte. Concedimus etiam, ut aliquos viros honestos et ad hoc idoneos in partem commisse vobis sollicitudinis valeatis advocare, cum videritis expedire; qui dum in huiusmodi predicationis officio laborabunt, beneficiorum suorum redditus non amittant, sed integre illos percipiant, ac si in suis ecclesiis residerent; proviso tamen ne in numero assumendorum excedatis, neve assumatis de una ecclesia plus quam unum. Illos quoque, qui crucem assumpserint, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus cum omnibus bonis suis, statuentes ut postquam fuerint iter peregrinationis aggressi, ea omnia sub speciali ecclesie defensione consistant, donec de reditu ipsorum vel obitu certissime cognoscatur; clericis nichilominus concedendo, ut propter hoc possint beneficiorum suorum proventus usque ad triennium pignori obligare vel percipere, quamdiu absentes fuerint hac de causa, illis, quibus eos pignori obligaverint vel colligendos commiserint, sine diminutione qualibet exhibendos, ita tamen, quod parochialibus ecclesiis per honestum vicarium interim serviatur, nec aliquis procedere presumat ad obligationem huiusmodi, nisi cum iter arripiet transfretandi, totque annis

quilibet in ipsius terre subsidio commoretur, per quot suos redditus obligarit. Quodsi forsan ante redierit, serviet diligenter ecclesie, cuius redditus obligati fuerint ab eodem, ut sic quorundam malitie obvietur, qui beneficiorum suorum fructibus obligatis solent salutare limina Terre Sancte, ac continuo redeuntes tam ipsam Terram Sanctam quam ecclesias suas suo servitio defraudare. Quia vero nonnulli crucem assumptam temeritate propria deposuisse dicuntur, vel incepte peregrinationis itinere non expleto a portubus remeasse, volumus et mandamus, ut eos ad resumendam crucem et ad reddendum votum Domino, quod voverunt, canonica districtione compellatis. Ad hoc, ut fidelium devotio ad ipsius Terre Sancte subsidium melius provocetur, ordinetis sollempnes processiones fieri saltem singulis mensibus in omnibus locis, qui ad hoc idonei videbuntur, et psalmum illum: '*Deus, venerunt gentes*' per ecclesias omnes diebus singulis more Psal. 78,1. solito decantari, proviso quod si forte hiis, qui ad huiusmodi processiones seu ad alias convocationes convenerint, aliquam peccatorum remissionem duxeritis faciendam, decem dierum numerum indulta remissio non excedat, et si ab eis vel quibuslibet aliis, qui ad huiusmodi convocationes convenerint, aliqua oblata fuerint vel alias data pro subsidio Terre Sancte, illa faciatis fideliter conservari, ut tempore passagii faciamus disponi de illis, prout [ad] ipsius Terre Sancte subsidium videbitur expedire.

Dat. Lateran. Nonis Martii, pontificatus nostri anno octavo.

In eundem modum . . abbati de Lucelan[1] Cisterciensis ordinis et magistro Henrico scolastico Basiliensi per provinciam Bisuntinam.

In eundem modum . . quondam Halberstadensi episcopo[2] et . . preposito Sancte Marie Magdeburgensis pro eadem provincia.

In eundem modum . . episcopo Ildesemensi[3] et magistro Salomoni canonico Herbipolensi per provinciam Maguntinam.

245.

Honorius III papa [Liupoldum] ducem Austriae hortatur, ut B[elam] regem ad patris sui A[ndreae] regis Ungariae devotionem moneat. Cf. n. 240.

1224, Mart. 13.

Hon. III Reg. Vol. IV, 172; Lib. VIII, 317.
Potthast, Reg. 7193.

. . duci Austrie.

Sic habere te credimus timorem divini nominis et amorem, ut que honesta sunt diligas, et inhonesta odio habeas et devites. Fiducialiter itaque nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente, quatinus karissimum in Christo filium nostrum B. regem, natum karissimi in Christo filii nostri A. illustris regis Ungarie, ad patris sui devotionem et reverentiam moneas propensius et inducas, quem etiam sollicitius exhorteris, ut familiaritatem devitet eorum, qui inter ipsum et patrem suum seminare discordiam et ad bona vellent aliena extendere manus suas, ita quod nos de bonitate indolis sue certi, ad honoris et exaltationis eius augmentum semper intendere valeamus.

Dat. Lateran. III Idus Martii, anno octavo.

1) *Lutzel in Alsatia superiore.* 2) *Conrado.* 3) *Conrado II.*

246.

Fridericus Romanorum imperator [Alberto] archiepiscopo Magdeburgensi, comiti Romaniolae et totius Lombardiae legato, mandat, ut constitutionem suam publicari faciat, qua haereticos igne concremandos vel, si vitae reserventur, linguae plectro privandos esse iubeat.

1224, Mart.

Greg. IX Reg. Lib. IV, 103.
Ed. Pertz, LL. t. II, p. 252.

247.

Honorius III papa universo clero Theutoniae nuntiat, cum F[ridericus] Romanorum imperator in mirabili personarum et rerum apparatu transfretare disponat, se in omnem terram praedicatores crucis deputasse speciales, in Theutoniam autem [Conradum] episcopum Portuensem; monet eos, ut eum devote tractent et verba eius efficaciter adimplere studeant.

1224, Mart. — April.

Hon. III Reg. Vol. IV, 183; Lib. VIII, 401. Pertzii exemplar supplevimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1224, § 2.

Universis archiepiscopis et episcopis, abbatibus, prioribus, archidiaconis, decanis et aliis ecclesiarum prelatis et clericis per Theotoniam constitutis.

Scimus, quod multorum corda fidelium, nedum infirmorum set fortium, graviter sunt concussa, ex eo quod Dominus, qui exercitui Christiano in transmarinis partibus multipliciter prosperatus, post labores innumeros et agones gravissimos in manibus fidelium tradiderat Damiatam, deinde populo suo ipsum in abhominationibus suis dampnabiliter concitanti[a] vehementer iratus, humiliavit eum in manibus inimicorum suorum et civitatem predictam ab infidelibus sustinuit occupari. Set si recte velimus attendere, is qui omnia facit in sapientia, bona quoque de malis eliciens[b], in hoc etiam ultra quam exprimi valeat, multorum est salutem misericorditer operatus, eo quod, cum summa sit ira Dei peccantibus non irasci, ut tanquam in suis iniquitatibus derelicti peccata impleant sua semper, et magni divine pietatis officii sit indicium, peccatis
Prov. 3,12. ultionem celerem adhibere, quia pater filium quem diligit corripit, et Dominus quos amat arguit et castigat, sperandum est, quod maluit peccata hic temporaliter castigare quam servare imperpetuum vindicanda. Verum licet temerarium videatur investigari operum Domini rationem, eo quod scrutator maiestatis opprimetur a gloria, dicimus tamen audacter, quod alto divine dispositionis consilio actum est, prout multis milibus hominum expedivit et expedit, quod recuperatio Terre Sancte hactenus est dilata, quia
Is. 59,1. cum non sit abbreviata manus Domini nec virtus eius in aliquo diminuta, quin, quando et quomodo velit, eam valeat liberare, ad exercitationem tamen fidelium eam passus est ab infidelibus detineri, ut videat, si est intelligens aut requirens ipsum, qui eius ulcisci velit iniurias, retribuendo Christo aliquid pro omnibus, que retribuit ipse sibi.

a) concitati *R.* b) eliciciens *R.*

Et quidem infinita exinde ac incomparabilia bona Christi fidelibus provenerunt. Nam o quot, quot sunt hodie delicati, qui satisfactionem iniuncte sibi vel iniungende penitentie metuentes, tanquam in profundum peccatorum venissent, penitus desperabant, et nunc gratia divina preventi provide cogitantes, quod non sunt condigne passiones Rom 8,18. huius temporis ad futuram gloriam sibi feliciter revelandam, animas suas, quas interdum pro patria et nonnunquam pro fratribus et amicis periculose posuerant, pro Christo salubriter ponere statuerunt, qui pro se positam in vitam custodit eternam! O quot, quot, qui se ad mensam illius divitis sedisse, qui est dives super filios hominum, recolentes, et cupientes eadem ei apponere, que apposuerat idem eis, sumpto salutaris calice passionis, cum palma martyrii ad regna celestia pervenerunt, in perpetuum cum martyribus regnaturi! O quot, quot cupientes visitare terram, in qua pedes Christi steterunt, in corde contrito et humiliato spiritu ante vel post consummationem peregrinationis arrepte carnis morte preventi ad supernam patriam evolarunt, et gloriantur in ordine confessorum! Et hec omnia idem Dominus operatur, qui dat virtutem et premia elargitur, gratie gloriam superaddens. Quis ergo tam duro corde poterit Christo non compati, qui dat sibi compatientibus conregnare? vel quis ei non militabit ad tempus, qui pro nobis in cruce suis stipendiis militavit? vel quis ei non ministrabit libenter, qui vult, ubi est ipse, suos esse ministros? aut quis se vel sua illi negabit, sine quo nihil potest existere vel haberi? Absit ut pretiosiorem animam se ipso habeat Christianus, qui iam non tantum sibi vivere debet, sed ei, qui est mortuus et surrexit. Cum igitur ecce Dominus causam suam ceperit mirabiliter relevare, dum ipso divinitus inspirante karissimus in Christo filius noster F., illustris Romanorum imperator semper augustus et rex Sicilie, suscepit Terre Sancte negotium promovendum, qui quasi postpositis omnibus ad id totum totaliter se impendens, preter apparatum mirabilem et pene penitus incredibilem personarum et rerum, in quo transfretare disponit, magnificum aliis transfretantibus auxilium pollicetur, prout ex imperialibus litteris plene patet, nos inter alias sollicitudines innumeras et immensas, quibus angimur ultra vires, cogitantes instantius et ferventius cupientes, ut tantum Christi negotium feliciter dirigatur, in omnem terram veri Dei signum habentium predicatores deputavimus speciales. Set quanto de Theutonia maius ad hoc speramus, prout consuevit hactenus, auxilium et subsidium provenire, tanto illuc honorabiliorem personam dirigere cupientes, ecce venerabilem fratrem nostrum . . Portuensem episcopum, virum utique secundum cor nostrum, habentem donationes secundum gratiam, que data est sibi a Domino, differentes ad prosequendum tantum Christi negotium, quantumcumque ipsius cara presentia careamus inviti, commisso sibi plenissime legationis officio, tanto fiducialius providimus destinandum, quanto ipsum tam merito sanctitatis et operum exemplari quam virtute vocis et genere lingue, in qua quod intendit plene ac plane poterit explicare, credimus auctore Domino per amplius profecturum. Quocirca universitatem vestram rogamus, monemus et obsecramus per aspersionem sanguinis Iesu Christi et in remissionem vobis nichilominus iniungimus peccatorum, quatinus eundem legatum, nobile quidem ecclesie Dei membrum, vel potius nos in ipso, recipientes ylariter et devote ac debita veneratione tractantes, verba vite eterne, que vobis proponet, cum gaudio audiatis et studeatis efficaciter adimplere, universaliter singuli et singulariter universi, certum Terre Sancte subsidium ministrando, ita quod terra mentis vestre venientem super se bibens imbrem et herbam generans oportunam, benedictionis gratiam a Domino assequatur, et nos de spirituali vestro profecto debeamus in Domino merito gloriari[1].

1) *Additum est in copia:* (Dat. Lateran. mense Martio? anno octavo).

248.

Honorius III papa [Bertholdo] patriarchae Aquilegiensi, archiepiscopis, episcopis et universo clero Theutoniae eadem scribit verbis mutatis. 1224, Mart. — April.

Hon. III Reg. Vol. IV, 183, 184; Lib. VIII, 405.
Potthast, Reg. 7201.

. . patriarche Aquilegensi, . . Maguntino[1], . . Treverensi[2], . . Coloniensi[3], . . Magdeburgensi[4], . . Salzburgensi[5], . . Bremensi[6] et . . Bisuntino[7] archiepiscopis et eorum suffraganeis, necnon abbatibus, prioribus, prepositis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prelatis per eorum provincias et dioceses constitutis.

Cum is qui secundum sue omnipotentiam maiestatis nec loco potest nec tempore comprehendi, utpote incircumscriptibilis et inmensus, et stabilis manens dat cuncta moveri, faciat spiritus suos angelos et ministros, et celorum altitudine inclinata carnem
Prov 8,31 assumens humanam pro eo, quod delicie sue sunt esse cum filiis hominum, discipulos quos elegerat in mundum destinaverit universum, ut omni predicarent evangelium creature, suo nos instruxit exemplo, ut eius sequentes vestigia, cum assumpti simus in plenitudinem potestatis, nec per nos ipsos possimus singulis negotiis imminere, inter
Exod. 18,25 eos, quos in partem sollicitudinis evocavimus, onera quasi Gethro usi consilio dividamus, unicuique secundum virtutem propriam que variis temporibus imminent committendo. Unde cum inter alias sollicitudines innumeras et inmensas, quibus angimur ultra vires, cogitemus instantius et ferventius cupiamus, ut negotium Terre Sancte, quod hactenus exigentibus culpis populi Christiani graviter est turbatum, actore Domino feliciter dirigatur, presertim cum carissimus in Christo filius noster F., illustris Romanorum imperator semper augustus et rex Sicilie, illud inspirante Domino devote susceperit relevandum, in omnem terram veri Dei signum habentium predicatores deputavimus speciales, set quanto de Teutonia maius ad hoc speramus, prout consuevit hactenus, auxilium et subsidium provenire, tanto illuc honorabiliorem personam dirigere cupientes, ecce venerabilem fratrem nostrum Portuensem episcopum, qui dextera divina tanquam cedrus Libani plantatus in ecclesie paradiso, altitudine contemplationis erectus, virtutum odore suavis, fame sinceritate penitus imputribilis, non solum sua fortitudine ad sustentationem domus Domini operatur, verum etiam honestatis candore ipsius superficiem convenustat, illuc providimus destinandum, ut fungens pro Christo plenissime legationis officio, evangelizet populis verbum crucis, et alias recte regere ac indirecta dirigere satagens, aspera convertat in plana, extirpando vitia et plantando virtutes; firmam spem fiduciamque tenentes, quod Dominus, qui linguam ei contulit eruditam, dans voci eius vocem virtutis sue, in beneplacito suo dirigat vias eius, ipsius facundia mentes audientium fecundando. Ceterum etsi eius exemplo, cuius immeriti vicem gerimus, quod uni ex minimis nostris fit, nobis fieri reputemus, quia tamen, sicut stella differt a stella in claritate, ita inter eos est distinctio meritorum, nos cupientes predictum episcopum eo propensius honorari, quo per eum sedes apostolica sublimius honoratur, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur

1) *Sifrido II.* 2) *Theoderico II.* 3) *Engelberto.* 4) *Alberto.* 5) *Eberhardo II.* 6) *Gerhardo II.* 7) *Gerhardo.*

attente, ac per apostolica vobis scripta firmiter precipiendo mandamus, quatinus eundem legatum, vel potius nos in ipso, recipientes ylariter et devote ac debita veneratione tractantes, eidem in omnibus et per omnia studeatis efficaciter obedire, ita quod Deum propitium et nos vobis exinde reddatis favorabiles et benignos. Alioquin sententiam, quam idem rite tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctore Domino inviolabiliter observari.

249.

Honorius III papa Ludowico VIII regi Franciae per C[onradum] episcopum Portuensem litteras imperiales de succursu Terrae Sanctae procurando transmittit, eumque monet, ut R[aymundum VII] filium quondam R[aymundi VI] comitis Tolosani ad pacem cum ecclesia veraciter faciendam inducat. *1224. April. 1.*

Hon. III Reg. Vol. IV, 178; Lib. VIII, 380.
Potthast, Reg. 7212.

Lodoico regi Francie illustri.

Petitionibus, quas per venerabiles fratres nostros . . archiepiscopum Bituricensem[1] et . . Lingonensem[2] et . . Carnotensem[3] episcopos nobis tue serenitatis devotio destinavit, a nobis et fratribus nostris multa diligentia, sicut exposcebat negotii magnitudo, discussis, ita quod finali tractatu habito super illis prefati episcopi iam iter arripuerant ad te cum nostris litteris revertendi, ipso archiepiscopo, qui pro quibusdam negotiis suis apud apostolicam sedem remanserat, adhuc in nostra presentia constituto, supervenerunt sollempnes nuntii karissimi in Christo filii nostri F., illustris Romanorum imperatoris semper augusti et regis Sicilie, nobis per ipsos nuntios et imperiales litteras exponentis fervens desiderium, quod ei de Terre Sancte succursu Dominus inspiravit, ac postulantis instanter, ut cum ipse reges et principes Christianos ad id animare studeat imperialibus largitionibus et promissis, sicut plenius colligere poteris ex tenore litterarum ipsarum, quem tibi per venerabilem fratrem nostrum C. Portuensem episcopum, apostolice sedis legatum, curavimus destinare, nos quoque universos Christi fideles exhortationibus et indulgentiis apostolicis ad idem excitare negotium studeremus. Predictum ergo legatum ad te cum festinantia dirigentes, tue serenitatis devotionem et magnificentiam rogamus, monemus et obsecramus per aspersionem sanguinis Iesu Christi, qui pro te morti crucis tradidit semetipsum, quatinus cum certo credatur, quod nobilis vir R. filius quondam R. comitis Tolosani magnitudinis tue potentiam adeo reformidat, quod, si cognoverit te contra eum ex animo velle totis viribus tuis uti, eas expectare aliquatenus non audebit, set mandatis ecclesie, quibus et utinam vera devotione se offert, parebit iuxta tue beneplacitum voluntatis, ipsum regiis commonitionibus et comminationibus efficaciter inducere studeas ad pacem cum Deo et eius ecclesia veraciter faciendam, ita quod et terra purgetur hereticis, et ecclesiis ac viris ecclesiasticis congrue satisfiat de dampnis et iniuriis hactenus irrogatis, et provideatur libertati ecclesiastice in futurum, et honori dilecti filii nobilis viri A[malrici] comitis Tolosani, qui sicut et clare memorie . . pater eius[4] pro servitio Dei et apostolice sedis exposuit semetipsum, propter quod sibi non possumus aliqua ratione deesse, in ipsa pace, quantum fieri poterit, deferatur; quod super hoc inveneris nobis celeriter rescripturus. Si enim hoc feceris, ut de rerum dispendio

1) *Simonem.* 2) *Hugonem.* 3) *Gualterum.* 4) *Simon de Monteforti.*

taceamus, multis eris causa salutis animarum et corporum, ac removendo impedimentum huiusmodi discordie, quod multum potest officere negotio Terre Sancte, quasi inextimabiliter eiusdem Terre Sancte subsidio providebis, nec ex hoc maiores potes assequi titulos laudis et glorie, quam si prefatum nobilem ad viam ab invio et ad apostolice sedis mandatum solo potentie tue terrore feceris sine belli strepitu et sanguinis effusione redire. Deposcimus igitur serenitatem tuam precibus cumulatis, quatinus eundem legatum tanquam personam nostram digna te ipso devotione recipiens, sic eidem, immo verius nobis in ipso, super premissis intendas, quod tibi proveniat ad incrementum glorie temporalis pariter et eterne. Hiis autem que idem legatus ex parte nostra tibi dixerit super treugis inter te ac illustrem regem Anglie[1] innovandis, adhibeas plenam fidem.

Dat. Lateran. II Non. Aprilis, anno octavo.

Lodoicum regem Francie ad treuguas cum Anglorum rege prorogandas exhortatur[2].

Dat. Lateran. II Non. Apr. anno VIII.

250.

Fridericus Romanorum imperator Honorio III papae scribens innovat preces suas pro notario suo magistro Iohanne de Traiecto, in archiepiscopum Brundusinum electo, de cuius causa nulla usque nunc decisio secuta fuerit; destinat ad eum de hac re archiepiscopum Hydruntinum[3]. *1224, Mai. 3.*

Hon. III Reg. Vol. IV, 207; Lib. VIII, 511ᵇ.
Ed. Winkelmann, Act. Imp. ined. p. 242, n. 265.

251.

Russutana regina de Aneguia coram Honorio III papa se excusat, quod exercitus suus Christianis apud Damiatam consistentibus non venerit in auxilium, cum Tartari in terram suam intraverint, qui tamen nunc fugati sint; scire vult, quando imperator transeat, ut Iohannem comestabulum suum cum exercitu in eius auxilium mittat.

ante 1224, Mai. 12.

Hon. III Reg. Lib. VIII, 132. Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1224, § 17—18.

[Littere ad dominum papam.][a]

Sanctissimo pape, patri ac domino omnium Christianorum, tenenti sedem beati Petri, Russutana humilis regina de Aneguia, devota ancilla et filia sua, et inclinato capite ad pedes salutem. Spero in Domino, quod sicut estis magnus et excelsus, ita Dominus adimplebit desiderium et devotionem vestram, si propter litteras tibi missas es dulcis nobis et queris de statu nostro. Significamus sanctitati tue, quod frater meus rex Urgianorum[4] mortuus est et regnum eius remansit mihi. Modo petimus

a) *haec inscriptio deest ap. Rayn.*

1) *Henricum III.* 2) Lib. VIII, 379; *nescio an haec epistola in regestis integra legatur.* 3) *Cf. n. 202.* 4) *i. e. Georgianorum.*

benedictionem vestram super nos et super Christianos nobis subiectos. Pervenit ad nos magnum consilium tuum et mandatum per legatum, qui erat apud Damiatam, quod frater meus veniret in subsidium Christianorum, et ipse erat in proposito et apparatu veniendi: et si vos audistis, illi mali homines Tartari intraverunt terram nostram et multa damna intulerunt genti nostre, et interfecerunt sex milia de nostris et nos non cavebamus ab ipsis, quia credebamus eos Christianos esse; sed postea quam intelleximus eos non esse bonos Christianos, collectis viribus insurreximus in eos et interfecimus viginti quinque milia de illis et cepimus multos ex illis et reliquos fugavimus de terra nostra; et propter hoc remansit, quod non venimus ad mandatum legati. Quia vero modo intelleximus, quod imperator de mandato tuo nunc debet in Syriam transfretare ad liberationem Terre Sancte, plurimum gaudemus. Unde faciatis nos scire, quando transire debuerit imperator, et nos mittemus Iohannem comestabulum nostrum cum toto exercitu nostro in auxilium Christianorum et liberationem sancti sepulcri ad locum, quem mandaveritis ei venire. Et facimus vos scire, quod dictus comestabulus noster et quamplures alii nobiles de regno nostro acceperunt crucem et expectant passagium. Unde supplicamus tibi et petimus a sanctitate tua, quatinus tu mittas litteras et benedictionem tuam nobis Christianis, qui sumus in oriente. Latori presentium dilecto nostro David episcopo de Hanii[1] credas, tanquam ab ore nostro audires, et habeas nos recommendatos in orationibus tuis sanctis.

252.

Iohannes comestabulus Bratiae sive Armeniae Honorium III papam de morte regis sui et de electione successoris certiorem facit; excusat, quod propter incursionem Tartarorum Christianis apud Damiatam consistentibus non venerit in auxilium, promittit se cum quadraginta milibus bellatorum imperatori, quando transierit, affuturum esse.

Ante 1224, Mai. 12.

Hon. III Reg. Vol. IV, 189; Lib. VIII, 153. Pertzii exemplar supplevimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1224, § 19.

Littere ad dominum papam.

Sanctissimo patri et domino totius Christianitatis, tenenti sedem beati Petri, Iohannes vester obediens serviens, comestabulus totius Bratie sive Armenie, salutem, capite inclinato usque ad pedes. Si vos queritis de statu meo, per vestram sanctam benedictionem bonus est status meus, et significo sanctitati vestre, quod dominus meus rex est mortuus, et cum sancta gratia et benedictione vestra nos eleginus alium in regem. Sanctum et iustum mandatum vestrum, quod legatus vester de Damiata mandavit nobis, pervenit ad regem et ad me; sed cum prepararemus nos magnifice in armis et equis, victualibus et personis venire ad succursum Christianorum et liberationem sepulcri, Tartari, cruce precedente eos, intraverunt terram nostram et sic sub specie Christiane religionis deceperunt nos et usque ad sex milia interfecerunt de nostris. Set postquam intelleximus eos non esse veros Christianos, nos cum gratia vestra et auxilio sancte crucis insurreximus in eos, et interfecimus de eis usque ad viginti quinque milia equitum, et quosdam ex ipsis cepimus aliosque fugavimus de finibus nostris, et ista fuit causa, quare non potuimus adimplere mandatum vestrum factum per legatum. Verum quia intelleximus, quod mandastis imperatori et ceteris

1) *Episcopum de Ani prope fontes Euphratis esse credo.*

Christianis de occidente, ut ad liberationem sancti sepulcri se debeant preparare, gavisi sumus quam plurimum, et scire vos volumus, quod cum super hoc receperimus vestrum mandatum, parati sumus cum toto exfortio nostro ad Christianorum subsidium proficisci; et ego in propria persona paratus sum in succursum Terre Sancte venire cum quadraginta milibus bellatorum, ubi vobis placuerit. Nam noveritis, quod ego et multi barones nobiles de terra nostra suscepimus crucem. De cetero rogamus sanctitatem vestram, quod mittatis benedictionem vestram super nos et terram nostram, ut cum benedictione vestra et gratia divina secure possimus prelia Domini preliari. Latori presentium David sancto patri et episcopo nostro credatis tanquam nobis in hiis, que ex parte nostra sanctitati vestre duxerit proponenda. Nepos meus filius fratris mei, Sanxa nomine, dominus quindecim magnarum civitatum, inclinato capite ad pedes postulat benedictionem vestram.

253.

Honorius III papa R[ussutanae] Georgianorum reginae fidem erga ecclesiam Romanam et pium desiderium pro liberatione Terrae Sanctae laudibus extollit; nuntiat ei Fridericum Romanorum imperatorem a festo sancti Iohannis baptistae proximo ad annum unum [1225, Iun. 24] transiturum esse, eamque certiorem facit de amplissima indulgentia crucesignatis et omnibus Terrae Sanctae opem ferentibus concessa. 1224, Mai. 12.

Hon. III Reg. Vol. IV, 189, 190; Lib. VIII, 434. Pertzii exemplar supplerimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1224, § 21—22.

Potthast, Reg. 7242.

R. illustri regine Georgianorum.

Tue serenitatis litteras devotionis odore plenas paterna benignitate recepimus et earum continentiam intelleximus diligenter. Et quidem multum gavisi sumus in Domino super devotione, quam habes ad nos et ad Romanam ecclesiam matrem Christianorum omnium et magistram, et super pio desiderio, quod habes de deliberatione Terre Sancte, in qua dominus Iesus Christus dignatus est humani generis operari salutem, tradens morti crucis ineffabili pietate se ipsum, ut genus humanum a morte perpetua liberaret. Super morte autem clare memorie . . fratris tui, regis Georianorum, tibi paterno compassi sumus affectu, ac in eo subsequenter gavisi, quod pacifice obtines regnum eius, sicut nobis per ipsas litteras intimasti, optantes ut Deus, in cuius manu sunt iura regnorum et regna, te ac tuum regnum in sua fide ac devotione atque in bonis omnibus amplificet et conservet. Etsi enim absentes simus corpore, presentes tamen spiritu, te ac alios Christianos regni tui cordis oculis intuemur, et delectamur in fide, quam habetis in domino Iesu Christo, cui eo ipso est acceptior fides vestra, quod eam servatis in medio infidelium nationum, inter quas lucetis quasi lucerne in tenebris, et redoletis quasi lilia inter spinas, reportaturi fidei vestre desiderabilem finem, salutem vestrarum videlicet animarum. Propter quod tuam
Matth. 10, 32 exhortamur in Domino celsitudinem, ut certa de promissione Christi dicentis: *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram patre meo, qui est in celis;* in confessione ac laude sancti nominis eius firmus[a] stabilisque persistas et ad persistendum in ea subditos tuos exemplo sancte conversationis inducas, ut post huius transitorie vite inevitabilem exitum una cum ipsis regnum

[a] *ita Rayn.*

merearis consequi sempiternum. Sane super eo quod de passagio carissimi in Christo filii nostri Friderici, illustris Romanorum imperatoris semper augusti et regis Sicilie, certificari desideras, te ac exfortium tuum ad ipsius Terre Sancte succursum magnifice offerendo, fidei tue zelum in Domino commendantes tibi auctoritate presentium declaramus, quod idem imperator ad ipsius terre liberationem magnanimiter ac magnifice se accingit, a festo sancti Iohannis baptiste proximo ad annum unum pro liberanda de manibus infidelium terra ipsa cum innumera fidelium multitudine et alio apparatu imperiali magnificentia digno Christo ductore feliciter transiturus. Monemus igitur serenitatem tuam et hortamur in Domino, quatinus iuxta laudabilem promissionem tuam tuum studeas exfortium taliter preparare, quod tunc possis domino Iesu Christo dignum magnitudine tua servitium exhibere. Ut autem tu et subditi tui ad tam sanctum opus vos tanto libentius et devotius preparetis, quanto ex hoc maiora vobis apud Deum premia comparatis, notificamus devotioni tue, quod omnes, qui laborem istum in propriis personis subierint et expensis, et illi etiam, qui non in personis propriis illuc accesserint sed in suis expensis iuxta facultates suas viros idoneos destinaverint, et illi similiter, qui licet in alienis expensis in propriis tamen personis accesserint, plenam peccatorum suorum, de quibus vere contriti fuerint et confessi, veniam dono apostolice indulgentie consequuntur. Huius quoque remissionis sunt illi participes iuxta quantitatem subsidii et devotionis affectum, qui ad subventionem ipsius Terre Sancte de bonis suis congrue ministrabunt aut circa predicta impendent consilium et auxilium oportunum. Hanc tam grandem indulgentiam, in sancta et universali synodo factam omnibus Christianis, presentium auctoritate concedimus specialiter tibi et Christianis omnibus tuo regimini et dicioni subiectis. Tu ergo presentes litteras facias tuis subditis Christi fidelibus recitari, quibus iuxta postulationem tuam benedictionem apostolicam elargimur, promittentes tibi et eis, in quibuscunque oportuerit et decuerit, apostolice sedis gratiam et favorem.

Dat. Lateran. IV Id. Maii, anno octavo.

254.

Honorius III papa Iohannem comestabulum Bratiae sive Armeniae certiorem faciens de Fr[iderici] Romanorum imperatoris termino peregrinationis, hortatur ut iuxta promissionem suam exfortium suum ita praeparet, ut, sicut eum deceat, in exercitus Christiani auxilium venire possit. *1224, Mai. 12.*

Hon. III Reg. Lib. VIII, 435.

Nobili viro Iohanni comestabulo Bratie.

Litteris nobilitatis tue receptis benignitate paterna et digna diligentia intellectis, gavisi sumus in domino Iesu Christo tum super tuo prospero statu, tum super pio laudabilique proposito, quod geris de subsidio Terre Sancte, prout eedem nobis littere declararunt. Unde tue notum facimus magnitudini, id quod intellexisti de karissimo in Christo filio nostro Fr., illustri Romanorum imperatore semper augusto et rege Sicilie, super negotio Terre Sancte, proculdubio verum esse. Idem enim imperator etc. ut supra usque: transiturus. Monemus igitur nobilitatem tuam et hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus iuxta laudabilem et magnificam promissionem tuam ita tuum studeas exfortium preparare, quod tunc, sicut decet magnitudinem tuam, venire possis in auxilium exercitus Christiani, et dignum domino

Iesu Christo servitium exhibere. Ut autem tu et subditi tui etc. ut in alia usque: recitari. sciens quod personam tuam sincera in Domino caritate diligimus, et super fide ac devotione tua plurimum in Domino congaudemus, parati, in quibuscumque oportuerit et decuerit, tibi apostolice sedis favorem et gratiam impertiri, nec solum tibi set etiam pro te tuis, quibus omnibus et specialiter nobili viro S[anxe] nepoti tuo iuxta devotam petitionem tuam benedictionem apostolicam elargimur.

Dat. ut supra.

255.

Honorius III papa F[riderico] Romanorum imperatori commendat R. de Orton. monachum de regno eius oriundum, quem monasterio Pulsanensi praefecerat.

1224, Iun. 15.

Hon. III Reg. Vol. IV, 198: Lib. VIII, 462.

F. Romanorum imperatori semper augusto et regi Sicilie.

Cum S. quondam abbate monasterii Pulsanensis[1] cedente regimini abbatie, R. de Orton.[a] monachum de regno tuo videlicet oriundum, virum utique litteratura, religione ac prudentia commendabilem, duxerimus substituendum eidem, sperantes quod monasterium ipsum per eius industriam et spiritualibus et temporalibus proficiet incrementis, serenitatem tuam attente rogandam duximus et monendam, quatinus ipsum, qui tibi fidelis est et devotus, habens propensius commendatum, sic eum favore imperialis gratie prosequaris, quod curam commissi sibi regiminis laudabiliter et utiliter valeat exercere, tuque per favorem sibi exhibitum complacere debeas Regi regum.

Dat. Lateran. XVII Kal. Iulii, anno octavo.

256.

Honorius III papa [Berardo] Messanensi et [Landoni] Regino archiepiscopis scribit, se cassarisse, quod in negotio [Harduini II] episcopi Cephaludensis vice infirmi [Lucae] archiepiscopi Cusentini abbas Sancti Spiritus de Panormo et thesaurarius Cusentinus egerint, eisque mandat, ut postquam idem episcopus ab imperatore plenarie fuerit restitutus, si viderint eum esse merito de dilapidatione suspectum, ei coadiutorem provideant.

1224, Iul. 10.

Hon. III Reg. Vol. IV, 208; Lib. VIII, 516.
Potthast, Reg 7726.

. . Messanensi et . . Regino archiepiscopis.

Rogatus olim a nobis et fratribus nostris carissimus in Christo filius noster Fredericus, Romanorum imperator semper augustus et rex Sicilie, ut restitueret venerabilem fratrem nostrum . . Cephaludensem episcopum, quem spoliaverat ecclesia et aliis bonis suis, se id libere facturum viva voce promisit. Unde per scripta nostra mandavimus venerabili fratri nostro . . archiepiscopo Cusentino, ut personaliter ad

a) Ortoñ *R.*

1) *Pulsano prope Tarentum.*

ipsum imperatorem accedens, ipsum moneret efficaciter et induceret ad plene restituendum episcopum supradictum, quo restituto plenarie et corporalem ac pacificam possessionem adepto, si videret, quod idem episcopus merito esset, prout nobis suggestum fuerat, de dilapidatione suspectus, virum providum et honestum provideret coadiutorem eidem, sine cuius consilio nichil eorum faceret, que ad amministrationem pertinent temporalem, quousque veritate comperta duceremus aliter providendum, interim omne alienationis genus eorum utrique auctoritate nostra districtius interdicens. Porro idem archiepiscopus corporis infirmitate gravatus commisit in huiusmodi negotio vices suas primo . . abbati Sancti Spiritus de Panormo ac deinde . . thesaurario Cusentino, quorum processus nobis exhibitos de fratrum nostrorum consilio cassavimus iustitia exigente, quia videlicet et abbas contra mandati nostri tenorem ad inquirendum, utrum de dilapidatione suspectus esset episcopus, eo non restituto processit, et archiepiscopus ipse, cum iam suo functus esset officio, dicto abbati committendo in integrum vices suas huiusmodi negotium predicto thesaurario non potuit demandare. Ideoque fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus, postquam idem episcopus fuerit plenarie restitutus, si eum videritis esse merito de dilapidatione suspectum, eidem coadiutorem provideatis virum providum et honestum, sine cuius consilio nichil eorum, que ad temporalem amministrationem pertinent, attemptare presumat, quousque veritate comperta curaverimus aliter providere. Interim autem omne alienationis genus eorum utrique auctoritate nostra interdicatis expresse.

Dat. Lateran. VI Id. Iulii, anno octavo.

257.

Honorius III papa [Gerhardum] archiepiscopum Bremensem vituperat, quod vassalli eius aliique cum Waldemaro apostata coniuncti regnum Daniae invaserint.

1224, Iul. 31.

Hon. III Reg. Vol. V, 2, 3; Lib. IX, 7.
Potthast, Reg. 7 292.

. . archiepiscopo Bremensi.

Grave gerimus et indignum, quod cum tibi dederimus in mandatis, ne liberationem karissimi in Christo filii nostri Waldemari Datie regis illustris et filii eius impedire aut regnum eius infestare presumeres, tu, sicut accepimus, mandato nostro contempto quosdam vassallos tuos et alios tue dioecesis Waldemaro nefando apostate sociasti, cum quibus hostiliter regnum ipsum invadens, destructo in eo quodam castro quosdam homines ipsius regni occidit et quosdam carceri mancipavit. Et quia nobilis vir comes Albertus, cui est tutela dicti regni commissa, punivit quosdam, per quorum proditionem castrum ipsum extitit occupatum, tu occasione huiusmodi dicto comiti gravis et molestus existis, comminando te laturum sententiam excommunicationis in ipsum. Monemus igitur fraternitatem tuam et per apostolica tibi scripta firmiter precipiendo mandamus, quatinus ab indebita ipsius regni et specialiter dicti comitis molestatione desistas nec sub velamento huiusmodi ipsum regnum aut regem seu prefatum comitem persequaris, set si habes adversus eos aliquid questionis, cures non violentiis set actionibus experiri, cum, sicut alias scripsisse tibi recolimus, parati simus facere tibi exhiberi iustitie complementum. Nos enim damus . . abbati Sancti

Iohannis de Lubech[1] et . . preposito de Porez[2] Lubicensis diocesis in mandatis, ut si contempto precepto nostro indebite gravaveris regnum aut comitem sepe dictum, ipsi partibus convocatis audiant que fuerint hinc inde proposita, et quod iuris fuerit appellatione remota decernant, faciendo quod de auctoritate nostra firmitatem obtineat.

Dat. Lateran. II Kal. Augusti, anno nono.

Illis scriptum est, ut, si dictus archiepiscopus indebite gravaverit regnum aut comitem sepe dictum, ipsi partibus convocatis etc. usque: observari. Testes etc.

258.

Honorius III papa [Alberto] archiepiscopo Magdeburgensi, [Conrado II] Hildeshemensi et [Eccardo] Merseburgensi episcopis controversiam inter S[ophiam] abbatissam et [Bertradam] praepositam Quedlinburgensem de monasterio Quedlinburgensi exortam terminandam committit. *1224, Aug. 14.*

Hon. III Reg. Vol. V, 2; Lib. IX, 6.

. . archiepiscopo Magdeburgensi, . . Ildesemensi et . . Mersburgensi episcopis.

Dilecta in Christo filia S. abbatissa Quidelenburgensis monasterii gravi nobis conquestione monstravit, quod quidam vassalli et ministeriales eius cum quibusdam aliis complicibus suis Magdeburgensis et Halberstadensis diocesum muros non solum quibus muniebatur monasterium ipsum, set et illos quibus claustrum ambiebatur eiusdem, pretextu pacis iurate destruere presumpserunt, alias ei dampna gravia et iniurias inferentes. Demum sic impietatem operati sub specie pietatis processerunt ad alia, que nullo possunt velamine palliari. Sumpta enim occasione ex eo, quod contra quosdam predones fuerat pro defensione ipsius monasterii servitio usa quorundam, quos ab imperio dicebant esse proscriptos, eam abbatia sua temeritate propria spoliarunt et pravis suggestionibus impulerunt monasterii sepe dicti conventum, ut eiusdem loci . . prepositam sibi eligerent abbatissam. Eadem vero pretextu electionis huiusmodi amministrationi temere se ingessit, et eam nequiter infamare ac in causam trahere coram iudice seculari presumpsit. Et licet sententiatum fuerit huiusmodi seculari iudicio, eam debere primo restitui, quam hiis, que contra eam proposita fuerant, responderet, obtinere tamen non potuit eandem sententiam executioni mandari: propter quod et quia est non solum persona ecclesiastica set etiam sedi apostolice immediate subiecta, nostram audientiam appellavit. Postmodum vero cum prefata electa, immo intrusa verius, sicut temere receperat abbatiam, ita illam temere in secularis iudicis manibus resignasset, se ipsius iudicis[a] gratie committendo, fuit ab eadem abbatissa quesitum, an et ipsa vellet eiusdem iudicis gratie committere semetipsam: qua respondente, quod non innovaret aliquid, donec esset, sicut sententiatum fuerat, restituta, fuit ei ex ipsius iudicis parte responsum, quod idem retinebat in suis manibus abbatiam, eidemque abbatisse ad respondendum adversariis suis apud Nurimberch terminum assignabat. Cumque statuto termino se iudici per suos nuntios presentasset, nec contra eam accusator aliquis compareret, demum post terminum

a) iudici *R.*

1) *Iohanni.* 2) *Epponi.*

assignatum se partis adverse nuntii presentarunt, ad quorum simplicem assertionem iudex abbatissam indicans contumacem, eandem, licet fuisset a sententia huiusmodi appellatum nec de obiectis fuisset probatum aliquid contra eam, abbatia ipsa de facto per sententiam spoliavit, et mandavit conventui, vassallis et ministerialibus monasterii sepedicti, ut absoluti a fidelitatis et obedientie debito, quo abbatisse tenebantur eidem, ad electionem alterius procederent abbatisse. Supradicta igitur intrusa iterum electa temere sicut prius et amministrationi se nichilominus immiscente, confirmatione apostolice sedis nec habita nec petita, tandem conventus ipsius monasterii, ut quod perverse factum erat, perversius tuerentur, contra eandem abbatissam ad venerabilem fratrem nostrum C[onradum] episcopum quondam Halberstadensem, ipsius intruse germanum, et collegas eius inquisitionis litteras super dilapidatione et quibusdam aliis articulis a sede apostolica impetrarunt, nullam prorsus facientes mentionem de deiectione abbatisse predicte vel de electione alterius, ad quam sic temere procedere attemptarant, set eandem S. abbatissam suam, licet iam taliter sibi creassent aliam, appellantes; atque in prefatum episcopum et eius collegas Silvester monachus, quem procurator ipsius abbatisse ab apostolica sede discedens constituerat procuratorem eiusdem, circumventus a procuratore partis adverse consensit, ignarus omnium predictorum et quod predictus episcopus esset intruse sepe dicte germanus. Cum ergo ab eis ad locum citata non tutum, suum tamen procuratorem ad eorum presentiam destinasset, idem procurator ut suspectos recusavit eosdem, tum quia idem episcopus erat, ut iam dictum est, intruse sepe dicte germanus, tum quia manifestos ipsius abbatisse adversarios et prefate intruse consanguinitate vel familiaritate coniunctos quosdam assumpserant assessores, atque ad cognoscendum de causis recusationis huiusmodi communes arbitros eligi postulavit; adiciens insuper, quod etiamsi recusationis cause prenotate cessarent, occasione tamen litterarum, quas receperant, procedere non debebant, eo quod suppressa erat abbatisse deiectio per laicos temere attemptata et intrusio prepositisse predicte; que si expressa fuissent, littere ipse non essent ullatenus impetrate. Et cum sepe dictus episcopus et collège ad cognoscendum de causis recusationis predicte arbitros denegarent nec exceptionem admitterent prenotatam, ipse procurator, videns abbatissam eandem manifeste gravari, eius vice ac nomine sedem apostolicam appellavit, set ipsi appellatione contempta in negotio perperam procedentes tulerunt depositionis sententiam in eandem, cassantes nichilominus electionem intruse et conventui supradicto aliam eligendi licentiam tribuentes, quorum neutrum eis fuerat demandatum; et ita ipse conventus, ut factio inchoata iamdudum quocumque modo sortiretur effectum, predictam intrusam tertio elegerunt. Que confirmatione huiusmodi electionis nec habita nec petita amministrationi temeritate solita se immiscens, quedam ipsius monasterii bona temeritate simili infeudare presumpsit. Quare abbatissa sepedicta supplicavit instanter, ut contra tot et tanta gravamina sibi adesse iuxta officii nostri debitum dignaremur. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus, si premissis veritas suffragatur, non obstante sique forsitan littere sunt super confirmatione seu observatione processus huiusmodi infra tempus appellationi prefixum a sede apostolica impetrate, revocetis in irritum, quicquid sepe dicti episcopus et collège ipsius post appellationem huiusmodi temere attemptarunt, et electa ipsa remota prorsus a regimine abbatie, sepe dicte abbatisse abbatiam cum omnibus iuribus suis, tam temporalibus quam spiritualibus, restituatis eandem, et facientes ei ab ipso conventu et omnibus dicto monasterio subditis obedientiam et reverentiam consuetam et debitam exhiberi, et cogentes electam eandem ad resignandum ipsi abbatisse universa, que habet de bonis monasterii sepedicti, de dampnis et iniuriis eidem abbatisse a prefatis vassallis, ministerialibus et complicibus eorumdem illatis faciatis ei congruam satisfactionem impendi; contra-

dictores etc. Alioquin processum iamdictorum episcopi et collegarum eiusdem faciatis, sicut est iustus, inviolabiliter observari. Dicta vero S. restituta ad regimen abbatie, si eam inveneritis infamatam apud bonos et graves de dilapidatione ac aliis, super quibus impetrata fuit inquisitio contra eam, in inquisitionis negotio circa eam primitus ac deinde circa sorores et alias personas ipsius monasterii procedentes, quod canonicum fuerit, statuatis et faciatis, quod statueritis etc. Utramlibet autem illarum remanere contigerit abbatissam, revocetis legittime ad ius et proprietatem monasterii sepedicti ea, que de bonis ipsius inveneritis alienata illicite vel distracta, et de non alienandis in posterum recipiatis ab ea idoneam cautionem, nullis litteris obstantibus harum tenore tacito a sede apostolica impetratis. Quod si non omnes etc.: non obstante quod tibi, frater Ildesemensis, esse dicitur ab apostolica sede indultum, ne de causis ab ea tibi comissis cognoscere tenearis invitus.

Dat. Lateran. XIX Kal. Septembris, anno nono.

259.

Honorius III papa [Otakaro] regi Bohemiae notum facit, se capitulo Pragensi de electione futuri episcopi scripsisse, eumque hortatur, ut in hoc eis, si opus fuerit, regium favorem impendat. *1224, Oct. 7.*

Hon. III Reg. Vol. V, 6; Lib. IX, 25.
Potthast, Reg. 7306.

. . illustri regi Boemie.

Quod super ecclesiastica libertate longam habuisti cum bone memorie Andrea Pragensi episcopo[1] questionem, non tam culpam tuam[a] quam aliorum malitia te ad id pravis suggestionibus incitantium credimus evenisse, cum intellexerimus tum per alios tum specialiter per dilectum filium nostrum G[regorium] de Crescentio, Sancti Theodori diaconum cardinalem, qui cum in regno tuo gesserit legationis officium, plenius tuam benignitatem agnovit, te, sicut regem decet, mansuetum habere animum et clementem ac etiam libertatis ecclesiastice, nisi quantum pateris te aliena subverti malitia, zelatorem. Cum igitur eodem episcopo rebus humanis exempto pro celebranda electione futuri pontificis capitulo Pragensi scripserimus, prout pensato rerum statu vidimus expedire, serenitatem tuam hortamur attentius et fiducialiter deprecamur, quatenus in hoc eis, si opus fuerit, ita regium favorem impendas, cohibendo regaliter, si quis forte difficultatis obstaculum opponere attemptaret, quod salubre mandatum nostrum celerem consequatur effectum, et nos devotionem regiam merito debeamus in Domino commendare.

Dat. Lateran. Nonis Octubris, anno nono.

260.

Honorius III papa magistro et fratribus hospitalis in novo suburbio Metensi scribit se inhibere, ne hospitale et bona eius aliorum quam pauperum usibus deputentur. *1224, Nov. 22.*

Hon. III Reg. Vol. V, 12; Lib. IX, 62.
Bibl. Patrist. Hon. III Ep. Lib. IX, n. 28.

---

1) *Mortuus est 1224, Iul. 30.*

a) *leg. vel* per c. t. *vel* culpa tua.

. . magistro et fratribus hospitalis in novo suburbio Metensi.

Cum a nobis petitur etc. usque: effectum. Ex litteris sane Metensium civium intelleximus, quod cum nullus esset hospitalitatis in civitate Metensi locus, ipsi divina inspirante gratia hospitale vestrum et domos ipsius in fundis suis et de bonis propriis ad usus pauperum construxerunt, ubi cum, sicut asserunt, ex bonis sibi collatis ab ipsis temporalium floreat ubertate, recipiuntur tam indigene quam extranei pauperes, et eis satis honeste in necessariis providetur. Unde provideri a nobis humiliter postularunt, ut hospitale ipsum et eius bona pauperibus deputata in usus converti alios non contingat. Nos ergo eorum piis precibus inclinati auctoritate presentium districte inhibemus, ne predicta contra id quod observatum est hactenus, aliorum quam pauperum usibus deputentur.

Dat. Lateran. X Kal. Decembris, anno nono.

261.

Benedicta donicella marchisana Massae et iudicissa Calaritana coram Gottifrido subdiacono, Sardiniae et Corsicae legato, confitetur, se regnum Calaritanum ac totam terram, quam habeat in Sardinia, ab ecclesia Romana possedisse hactenus ac possidere in futurum, et annuum censum solvere promittit. *1224, Dec. 3.*

Hon. III Reg. Vol. V, 64: Lib. IX, 344.
Muratori, Antiquit. Ital. t. VI, p. 8.

Littere ad dominum papam[1].

In nomine Domini amen. Ego Benedicta donicella, marchisana Masse et iudicissa Kalaritana, persistens in pleno statu et sensu meo, non vi coacta nec dolo malo inducta, set mea propria et voluntate spontanea, vobis domino Gottifrido prefecti Urbis, domini pape subdiacono et capellano, totius Sardinie et Corsice legato, recipienti nomine Romane ecclesie ab hac hora in antea viginti libras argenti nomine census pro regno meo Kalaritano sive iudicatu ac tota terra quam habeo in Sardinia, que omnia me confiteor ab ipsa ecclesia possedisse hactenus et possidere in futurum, in festo omnium sanctorum[2] promitto solvere annuatim. Item promitto, quod nullus de novo efficietur iudex vel iudicissa in ipso regno sive iudicatu, quin iurent fidelitatem ipsi ecclesie et facient omnes liberos terre sive terre magnenses habentes feudum ab eis in principio sue dignitatis iurare fidelitatem ecclesie memorate. Item iudex et iudicissa procurabunt legatum sedis apostolice sicut archiepiscopus Kalaritanus, et cum primo ipsum recipient, iudex Kalaritanus addextrabit eum pedester per decimam partem miliaris unius. Item iudex et iudicissa Kalaritana omnia spiritualia dimittent libere ipsi ecclesie, non obstantibus consuetudine aliqua vel abusu. Item iudex Kalaritanus non recipiet uxorem nec iudicissa maritum sine speciali eiusdem ecclesie licentia et mandato. Item si iudex vel iudicissa Kalaritana decedent sine filiis masculis vel femininis, totam terram et absolute ipsi ecclesie relinquere teneantur, salvo tamen quod tertiam partem mobilium pro anima sua libere derelinquant.

1) *Animadvertas scribae negligentiam, cum hac non sint litterae ad papam.* 2) *Nov. 1.*

Item cum iudex vel iudicissa de novo efficientur in ipso regno sive iudicatu Kalaritano, ad curiam Romanam personaliter accedent vel sollempnes nuntios destinabunt infra spatium duorum mensium a die sue dignitatis incipientium, pro vexillo in signum dominii a sede apostolica humiliter obtinendo. Item guerram et pacem facient ad mandatum ipsius ecclesie contra universos et singulos per Sardiniam constitutos, qui forte aliquo tempore presument ipsi ecclesie in aliquo rebellare. Item nulli statuentur ad custodiam castrorum vel arcium ipsius regni sive iudicatus Kalaritani, quin primo iurent honorem, libertates et iura eiusdem ecclesie per omnia et in omnibus firma et illibata bona fide ac sine fraude servare. Insuper autem ut hec omnia in posterum firma permaneant, obligo me meosque heredes ad penam decem milium marcarum argenti, si contra predicta vel aliquod predictorum per me vel meos heredes sive per aliquam submissam personam tempore aliquo venire temptabo, et pena soluta idem scriptum plenam obtineat[a] firmitatem. Verum ad maiorem firmitatem ipsius ecclesie, corporali a me iuramento prestito de predictis omnibus observandis, presens scriptum feci exinde fieri tam bulle regni Kalaritani sive iudicatus quam sigilli proprii munimine roboratum.

Actum in inferiori camera palatii venerabilis patris . . archiepiscopi Kalaritani[1] apud Villam Sancte Cecilie, presentibus magistro Iohanne preposito Foripopulensi, presbytero Benevenuto rectore ecclesie sancti Michahelis Lambertaticorum Bononiensis, magistro Benedicto Cortese clerico domini Ranerii Sancte Marie in Cosmidin diaconi cardinalis: nobilibus viris Bonifacio germano ipsius domini Gottifridi legati Sardinie et Corsice, et Ranutio Fortiguerra Urbevetano militibus.

Anno Domini nostri millesimo ducentesimo XXIV, indictione duodecima, III Nonas Decemb. pontificatus domini Honorii pape III anno nono.

262.

Honorius III papa [Bertholdo] patriarchae Aquilegiensi praeposituram ecclesiae Civitatensis committit, ut hanc ecclesiam contra malignorum nequitiam defendat.

1224, Dec. 7.

Hon. III Reg. Vol. V, 17; Lib. IX, 88.

. . patriarche Aquilegensi.

Quia mundo posito in maligno multi a sua excecati malitia inter sanctum et profanum minime discernentes, tanto ad rapienda bona ecclesiastica irreverentius improbas manus extendunt, quanto rariores inveniunt, qui causam ecclesie allegent gladiis contra eos, interest nostra, ut contra malignorum nequitiam iustorum potentiam opponamus, ne virgam peccatorum super sortem iustorum videamur relinquere, qui tenemur corripere inquietos et pusillanimes consolari. Sane dilecti filii . . decanus et capitulum Civitatensis[2] ecclesie tue diocesis nobis humiliter supplicarunt, ut cum eadem ecclesia in medio quasi catulorum leonum exposita, qui non contenti, quod in bonis eius prodigaliter debachantur, nisi ea rapiant ut predones, adeo laceretur ab eis iniuriis et rapinis, quod diminuta in pluribus timeat irreparabile detrimentum

[a]) obtineant *R.*

1) *Mariani.* 2) *civitas Austriae, Cividale.*

incurrere, nisi ei congrue succurratur, preposituram eiusdem ecclesie nunc vacantem, que, sicut ex parte dictorum decani et capituli fuit propositum coram nobis, circa temporalia tantum consistit, tibi commitere dignaremur, sperantes, ut asserunt, eandem ecclesiam per tuam potentiam et diligentiam utiliter gubernandam. Ipsorum itaque precibus annuentes preposituram ipsam defensioni ac gubernationi tue duximus committendam, fraternitatem tuam monentes actentius ac per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus nostram et eorum intentionem prudenter, sicut decet, attendens, preposituram eandem taliter studeas gubernare, quod divinam et nostram gratiam exinde uberius merearis et nos diligentiam tuam merito commendare possimus.

Dat. Lateran. VII Idus Decembris, anno nono.

263.

Honorius III papa hominibus de Monte Brisonis confirmat libertates, quas iis G[uido IV] comes Forensis concesserit. *1225, Ian. 2.*

Hon. III Reg. Vol. V, 22; Lib. IX, 116.

Hominibus de Monte Brisonis.

Iustis petentium etc. usque: complere. Supplicastis siquidem nobis, ut cum nobilis vir G. comes Forensis[1] dominus vester guerrarum discrimina et diversarum persecutionum gravamina, que vos fueratis sepe perpessi, prudenter attendens et ad fidem et constantiam vestram debitum habens respectum, vobis in perpetuum sub certa forma concesserit libertates, de ipsis vobis per se ac successores suos in posterum observandis prestito corporaliter iuramento, prout in litteris suo et venerabilis fratris nostri . . Lugdunensis archiepiscopi sigillo munitis exinde confectis plenius continetur, libertates ipsas vobis dignaremur apostolico munimine roborare. Quia vero libertatis causam favore dignam non inmerito reputamus, nos vestris et dicti nobilis id idem nobis per suas litteras supplicantis precibus inclinati, libertates huiusmodi, sicut eas iuste ac pacifice obtinetis, vobis auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo nostre confirmationis etc. Si quis etc.

Dat. Lateran. IIII Nonas Ianuarii, anno nono.

264.

Honorius III papa [Bonaventurae] Ariminensi et [Alberto] Brixiensi episcopis curam extirpandi pravitatem haereticam in Lombardia committit, iisque mandat, ut haereticos civitatis Brixiae supprimant eosque secundum culpae exigentiam puniant.

1225, Ian. 9.

Hon. III Reg. Vol. V, 25—26; Lib. IX, 146. Pertzii exemplar supplevimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1225, § 47.

Potthast, Reg. 7346; qui tamen hanc epistolam eandem atque n. 266 putat.

---

1) *Guido IV comes de Forez nepos Raynaldi archiepiscopi Lugdunensis erat; cf. Potthast, Reg. 7341.*

. . Ariminensi et . . Brixiensi episcopis.

Cum curam extirpandi pravitatem hereticam de provincia Lombardie tibi, frater Brixiensis, et venerabili fratri nostro . . Mutinensi episcopo [1] commiserimus, et demum ipsum Mutinensem desiderantem ab olim portare nomen domini Iesu Christi coram ducibus et gentibus Prutenorum et nuper a fidelibus, qui sunt in partibus illis, instantissime postulatum illuc de fratrum nostrorum consilio duximus[a] destinandum, ut
Ioh. 20,3 populi adhuc ambulantes in tenebris per ministerium eius Deo actore videant lucem magnam: ne opus extirpandi pravitatem predictam inchoatum feliciter per ipsius Mutinensis absentiam remaneat imperfectum, te, frater Ariminensis, de cuius zelo et prudentia certam habemus fiduciam, eidem in huiusmodi negotio curavimus subrogare. Ideoque fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus in negotio ipso solum Deum habentes pre oculis procedatis viriliter et constanter, de apostolice sedis favore in quibus videbitur expedire securi. Quia igitur in civitate Brixie quasi quodam hereticorum domicilio ipsi heretici et eorum fautores nuper in tantam vesaniam proruperunt, ut armatis turribus contra catholicos non solum ecclesias quasdam destruxerint incendiis et ruinis, verum etiam iactatis facibus ardentibus ex eisdem ore blasphemo latrare presumpserint, quod excommunicabant Romanam ecclesiam et sequentes doctrinam eiusdem: volumus et mandamus, ut turris dominorum de Gambara et turris Ugonium, turris quoque Orianorum, et turris filiorum quondam Botatii, de quibus specialius et vehementius ad insanias huiusmodi est processum, diruantur omnino et usque ad terre pulverem detrahantur, non reedificande de cetero absque sedis apostolice licentia speciali, sed in acervos lapidum ad memoriam et testimonium pene tante vesanie tantique criminis permansure, atque in eadem damnatione sint turres, que sunt ob causam huiusmodi iam destructe. Alie vero turres, quarum domini, etsi ad tanti furoris rabiem non processerint, eas tamen contra catholicos munierunt, usque ad tertiam partem vel usque ad mediam pensatis excessuum quantitatibus diruantur, nec eleventur de cetero, nisi id apostolica fuerit auctoritate permissum. Nullus autem eorum, qui nominatim excommunicati sunt hac de causa, sive sint heretici sive ipsorum fautores, absolutionis beneficium assequatur, nisi personaliter ad apostolicam sedem accesserit, illud humiliter petiturus, excepto dumtaxat mortis articulo, in quo nolumus absolutionem petentibus denegare, et exceptis personis illorum, quorum turres ob causam predictam dirute sunt vel adhuc etiam diruentur, quibus, cum misericordie sit reminiscendum in ira, permittimus per vos beneficium absolutionis impendi, si videritis expedire. Clerici quoque hereticorum et credentium ac defensorum filii, qui ecclesiastica obtinent beneficia, ab eorum perceptione per triennium vel amplius, si quorum culpa id exigerit, suspendantur. Quocirca fraternitati vestre districte precipiendo mandamus, quatinus detis operam efficacem, ut ea que premisimus effectui mancipentur: facientes ut quod providimus de non reedificandis turribus supradictis, in civitatis Brixiensis statuto publico conscribatur.

Dat. Lateran. V Idus Ianuarii, anno nono.

265.

Honorius III papa eisdem mandat, ut a clero aliquot dioecesum Lombardiae ad relevationem damnorum, quae catholici Brixienses perpessi sint, pecuniam conferri faciant.

1225, Ian. 9.

Hon. III Reg. Lib. IX, 117.

---

1) *Wilhelmo.*

a) *leg.* duxerimus.

Eisdem.

Attendentes gravamina, que catholici Brixienses dimicando contra hereticos noviter pertulerunt, de consilio fratrum nostrorum providimus, ut clerus civitatis et diocesis Mediolanensis quinquaginta libras imperialium, Cumane vero quadraginta, et Pergamensis totidem, Novariensis autem viginti, et Vercellensis totidem, ac totidem Cremonensis, et Mantuanus viginti quinque, ac totidem Vicentinus, Paduanus quoque triginta quinque, ac totidem Veronensis, Tervisinus vero viginti dictis catholicis conferant in relevatione dampnorum, que in equis et aliis sunt perpessi. Ideoque fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus auctoritate nostra iniungatis predictorum locorum episcopis, ut singulis ecclesiis sibi subditis imponentes exinde iuxta illarum facultates congruam portionem, sine dilatione summam colligi faciant pretaxatam et nobis sine more despendio assignari, per vos seu per alios quos ad id provideritis distribuendam, prout congruum fuerit, inter catholicos supradictos.

Dat. ut supra.

266.

Honorius III papa [Bonaventurae] Ariminensi episcopo mandat, ut una cum [Alberto] Brixiensi episcopo contra haereticos Brixienses procedat, et Bononiae et Parmae potestatibus praecipiat, ut regimina dimittant, quae contra inhibitionem sibi factam temere receperint. *1225, Ian. 9.*

Hon. III Reg. Vol. V, 27; Lib. IX, 119.
Potthast. Reg. 7346. Cf. n. 264.

. . episcopo Ariminensi.

Gerentes de zelo et prudentia tua fiduciam specialem, te venerabili fratri nostro . . Brixiensi episcopo duximus sociandum in cura extirpandi pravitatem hereticam de partibus Lombardie, cum venerabilem fratrem nostrum . . Mutinensem episcopum, cui cum prefato Brixiensi curam commiseramus eandem, destinemus ad Prutenorum barbaras nationes ad predicandum eis nomen et fidem Dei ac domini Iesu Christi. Cum igitur in civitate Brixie multa immineant facienda, que plenius exprimuntur in litteris, quas tibi et ipsi Brixiensi episcopo destinamus, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus onus et laborem huiusmodi hylariter pro nomine Christi suscipiens ad civitatem ire non differas supradictam, iuxta predictarum continentiam litterarum, nec non iuxta tenorem illarum, quas super negotio fidei aliisque articulis prius destinaveramus episcopis supradictis, una cum ipso Brixiensi episcopo processurus. Volumus etiam et mandamus, quatinus per Bononiensem et Parmensem transiens civitates, eorum potestatibus auctoritate nostra precipias sub debito iuramenti, quod in predictorum episcoporum manibus prestitisse noscuntur, ut sine dilatione dimittant ipsarum regimina civitatum, que contra inhibitionem sibi factam contempto iuramento ipso temere receperunt, earundem civitatum consiliariis iniungendo, ut ipsos potestates licentient absque mora, ab omni vinculo, quo tenentur eisdem, sive super sequendo ipsorum regimine sive super salario eis dando penitus absoluti. Quod nisi fecerint, tu in ipsos potestates et consiliarios excommunicationis et in civitates ipsas interdicti sententias non differas promulgare, earundem prelatis auctoritate nostra precipiens, ut easdem sententias usque ad condignam satisfactionem observent et faciant observari.

Dat. Lateran. V Idus Ianuarii, anno nono.

267.

Honorius III papa Ludowico VIII regi Francorum exprobrat, quod quasdam terras [Henrici III] regis Angliae per violentiam occupaverit, eumque rogat, ut eas restituat et competentes treugas cum eo ineat.

1225, Febr.

Hon. III Reg. Vol. V, 31; Lib. IX, 168.

Lodowico regi Francorum illustri[1].

Illius cui omne comparet testimonium invocamus, quod personam tuam sincera caritate diligimus et ad tuum ac regni tui honorem et statum ferventi desiderio aspiramus, retinentes memoriter et habentes quasi semper pre oculis illum specialis dilectionis affectum, qui nos et clare memorie Philippum regem Francie patrem tuum mutua caritate coniunexit, et devotionem sinceram, quam apostolica sedes semper in eo et aliis progenitoribus tuis regibus Francorum indesinenter invenit, ac firmam spem fiduciamque gerentes[a], quod tu eorum progenitorum tuorum vestigia imitanda non deseres, set eorum exemplo laudabili in apostolice sedis devotione semper firmus stabilisque persistes. Ceterum hiis temporibus fecisti quedam omnino contraria huiusmodi spei nostre, quia cum per litteras nostras te instanter pluries rogaverimus et petierimus pro munere speciali, ut treugas inter te ac illustrem regem Anglie prorogares, tu preces et petitiones nostras prorsus obaudiens, quasdam ipsius regis terras per violentiam occupasti contemptis eisdem precibus et petitionibus nostris, contempto etiam statuto de pace vel saltim treuguis inter Christianos omnes ac maxime inter excellentiores principes observandis, quod, sicut tibi meminimus significasse, iamdudum fecimus in colloquio inter nos et carissimum in Christo filium nostrum Fredericum, Romanorum imperatorem semper augustum et regem Sicilie, novissime celebrato, ac per consequens posthabita cura negotii Terre Sancte, propter quod statutum fecimus antedictum. Hec fecisti, et tacuimus tue celsitudini deferentes ac sperantes, quod ipsa patientia nostra tuam erga nos devotionem accenderet teque ad condescendendum voluntati nostre ac precibus provocaret. Licet igitur necdum iuxta spem et expectationem nostram nobis aquiescere in hac parte curaveris, nos tamen nec sic desinentes de tua devotione sperare set certam nobis de illa fiduciam promittentes, cum id ipsum et innata tibi clementia et ipsa progenitorum tuorum recolenda memoria repromittat, serenitatem adhuc multiplicata prece deposcimus, quanta possumus attentione rogantes et exhortantes in domino Iesu Christo, quatinus dicto regi restituas terras eius, quas invasisse nosceris violenter, et competentes treugas ineas cum eodem, ne, si secus duxeris faciendum, Terre Sancte succursus, qui per progenitores tuos et per regni tui vires promoveri potissime consuevit, nunc per te videatur e contrario impediri, tueque id fame ac saluti obficiat, nosque, quod absit, de tua devotione deffidere compellamur, de qua licet iam totiens experti contrarium non possumus non sperare.

Dat. Lateran. mense Februario anni noni.

a) gerentem *R.*

1) *Alia epistola ad eundem, qua papa de eadem re multo profusius scribit, edita est in Recueil des Hist. des Gaules, t. XIX, p. 761.*

268.

Faronis Meldensis episcopi diploma abbatissae et conventui Iotrensi concessum[1].
Hon. III Reg. Vol. V, 44: Lib. IX, 244.

Abbatisse et conventui Iotrensi[2].

In nomine sancte et individue Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti. Ego Faro omnibus tam futuris quam presentibus. Ego utique Meldensis ecclesie presul salutem et dilectionem, que est in Christo Iesu. Quia prelatorum est sancte regule auctoritatem, immo sancte ecclesie sublimitatem privilegio dignitatis ad sancte et catholice fidei incrementa cum salubri tantum observatione penitus prorogare etc. etc. Rex namque Francorum Dagobertus, videlicet filius gloriosissimi et domini nostri Chlotarii regis, et Childegarius Senonice urbis episcopus, Audebertus Parisiace urbis episcopus, Madegigilus Turonice urbis episcopus et multi alii, et amici et prelati nostri, nuperrime presentiam nostram adierunt, sub sancte fidei obtentu exigentes, quatinus ecclesiam Iotri, quam Ado filius Autarii Suessionici in proprio solo, opere tamen fratris sui Audoeni, prefati regis Dagoberti referendarii, in honorem beate Dei genitricis Marie edificaverat etc. etc.

Actum est hoc et corroboratum in monasterio sancte Crucis Meldis, anno humanate divinitatis DCXVIII, anno Martini pape tertio, anno regis Francorum Dagoberti VIII°, anno Constantini filii Constantini XVIII°, indic. VII[a]. Datum est hoc pridie Nonas Maii.

Signum Dagoberti Francorum regis. Signum Chidegerii Senonii episcopi. Signum Audeberti[a] Paris[iaci] episcopi. Signum Regniesili Treclarii[3] episcopi. Signum Aigutarii Noviom[ensis] episcopi. Signum Faronis Meld[ensis] episcopi. Signum Chagnelfi comitis etc. etc. etc.

Bertoldus cancellarius scripsit et subscripsit[4].

269.

Honorius III papa [Egberto] episcopo Babenbergensi scribit de capellis interdicto suppositis. *1225, Mart. 6.*
Hon. III Reg. Vol. V, 52; Lib. IX, 285.

. . episcopo Bambergensi.

Iustis petentium usque: complere. Cum igitur in diversis diocesibus redditus et possessiones obtineas, et te transeunte per illas plerumque contingat earum aliquas interdicto supponi, nos tuis precibus inclinati auctoritate tibi presentium indulgemus, ut cum casus talis emerserit, in capella tua vel alia, si forte ibidem propriam non

a) Audebertius R.

1) *Hoc diploma, quod spurium esse apparet, Honorio III papae missum esse videtur, ut ab eo confirmaretur; cum diem confirmationis nesciamus, id hic inserimus, ordinem regestorum sequentes.* 2) *Iouarre ex oriente civitatis Meldensis prope Matronam.* 3) *ita R; extabat episcopus Trecensis huius nominis.* 4) *a. 1225, Nov. Romanus cardinalis monasterium Iotrense 'inspectis privilegiis' a iurisdictione Meldensis ecclesiae liberum pronuntiat. Du Plessis, Histoire de l'église de Meaux, t. II, p. 115, n. 270.*

habueris, non pulsatis campanis et excommunicatis ac interdictis exclusis possis voce submissa divina celebrare officia vel audire a proprio capellano. Nulli ergo nostre concessionis —. Si quis —.

Dat. Lateran. II Non. Martii, anno IX.

270.

Honorius III papa confirmat concordiam inter [Conradum] abbatem Praemonstratensem et aliquos praepositos initam super eo, quod abbas asserat praepositos illos debere singulis annis Praemonstratum ad capitulum generale convenire.

1225, April. 19.

Hon. III Reg. Vol. V, 48; Lib. IX, 268.
Potthast, Reg. 7399.

. . abbati Premonstratensi.

Ea que pro ecclesiarum utilitate ac pace provide ordinantur, apostolico sunt munimine roboranda, ut impensiori diligentia observentur. Ex parte siquidem tua fuit propositum coram nobis, quod cum inter te ex parte una et . . Sancte Marie Magdeburgensis, . . de Gratia Dei, . . de Liezcka, . . de Brandeburg, . . de Havelberg, . . de Raseeburg, . . de Ihericho, . . de Colebethe, . . de Rothe, . . de Quetelingeburg, . . de Widda, . . de Polethe, . . de Gramonorwe et . . de Temenis prepositos[a] ex altera questio verteretur super eo, quod asserebas prefatos prepositos debere annis singulis Premonstratum convenire ad generale capitulum et communibus institutionibus ordinis obedire, pluresque super hoc littere a sede apostolica emanassent, tandem mediantibus . . cantore Metensi suisque collegis super hoc negotio delegatis a nobis, tu, fili abbas, et pars adversa in certam concordie formam coram venerabili fratre nostro C[onrado] Portuensi episcopo, apostolice sedis legato, sponte ac amicabiliter convenistis[1], quam apostolico postulasti munimine roborari. Nos igitur precibus tuis benignum impertientes assensum, concordiam ipsam, sicut sine pravitate provide facta est, et a partibus sponte recepta, et hactenus pacifice observata, atque in ipsius episcopi et dictorum iudicum litteris inde confectis plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo nostre confirmationis etc. Si quis autem etc.

Dat. Lateran. XIII Kal. Maii, anno nono.

271.

Honorius III papa E. abbati de Middelborg praedicatori crucis scribit de pecunia, quae deputata subsidio Terrae Sanctae a [Godefrido] episcopo Cameracensi et [Henrico] duce Brabantiae iniuria collecta sit. *1225, Mai. 12.*

Hon. III Reg. Vol. V, 59; Lib. IX, 323.

---

[a]) prepositus *R.*

1) *Metis, 1221, Dec. 1; [Hugo], Ann. Praemonstr. t. I, prob. p. 23—25.*

E. abbati de Middelborc Premonstratensis ordinis.

Significasti nobis, quod cum tibi dederimus in mandatis, ut in terris, in quibus predicas verbum crucis, colligas pecuniam legatam a fidelibus vel alias deputatam subsidio Terre Sancte, detentores ad restitutionem ipsius districtione canonica compellendo[a], venerabilis frater noster . . Cameracensis episcopus et nobilis vir dux Brabantie pretextu quarundam litterarum eis in proximo preterito passagio a sede apostolica indultarum ipsam sibi deberi pecuniam asserentes, eam in terminis suis fere totaliter receperunt et residuum exigere non desistunt, Templarii quoque, Hospitalarii et quidam alii quedam de huiusmodi pecunia receperunt; quare quid tibi super hiis sit agendum, instrui postulasti. Ideoque presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus episcopum predictum et alios, ut vel pecuniam ipsam integre tibi assignent in Terre Sancte subsidio convertendam, vel infra competentem terminum, quem eis duxeris prefigendum, nobis mittant litteras apostolicas, quarum auctoritate pecuniam ipsam sibi vendicare contendunt, atque interim conservent ipsam pecuniam diligenter, exposita nobis eiusdem pecunie quantitate, auctoritate nostra appellatione remota compellas, ut litteris iisdem inspectis faciamus super hoc quod de iure fuerit faciendum.

Dat. Tibure, IV Idus Maii, anno nono.

272.

Honorius III papa eidem scribit de praedicatione crucis in ecclesiis interdictis et de aliis rebus subsidium Terrae Sanctae attinentibus 1225, *Mai.* 12.

Hon. III Reg. Lib. IX, 324.

Eidem.

Cum predicande crucis officium tibi in Flandria et Brabantia duxerimus committendum, ut illud liberius et utilius valeas exercere, presentium tibi auctoritate concedimus, ut cum ad loca veneris interdicta, liceat tibi, excommunicatis et nominatim interdictis exclusis, ibi celebrare divina et proponere populo verbum crucis. Liceat quoque tibi a voto crucis absolvere pauperes et infirmos seu alias inutiles negotio Terre Sancte, ita quod hii, quibus suppetierint facultates, pro se mittant in Terre Sancte subsidium[b] idoneos bellatores; illi vero, qui tanta paupertate laborant, quod non possent singulos destinare, aliis cruce signatis pauperibus conferant ea que secum fuerint portaturi, ita quod duo aut tres seu etiam plures, prout paupertas exigit eorundem, unum pro se mittant in Terre Sancte subsidium bellatorem, concessa eis iuxta statutum concilii generalis suorum indulgentia peccatorum.

Dat. ut supra.

273.

Honorius III papa [Sifrido II] archiepiscopo Maguntino mandat, ut proventus ecclesiae Wormaciensis obligare studeat, ut exinde quibusdam civibus Romanis de pecunia satisfiat, quam eadem ecclesia iis debeat. 1225, *Iul.* 8.

Hon. III Reg. Vol. V, 68; Lib. IX, 368[c].
Potthast, Reg. 7437.

a) compellentur *R.* b) subsidium *deest in R.* c) *numerum 368, qui deest in copia, supplerimus ex Würdtwein, Nov. subs. dipl. t. IV, p. 128.*

. . archiepiscopo Maguntino.

Cum olim tibi nostris dederimus litteris in mandatis, ut omnes omnino proventus et redditus Warmaciensis ecclesie colligi faciens, eos in Franciam mitteres apud Trecas, ut exinde dilecto filio Matheo Widonis Marroni et eius sociis civibus Romanis satisfieret de pecunia, in qua est eis Warmaciensis ecclesia obligata, quia, sicut intelleximus, proventus eius adeo sunt exiles, quod vix longo tempore posset ex eis a debitis eadem ecclesia liberari, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus proventus eosdem studeas obligare, ecclesiarumque prelatos, canonicos et alios clericos civitatis et diocesis Warmaciensis nec non cives et vassallos ecclesie, ut in hoc eidem subveniant, moneas propensius et inducas et, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam, ac Iudeos, tam civitatis quam diocesis Warmaciensis, per subtractionem communionis fidelium ad id appellatione remota compellas, ita quod usque ad proximum festum resurrectionis Dominice[1] mille sexcentas et viginti marcas colligas, computatis in ipsis quadringentis et triginta marcis iam collectis, et eas in tuto loco deponas et collecta pecunia ipsa nobis festines quantotius intimare, ut dictis Romanis de pecunia sibi debita celerius satisfiat et ecclesia ipsa facilius liberetur.

Dat. Reate, octavo Idus Iulii, anno nono.

274.

Honorius III papa [Hermanno] magistro et fratribus Theutonicorum decimam in Mergentheim, quam Gotefridus et Conradus de Honloch [Hohenlohe] a Theoderico episcopo Herbipolensi in feudum tenuerant, sed iis contulerant, confirmat.

1225, Iul. 13[2].

Hon. III Reg. Vol. V, 114; Lib. X, 211.
Potthast, Reg. 7441.

. . magistro et fratribus Domus sancte Marie Theotonicorum.

Iustis petentium etc. usque: complere. Littere siquidem bone memorie Theodorici Herbipolensis episcopi, suo et Herbipolensis capituli ac nobilium virorum Gotefridi et Conradi de Honloch fratrum communite sigillis, nobis exhibite inter cetera continebant, quod cum iidem nobiles decimam in Mergentheim, quam nunc in feudum ab ecclesia Herbipolensi tenebant, vobis dare fide interposita promisissent, prefatis episcopo et capitulo supplicarunt, ut vobis conferrent decimam memoratam, promittentes quod pro illa competens vobis excambium assignarent. Prefata igitur decima tam a viris prudentibus de predicto capitulo quam a quibusdam fidelibus eiusdem ecclesie triginta et sex talentorum pretio extimata, predicti nobiles proprietates suas triginta quattuor talenta et amplius annis singulis exolventes ipsi ecclesie contulerunt, ab ea in feudum recipientes easdem, vosque quandam proprietatem vestram annuatim solventem duo talenta, que deerant extimationi predicte, ipsi ecclesie contulistis. Idem ergo episcopus securitate recepta de restauratione facienda ipsi ecclesie, si aliquam partem prefati excambii contigerit evinci legitime ab eadem, prefatam decimam vobis de

1) *April. 19.* 2) Datum Reate, III Idus Iulii, pontificatus nostri anno nono, *ut legit Strehlke, Tab. ord. Theuton. p. 162 in codice Regimontano R. 77 inter Mergentheimensia n. 31*

consensu totius sui capituli contulit perpetuo libere obtinendam[1]. Nos igitur vestris iustis precibus inclinati collationem ipsam, sicut provide facta est et in prefatis litteris plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo confirmationis etc. Si quis —.

D[2].

275.

Honorius III papa [Henrico] Mediolanensi archiepiscopo et [Alberto] Brixiensi episcopo nuntiat, nuper aliquos nobiles, in quos, quia fautores haereticae pravitatis Brixiensium fuerint, excommunicationis sententia lata sit, in sua praesentia multipliciter supplicasse, ut sententia illa relaxetur; propter quod iis mandat, ut sufficienti cautione recepta eos absolvant et unumquemque iuxta culpam puniant; cf. n. 261.

1225, Iul. 15.

Hon. III Reg. Vol V, 79, 80; Lib. X, 28.

. . archiepiscopo Mediolanensi et . . Brixiensi episcopo.

Graves ad nos iamdudum ascendere clamores, quod cum tu, frater episcope, ac venerabilis frater noster . . episcopus Mutinensis[3], quibus commiseramus sollicitudinem extirpandi pravitatem hereticam de provincia Lombardie, in Brixiensi civitate, que dicebatur gravius esse corrupta fermento huiusmodi pravitatis, velletis publice precipere consilio Brixiensi, ut exterminatis hereticis diruerent quasdam domos, in quibus heretici habitaverant et predicaverant manifeste, M. vicarius Gerardi civis Mutinensis, tunc predicte civitatis regimen obtinentis, nec non consules et quidam nobiles ac alii de civitate ac diocesi Brixiensi vobis audientiam denegantes, se nobis manifeste opponere presumpserunt, et prefato G. suis culpis exigentibus ab ecclesiastica unitate preciso et manifesto hereticorum fautori contra inhibitionem nostram pertinaciter adherentes et foventes ipsos hereticos, cum eodem se contra Deum et ecclesiam dampnabiliter erexerunt, patenter receptando in domibus suis hereticos et turres pro illis contra catholicos muniendo ac de illis pugnando acriter contra illos; propter quod auctoritate nostra tulistis excommunicationis sententiam in eosdem, nosque, intellecta tante presumptionis audacia, tibi et venerabili fratri nostro . . Arriminensi episcopo[4] super pena infligenda huiusmodi presumptoribus direximus scripta nostra. Nuper autem te ac nobilibus viris Raimundo comite Mosi, et Raimundo de Hugonibus, Tetoccio de Tetocciis, Frederico de Lavello longo, Matheo de Gambara, Iohanne de Minervio, Ottolino Meleghette, ac Bonaventura de Walando pro se ac aliis, in quos lata fuit sententia supradicta, in nostra presentia constitutis, iidem nobiles suam et absentium culpam multipliciter excusare nitentes, asserendo quod civitas Brixiensis in partes divisa est iam a longo tempore, sicut scitur, unde, si forte in eorum parte sunt aliqui de predicta pravitate suspecti, eos non tanquam hereticos set tanquam sue partis socios defendere studuerunt, aliaque multa in excusationem suam et incusationem partis alterius proponendo humiliter petierunt, ut dignaremur supradictam relaxare sententiam ac revocare mandata expressa in litteris supradictis tibi et prefato episcopo Ariminensi directis, dilectis filiis nobilibus viris Guidone Grasso et Bonoldo de Bonoldis civibus Mediolanensibus, quos potestas et commune Mediolanensium propter hoc specialiter ad nostram presentiam destinarunt, suppliciter postulantibus, ut paci civitatis predicte providere debita sollicitudine curaremus. Licet igitur hii, qui

1) *1224, Dec. 14.* 2) *in copia nostra:* D(ata Lateran. mense Februar. anno X). 3) *Wilhelmus.* 4) *Bonaventurae.*

attemptare talia presumpserunt, absque dubio graviter offendisse noscantur, quia tamen ecclesia non debet sinum claudere redeuntibus set potius aperire, prefatis nobilibus, qui personaliter ad nostram presentiam accesserunt, per te fecimus iuxta formam ecclesie beneficium absolutionis impendi, ac absolutionem absentium prudentie vestre duximus committendam. Ideoque fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus, sufficienti ab hiis cautione recepta, eisdem absolutionis beneficium impendatis, ac deinde iuxta tenorem sepedictarum litterarum tibi, frater episcope, ac Arriminensi episcopo directarum tam demoliendo turres, que contra ecclesiam et catholicos pugnaverunt, quam alia que in eisdem continentur litteris exequendo, puniatis eosdem, ita tamen quod singulorum excessibus provida consideratione pensatis, liceat vobis iuxta uniuscuiusque culpam et moderari penam circa minus culpabiles et circa magis culpabiles, prout expedire videritis, aggravare; proviso quod faciatis ecclesiis satisfieri competenter de dampnis sibi huiusmodi occasione illatis. Quod si aliqui sunt forsitan inter eos, quorum specialius fuerit difficilis et enormis excessus, illos mittatis ad sedem apostolicam absolvendos, et tam qualitatem culpe quam pene, que videbitur posse illis competenter infligi, per vestras nobis litteras intimetis, ut per vestram relationem instructi melius facere valeamus quod fuerit faciendum.

Dat. Reate, Idibus Iulii, anno decimo[a].

276.

Honorius III papa Friderico Romanorum imperatori exponit, multos contra se murmurare, quod eius supplicationibus toties annuerit, quare negotium Terrae Sanctae a desiderato effectu hactenus sit suspensum; rogat eum, ut P[elagium] Albanensem episcopum et G[ualam] presbyterum cardinalem legatos suos benigne recipiat. 1225, Iul. 18.

Hon. III Reg. Vol. V, 68; Lib. IX, 370.
Potthast, Reg. 7445.

Friderico, Romanorum imperatori illustri semper augusto et regi Sicilie.

Inter alias sollicitudines innumeras et immensas, quas plus ferre possumus quam referre, utpote qui, dum generali ecclesie presidendo subsumus et subditi presidemus, non minus servitutis onere premimur, quam exaltemur dignitatis honore, spiritus noster ex eo potissime anexiatur, quod negotium Terre Sancte contra spem nostram et totius fere populi Christiani fiduciam a desiderato cunctis effectu hactenus est suspensum, quod iam a longo tempore per te post Deum sperabatur tam efficaciter quam celeriter promovendum, utpote qui te ad id sollempni voto et professione celebri publice obligaras, prout plenius tua potest reminisci serenitas, quam, ut tuo pudori parcamus, nos deceat recensere. Verum licet preter divine maiestatis offensam videaris nos et universalem ecclesiam confudisse, nos tamen non sine gravi et patenti detractionis obprobrio tue saluti consulere ac fame parcere cupientes, supplicationibus tuis duximus annuendum, multis contra nos et fratres nostros murmurantibus et clamantibus: Eccine homines qui alienam infamiam sua volunt ignominia palliare! Ut igitur ea, que in rescripto nobis exhibito continentur, efficaciter, si datum fuerit desuper, compleantur, prout ipse voluntarius obtulisti et est a nobis et nostris fratribus acceptatum,

[a]) immo nono, cf. p. 92, not. a.

ecce venerabilem fratrem P. Albanensem episcopum et dilectum filium nostrum G. tituli Sancti Martini presbyterum cardinalem, viros utique probate virtutis, conspicue honestatis et eminentis scientie, quos velut columpnas erectas in domo Domini et stellas in firmamento ecclesie relucentes nos et fratres nostri speciali prerogativa dilectionis et gratie amplexamur, commisso eis plene legationis officio, providimus ad tuam presentiam destinandos, ut que super premissis diligenti sunt deliberatione tractata, et robur plene perfectionis accipiant et sollempni publicatione clarescant. Quocirca imperialem magnificentiam rogamus, monemus et hortamur attentius, quatinus ipsos, vel potius nos in ipsis, benigne recipiens et honeste pertractans, ea que in supradicto rescripto, quod eis sub bulla nostra commisimus, continentur, pure ac sincere studeas effectui mancipare, ita quod cum eo qui est veritas in veritate, procedens, precedentem negligentiam redimere videaris, et te ac nos reddas apud homines excusatos, sciens nos eis contulisse liberam potestatem et recipiendi iuramentum et excommunicationis sententiam promulgandi et alias exinde procedendi, prout in predicto rescripto plenius continetur.

Dat. Reate, XV Kal. Aug. anno nono.

277.

Honorius III papa [Raynerio] patriarchae Antiocheno concedit, ut Graecos suae dioecesis ad decimas solvendas coartare valeat. *1225, Iul. 18.*

Hon. III Reg Vol. V, 68; Lib. IX, 373.

. . patriarche Antiocheno.

Cum tributa egentium animarum sint decime, quas in signum universalis dominii sibi Dominus reservavit, a solutione ipsorum nemo cuiuscunque nationis subducitur Christianus, quia non est in hac parte Greci distinctio, barbari vel Latini. Eapropter fraternitati tue concedimus, ut Grecos in tua diocesi consistentes ad solvendum decimas iuxta consuetudinem Latinorum tam auctoritate nostra quam tua valeas coartare.

Dat. Reate, XV Kal. Augusti, anno IX.

278.

Fridericus Romanorum imperator universis notum facit, se personaliter iurasse et in anima sua Raynaldum natum quondam ducis Spoletani iurare fecisse, quod ab instanti Augusto praesentis anni ad duos annos in subsidium Terrae Sanctae transiturus ibidemque per biennium mille milites tenturus sit: depositurum insuper in manibus regis et patriarchae Hierosolymitani et magistri Hospitalis Teutonicorum centum milia unciarum auri, quae sibi post transfretationem reddantur in servitium Dei expendenda, ad eorundem autem arbitrium expendantur, si non transierit. *1225, Iul.*

Hon. III Reg. Lib. X, 8[a].
Ed. Pertz, LL. t. II, p. 255.

[a]) Lib. 60, 8 *Rayn. a. 1225 § 4: Pertzii editio numerum non indicat.*

279.

Honorius III papa Friderico abbati Sanctae Mariae in Alchingen ad preces [Sigefridi III] Augustensis episcopi diocesani privilegia monasterii sui innovat.

1225, Aug. 16.

Hon. III Reg. Vol. V. 77, 78; Lib. X, 17.

Frederico abbati monasterii sancte Marie in Alchinghen[1] eiusque fratribus, tam presentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum.

Novis egent remediis, que de novo emergere dinoscuntur, et circa morbos, prout diversi sunt et varii, curationes expedit variare. Venerabilis siquidem frater noster . . Augustensis episcopus, diocesanus vester, per litteras suas nobis nuper exposuit, quod quidam monachus vester a diabolo, cuius faciebat opera, instigatus, privilegia quedam a sede apostolica monasterio vestro concessa cuiusdam militis instinctu subripuit et in ipsius tradidit potestatem; cuius castro non post multos dies capto ab inimicis ipsius et universis bonis exinde asportatis, predicta privilegia sine bulla fuerunt vobis ab hiis, ad quorum manus devenerant, restituta. De quo cum ingentem tristitiam conceperitis et merorem, dictus episcopus super tanto vobis compatiens detrimento, per predictas litteras nobis humiliter supplicavit, ut dignaremur eadem privilegia innovare. Tu quoque, fili abbas, ad presentiam nostram accedens, uno privilegiorum ipsorum, videlicet Calixti secundi, et rescripto alterius, secundi scilicet Innocentii, nobis exhibitis, cum multa precum instantia petivisti eidem monasterio super tanto discrimine similiter provideri. Attendentes igitur quod eo magis vobis existeret consulendum, quo in maiorem lesionem ipsius monasterii hoc creditur attemptatum, considerantes insuper, tam ex eodem Calixti privilegio quam quodam scripto in predicti Innocentii regesto reperto, memoratum monasterium ecclesie Romane fuisse a patronis, videlicet Berta comitissa et Lenugarda, filia eius, illiusque marito Corrado marchione et Henrico, Octone, Theoderico et Thetone, filiis eorum, oblatum iuxta prefatum Calixti privilegium, quod in pargameno, scriptura et stilo repperimus esse verum, de fratrum nostrorum consilio vobis et monasterio vestro presens privilegium addendo quedam alia communia monachorum capitula duximus concedendum. Prefatum itaque monasterium sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus, in primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum et beati Benedicti regulam in eodem monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascumque possessiones, quecumque bona etc. usque: permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: locum ipsum, in quo prefatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis; in Owchin ecclesiam sancti Stephani cum villa et duobus piscatoribus beneficiatis; in Wisingen mansum unum cum duobus piscatoribus beneficiatis; in augea Danubii tres mansos cum augeis et pertinentiis suis; in Liphein ecclesiam sancti Viti cum familia, tributariis et mansis undecim, molendinis et duobus piscatoribus beneficiatis et omnibus iuribus et pertinentiis suis; in Speche molendinum unum; in Muggenwilar mansos tres; villam in Valhein et ecclesiam sancti Dionisii cum redditibus et familia et omnibus aliis iuribus et pertinentiis suis; in villa Valhein mansos quattuor; in Walsteten ecclesiam sancti Martini cum familia, tributariis, manso uno

1) sive *Elchingen prope Ulmam.*

et omnibus aliis iuribus et pertinentiis suis: in Stovirsnet capellam et duas curtes dominicales cum mansis septem et omnibus pertinentiis suis: in Wisinpac mansos tres cum nemore Wisindaichach: in Wallinhusen et Berge et Lachun mansos sex: villam Ruti cum familia et pertinentiis suis: in Osturhere ecclesiam sancte Marie cum curte dominicali et omnibus iuribus et pertinentiis suis: in Ritintal curtim unam cum pertinentiis suis: in Emervelt curtem dominicalem cum pertinentiis suis: in Martila curtem unam cum pertinentiis suis: in Kirdorf ecclesiam cum familia, tributariis et omnibus aliis iuribus et pertinentiis suis: in Siggingen et Mardingen molendina et vineta cum suis pertinentiis: in Urbarch ecclesiam cum curte dominicali et mansis sex et omnibus pertinentiis suis: in Wallenzin mansum unum cum novem curtilibus: in Brettenvirst mansum unum: in Druggis mansum unum: in Gersteten medietatem cuiusdam ecclesie cum omnibus iuribus et pertinentiis suis: in Waburch mansos quinque: in Nansteten mansum unum: in Luterun ecclesiam sancte Marie cum familia, tributariis, redditibus et prediis que sunt sita in Beringen, Bermaringen, Timenhusen, Dinkintal, Westersteten et Wippingen cum molendinis, piscatione et omnibus iuribus et pertinentiis suis: in Dinkintal mansos quinque: in Stozingen mansos duos: in Hiltebrandeshusen mansum unum: in Bandorf mansum unum et dimidium: in Riethen ecclesiam sancti Ambrosii: in Tumertingen mansos quattuordecim et capellam sancti Martini cum pertinentiis suis: in Agestronloch mansos duos: in Gerute mansos duos: in Luzebenbuch mansos quinque: in Bollingen dimidium mansum: in Timenhusen curtem dominicalem cum duobus mansis et dimidio: in Dorneconstat dominicalem curtem cum dimidio manso: in Widach mansos quattuor et dimidium: in Himelen, Wilareiet et in Kaltenuth mansos quattuor: in Ritin mansos duos: in Urspringe mansum unum: in Walthusen mansos quattuor: in Wolfgerswilare mansum unum: in Bominwirche mansum unum: in Hoebert mansum unum: in Westersteten ecclesiam sancti Martini cum familia, tributariis, curte dominicali, mansis duobus et omnibus iuribus et pertinentiis suis: in Buzim mansum unum et dimidium: in Breitingen mansum unum: in Stochach mansum unum: in Elligen mansos tres: in Blafenhart mansos tres: in Asbeibingen dimidium mansum: in Hermaringen mansum unum: in Althein mansos duos: in Segelingen dimidium mansum: in Tallein vineta cum mansis tribus et curtilibus: in Halle septem furnalia cum viginti octo urnis salsuginis et duobus curtilibus: in Schaflehichingen mansos tres: in Ulma septem curtilia: in Taliungen dimidium mansum: in Gotingen mansum unum: in Werde mansos duos: in Burcholz mansum unum: in Augea superiori mansos duos: in Steinhein[a] mansum et dimidium: in Straze ecclesiam sancte Marie cum familia, tributariis et mansis tribus et dimidio: in Phuala dimidium mansum: in Sulehin mansos quattuor: in Husen mansos duos: in Susintal mansum unum: in Ohsenbrunen mansos novem cum molendino et omnibus pertinentiis suis: in Keze mansum unum: in Linhem mansum et dimidium: in Hansen mansum unum: in Glassenhairt mansos quattuor cum pertinentiis suis: in Norsingen mansos tres: in Suegenhoven dimidium mansum: in Deprehieshoven mansos quinque cum molendino et omnibus pertinentiis suis: in Oprehtesteten mansum unum: in Burgo mansum unum cum pratis, vineis, terris, nemoribus, usuagiis et pascuis, in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis. Sane novalium vestrorum etc. usque: presumat. Prohibemus insuper etc. usque: facultatem. Cum autem generale interdictum etc. usque: celebrare. Crisma vero etc. usque: exhibere. Alioquin liceat vobis quemcumque etc. usque: impendat. In parrochialibus vero ecclesiis quas habetis etc. usque: respondere. Sepulturam quoque etc. usque: assumuntur. Obeunte vero te etc.

a) Steinhū R.

usque: eligendum, quod quidem in advocati constitutione precipimus observari, quo tamen, si inutilis fuerit repertus, amoto alius substituatur eidem. Ad indicium autem huiusmodi a sede apostolica libertatis percepte unum aureum sedi apostolice ab eisdem patronis nomine census gratis oblatum persolvatis nobis nostrisque successoribus annuatim. Decernimus ergo etc. usque: profutura, salva sedis apostolice auctoritate et diocesani episcopi canonica reverentia. Siqua igitur in futurum etc. usque: ultioni. Cunctis autem etc. usque: Amen.

Dat. Reate per manus magistri Guidonis domini pape notarii, XVII Kal. Sept. indic. XIII, incarnationis Dominice anno M° CC° XX° V, pontificatus vero domini Honorii pape III anno decimo.

280.

Honorius III papa abbati et decano Casinensi scribit de episcopo Alifano, qui se opposuerat, quominus Iacobus monachus Sancti Fortunati ecclesiam in quadam silva diocesis Alifanae construeret. *1225, Aug. 20.*

Hon. III Reg. Vol. V, 79; Lib. X, 27.

. . abbati et . . decano Casinensi.

Cum ordo Cisterciensis in ecclesie paradiso dextera divina plantatus etc. Unde non sine causa miramur, quod cum fratri Iacobo monacho Sancti Fortunati dantes primarium lapidem benedictum, concesserimus ei licentiam in silva que vocatur Thora Alifane diocesis ecclesiam ad honorem beate Virginis ad propagationem predicti ordinis construendi, ubi karissimus in Christo filius noster Fridericus, Romanorum imperator illustris semper augustus et rex Sicilie, sibi amplas possessiones, prout in litteris eius apparet, pia liberalitate donavit, venerabilis frater noster . . Alifanus episcopus eidem monacho, ut asserit, quominus tam pium opus incipiat, indebite se opponit, non attendens quod cum idem imperator possessiones ipsas ad opus construendi monasterium dederit, prefatus episcopus dat causam, ut eas debeat revocare, qui et seipsum ad pietatem exercere tenetur et ad eam alios exortari etc.

Dat. Reate, XIII Kal. Septemb. anno decimo.

281.

Honorius III papa [Raynaldo] archiepiscopo Lugdunensi ad preces G[uidonis IV] comitis Forensis mandat, ut libertatem ab eodem comite hominibus villae sancti Ragneberti indultam contra eundem et successores eius, si necesse fuerit, per excommunicationis et interdicti sententias tueatur. *1225, Aug. 30.*

Hon. III Reg. Vol. V, 80—81; Lib. X, 33.
Bibl. Patrist. Hon. III Ep. Lib. X, n. 22.

. . archiepiscopo Lugdunensi.

Vota fidelium pietatem in se continentia, quibus maxime libertas inquiritur, que favorabilis res existit, favore sunt congruo prosequenda, nosque ipsis tenemur apostolicum presidium impertiri. Unde licet supplicationibus porrectis nobis super libertate,

quam nobilis vir G. comes Forensis, nepos tuus, hominibus ville[a] sancti Ragneberti et parrochiarum suarum, scilicet Bonezonis, Chamble, Sancti Cipriani, et Sancti Iusti ad monasterium de sancto Ragneberto spectantium, intuitu pietatis gratuita liberalitate dicitur indulxisse, de liberalitate dubitantes eadem, a principio difficiles fuissemus, de ipsa tamen per tuas et eiusdem comitis litteras certiores effecti, predictis supplicationibus devotione ipsius comitis approbata duximus benignius annuendum. Denique, sicut per litteras easdem didicimus, cum comitibus Forensibus, tuis et ipsius comitis progenitoribus, in hominibus ville predicte sancti Ragneberti et dictis parrochiis nichil iuris competeret, nichilominus occasione custodie locorum ipsorum, quam idem habuerant ab antiquo, sepe graves tallias dictorum locorum hominibus contra Deum et iustitiam imponebant et alia eis indebita gravamina irrogabant. Verum prefatus comes pio inspiratus affectu, de preteritis dolens et super futuris cupiens gravaminibus precavere, ne in usum et consuetudinem abusus huiusmodi deveniret, de tuo consilio et assensu, cum eius dioecesanus existas, pro se ac successoribus suis talias et gravamina predicta remisit, plenam libertatem eisdem locis et hominibus concedendo, et quod nullo tempore contra veniret, se astrinexit vinculo iuramenti; statuens quod sui successores et posteri prestare debeant simile iusiurandum. Et quia proni sunt ad malum homines potius quam ad bonum, et plures sunt qui predecessorum suorum non virtutes set vitia imitantur, cum de die in diem caritas refrigescat et iniquitas habundet multorum, auctoritate apostolica defendi voluit quod pie super hoc duxerat faciendum. Quare concedi a nobis per litteras suas humiliter supplicavit, ut, si quando ipse ac successores sui libertatem huiusmodi violare presumpserint, archiepiscopus Lugdunensis, qui pro tempore fuerit, nisi post ammonitionem ipsius emenda exhibeatur a violatore competens infra mensem, ipsum excommunicationi et comitatum Forensem usque ad dignam satisfactionem subiciat interdicto. Tu etiam significasti nobis per litteras tuas, quod prefatus comes diligenti tecum tractatu habito de conservanda libertate predicta sic defendi eam voluit, sic servari. Preterea dicens nosse te plenius factum huiusmodi ac illius terre statum, et in hoc versari ecclesiasticam utililatem non modicam, et magnum opus misericordie contineri, petivisti suppliciter ipsius comitis supplicationes admitti. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus libertatem ipsam et immunitatem per excommunicationem in personas Forensium comitum et interdictum in prefatum comitatum auctoritate apostolica tuearis, quam auctoritatem ad tuos etiam extendi volumus successores.

Dat. Reate, tertio Kal. Septemb. anno decimo.

282.

Honorius III papa conventionem inter Innocentium papam et homines de Stroncone initam confirmat, eamque litteris suis inserit. *1225, Sept. 5.*

Hon. III Reg. Vol. V, 82—83; Lib. X, 12.

Fidelibus nostris hominibus de Stroncone[b] [1].

Quoniam labilis est humana memoria, ideireo ea, que legitime ordinantur, scripto decrevit antiquitas commendari. Hinc est, quod conventionem inter felicis recordationis

a) velle *R.* b) Stroncoñ *R.*

1) *ex oriente civitatis Narniensis.*

Innocentium papam predecessorem nostrum et vos initam et firmatam, ut perpetuo vigeat et inviolabiliter observetur, ad exemplar eiusdem predecessoris nostri scripto commendare curavimus et nostro munimine roborare, eam nostris litteris inseri facientes. Que talis est:

In nomine Domini amen. Hec est conventio, quam homines de Stronconе fecerunt cum domino papa. In primis pro affieto dabunt domino pape et successoribus eius in perpetuum quadraginta libras Lucensium annatim in mense Martii et placitum et bannum et forfacturas et totum terratorium commune, quod dicitur Mons de Ruselo, cum toto campo ipsius et omnibus utilitatibus eius. Et concedunt domino pape, ut faciat in capite castelli in loco communi palatium et turrim, et ipsi dabunt lapides, arenam et puzulanam et manuales ad idem hedificium construendum sufficientes, et calcem deferent a loco, in quo dominus papa faciet eam fieri. Pacem etiam et guerram facient ad mandatum domini pape. Calcem autem dominus papa fieri faciet cum suis expensis, et ipse dabit pretium magistris et victualia. Iurarunt ista observare et dare operam bona fide, ut homines ipsius castri iurent idem et observent, videlicet Oderisius Rapizi, Iacobus Berardi Villani, Leo Petri Iohannis Rose. Ipse vero dominus papa recipiet eos sub protectione sua et in suo demanio retinebit et defendet, sicut alia demania ecclesie in quibus habet palatium et turrim, presertim contra Narnienses, si opus fuerit.

Nulli ergo conventionis etc. Si quis etc.

Dat. Reate. Non. Sept. anno decimo.

283.

Honorius III papa Friderico Romanorum imperatori nuntiat, se Capuanae, Salernitanae, Brundusinae, Consanae et Aversanae ecclesiis diu vacantibus tandem providisse, personas idoneas ordinando de regno oriundas et fideles, eumque hortatur, ut eos honoret et iura eorum integra reservet, archiepiscopum autem Salernitanum exhibitorem praesentium vultu sereno recipiat. *1225, Sept. 25.*

Hon. III Reg. Vol. V, 87; Lib. X, 65.
Potthast, Reg. 7481.

Friderico, illustri Romanorum imperatori semper augusto et regi Sicilie.

Certam nobis fiduciam tribuit innata tibi benignitas, ut facta pio intuitu et Deo, sicut credimus, placita tue quoque sint celsitudini placitura. Sane videntes, quod diutina Capuane, Salernitane, Brundusine, Consane ac Aversane ecclesiarum vacatio in grave non solum rerum set etiam animarum periculum redundabat, et attendentes, quod id nobis et tibi imputabatur publice ab hominibus, ac ne imputaretur a Deo anxie metuentes, ipsis ecclesiis et fame ac saluti nostre tueque simul curavimus providere, ipsas ecclesias respectu ad solum Deum habito de personis tibi merito acceptandis, utpote scientia, vita et fama conspicuis, oriundis de regno et tue sublimitati devotis ac fidelibus, ordinando. Capuanum venerabilem fratrem nostrum I[acobum] Paccensem, et Salernitanum venerabilem fratrem nostrum C[esareum] Famagostanum episcopos, Brundusinum vero dilectum filium . . abbatem Sancti Vincentii de Vulturno[1], Consanum venerabilem fratrem nostrum . . quondam priorem Sancte Marie nove de

1) *Iohannem cognomento de Sancto Liberatore; Ricc. de S. Germ. a. 1225, SS. t. XIX, p. 345; cf. n. 202 et 250.*

Urbe, ac Aversanum venerabilem fratrem nostrum . . quondam Amalfitanum archidiaconum sine tuo preiudicio providentes de fratrum nostrorum consilio in pastores. Rogamus igitur serenitatem tuam attentius et hortamur, quatinus ecclesias ipsas, sicut imperialem clementiam decet, habens pro reverentia Dei et anime tue salute propensius commendatas, eis honores suos ac iura integra conservando, prenominatos earundem pastores ita favore imperialis gratie prosequaris, quod celsitudinis tue serenitas inde merito debeat Deo et hominibus complacere et specialiter nos ac fratres nostri devotionem excellentie tue debeamus in Domino commendare. Venerabilem autem fratrem nostrum . . archiepiscopum Salernitanum exhibitorem presentium, nobis et fratribus nostris earum suis exigentibus meritis et acceptum, serenitati tue presenti pagina commendamus, rogantes ut et ipsum vultu sereno recipias et ei gratie tue favorem in quibus sibi et ecclesie sue videris expedire, favorabilis et benignus impendas.

Dat. Reate, VII Kal. Octubr. anno decimo.

284.

Honorius III papa [Wilhelmo] archiepiscopo, decano et archidiacono Remensi mandat, ut excommunicationis sententias in praepositos, scabinos et alios cives Cameracenses latas per Remensem et Senonensem provincias singulis diebus dominicis et festivis innovent. *1225, Oct. 4.*

Hon. III Reg. Vol. V, 90; Lib. X, 75.
Bibl. Patrist. Hon. III Ep. Lib. X, n. 75.

. . archiepiscopo, . . decano et . . archidiacono Remensi.

Speravimus hactenus, ut prepositi, scabini et alii cives Cameracenses a sua duritia moniti mollirentur, set molientes potius in contrarium, percussi non dolent et contriti renuunt recipere disciplinam. Quare timemus, ne ipsorum plaga sit desperabilis, cum eo insanabilis, quo insensibilis, sit effecta. Set ne forte alios exempli, quod absit, inficiat corruptela, uti cogimur contra eos gladio rigide ultionis. Cum enim venerabilis frater noster G[odefridus] Cameracensis episcopus olim in prepositos, iuratos et scabinos Cameracenses, pro eo quod quendam clericum indebite pulsata campana banniverant, et domum cuiusdam canonici Sancti Gaugerici violenter intrarant, et canonice moniti exinde satisfacere denegabant, primo et postmodum in centum quadraginta cives Cameracenses, quorum consilio et auctoritate id factum fuerat, excommunicationis sententiam protulisset, quarum unam per R. decanum Sancti Pauli et suos coniudices, aliam vero per I. prepositum Sancti Lamberti et eius collegas delegatos a nobis obtinuit confirmari, tandem quia populus, cuius potentia et favore illi excesserant, satisfacere moniti et requisiti spreverunt, eos exigente iustitia simili sententia innodavit, que per I. decanum Ambianensem et suos coniudices a sede apostolica delegatos extitit confirmata. Verum cum populus ipse non solum a sua contumacia minime resipiscens, verum et iniquitatem iniquitati adiciens, dictum episcopum contra privilegiorum suorum tenorem multipliciter molestaret, ipse ad . . episcopum Noviomensem[1] et eius collegas super hoc litteras apostolicas impetravit, qui legitime procedentes in causa, in eos, ipsorum contumacia exigente, excommunicationis

1) *Gerardum.*

sententiam protulerunt, quam crescente contumacia eorundem per Remensem provinciam et nundinas in Remensi et Senonensi provinciis constitutas fecerunt sollem-
Iob. 41.20. pniter publicari. At illi, qui ad percutientem se rediisse debuerant, malleum velut stipulam reputantes, nec sic satisfacere hactenus curaverunt, quin etiam quidam ipsorum nuntii ad sedem apostolicam accedentes, licet ex parte communitatis absolutionis postulaverint beneficium, quia tamen satisfactionem vel satisdationem prestare nolebant, a nobis sine absolutione ac licentia recesserunt. Ut igitur acrior pena pungat quos penitudo hactenus non compunxit, districte vobis per apostolica scripta mandamus, quatinus dictas sententias per Remensem et Senonensem provincias et nundinas in eisdem provinciis constitutas singulis diebus dominicis et festivis sollempniter innovantes, eosdem tamquam excommunicatos faciatis a quibuslibet artius evitari. Clericos quoque, qui eis communicare ac divina temere celebrare presumpserint, pena canonica sublato appellationis obstaculo percellatis. Quod si non omnes —.

Dat. Reate, IIII Non. Oct. anno decimo.

285.

Honorius III papa [Sigefrido II] archiepiscopo Maguntino mandat, ut [Hermannum] episcopum Herbipolensem contra tenorem indulgentiae a sede apostolica concessae ad praesentiam suam accedere non compellat, contentus, quod cum vocatus fuerit, per nuntios idoneos ei se praesentet. *1225, Oct. 11.*

Hon III Reg. Vol. V, 91; Lib. X, 79.
Potthast, Reg. 7492.

. . archiepiscopo Maguntino.

Pro diversitate causarum varia oportet remedia inveniri, cum nec singulis languoribus unica sit oportuna curatio, nec convenientia existant uni morbo antidoda universa. Nuper sane venerabilis frater noster . . Herbipolensis episcopus nobis exposuit, quod cum filii Belial nobiles quidam et potentes regionis illius cum complicibus eorundem bone memorie C[onradum] ipsius antecessorem et consanguineum occidissent, ipsi cum tota posteritate, prout exigebat crudelitatis excessus, puniti fuerunt, qui postmodum tanto scelere non contenti successorem illius, videlicet bone memorie . . Herbipolensem episcopum[1], eius patruum, nisi sunt occidere, tamquam qui episcopalem dignitatem didicerant fuso sanguine maculare; propter quod episcopus ipse a facie fugiens tribulantium Herbipolensem civitatem deseruit et ecclesiam, sicque vix manus eorum evasit. Unde in penam ipsorum bona sua extiterunt ad alios devoluta. Ob hoc ergo predicti malefactores cum eorum filiis, complicibus et amicis in vindictam rerum ammissarum sanguinem eius sitiunt, quia predictorum episcoporum proximus est propinquus et eis in onere ac honore successit. Cum autem prenominatus episcopus, pro eo quod, sicut asserit, de diocesi et familia tua dicti molestatores existunt, tutum sibi fore non extimet, ut ad civitatem vel diocesim Moguntinam accedat, quod, ut proponit, sine periculo corporis facere non valeret, humiliter supplicavit, ut misericorditer indulgeremus eidem, ne vocatus a te, metropolitano ipsius, ad concilium vel ad alia venire personaliter teneatur, set se per sollempnes et idoneos nuntios presentare, presertim cum prenominato antecessori suo propter suspitionem

1) *Ottonem, cf. n. 76.*

huiusmodi a sede apostolica indultum fuisse proponat, ne ad presentiam tuam personaliter accedere teneretur. Nos vero ipsius supplicationibus annuentes, cum nemo debeat sibi suspectis et inimicis exponi, et geminus tam dire presumptionis illorum conatus terrere possit eundem episcopum, ut merito sibi debeat, qualiter cesset funesta pernicies et tanti furoris subtrahatur materia, providere, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus contra tenorem ipsius indulgentie prefatum episcopum ad presentiam tuam accedere non compellas, contentus quod se tibi presentet, cum eum a te vocari contigerit, per idoneos nuntios et sollempnes.

Dat. Reate, V Idus Octubr. anno decimo.

Hon. III Reg. Vol. V, 93; Lib. X, 93 *1225, Oct. 15.*

. . episcopo Herbipolensi *de eadem indulgentia.*

Dat. Reate, Idibus Octobris, anno decimo.

286.

Honorius III papa [Arnoldo] abbati Sancti Petri Gandensis concedit, ut ii, qui monasterium de cetero intrent, bona, quae iis sive ex testamento sive ab intestato provenerint, libere retineant. *1225, Nov. 13.*

Hon. III Reg. Vol. V, 96; Lib. X, 107.
Potthast, Reg. 7498.

. . abbati et conventui Sancti Petri Gandensis.

Ex parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum a nonnullis nobilibus et aliis illius provincie super receptione filiorum suorum monasterium vestrum sit nimium aggravatum, et ad id per multorum[a] precum instantiam sepius compellatur, in bonis parentum illorum, quos dictum monasterium de cetero intrare contigerit, sive ex testamento sive ab intestato ipsis provenerint, liceat vobis, quatenus a iure permittitur, auctoritate nostra succedere ac ea libere retinere. Nos ergo volentes, ut per quos dictum monasterium oneratur, aliqua ei humanitatis solacia conferantur, auctoritate vobis presentium concedimus postulata[b], salvis illorum servitiis ad quos ea noscuntur iure dominii pertinere. Nulli ergo concessionis —. Si quis —.

Dat. Reate, Id. Novembr. anno decimo.

287.

Honorius III papa constitutionem generalem sancit, qua praecipit, ut si quis cardinalem fuerit hostiliter insecutus vel percusserit, sicut reus criminis laesae maiestatis perpetuo sit infamis; poenitentias enumerat, quae iis, cum resipuerint, iniungendae sint, et potestatibus saecularibus mandat, ut contra tales praesumptores hanc constitutionem observari faciant. *1225, Nov. 20.*

Hon. III Reg. Lib. X, 215. Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1225, § 50—54.
Potthast, Reg. 7499.

a) *ita R.* b) m' postu. *R.*

Universis presentes litteras inspecturis.

Summi providentia principis peculiarem populum, quem pretulerat aliis gratie privilegio specialis, fovebat manna misericordie ac rigoris virga regebat, beneficiis (Osea 11,3.) affluens, ultionibus non remissus. Amicus etiam Domini Moyses pro eodem populo vitulum obtulit labiorum et manuum sacrificium non omisit, post supplicationis hostiam holocausto satisfactionis oblato, causam populi coram Domino precibus et Dei causam in populo gladiis prosecutus. Sane in maligno positi mundi malitia, dum impunitis excessibus per campum licentie discurrit effrenis, claustra iuris infringit, aditum pandit iniuriis, legem damnat honesti, privilegium promittit errori, et dum spem impunitatis ad alios prorogat, ad culpam nonnullos invitat, sicque fit penalis impunitas, cum penis reservet maioribus puniendos et per impunite transgressionis exemplar blandiatur aliis ad offensam. Unde interdum utcunque tyrannice parcitur et misericorditer desevitur, cum publice utilitatis intersit, ut excessum vindicta coerceat et pena sit limes offense. Hinc est, quod propter presumptam in quosdam de fratribus nostris temeritatis audaciam nos, ne celestis regis contumeliam, qui honoratur et spernitur in ministris, dissimulationi relinquere ac Christiane religionis opprobrium, dum christi Domini, quos ad Christianorum omnium salubre servitium apostolica sedes assumit, crudeliter impetuntur, dare negligentie videamur, non tanquam iniuriarum ultores nostrarum, sed honoris sponse Christi et immunitatis domus Domini zelatores, de communi fratrum nostrorum consilio hac in perpetuum valitura constitutione sancimus, ut si quis in hoc sacrilegii genus irrepserit, quod sancte Romane ecclesie cardinalem fuerit hostiliter insecutus vel percusserit aut ceperit, vel socius fuerit facientis aut fieri mandaverit vel factum ratum habuerit aut consilium dederit vel favorem, aut postea receptaverit vel defensaverit scienter eundem, sicut reus lese criminis maiestatis perpetuo sit infamis, diffidatus nihilominus et banditus, sit intestabilis, ut nec testamenti liberam habeat factionem nec ad alicuius bona ex testamento vel ab intestato vocetur, quatinus ab omni successione repulsus, publicaque repulsa confusus, minus inveniat sue malitie successorem. Fiant habitationes eius deserte, et ut non sit, qui eas inhabitet, dentur cuncta ipsius edificia in ruinam, et ut perpetue notam infamie perpetua ruina testetur, nullo tempore reparentur. Nullus ei debita reddere, nullus respondere in iudicio teneatur. Quidquid etiam in bonis invenietur ipsius, fisci vel reipublice dominio applicetur, ut ex illis nil transmittat ad posteros, sed potius cum ipso quodammodo damnentur et sua. Si qua vero feuda, locationes, officium vel beneficium spirituale vel temporale ab aliquibus ecclesiis obtinet, sit eis ipso iure privatus; que sic libere ad ecclesias revertantur, quod ecclesiarum rectores de ipsis pro sua voluntate disponant. Quod si filium habet clericum, non prelatum, ecclesiasticum beneficium obtinentem, illo privetur, spe collationis alterius omnino sublata. Nulli preterea talium filiorum atque nepotum ex virili sexu descendentium ab eisdem alicuius aperiatur ianua dignitatis aut honoris ecclesiastici vel mundani. Ad alicuius loci regimen non accedat. Sit ei postulandi negata facultas, sit notarie, iudicatus et quodlibet aliud officium seu ministerium publicum interdictum. In iudiciis eius assertio contra quemque nihil fidei, nihil credulitatis inveniat, ut ad testimonium prorsus reddatur indignus. Sit ei ad ordines ascensus inhibitus, sit ad beneficium vel officium ecclesiasticum negatus accessus, et ut magis famosa sit eius infamia, ad actus legitimos nullus ei pateat aditus, nulla porta pandatur eidem, super aliquo premissorum omni spe dispensationis adempta. Presenti nihilominus adicimus sanctioni, ut ex insecutione predicta, sicut ex iniectione manuum violenta, ipso facto excommunicationis sententiam quis incurrat, et tam insecutor quam alii supradicti tanti mali participes, quamdiu in sua contumacia perdurarint, singulis diebus dominicis et festivis pulsatis campanis et candelis accensis

per omnes illius loci ecclesias, in quo tantum fuerit facinus attentatum, nec non civitatum et dioecesum vicinarum excommunicati publice nuntientur, nec ab alio quam a Romano pontifice cum fratrum suorum et iniuriam passi consensu possint absolutionis beneficium obtinere, nisi dumtaxat in mortis articulo constituti. Cum autem fuerint absolvendi, primo sufficienter et idonee caveant, quod inferende pene parebunt et auxiliante Domino penitentiam peragent iniungendam. Deinde per omnes illius loci ecclesias principales vicinorumque locorum diebus dominicis et solemnibus incedant nudi coram populo, femoralia tantum habentes et virgas ferentes in manibus, cum quibus per easdem ecclesias publice fustigentur, ituri postmodum ultra mare et ibidem acturi penitentiam per tres annos ad minus, nec exinde postmodum reversuri absque sedis apostolice licentia speciali. Verum cum tales gratiam reconciliationis meruerint, beneficio absolutionis obtento indulgeatur eis licentia, ut suam suorumque iniuriam prosequantur, et debitorum illorum, que contracta fuerint de postmodum acquisitis, repetitio non negetur. Illud autem non duximus omittendum, quod si quis fuerit in premissis nudo consilio vel simplici favore culpabilis, iudex in talem penam metiatur ex culpa, ut secundum quod excessus exegerit vindicta procedat. Premissis etiam dignum censuimus annectendum, ut si quisquam aliquo predictorum excessuum quemquam de clericis vel religiosis nostre familie vel cardinalium afficere forte presumpserit, proportionetur pena delicto, ita quod vindicta ex equo excessui respondente, ab offensa nostrorum cohibeantur deinceps manus temerarie formidine ultionis, quos Dei vel nostra seu fratrum nostrorum reverentia non coercet. Si quis vero vel per se vel per alium, quod absit, occiderit cardinalem vel evidentem dederit causam mortis, ultra quam premissa contineant, sic in eum potestas iurisdictionis insurgat, sic rigor ultionis insiliat, quod contra vite subsidium mortis solacium invocet, vivens pene non culpe, vindicte speculum non offense. Per hec quoque secularibus potestatibus non adimimus facultatem utendi legibus contra tales, quas adversus sacrilegos catholici principes ediderunt. Quis enim locus regiminis poterit esse tutus? quis rector securitate gaudebit, si Romana ecclesia, que omnium ecclesiarum disponente Domino caput est et magistra, casibus istis subicitur, si eius filii speciales huiusmodi periculis exponuntur? Quem ecclesie filium, quem fidei zelatorem contumelia tanta non tangeret et confusio tam aspera non moveret? Porro qui filius est, dolebit, qui fidelis, matre fidei lesa ledetur. Quapropter si princeps, senator, consul, potestas, vel alius dominus seu rector, quocunque nomine censeatur, contra presumptores predictos presentis constitutionis tenorem non fecerit observari, tam ipse quam officiales ipsius infra mensem, postquam res ad notitiam eorum pervenerit, excommunicatione notetur. Quod si populus fuerit circa ista remissus et ad satisfaciendum rectores et officiales eius non compulerit, Romanus pontifex cum suis fratribus omnibus infra mensem exeat, si eum ibidem contigerit tunc morari, et antequam plenarie satisfiat, minime revertatur, nisi forsan inevitabilis ecclesie necessitas immineret, propter quam exitus eius et fratrum periculosus proculdubio redderetur. Preterea si populus rectorem sic excommunicatum tertio monitus, sicut poterit commoneri, a regimine amovere contempserit, subiciatur civitas interdicto, usquequo congrue satisfaciat.

Dat. Reate, duodecimo Kal. Decemb. pontificatus nostri anno X.

288.

Honorius III papa potestatibus civitatum marchiae Anconitanae mandat, ut Azzonem marchionem Estensem, quem de marchia Anconitana iterum investiverit, sicut dominum suum recipiant eique fidelitatis iuramenta praestent. *1225, Nov. 29.*

Hon. III Reg. Vol. V. 110—111; Lib. X. 186.
Potthast, Reg. Add. I 7502b = 26151.

Potestatibus et communitatibus civitatum et castrorum omnium in Anchonitana marchia consistentium.

Apostolice sedis benignitas provide pensans merita singulorum, hiis gratiam consuevit uberiorem impendere, quos videt amplius in sua devotione fervere, quatinus ad obsequia sua devotos fortius animet et provocet indevotos. Ut ergo clare memorie Azonem marchionem Estensem digne remuneraret de multis et magnis obsequiis sibi ab eodem impensis, ipsumque ad devotionem suam artius obligaret, marchiam Anchonitanam in rectum pheudum[a] ei et legitimis heredibus suis libere ac absolute concessit, salvis ipsius apostolice sedis certis servitiis, que in privilegiis super hoc factis ipsi marchioni et inclite recordationis Aldebrandino ac dilecto filio nobili viro Aczoni Anchonitano et Estensi marchioni, filiis eius, qui de ipsa marchia fuerunt legitime investiti, plenius exprimuntur. Licet igitur marchiam ipsam ad manus nostras, etate ipsius marchionis ac statu temporis id poscentibus, aliquanto tempore duxerimus retinendam, quia tamen idem marchio per Dei gratiam ad eam pervenit etatem et eius industrie ac probitatis existit, quod provide novit regere se ac sua, marchiam ipsam, sicut concessa fuit ab apostolica sede prefatis patri ac fratri suis et sibi, et in prefatis privilegiis plenius continetur, ei libere restituimus de fratrum nostrorum consilio et consensu, et iuramento fidelitatis recepto demo ab eodem, ipsum de illa iterum investivimus sollempniter per vexillum[1]. Ideoque universitati vestre per apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus, quatinus ipsum sicut marchionem dominum vestrum recipientes ilariter, eique fidelitatis iuramenta sine qualibet difficultate prestantes, ac obedientes ei humiliter et fideliter obsequentes, de iustitiis et rationibus universis ad ipsum spectantibus plene respondeatis eidem, scientes nos venerabili fratri nostro . . Forosimfroniensi episcopo[2] per nostras dedisse litteras in mandatis, ut si qui, quod non credimus, se in hoc difficiles exhibuerint aut rebelles, ipse presumptionem eorum monitione previa per censuram ecclesiasticam sublato appellationis impedimento compellat.

Dat. Reate, III Kal. Decembr. anno decimo.

In eundem modum scriptum est baronibus et militibus per Anchonitanam marchiam constitutis.

In eundem modum episcopis, abbatibus et aliis ecclesiarum prelatis per Anchonitanam marchiam constitutis.

In eundem modum potestati et populo Esino.

In eundem modum episcopo Forosimphroniensi.

In eundem modum potestati et populo Auximano.

In eundem modum potestati et populo Esculano.

In eundem modum potestati et populo Firmano.

In eundem modum potestati et populo Montis Rubiani.

a) theudum *R.*

1) *cf. n. 165, in fine.* 2) *Monaldo.*

289.

Honorius III papa Halberstadensi et in Borslo praepositis et L. canonico Halberstadensi scribit, quomodo in controversia inter [Brunwardum] Zuerinensem et [Willelmum] Havelbergensem episcopos de quarundam parrochiarum terminis orta procedere debeant. *1226, Ian. 13.*

Hon. III Reg. Vol. V, 151a; Lib. X. 151.

. . Halberstadensi et . . in Borslo Maguntine diocesis prepositis et L. canonico Halberstadensi.

Innotuit nobis venerabili fratre nostro . . Zuerinensi episcopo intimante, quod orta olim inter ipsum et venerabilem fratrem nostrum . . Avelbergensem episcopum super quarundam parrochiarum terminis questione, idem tandem in . . Zuerinensem prepositum et collegas ipsius super hiis cum parte altera compromisit, pacto expresso in compromisso huiusmodi interiecto, quod omnia essent in eo statu, in quo antequam compromissum fuerat existebant, nec non et quod ad aliud iudicium non trahatur, donec per arbitros posset negotium terminari. Set prefatus Avelbergensis, quibusdam a nobis contra plebanos parrochiarum ipsarum super ipsis terminis ad . . prepositum de Crevese[1] ac coniudices eius, nulla de dicto pacto mentione habita, litteris impetratis, induci se in possessionem terminorum ipsorum post appellationem ab eisdem plebanis ad nos legitime interpositam, non citato et penitus ignorante predicto Zuerinensi episcopo, procuravit, et obtinuit postmodum, compromisso adhuc pendente, alias contra eum super eisdem terminis apostolicas litteras . . preposito de Arnesse[2] ac suis coniudicibus destinari. Set cum idem Zuerinensis contra dictum Avelbergensem excipiendo proponeret, quod ipsum, quam diu lis sub arbitris penderet, expresso pacto sibi obstante nequeat convenire, et quod super eisdem rebus diversas ad diversos iudices apostolicas litteras impetrarit, de prioribus in secundis et de appellatione interposita ac processu negotii nullam faciens mentionem, demum quia prefati iudices talem exceptionem non admittebant ipsius, idem vocem ad nos appellationis emisit, ad quam prosequendam . . Zuerinensem scolasticum destinavit. Set cum ipse quasdam nimis suspectas litteras reportasset, idem episcopus eis, sicut nec decuit, non est usus, propter quod negotium ipsum remansit hactenus indecisum. Unde cum iam, sicut dictus episcopus Zuerinensis asserit, tempus effluxerit appellationi prefixum, humiliter petiit, ut hoc non obstante, cum ipse negligens in eius prosecutione non fuerit, revocari, si quid post appellationem eandem in eius preiudicium est presumptum, et procedi per vos in negotio mandaremus. Quocirca mandamus, quatinus, si vobis constiterit de premissis, revocato in statum debitum quicquid post appellationem huiusmodi ab episcopo interpositam temere inveneritis in ipsius episcopi preiudicium attemptatum, negotium ad arbitros remittatis, alioquin partes ad prefati prepositi de Arnesse ac suorum coniudicum remittatis examen, appellantem in excessu legis condemnantes[b]; transcursu temporis non obstante, si per ipsum non stetisse constiterit, quominus appellationem suam infra tempus legitimum fuerit prosecutus. Testes —. Quod si non omnes —.

Dat. Reate, Idibus Ianuarii, [anno decimo][c].

a) *ita copia nostra.* b) in ex le. condem *R.* c) anno decimo *deest in R.*

1) *prope Seehausen, ex septentrione oppidi Stendal.* 2) *sive Arendsee; non multum abest a Crevese.*

290.

Honorius III papa Friderico Romanorum imperatori scribit, responsionem suam de ordinatione quarundam ecclesiarum Apuliae et de facto [Walteri] Cathaniensis episcopi magistrum Roffredum oretenus ei relaturum esse, preces autem de absolutione [Boimundi] comitis Tripolitani admittere se non posse, cum nuntii comitis conditiones a cardinalibus oblatas recipere renuerint.

1226, Ian. 24.

Hon. III Reg. Vol. V, 108; Lib. X. 168. Pertzii exemplar supplerimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1226, § 56.
Potthast. Reg. 7521.

Friderico, illustri Romanorum imperatori semper augusto et regi Sicilie.

Hiis que tue serenitatis littere continebant, et que dilectus filius magister Roffredus nuntius tuus tam super ordinatione quarundam ecclesiarum Apulie ac facto venerabilis fratris nostri . . Cathaniensis episcopi, quam super absolutione comitis Tripolitani nobis sicut vir prudens et fidus ex parte tua proposuit viva voce, diligenter auditis, responsionem nostram super duobus primis articulis in ore ipsius magistri posuimus, qui eam plene poterit tue sublimitati referre. Super absolutione vero prefati comitis tua noverit celsitudo, quod ipsius comitis nuntii petierunt quedam iuri et Romane ecclesie consuetudini contraria manifeste. Unde licet preces tuas velimus semper, in quibus secundum Deum possumus, exaudire, nequivimus tamen ipsorum petitionem admittere nuntiorum, idque circumspectio tua egre ferre non debet, cum non velis, ut credimus, quod iuris scripti et approbate consuetudinis ordinem confundamus. Licet autem idem comes etiam ipsa exhibitione iustitie propter multa, que nunc narrari non expedit, reddiderit se indignum, tuarum tamen precum intuitu voluimus totum ipsum negotium bonis viris committere sub hac forma, ut videlicet idem comes prestaret in eorum manibus iuramentum de stando mandatis ecclesie super iis, pro quibus in eum excommunicationis sententia lata fuit, ac deinde prestaret de manifestis emendam, ac de parendo iuri super dubiis exhiberet idoneam cautionem: quo facto absolutionis beneficium impenderetur eidem, et consequenter de dubiis cognitio haberetur et statueretur, quod posceret ordo iuris. Et hec omnia dictis nuntiis benigne obtulimus per venerabilem fratrem nostrum H[ugolinum] episcopum Ostiensem ac dilectum filium nostrum G[ualam] tituli Sancti Martini presbyterum et Gregorium Sancti Theodori diaconum cardinales, a quibus eosdem nuntios audiri fecimus diligenter, cum non sit consuetudinis, quod Romanus pontifex nisi per interpositam personam ad colloquium excommunicatos admittat. Ipsi autem nuntii predicta recipere renuerunt, asserentes se ad hoc non habere mandatum, nec nos, ut prediximus, potuimus facere quod petebant, cum, ubi agitur de iustitia, gratie in alterius iniuriam non sit locus. Secundum prescriptam vero formam committemus ipsum negotium, quandocunque fuerimus requisiti, parati semper in hiis et aliis tue celsitudinis preces, quantum permittet ratio, exaudire.

Dat. Reate, VIIII Kal. Febr. [anno decimo][a].

[a] anno decimo *deest in R.*

291.

***H**onorius III papa Nicosiensi et Caesariensi archiepiscopis et abbati Montis Oliveti varios excessus [Boimundi] comitis Tripolitani narrat.* *1226, Ian. 30.*

Hon. III Reg. Lib. X, 169. Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1226, § 57. Potthast, Reg. 7524a.

Nicosiensi et Cesariensi archiepiscopis et abbati Montis Oliveti.

Comes Tripolitanus, qui pro diversis et variis excessibus suis ad illum deberet intuitum erigere, quo respiciente Petrus legitur in amaras lacrimas effluxisse, gravi Matth. 26,75. demersus oblivionis somno et totus per voraginem desperationis absorptus, nullam recipit, cum percussus non doleat, disciplinam. Idem enim inter alios eius divulgatos excessus Antiochiam et castrum Antiochenum, quod fratribus Hospitalis Ierosolimitani custodiendum dimisit venerabilis frater noster Albanensis episcopus[1], tunc apostolice sedis legatus, et domum quandam, quam ipsi habent apud Tripolim, capiens violenter, rabie concitatus diabolica, unum ex ipsis excoriari et alium, ut dicitur, occidi fecit, preter id quod quibusdam eorum crudeliter et inhoneste tractatis, damna eis gravia et iniurias irrogavit. Unde dictus episcopus his aliisque de causis pluribus manifestis in eum, fautores, complices et participantes eidem protulit excommunicationis sententiam, que auctoritate apostolica extitit postmodum approbata. Sed ipse tanquam peccator, qui contemnit, postquam in profundum labitur vitiorum, eandem sententiam penitus vilipendens, de redeundo ad mandatum ecclesie, cum ablata detineat et de damnis et iniuriis nullam satisfactionem impenderit, non videtur etiam cogitare. Ut autem de salute sua idem excitatus a nobis recogitet, qui per septennium despexit sententiam supradictam, discretioni vestre *etc.*[2]

Datum Reate, III Kalend. Febr. anno X.

292.

***H**onorius III papa Friderico Romanorum imperatori [Henricum] regem Cypri aetate minorem commendat.* *1226, Febr. 17.*

Hon. III Reg. Vol. V, 111; Lib. X, 209. Potthast, Reg. 7531.

Friderico, illustri Romanorum imperatori semper augusto et regi Sicilie.

Quoniam sedes apostolica pia mater curam tenetur specialiter gerere pupillorum, karissimum in Christo filium nostrum . . illustrem regem Cipri, cum pupillus existat nosque ipsum sincere in Domino diligamus, serenitati tue duximus commendandum, imperialem mansuetudinem attentius rogantes, quatinus, cum honori tuo non parum

1) *Pelagius.* 2) *Praecipit, ut ipsum diebus festis solemni ritu fidelium communione depellant ac principatum sacris interdicant. Rayn.*

conveniat eum a te favorabiliter confoveri, pro nostra et ecclesie Romane reverentia ipsum habeas propensius commendatum, ita quod idem dilectionem et gratiam tuam sentiat in effectu et a nobis et aliis tua ex hoc commendari possit merito celsitudo.

Dat. Lateran. XIII Kal. Mar. [anno decimo][a].

293.

Honorius III papa de Echternach et de Luxemburg abbatibus et priori Luxemburgensi scribit, quomodo in causa, quae inter capitulum Leodiense et commune Metense de destructione villae de Maideres vertatur, procedere debeant.

1226, Febr. 18.

Hon. III Reg. Vol. V, 115; Lib. X, 214.

. . Esternacensi et . . Luxeburgensi abbatibus et . . priori Luxeburgensi Treverensis diocesis.

Cum causam, que inter dilectos filios capitulum Leodiense ex parte una et commune Metense ex altera super destructione ville de Maideres vertitur, ad nos ab audientia dilectorum filiorum . . abbatis Sancti Martini Treverensis et coniudicum eius per appellationem delatam, vobis duxerimus committendam, dictum commune ad sedem apostolicam appellavit. Quare Ulricus procurator ipsius communis ad presentiam nostram accedens et varias proponens causas gravaminis, petebat eandem causam aliis delegari. Cui se Lamberto procuratore capituli opponente, utrique dilectum filium nostrum I[ohannem] tituli Sancte Praxedis presbyterum cardinalem concessimus auditorem, coram quo dictus Ulricus proposuit, quod ipse videns quandam interlocutoriam a vobis contra ius latam, videlicet quod salva questione expensarum, que petebantur a vobis, procederetis in negotio principali, per quam erat dictum commune gravatum, sedem apostolicam appellavit. Aliam quoque causam gravaminis intendens adicere dixit, quod cum cives Metenses non auderent exire civitatem Metensem et timerent accedere Treverim, tum propter guerras tum propter alias inimicitias capitales, petierunt a vobis locum sibi assignari securum, set vos noluistis nisi Treveri assignare. Adiecit insuper idem, quod cum eis quadam die sabbati fuisset terminus assignatus, et partes tunc in vestra presentia comparerent, ipso parato in causa procedere, vos in sequentem diem lune terminum prorogastis in ipsius communis dispendium et gravamen, presertim quia procurator capituli erat mansionarius Treverensis, ipse vero inde valde remotus. Addidit etiam, quod cum magister Theodoricus Treverensis canonicus esset advocatus partis alterius, et alii canonici Treverenses sint concanonici Treverensis prepositi, qui est Leodiensis archidiaconus, vos, eodem procuratore contradicente ac penitus inhibente, ipsos pro assessoribus habuistis, quamquam idem vellet, ut assumeretis alios idoneos assessores. Aliam preterea causam gravaminis allegavit, videlicet quod cum tam dicta interlocutoria quam quedam alia iudicii acta in iudicio scripta fuissent, dum idem ea de concessione vestra transcriberet, advocatus dicti capituli eadem sibi abstulit in vestra presentia violenter, et cum peteret a vobis, ut ea sibi restitui faceretis, vos id efficere denegastis. Hiis etiam addidit, quod si quando a vobis aliquid fieri vel interlocutoriam dari petebat, vos quicquid dicebat advocatus partis alterius, quasi pro lege

[a] anno decimo *deest in R.*

tenentes, nil nisi quod sibi placebat dicere vel facere audebatis. Subiecit etiam, quod procurator ille communis Metensis, qui consensit in vobis, fuerat, ut dicitur, pecunia recepta corruptus, quare non tenebatur sub vestro examine litigare. Idem demum aliud gravamen expressit, scilicet quod cum quedam attestationes publicate sigillate forent sigillo tuo, fili abbas Luxelburgensis, tu, abbas Esternacensis, ea sigillare ob hoc solummodo denegasti, quia advocatus capituli contradixit. Quare appellationem suam iustam ex tot causis gravaminum astruens, petebat causam aliis iudicibus delegari. Lambertus vero procurator capituli litem contestando respondit, quod non credebat huiusmodi causas gravaminum ex parte communis coram vobis fuisse propositas vel ob eas partem alteram appellasse, nec credebat eas sufficientes esse vel veras, set si que fuissent, constat tamen ab eis fuisse recessum. Quare idem procurator petebat dictum comune in expensis legitimis condempnari, et processum vestrum et priorum iudicum, ad quos partes decrevistis per interlocutoriam remittendas, auctoritate apostolica confirmari, et nichilominus in negotio principali procedi secundum priorum continentiam litterarum. Cum igitur dictus cardinalis hec et alia, que coram eo fuere proposita, nobis fideliter retulisset, quia, licet quedam appellationis cause legitime viderentur, constitit tamen ab ea fuisse recessum, causam ad vos duximus remittendam, per apostolica scripta mandantes, quatinus in eadem causa iuxta priorum litterarum continentiam ad vos directarum ratione previa procedatis; nullis litteris obstantibus preter assensum partium a sede apostolica impetratis. Quod si non omnes —.

Dat. Lateran. XII Kal. Martii. [anno decimo][a].

294.

Honorius III papa abbati et conventui Virziliacensi scribit de ordaliis.

1226, April. 9.

Hon. III Reg. Vol. V, 113; Lib. X, 198.

. . abbati et conventui Virziliacensi[b][1].

Cum monomachie[c] ac ferri candentis et aque ferventis iuditium reprobetur secundum canonicas sanctiones, eo quod temptari Deus in huiusmodi videatur, ut non nisi per testes idoneos et alias probationes legitimas pro vel contra homines vestre iurisdictioni subiectos aliquid probari valeat, auctoritate presentium districtius inhibemus. Nulli ergo — inhibitionis —. Si quis —.

Dat. Lateran. V Idus April. anno X.

295.

Honorius III papa [Henrico] archiepiscopo Mediolanensi et [Alberto] episcopo Brixiensi concedit potestatem moderandi poenam civibus Brixiensibus inflictam.

1226, Mai. 6.

Hon. III Reg. Vol. V, 123; Lib. X, 257.

---

a) anno decimo *deest in R.* b) Virzil *R.* c) monomarchie *R.*

1) *Vezelay in diocesi Augustodunensi.*

. . archiepiscopo Mediolanensi et . . Brixiensi episcopo.

Cum reconciliationem civium Brixiensium, qui olim pro hereticis pugnando vel domos suas armando contra catholicos excommunicationis laqueum incurrerunt, nec non penam propter hoc infligendam eisdem providentie vestre duxerimus committendam, et communitas Brixiensis pro moderatione ipsius pene vobis supplicare dicatur humiliter et instanter, asserendo id maxime facere ad sue civitatis tranquillitatem et pacem, moderandi penam ipsam, prout expedire videritis, ita tamen quod ipsius pene facilitas audaciam non possit tribuere delinquendi, presentium vobis auctoritate concedimus potestatem. Quod si non ambo etc. alter vestrum.

Dat. Lateran. II Nonas Maii, [anno X][a].

296.

Honorius III papa Friderico Romanorum imperatori scribens vehementer de eo conqueritur, quod ecclesiam Romanam diffamare nitatur, cuius beneficia erga eum diffuse enumerat; contra autem violentias eius erga episcopos regni, perfidiam erga Thomasium de Celano ceterosque comites, ingratum in socerum animum, patrimonii beati Petri iniquam aggressionem exprobrat, monens ne illum prospera seducant et a debita devotione amoveant.

1226, initio mensis Maii.

Hon. III Reg. Vol. V, 124—126; Lib. X, 262. Pertzu exemplar [R] supplevimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1226, § 3—13[r]; contulimus hanc epistolam cum editione ap. Huillard-Bréholles, Hist. dipl. Frid. II, t. II, p. 588 [H.B].

Potthast, Reg. 7581.

Friderico, Romanorum imperatori semper augusto et regi Sicilie.

Miranda tuis sensibus nostra venit epistola, ut scripsisti, sed mirabilior tua nostris. Sane si nostre pagine verba iusto librasses examine, si litteram ad rivalem sensum, postposito coniuge, non traxisses, interpretis non suspecti iudicio invenisses in illis, unde spirituali patri tenereris et matri. Tue quidem tenor epistole continebat, quod preter omnium opinionem et consilia principum, ut tuis verbis utamur, te invenimus ad beneplacita nostra paratum, ita ut nullus predecessorum tuorum ullis retro temporibus recolatur adeo ecclesie fuisse devotus. Sed de principibus non aliter ex his verbis informabimus animum, quam probabilis credulitas habeat facti experimento probata, de quibus apostolice sedis constantia recte opinionis iudicium sinistre suggestionis instantia non mutabit, cum facta preferenda sint dictis, et certa preiudicent positivis. Ecce de archivio ecclesie munimenta publica prodeunt, que sigillorum pene omnium principum munita signaculis[1] opinionem repudiant, quam forte videris ingerere contra illos, eo quod veresimilitudo non recipit tantos et tales viros excellentie tue dedisse consilium contrarium scripto tuo et ipsorum signato sigillis. De predecessoribus autem tuis, si aliquid certius maior dedisset expressio, metiremur in illis, quid in te sperare possemus, quoniam, si ad proximos sanguinis scribentis refertur

[a]) anno X *deest in R.*

1) *Alludit papa litteris principum imperii datis Frankenfort in solempni curia, 23 Aprilis 1220.* H. B.

intentio, modicum devotionis sufficiet, ut eos comparatione precedas; si tamen comparatio gradum inveniat, ubi vix pervenit positivus. Quod si ad illos predecessores intellectum patiaris extendi, qui fide preclari, caritate ferventes, devotione sinceri, sibi et subditis proficientes, verbo pariter et exemplo ecclesiam multis libertatum privilegiis munierunt multarumque largitionum liberalitate ditarunt, illis si placet in his se magnificentia tua non preferat, sed consideret potius, si affluentia talium illorum metas attingas. Discutiat, quesumus, viri prudentis ingenium, si merito titulum tibi multe devotionis assumis, dum beneficia matris ecclesie revocare conaris in dubium, tanquam si unius possint inficiatione celari que multorum notio publicat, et singularis assertio reddat ambigua que universalis notitia manifestat. Porro illa ingratitudinis species, qua beneficia percepta negantur, aliquid turbationis consuevit afferre; sed illa maioris doloris habet aculeos, qua in bono malum presumitur et odium in dilectione notatur. Circa tutelam quoque tui, a clare memorie imperatrice Constantia regina Sicilie apostolice sedi relictam, a beneficiorum gratia excipis, si tutele sit debito satisfactum, eo quod fas inducebat ut fieret, et nefas si deficeret notaretur. Verum cum nullus necessitatis articulus tunc urgeret ecclesiam, ut in te, qui eras omni suffragio destitutus, onus non leve susciperet tutele, susceptio, que a gratia sumpsit exordium, habere te debuit de prosecutionis debito non ingratum, saltem ut tutrici notam non solum suspecte sed etiam fraudulente administrationis nonitereris impingere, dicens quod ecclesia nomine defensorum hostes immiserat[a] Apulie. Habebat preterea diffamationis adiectio, quod quem tutrix ecclesia debuit promovere, deiecit, erigens in paterna sede hominem alienum, qui non contentus imperio ad regnum nihilominus aspiravit. Et quidem non id hactenus habuit tua confessio, non id usque nunc continebat tuarum series litterarum, quibus post Deum totum ascribebas matris ecclesie studio, totum attribuebas eiusdem nutricis laboribus quicquid eras, et etiam quod vivebas. Unde igitur istis tam contraria, tam novella processit opinio? Unde presumptio tam adversa, tam repentina prorupit? Si enim frequens missio litterarum comitem conscientiam mittentis habebat, cum nulla subsecuta sit causa nove scientie, neque scientia nove cause cur calumniose impingitur, quod evidentia facti repudiat? Cur sub quodam involucro duplicitatis infertur, quod veritatis simplicitas non admittit? Quod si scripta premissa destituta erant credulitate scribentis, tua circumspectio colligat, que de istis illatio subsequatur. Suntne ista subsidia, que promittebas ecclesie, si necessitas immineret? Est hic retributionis affectus, quem offerebas, si gravamen occurreret? Non id mater expectavit a filio, non id tutrix[b] sperare debuit a pupillo. Ha Deus, que in tali filio aliis spei reliquie relinquuntur, si mater tam diligens desperare cogatur? Ha Deus, que de tali pupillo fragmenta favoris ceteri colligent, si tutrix[c] tam utilis iaculis detractionis impetitur? Ha Deus, quot et quantos labores amisit ecclesia, si palmes, quem multo sudore plantavit et coluit, in amaritudinem vitis convertitur aliene, cum sit minoris dispendii nullos fructus producere quam nocivos. Oh, quam uberes lacrimas, quam amaras felicis recordationis predecessor noster Innocentius pro te fudit! Oh, quanta sollicitudine laboravit, ut te a nocentium eriperet manibus, insidiantium laqueis liberaret, et quasi de mortis faucibus extorqueret! Ecce, quid retributionis eidem imperialis liberalitas afferat! Ecce, quid regalis magnificentia recompenset, dum pupilli vite insidiator occultus dicitur et bonorum tacitus spoliator! Recogita, recogita, fili karissime, ac infra claustra pectoris frequenti meditatione revolve, quam parvum quamque depressum te ille summus pontifex post obitum matris accepit, et quam grandem, quamque promotum in sua morte reliquit.

---

[a]) immiserat palliatos, qui ad perdendam animam pueri festinarent et pupillo suo eriperent regnum pariter et coronam. *H.B.* [b]) nutrix *r.* [c]) nutrix *r.*

Porro, ut credimus, tenelle infantie nondum finem attigeras, cum impius Mercualdus, tui nominis detractor perfidus avidusque tuorum invasor, regni Sicilie metas aggressus ultraque manus invasionis extendens, Montem Casinum obsedit[1] et insultibus multis impetiit, exercens sui robur exercitus ad speratum exterminium captionis. Sed in hoc ecclesie sollicitudo non defuit, que per duos cardinales cum multis militibus et expensis non modicis efficacem manum auxilii porrexit obsessis, vires invasoris debilitans et conatus obsidentis elidens. Cumque obsidionis exitus exultantis non responderet affectui, et prorogata spe defensionis ad alios resistendi animum resumerent convicini, se iniquus ille in Siciliam transtulit, ut ibi, si de persona regis desiderii sui finem attingeret, ad regni fastigium sine difficultatis obstaculo perveniret. Sed nec ibi protectionis solite dexteram subtraxit ecclesia, mittens illuc bone memorie C[ynthium] tituli Sancti Laurentii[a] presbyterum cardinalem, nobili viro comite Iacobo[2] consobrino predicti predecessoris nostri multis associato militibus in tui subsidium nihilominus destinato. Alius etiam cardinalis tibi postmodum extitit deputatus, qui tuis utilitatibus non remissus ibi diem clausit extremum, consequenter alio substituto, ut sollicitudinis debite plenitudo circa tue persone custodiam non deesset. Interea Diopuldi malitia longe lateque diffusa sic se per partes Apulie ac Terre Laboris extenderat, tantumque receperat incrementi, quod obtenta de P[etro] quondam comite Celani victoria[3], pro maiori fere parte homines regionis suo applicabat arbitrio suoque dominio addicebat, in aliquos sicut poterant resistentes eo crudelius debachando, quo minus de paucorum et humilium timebat repagulo, qui de multorum et sublimium viribus triumpharat. Cumque in partibus illis non haberet ecclesia quem erigeret contra illum, multosque sumptus amiserit in hominibus regionis, que pro te iam fecit expensas multorum milium unciarum, recepto ad opus tui a G[ualtero] comite quondam Brenensi[4] fidelitatis publice iuramento, ipsum misit in regnum, ut per eum elati confringeret cornua inimici. Nunquid huic[b] fuit commissum perdere puerum? Nunquid huic[c] fuit creditum spoliare pupillum? De throno Dei sententia prodeat, et virtus Altissimi rectum iudicium operetur, si adversus ecclesiam tuam excellentiam decuit talia credere, si debuit ex his concepta credulitas in partum prodire huiusmodi, ut verbis et scriptis exposita[d] in publico compareret. Sed forsan hoc divina providentia voluit, ut habeatur in posterum cautela securior ex proviso. Circa hominem siquidem alienum, quem in sede patris tui, si tamen patris sedes dici debeat, que non successionis sed electionis iure defertur, erectum fuisse[e] predixeras, tua utinam[f] adversus ecclesiam substitisset invectio, eo quod veritas negata de publicis minus relinquit fidei de occultis. Nullum enim angulum latet imperii, quod imperatore Henrico defuncto quidam olim Philippo quondam duci Suevie, ac[g] Othoni postmodum imperatori divisis voluntatibus adheserunt. Et licet idem Philippus nomen tuum primo pretenderit, ad se postea convertit negotium, sic illud[h] succedentibus prosperis suis utilitatibus applicans, quod non iam de iure dubitabat imperii sed spem ad occupationem regni Sicilie prorogabat, L[upoldum] quondam Wormaciensem episcopum[5] ad hoc mittens. In his etiam tuo subsidio apostolice sedis providentia non defecit, sic illi per memoratum C. cardinalem et nonnullos vasallos ecclesie resistens in Marchia, quod conatus contrivit adversos et interdictus est hostibus etiam ad primos regni fines accessus. Philippo tandem sublato de medio, Othoni, quem omnium principum roborata consensibus presentabat electio,

a) Laurentii in Lucina *H.B.* b) hoc *r.* c) hoc *r.* d) exposita authenticis *H.B.* e) fuisse per ecclesiam *H.B.* f) prudenter *r.* g) quidam *H.B.* h) illum *r.*

1) *Initio 1199; cf. Schirrmacher, Kaiser Fried. II, t. I, p. 17.* 2) *Agitur de Iacobo Consiliari dicto, Andriae postea comite.* H.B. 3) *1200, mense Iunio.* 4) *De eo cf. Schirrmacher, p. 22 et sequ.* 5) *cf. Schirrmacher p. 28 et sequ.*

nec expedivit nec licuit diadema imperii denegari, qui procul dubio, ut scripsisti, subito factus ingratus, tergum non faciem vertit ecclesie, immemor receptorum beneficiorum[a]. Sed quamvis eam multis provocarit offensis, dissimulabat illas utcunque misericordis ecclesie patientia consueta. Sed postquam ad tuam prorupit iniuriam, in te quasi in pupilla oculi tactum contrarium ferre non potuit, multas vias excogitans, quibus pleno remedio suo posset subvenire minori. O quam proximus eras periculis! O quam paratus ad casum! Quapropter invocavit ecclesia illius auxilium, qui superbis (Iac. 4.6.) resistit et dat humilibus gratiam, qui imperat mari et ventis, et cessat tempestas; qui (Matth. 8.26) deponit potentes de sede ac ponit humiles in sublimi. (Iob. 22.29.) Invocavit etiam principum corda fidelium, pusillos et magnos sollicitans, ut ei ad tui relevationem collapsi manum porrigerent adiutricem. Obstitit tandem divina potentia ingrati conatibus, faciens in te cum ecclesia signum in bonum, ut elato cadente tu surgeres et potente debilitato tu posses. Arguit enim illum sua malitia, suaque aversio increpavit, quoniam iusto Dei iudicio propria perdidit, qui avare cupiverat aliena: et tu, cui regni tui vix extrema remanserant, illius omnino imperium obtineres. Hec utique salutis remedia cum auxilio principum, divine providentie virtute preambula, tibi providit mater ecclesia, talia beneficia puero contulit et adulto. Quid ultra tibi facere potuit, et non fecit, de contingentibus nil omittens, et ea etiam ad que non tenebatur adiciens? Miramur autem, quod in his tuos labores commemoras, dicens te dubii casus facta secutum, qui vocatus ad certa, laborantibus aliis, in labores alterius introisti, metens que non seminasti, et colligens proculdubio que non sparsisti. Denique in[b] defuncti fatigata persona, nostram tua non preterivit invectio, minus diligenter considerans quod nos, qui predecessori predicto, quoad utilitates tuas, affectione plenaria succedentes, ad tui consummationem honoris patenter astitimus et potenter, nostro in multis detraximus, ut tuo adiceremus honori, facti quodammodo fame nostre prodigi, tue parci. Sed pro istis et aliis hac nobis retributione respondes, quia dicis ius regibus Sicilie in electionibus prelatorum, sicut asseris debitum ex antiquo, nostris constitutionibus minorari. Verum si scripta tua et genitricis tue manu sollicitudinis revolvisses, si sanctorum etiam patrum constitutiones adverteres, non culpares ecclesiam circa defensionem ecclesiastice libertatis, cum non debeat de prosecutione morderi[c] iustitie, qui contendere nititur de abusu. Asseris insuper nos preter formam communiter requisitam, te inconsulto, quibusdam ecclesiis regni vacantibus prefecisse personas. Sed que sit illa forma nescimus, que pro certo nimis esset informis, per quam apostolice sedis iudicium ex tue voluntatis arbitrio dependeret. Non tamen intendimus promovere suspectos, dummodo non ultra notam suspicionis extendas, quam rationis tramites patiantur. Tarentinum post hec archiepiscopum[1], quem apud te quasi a summo gratie in profundum odii casus repentini mutatio sic deiecit, ut qui paulo ante quasi cor unum et anima una cum principe censebatur, subito fur, subito proditor, subito tui sanguinis dictus sit obtrectator, non excludimus a responso, mirantes quid[d] in illum expetas ultionis, quem per bonorum[e] subtractionem suorum et interdictum sue sedis accessum contra fas[f] et licitum tui prosecutor arbitrii iam punisti, pena preveniente iudicium et executione non expectante libellum. Set forsitan est qui dicat, quod dum sua placuisse creduntur, ipse displicuisse videtur. Cathaniensem episcopum[2] non duximus obmittendum, cuius prodigalitate totum regnum dicis esse corrosum, si tamen in totum processit corrosio, unde tot remanserunt reliquie corrodende? Hic si merces servitiis, si fructus laboribus, si meritis premium responderet, aliud pro

a) beneficiorum *deest r.* b) in *deest r.* c) mordere *r.* d) quod *R.* e) bonorum *deest R.* f) fax *R.*

1) *Nicolaum.* 2) *Walterum de Palearia.*

certo reciperet, quam solvatur, pro quo quid nobis apud Ferentinum[1], quid fratribus nostris apud Sanctum Germanum[2] magnificentia tua promiserit, non ignoras. Deinde Cephaludensis episcopi[3], contra quem sanguinem occisorum asseris clamare de terra, nec vita nec spoliatio sub nube tegatur, ut de ipso post restitutionis debitum iustitie satisfiat, nec movemur, si super hoc ad lacrimas et querelas tuorum fidelium forte, sicut asseris, movearis, dummodo in illum, qui suo domino stat aut cadit, non processeris ad vindictam, prius[a] in castrum ecclesie ac bona eius manu occupationis extenta, quam querelam delatio iusta perferret ad examen iudicis competentis. Quapropter non inferas, ut apud nos ille meruerit, unde apud te demeruisse videtur, set tamen non ignores, quod si pro iustitia spoliate stetit ecclesie, licet apud te propter hoc demeruisse credatur, apud nos, qui sumus et esse tenemur iustitie zelatores, sibi meritum comparavit. Tandem concussis columpnis ecclesie, prelatis videlicet, inferioris gradus et ordinis clericos rigor tui gravaminis atterit, et quasi aliorum velis supplere defectum, pretendis negligentiam prelatorum, quamvis superioris sedis non desit auctoritas, que crimina diligenti examinata iudicio et iudiciali examine cognita tanta censura percellit, quod pene districtio culpe interdicit exemplum et vindicte severitas esse poterit aliis limes offense. Quia vero Dei cause deesse non possumus nec debemus, super omnibus istis et aliis contingentibus ecclesiasticam libertatem sic divina suffulti potentia debitum nostri prosequemur officii, quod Deo pro posse satisfacientes et homini, in hoc geremus utiliter negotium nostre salutis et tue, cum deferre homini contra Deum presertim in talibus sit nocere, ac parcere sit sevire: Thren. 4 10. manus enim mulierum misericordium filios decoxerunt: sed habeat vera dilectio plagas suas, que dulciores fiunt, cum amarius inferuntur. Adiecisti preterea, quod post reditum tuum in regnum Sicilie, redintegratis iuribus[b] tuis pro temporum varietate dispersis, exclusis rebellibus, ecclesia contra matris officium suspectos filii receptavit. Et quidem de iurium[c] redintegratione gaudemus: et utinam redintegrantis affectio sic debitis fuisset contenta limitibus, quod a iustitia recuperationis in suis, in alienis ad usurpationis iniuriam non transisset, quia preter id quod in die novissimo districti iudicis ultione reddetur, consummari felicibus substantia non consuevit eventibus, augmentis non aggregata legitimis, quinimmo grandis acervus inficitur partis adiectione corruptae. Super exclusis responso supersedere possemus, nisi alicuius iudicio crederetur retardatum silentium repetitam iustificare querelam. Sed ut videmus, quod hactenus respondentis dissimulatio distulit, nunc extorquet instantia conquerentis. A memoria quoque tua excidisse non credimus, quod comiti Thomasio, Raynaldo de Aversa et fautoribus eorundem, antequam castra, que viribus obtinere nequiveras, resignarent, inter alia, que publica et autentica sunt conventione notata, venit expressius personarum securitas in promissum, et ut id robur firmitatis haberet, nos et universos fratres nostros rogasti per nuncios et litteras speciales in testimonium reservatas, ut Romana ecclesia super se[d] secure ac confidenter reciperet, quod inviolabiliter promissa predictis attenderes et plenarie conservares[4]. Sed utrum verbis facta responderint fidesque promissis, plus quam deceat sedis apostolice ac excellentie imperialis honorem, afflictionibus publicis et penis manifestis exponunt nonnulli de fautoribus comitis memorati, quorum multos post speratam de securitate fiduciam dedisti exilio et quosdam ignominiosa morte damnasti[5]. Proinde possumus non immerito formidare, ne nostra patientia in predictis vere patientie nomen amiserit et effectum. Quare non credas id oblivioni esse relictum, licet sit hactenus dissimulatione

a) *ita emendavimus:* primo *r.* b) viribus *r.* c) virium *r.* d) se *deest r.*

1) *1225. mense Martio.* 2) *1225. Iul. 25.* 3) *Harduini II.* 4) *Cf. n. 221, 222, 223 et Winkelmann, Fried. II. p. 179.* 5) *Cf. Winkelmann, p. 198.*

suspensum: sed quod in similibus inferiores pro te promittere debeant, de specula poterunt eminenti recipere speculum et exemplar. In quo quantum auctoritati sedis apostolice sit detractum, que ipsos ad precum tuarum instantiam sub sua securitate recepit, satis intelligunt, qui rem sciunt. De comite vero Matheo[1], quem apud te in subtractione suorum Terre Sancte servitium, crucis et crucifixi reverentia non defendit, comiteque Rogerio[2] quondam capto, ut nosti, et postmodum liberato, ut scimus, nec non et quibusdam aliis, qui ad Urbem et loca confinia a persequentis facie confugerunt, conquiescat de cetero conquestio principis excellentis, ne siccam stipulam persequi, et contra folium, quod a vento rapitur, suam monstrare potentiam videatur. Iob. 13,25. Hec quippe a Iulii Cesaris gestis non elicis, qui Domitium[3] pene avidum et venie contemptorem vite servavit invitum, et Metellum se gladiis offerentem ira tanti principis reputavit indignum. Certe in Israelitico populo civitates erant refugii[4], et urbem ad refugium Christianus populus non habebit? David recursus erat oppressis, et summus pontifex, David magni vicarius, avertet faciem ab afflictis? et utique non, cum nulla molestia tibi per illos inferatur et tuis, nisi velis id dumtaxat ferre moleste, quod vivunt. Ad hec de viro egregio socero tuo[5], si ad nostram pervenisset notitiam, quod de iis, que tibi facere debuit, omisisset, nostra eum non preteriret monitio, quem tibi desideramus acceptum et te illi potissime gratiosum. In quo movet multorum corda miratio, quod cum consueverint alii crescere ex affinitate maiorum, iste non sine multorum scandalo, non sine Terre Sancte dispendio, non sine tui nominis lesione decrevisse videtur. Et quidem his similia magnificorum principum gesta non continent, sublimium mores ignorant, liberalium largitas non acceptat. Non sic illius terre procuratur utilitas, non sic ad eius subsidium bellatores strenui advocantur. Super quo tibi onera gravia et importabilia nos asseris alligare, que digito nostro movere nolimus, non attendens quod iam pluribus annis elapsis ultro te istis oneribus subiecisti, spontaneus in Theutonia signum crucis assumens, non attendens quod crucifixi gerendo negotium, onus non leve tulit ecclesia in ecclesiasticorum decimatione proventuum, non attendens quod per fratres nostros et alios predicatores multi potentes et nobiles, magni et parvi se crucis obsequio devoverunt. Pro mercatoribus autem Romanis excellentie tue frequenter scripsisse meminimus, sicut dicis; sed cum per hoc ius suum non assequantur, ut asserunt, non debet illis in sua iustitia ecclesiastica censura deesse. De vasallis quoque patrimonii, de quibus prout placuit rescripsisti, quid[a] iuris imperiali[b] excellentie competat, tuorum et predecessoris tui privilegiorum inspectio protestatur. Quod si preter debitum a nobis in illis aliud pro Terre Sancte subsidio petiisses, sicut decuerat, formata petitio ad exauditionis gratiam introisset. Provideas tamen, ut advocatie vocabulum, frequenter tuis litteris repetitum, tua, si placet, non protrahat interpretatio in abusum, quoniam cum advocatus ecclesie idem intelligi debeat quod defensor, si defensoris omittis officium[c], nomen improprie retines advocati. Quod satis in Arenata et castris aliis quorundam nostrorum fidelium ostendisse videris, que detines contra iustitiam occupata; post illatam violentiam, post commodum possessionis adeptum, factus de petitore possessor, offers conquerentibus te ius in tua curia redditurum. Super quo, si qua nova iura sint condita, in publicum prodeant, cum id non patiantur antiqua. Quia vero non est abbreviata manus Domini, Es. 59,1. ut non possit sublimitatem incurvare hominum et altitudinem humiliare virorum, nunc, Es. 2,17. cum felicium tuis votis successuum splendor illuxerit, in sereno humilitatem non

a) quod r. b) imperialis r. c) effectum r.

1) *Hunc esse suspicamur comitem Mace d' Alesne (de Alesina?)* H.B. 2) *de Aquila, comite Fundano, cf. Rycc. de S. Germ. Chron. a. 1223 et 1224, et H. B. t. II, p. 427.* 3) *Bellum civile I. 23.* 4) *Num. 35, 6.* 5) *Iohanne rege Hierosolymitano; Winkelmann, p. 193 - 194.*

deseras, quam in nubilo pretendebas. Speramus itaque, quod viri tam discreti memoriam nunquam sic ad exinanitionem[a] deducet oblivio, ut omnino in vitium ingratitudinis incidat, quod reprehendit in emulo, et culpam, quam damnat in hoste, committat. Non ergo seducant te prospera, quem instruxisse debuerunt adversa, cum fuerit Pharaonis pincerna[1] notatus, eo quod succedentibus prosperis sui est oblitus interpretis, et lex nobilitatis id habeat, ut nobilium mentes excelsa non elevent et infima non demittant. Quapropter, fili karissime, probatis apostolice sedis affectibus nullius suggestio te subducat, que, nisi obstaculum nimie indevotionis impediat, a te dexteram beneficiorum non subtrahet et dulcedinis ubera non abscondet, cum non sit verisimile, quod animi ferventis affectum ab illo de facili velit avertere, quem multo labore fovit impuberem, multaque sollicitudine promovit adultum[2].

Dat. Lateran.[3].

297.

Honorius III papa [Henrico II] episcopo et praeposito et decano Wormaciensi scribit de causa, quae inter Sophiam abbatissam et Bertradam praepositam Quedlinburgensem versatur, et de arbitrio a Conrado episcopo Portuensi in hac causa facto, cuius tenorem epistolae inserit; iis rem terminandam committit eosque docet, quomodo procedere debeant; cf. n. 258. *1226, Mai. 30.*

Hon. III Reg. Vol. V, 131—133; Lib. X, 289.

. . episcopo, . . preposito et . . decano Wormaciensi.

Oblata nobis olim dilecte in Christo filie . . abbatisse Quindeliburgensis monasterii petitio continebat, quod quidam vassalli et ministeriales eius cum quibusdam aliis complicibus suis Halberstatensis diocesis muros, quibus ipsum muniebatur monasterium, et illos, quibus claustrum ambiebatur eiusdem, destruere presumpserunt, alias ei dampna gravia et iniurias inferentes, B. quoque predicti loci preposita, que ter electa de facto fuit in eiusdem S. preiudicium et gravamen, terque pro abbatissa in eodem monasterio se intrudens et amministrationi se temere ingerens, quedam bona ipsius monasterii simili temeritate infeudare presumpsit. Quare nos venerabili fratri nostro . . Magdeburgensi archiepiscopo[4] et coniudicibus suis litteras sub certa forma direximus inter cetera continentes, ut electam ad resignandum universa, que de bonis haberet monasterii, coartarent, facerentque de predictis dampnis et iniuriis satisfactionem ab illa[b] congruam exhiberi. Quod si reperirent abbatissam infamatam esse apud bonos et graves de dilapidatione ac aliis, super quibus ad venerabilem fratrem nostrum C[onradum] quondam Alberstatensem episcopum et eius collegas a nobis obtenta fuerat inquisitio contra eam, in inquisitionis negotio procedere procurarent. Nuper vero relatum est nobis, quod cum abbatissa eadem adierit ad venerabilem fratrem nostrum C. Portuensem episcopum, apostolice sedis legatum, et supplicarit eidem, ut moneret dictum archiepiscopum et eius collegas ad mandatum apostolicum exequendum, in cuius executione fuerant negligentes, legatus per se ac alios, ut in ipsum super hiis compromitterent, requisivit, licet super dilapidationis

a) examinationem r. b) illo R.

1) Gen. 40 et 41. 2) De humili imperatoris responsione cf. Winkelmann, p. 208, not. 3. 3) additum est in copia (in prioribus septimanis mensis Maii anni decimi). 4) Alberto.

articulo et excessibus aliis in inquisitione contemptis non decuerit compromitti. Que cum ad hoc induci non posset, idem, ea ignorante, de ipsius hospitio privilegia libertatis monasterii, que habebat, et quasdam cum eis litteras apostolicas sibi fecit afferri; quas litteras cum ipsa intellexisset incisas, de interversione dictorum privilegiorum plurimum, sicut poterat, metuens, cum metus huiusmodi caderet in constantem, eiusdem se submisit arbitrio, quod se iuravit etiam servaturam; sicque nec certa nec super certis compromissione facta, in multis est in enormem lesionem monasterii arbitrium promulgatum. Per illud enim abbatissa tenetur renuntiare querelis et dampnis illatis a quolibet predictorum, et omnia debita electe et ecclesie, quocunque modo contracta sint, et expensa post ipsius eiectionem electe, terminis solvere assignatis; debent etiam possessiones obligate ab ipsa quocumque modo, sive sint preposíture vel monasterii, apud illos, quibus obligate noscuntur, donec abbatissa eas redimat, remanere, ac concessiones feudorum et alia electe ipsius facta circa vassallos et ministeriales inconcussa servari. Que utique, sicut fuit nobis propositum, tenere non debent, quoniam non videretur a dilapidatrice abbatissa distare, si dilapidationem bonorum sui monasterii sustineret, et per impunitatem, que ex renuntiatione huiusmodi proveniret, magis redderentur predicti et alii contra prefatum monasterium insolentes, ac intrusa, cum repulsa debuerunt eius acta repelli, melioris conditionis existeret, quam sint prelati canonice instituti, ad quorum debita non tenentur ecclesie, nisi constaret pro ipsarum utilitate contracta, favorem etiam inveniret ecclesiasticorum bonorum alienatio a iure prohibita, sub qua obligatio continetur, et ministeriales et vassalli tante prerogative viderentur existere, ut in eis esset licitum, quod in aliis non liceret. Tenetur quoque abbatissa per ipsum arbitrium advocatiam et omnia feuda, que comes Hoierus[a] tenet a monasterio, et que debent ad illud, cum prolem non habeat, ipso comite decedente devolvi, comiti Octoni eiusdem comitis Hoieri[a] nepoti concedere, ut sic de bonis monasterii cogatur in eius preiudicium existere liberalis. Habetur insuper in arbitrio, ut non incastelletur Quindeliburgense castrum, et super hedificiis et munitionibus non impediat abbatissa dictum comitem Hoierum[a] et burgenses, cum iidem per castrum, odientibus pluribus formidine pene quam virtutis amore peccare, calcaneum contra monasterium erigere ac ei sua iura subtrahere terreantur, et per munitiones et edificia facile presumerent cum monasterio de pari contendere ac contra ipsum etiam rebellare. Preterea cum nichil extra compromissum ab arbitro fieri valeat, inquisitores perpetui conservaturi predicta deputati sunt per arbitrium memoratum, per quos, si abbatissa reperiatur aliquem de predictis articulis non servasse, cadat a dignitate sua, nisi prius satisfaciat, quam ipsi a loco recedant, et conventus statim eligere aliam teneatur, quod ad auctoritatem arbitri non spectabat. Continetur nichilominus in eodem arbitrio, quod . . Alberstadensis episcopus dominica in ramis palmarum ad monasterium non nisi cum sexaginta equitaturis accedat inibi procurandus, et quod abbatissa ei unum auri fertonem et candelas temporibus exhibeat constitutis. In quo quidem ipsi monasterio ex eo forsitan, quod est sedis apostolice speciale, specialis gratia facta fuit, ut videlicet procurationem, longe ultra personarum et evectionum numerum in concilio Lateranensi taxatum, et alia, que abbatissa nunquam prius prestiterat, exhiberet. Super quibus subveniri per nos dicto monasterio petebatur, et super aliis expressis in eodem arbitrio, per que non mediocriter ledi dicitur monasterium, provideri. Cum autem eadem abbatissa, etsi voluisset, nequiverit renuntiare indulgentiis et privilegiis libertatis, que monasterium ipsum indicant ad ius et proprietatem Romane ecclesie pertinere, ac prefatum arbitrium ex auctoritate proferentis, quem circumventum fuisse credimus, tanti non

a) Hoier *R*.

sit habendum, quod per illud sustineri debeat, ut status et iura monasterii subvertantur, per apostolica vobis scripta mandamus, quatinus, vocatis qui fuerint evocandi, si tale inveneritis esse arbitrium, quale est transcriptum inferius annotatum, capitula expressa superius, edita in enorme ipsius monasterii detrimentum, irrita nuntietis, alienata taliter et concessa in statum pristinum revocantes, absolventesque, quoad eadem capitula, dictam abbatissam ab observantia prestiti iuramenti, quod in dispendium monasterii et per consequens in salutis sue periculum vergeret observatum; et approbatis illis quibus mandatur, ut exhibeatur abbatisse honor et reverentia, et privilegia et ornamenta ecclesie in sacrario vel in loco solito reponantur, ac prelati ecclesiarum eidem abbatisse obediant secundum probabilem consuetudinem usque ad eius tempora observatam, et quod bona et liberi redditus abbatie non dentur in feudum sive alienentur sine consensu capituli, et ut prelati hospitalitate indebita non graventur, que profecto tanquam honesta et licita volumus inviolabiliter observari, diligenter et sollicite inquiratis super aliis veritatem; et revocantes ea, que redundant in grave preiudicium monasterii, quoad illorum observantiam, iuramentum super hoc ab eadem abbatissa prestitum relaxetis, approbantes cetera nec non et observari firmiter facientes. Ceterum de dicto monasterio paterna, sicut tenemur, sollicitudine cogitantes, presentium auctoritate vobis iniungimus, ut ad illud personaliter accedentes, ei vice nostra visitationis officium impendatis, corrigentes ac reformantes ibidem, que correctionis ac reformationis officio noveritis indigere, contradictores etc. Quod si non omnes etc., non obstante constitutione concilii generalis etc.

Tenorem autem dicti arbitrii presentibus annotari iussimus ad cautelam, qui est talis[a].

Cum nos Conradus Portuensis et Sancte Rufine episcopus, apostolice sedis legatus, legationis officio fungeremus, apud Medegeburg constituti, causam, que inter domnam Sophiam ex una et domnam Bertradem, conventum, vassallos, ministeriales, et cives super abbatia Quindeliburgensi et aliis variis causis ex parte altera vertebatur, et causam, que vertebatur inter Alberstadensem et Quindeliburgensem ecclesias, arbitrio nostro de partium voluntate commissas, de consilio fratrum nostrorum, . . Megdeburgensis archiepiscopi, . . Hildesemensis[1], . . Mesburgensis[2] episcoporum, in eadem causa, que vertebatur inter predictas domnas, iudicum[b] a domino papa delegatorum, et . . Brandeburgensis episcopi[3] et quorundam proborum virorum taliter duximus complanandas. Primo sit plena concordia inter abbatissam et conventum, vassallos, ministeriales, prelatos, clerum et cives de omnibus iniuriis illatis, que contingunt eiectionem vel castri destructionem. Secundo quod eadem abbatissa renuntiabit querele et dampnis, que ei sunt irrogata[c] ab aliquo predictorum. Tertio quod omnia debita electe et ecclesie ad omnes statutos terminos solvet eadem abbatissa, quocumque modo contracta sint et expensa. Hoc autem intelligimus de debitis, que contracta sunt post eiectionem ipsius. Quarto quod comes de Anehalte et alii vassalli omnia feuda sua retineant, que prius habuerunt; similiter ipsa electa et sorores, clerici et ministeriales. Quinto quod omnes, tam ipsa electa quam sorores, prelati et clerici, exhibeant abbatisse reverentiam debitam et honorem. Sexto quod comes Hoierus[d] advocatiam suam retineat cum omni iure et honore, et si homines advocatie preter debitum in aliquo servierint advocato de libera voluntate, de hoc non impetatur ab abbatissa. Item advocatiam ipsam et omnia feuda, que habet comes ab[e] abbatissa Quindeliburgensi, concedat eadem abbatissa comiti Octoni, taliter quod vulgo gedinge

a) *Copiam nostram huius diplomatis cum autographo [A] ap. Erath, Cod. dipl. Quedlinburg. p. 144 contulimus.* b) iudicium *R.* c) irrogata vel ab *R.* d) Hoier̄ *R.* e) ab *deest in R.*

1) *Conradi.* 2) *Eccardi.* 3) *Gernoldi.*

vocatur, et cessabunt omnes offense inter abbatissam et comitem Hoierum et suos, quecumque ante eiectionem abbatisse vel post emerserunt. Septimo quod resignationem bonorum in Cropelrode[a], quam fecit comes H., et donationem, quam fecit electa[b] beato Wipperto, abbatissa ratas habebit, immo dabit. Octavo quod ministeriales ea iura, que habuerunt usque ad tempus abbatisse, retineant. Nono quod possessiones, quas obligavit electa etiam de rebus preposíture sue vel ecclesia quocumque modo, maneant apud eos, quibus sunt obligate, donec redimantur ab abbatissa predicta. Decimo quod clerici, quos electa investivit, retineant de gratia domini legati beneficia, que domina electa contulit eis, nisi forte electa privaverit aliquos suis beneficiis in odium abbatisse. Item concessiones[c] omnium feudorum secularium factas ab electa et alia facta, si qua fecit electa, rata habebuntur ab abbatissa tam in ministerialibus quam in vassallis. Allodium in Balerslem[d] domine electe ad suos usus volumus assignari, si preposituram, quam modo tenet, voluerit retinere. Si autem preposíture renuntiare voluerit, non habebit allodium iamdictum, set totum predium, quod Sina[e] vocatur, cum omni iure suo et pertinentiis omnibus. Quod si predium in Sina[e] obligatum est, illud redimet domina abbatissa infra terminum competentem, et tunc in casu isto preposituram nostre donationi reservamus. Item volumus, ut Octo Pincerna et Bernardus Mor uterque ipsorum tres mansos obtineant in Gera, quos domina Sophia illis porrexit in feudo, set postmodum abstulit ipsis eosdem. Item ordinamus, ut privilegia et ornatus ecclesie reponantur in sacrario vel in loco, ubi consueverunt reponi, custodienda ab hiis, qui consueverunt custodire. Item ordinamus, quod prelati ecclesiarum obediant ei secundum probabilem consuetudinem usque ad eius tempora observatam. Item volumus, ne bona et liberos redditus abbatie cuiquam conferat in feudo vel alio modo alienet[f] sine consensu capituli sui. Item volumus, ne Burchardum de Wulfbut[g] et Cesarium familiares habeat, et volumus, ut ipsorum devitet colloquia et a suis consiliis ipsos separet, nec in procuratione victus et aliorum foveat eosdem. Item volumus, ne castrum Quindelimburgense incastelletur, nec destruat munitiones et muros civitatis factos post abscessum eius vel ante, nec etiam burgenses civitatis in edificatione et in aliis munitionibus construendis[h] impediat. Item volumus, ut monetarios et alios omnes officiatos in sua conventione usque ad statutum terminum permanere patiatur. Item volumus, ne prelatos sibi subditos indebita hospitalitate molestet aut gravet. Si aliquis vel aliqui de conventu vel de vassallis vel de ministerialibus vel civibus asserat, quod abbatissa aliquid de predictis non observaverit, damus super hoc inquisitores . . prepositum Sancte Marie, . . prepositum Williberti[i], . . prepositum Meinardum Halberstadensem et[k] magistrum A.[l] scolasticum Megedeburgensem, ut, cum vocati fuerint, in anno semel veniant ad locum et super premisso vel premissis inquirant diligentius veritatem sine strepitu iudiciorum, et si abbatissa inventa fuerit de predictis articulis aliquem non servasse, nisi satisfaciat ante quam recedant de loco, ipso iure cadat a dignitate abbatie[m], et conventus statim alteram abbatissam eligere teneatur. Quod si non omnes hiis exequendis potuerint interesse, tres eorum vel etiam duo ea niehilominus exequantur[n]. Quibus volumus quod abbatissa provideat in expensis. Quod si forte contigerit aliquem illorum transfretare vel alias proficisci vel debitum carnis exolvere, cum consilio proficiscentis reliqui personam ad hoc studeant eligere, que careat omni suspitione. Predictis vero inquisitoribus adiungimus dominum . . archiepiscopum Magdeburgensem, ut ipsos forsitan discordantes auctoritate

a) Cruppelrod *A.* b) ecclesia *R. cf. Erath, p. 143.* c) concessionem *R.* d) *leg.* Balersleve *ut in A.* e) *leg.* Sman *ut in A.* f) alienent *R.* g) Wlfferbutle *A.* h) construendis *deest in R.* i) *leg.* Wildebrandum Magdeb. *ut in A.* k) E. *R.*; *deest in A.* l) Arnoldum *A.* m) abbatisse *R.* n) *Reliqua in A. hoc ordine leguntur:* Quibus adiungimus dominum archiepiscopum — observetur. Quibus volumus — omni suspitione.

nostra faciat concordare. Alioquin illis discordantibus, quod duo ipsorum cum eo dixerint, observetur[a]. Item de discordia, que fuit inter Halberstadensem et Quindelinburgensem ecclesias, sic statuimus, ut sint in eodem statu, in quo erant ante[b] tempora abbatisse Sophie[c], ita tamen quod episcopus in palmis illuc non veniat nisi cum sexaginta equis, cum quibus procurabit eum abbatissa, et fertonem auri et candelas dabit ei temporibus constitutis. Sub[d] predicta pena precipimus et hanc compositionem servari.

Dat. Lateran. III Kal. Iunii, anno decimo.

298.

Honorius III papa [Sifrido II] archiepiscopo Moguntino mandat, ut excommunicationis sententiam in Wormacienses latam, quia 1620 marcas pro solutione debitorum ecclesiae Wormaciensis apud se colligere noluerint, inviolabiliter observari faciat. Cf. n. 273. *1226, Iun. 4.*

Hon. III Reg. Vol. V, 134; Lib. X, 297.
Potthast, Reg. 7582.

. . archiepiscopo Maguntino.

Ex parte tua fuit coram nobis expositum, quod cum, sicut a nobis in mandatis acceperas, ad Warmaciensem accedens ecclesiam, ecclesiarum prelatos, canonicos et alios clericos civitatis et diocesis Warmaciensis, nec non cives, vassalos et Iudeos ecclesie monueris diligenter, ut usque ad festum resurrectionis Dominice proximo preteritum[1] in mille sexcentis et viginti marcis colligendis a te, computatis in ipsis quadringentis et triginta marcis iam collectis, eidem ecclesie subvenirent pro solutione debitorum, quibus est plurimum aggravata, ipsi hoc facere contempnentes in vocem appellationis frustratorie proruperunt, quam tu reputans frivolam et inanem, in eos excommunicationis sententiam promulgasti. Set predicti prelati et clerici sententiam ipsam pertinaciter contempnentes, excommunicati excommunicatis presumunt divina officia celebrare in animarum suarum periculum et scandalum plurimorum. Ne igitur illi de sua valeant contumacia gloriari, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus dictam excommunicationis sententiam, sicut rationabiliter est prolata, facias usque ad satisfactionem condignam auctoritate nostra sublato appellationis obstaculo inviolabiliter observari, et si forte aliqui voluerint satisfacere, ipsis iuxta formam ecclesie beneficium absolutionis impendas, et cum clericis, qui taliter celebrarunt, ad mandatum tuum humiliter redeuntibus tibi liceat misericorditer dispensare. Illos autem, qui perduraverint contumaces, canonica disciplina castiges.

Dat. Lateran. II Nonas Iunii, [anno X][e].

299.

Honorius III papa [Alberto] archiepiscopo Magdeburgensi mandat, ut usque ad octavas sancti Martini [Nov 18] personaliter vel per procuratorem idoneum coram se

a) observentur *R.* b) ad *R.* c) Sophie *deest in R.* d) Sub predicta — servari *deest in A, pro quo additum est:* Hec omnia iuravit se servaturam abbatissa Sophia. Iuravit autem in nostra presentia et episcoporum predictorum et aliorum proborum virorum et nobilium et prudentum. Datum Magdeborg. anno Dom. incarnationis MCCXXV, VI Kal. Octobris. e) anno decimo *deest in R.*

1) *April. 19.*

compareat, exhibiturus abbati Niemburgensi super damnis ei et monasterio eius irrogatis iustitiae complementum. 1226, Iun. 4.

Hon. III Reg. Vol. V, 134: Lib. X, 298.

. . Magdeburgensi archiepiscopo.

Exponente dilecto filio abbate Niemburgense accepimus, quod cum[a] secundum indulta monasterio suo a sede apostolica privilegia libere sibi liceat eligere quem voluerit advocatum, tu contra privilegia ipsa veniens, advocatiam[b] dicti monasterii contulisti et confers pro tue libito voluntatis in enorme suum et ipsius monasterii detrimentum. Preterea cum bone memorie W[icmannus] predecessor tuus permutationem quandam iniquam cum inclite recordationis Frederico imperatore fecisse dicatur, recipiendo ab ipso monasterium et ei castrum quoddam et alia quedam in concambium tribuendo, tu, innitendo permutationi huiusmodi quasi licite, monasterium ipsum, tamquam tue voluntati expositum, villis, mansis, hominibus et rebus aliis contra iustitiam spoliasti, translatis in imperatorem spoliis, ne ipsa recuperare valeat monasterium memoratum, quod tu et iamdictus predecessor tuus, sicut idem abbas asserit, preter predicta multis dampnis, iniuriis et gravaminibus affecisti. Unde suppliciter petiit dictus abbas, ut faceremus sibi super hiis in nostra presentia iustitiam exhiberi. Quocirca mandamus, quatinus usque ad octavas sancti Martini proximo venturas, quas tibi terminum peremptorium affigimus, per te vel procuratorem idoneum compareas coram nobis, exhibiturus super predictis memorato abbati iustitie complementum.

Dat. Lateran. II Nonas Iunii, anno decimo.

300.

***H**onorius III papa maioris ecclesiae et Sanctae Mariae ad Gradus praepositis et decano Sanctae Mariae ad Gradus Coloniensis scribit, se [Hermanno] episcopo Herbipolensi indulsisse, ut ab archiepiscopo Moguntino metropolitano suo vocatus ad concilium venire non cogatur, cum malefactores eius sanguinem sitiant; ad querelam tamen archiepiscopi se iis mandare, ut inquirant veritatem, et si cognoverint indulgentiam per falsas adinventiones extortam, eam revocent. Cf. n. 285.* 1226, Iun. 5.

Hon. III Reg. Vol. V, 131; Lib. X, 288.
Potthast, Reg. 7583.

. . maioris ecclesie et . . Sancte Marie ad Gradus prepositis et . . decano Sancte Marie ad Gradus Coloniensis.

Significante olim nobis venerabili fratre nostro . . Herbipolensi episcopo, quod cum quidam viri sanguinum regionis illius cum eorum complicibus bone memorie C[onradum] antecessorem et consanguineum eius impie occidissent, ipsi cum tota posteritate, prout exigebat immanitas excessus, iuste puniti, nec tamen compuncti, set ad effundendum sanguinem innocentem rabidiores effecti, successorem occisi predicti episcopi patruum occidere attemptarunt, propter quod coactus fuit Herbipolensem deserere civitatem, et illorum bonis ad alios devolutis ipsi cum eorum filiis, complicibus et amicis in vindictam rerum ammissarum ipsius episcopi, qui predictorum

a) cum *deest R.* b) advocatum *R.*

episcoporum est consanguineus et eis in onere ac honore successit, sanguinem sitiebant, quare non erat sibi securum accedere ad civitatem vel dioecesim Maguntinam, cum dicti malefactores essent de diocesi et familia venerabilis fratris nostri . . archiepiscopi Maguntini: nos nolentes tantum virum exponi gladiis impiorum, eidem indulsimus, ut vocatus a predicto archiepiscopo metropolitano suo ad concilium vel ad alia venire personaliter non cogatur, set teneatur se per solempnes et idoneos nuntios presentare, presertim cum hoc idem predecessori suo fuisset a sede apostolica, ut proponebat, indultum. Verum idem archiepiscopus et capitulum Maguntinum querulas ad nos litteras destinarunt, quod dictus episcopus occasionibus non veris set frivolis mendicatis[a] se subtrahere nititur ab obedientia ecclesie Maguntine. Asserit enim excusans se, quod nullum ipsius episcopi sanguinem sitientem vel reum vel conscium necis predecessoris illius tenuerit vel teneat in oppido vel in domo. Adiecit etiam, quod idem episcopus Maguntiam, Wormaciam, Frankevort et alia vicina loca, que sibi dicit esse suspecta, sepe adiit sine metu, habens unum de ipsius episcopi occisoribus, Theudericum de Mogo scilicet, specialem secretarium et amicum. Quare idem archiepiscopus nobis humiliter supplicavit, ut licet duobus predecessoribus ipsius episcopi hoc fuerit ex causa forsan indultum, ne tamen continuatio ad consequentiam pertrahatur, indulgentiam, quam sepe dictus episcopus per falsas adinventiones a nobis extorsit, provide revocantes, non pateremur Maguntinam ecclesiam mutilari. Ne igitur alteri gratiam in alterius iniuriam facere videamur, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus inquirentes super hiis diligentius veritatem, si cognoveritis, quod dictus episcopus secure valeat ad ecclesiam Maguntinam accedere, predictam indulgentiam sublato appellationis obstaculo revocetis. Alioquin eum uti sua indulgentia permittatis, ita tamen quod ad suos non transeat successores. Testes —. Quod si non omnes —.

Dat. Lateran. Nonis Iunii, anno decimo.

301.

Honorius III papa Fridericum Romanorum imperatorem rogat, ut Henricum comitem de Suerin compellat, ut [Waldemaro] regi Daniae restituat obsides et pecuniam, quam ab ipso pro libertate receperit, neque eum super solutione residuae molestare praesumat. *1226, Iun. 9.*

Hon. III Reg. Vol. V, 135; Lib. X, 302.
Potthast, Reg. 7584.

Friderico, illustri Romanorum imperatori semper augusto, regi Sicilie.

Varia sunt, que debent tuam circumspectionem inducere ad favorem karissimo in Christo filio nostro . . illustri regi Datie impendendum super duro casu, in quem per Henrici comitis de Zuerie[b] vassalli sui perfidiam noscitur incidisse. Primum est, quod ipse rex tibi ad exhortationem apostolice sedis astitit, sicut nosti, tempore oportuno et studiose ad tuum honorem et exaltationem intendit. Secundum est, quod inter te ac ipsum regem amicabilis confederationis vinculum intercessit, sicut in tuis patentibus

a) *ita R.* b) Zueriē *R.*

litteris aurea bulla munitis perspeximus contineri[1]. Tertium est, quod etsi generaliter lex nature deposcat, ut homo subveniat homini, quodam tamen speciali debito tenetur miles militi ferre auxilium et rex regi, ut que ipsum reddit aliis honorabilem, ipse quoque honoret in regibus regiam maiestatem. Cum ergo prefatus comes a dicto rege, dum captum teneret eundem, extorserit iuramentum de dandis sibi filiis suis obsidibus et de solvenda sibi quadam pecunie quantitate, serenitatem tuam attentius rogandam duximus et hortandam, quatinus prudenter attendens malitiam, quam dictus comes in ipsum regem exercuit, esse non solum ratione facti set etiam ratione exempli gravem et omnimodis detestandam, ac per hoc nec decere nec expedire, ut apud te favorem inveniat dictus comes, qui vassallos contra dominos et privatos contra reges exemplo sue perversitatis armavit, eundem, ut ipsi regi restituat obsides et pecuniam, quam iam ab ipso recepit, nec eum super solutione residue molestare presumat, tradita tibi celitus potestate compellas, contempta parte ipsius pecunie, quam debes recipere, sicut fertur, cum divine largitatis benignitas sic tibi aperuerit manus suas teque tanta divitiarum aliorumque bonorum affluentia circumdederit, ut non oporteat, quod pro modica pecunia, quam in comparatione honoris tui ac fame debes quasi sterquilinium reputare, maculam in gloria tua ponas. Sic ergo monitiones nostras exaudias in hac parte, quod alii te docente cognoscant, quantum deferendum sit regie dignitati, et tam illicita preda erepta per te de faucibus comitis sepedicti, attemptare similia pertimescant, et ipse rex hoc beneficio provocatus tibi perpetue devotionis vinculo astringatur, nosque imperialis celsitudinis providentiam merito debeamus in Domino commendare; sciens quod, nisi nostris honestis precibus et exhortationibus acquieveris in hac parte, nos deesse non poterimus dicto regi tam apertam iniuriam patienti, non absque magno dispendio subsidii Terre Sancte, ad quod magnifice impendendum ante captionem suam sollempnis promissionis vinculo se astrinexit, nec absque apostolice sedis iniuria et contemptu, cui regnum eius dinoscitur censuale.

Dat. Lateran. V Id. Iunii. [anno decimo][a].

In eundem modum scriptum est . . Portuensi episcopo[2], apostolice sedis legato, verbis competenter mutatis, ut dictum imperatorem ad id efficaciter moneat et inducat.

302.

Honorius III papa Henrico comiti de Suerin districte praecipit, ut obsides et pecuniam, quam a [Waldemaro] rege Daniae receperit, restituat et pecuniae residuum non requirat. *1226, Iun. 9.*

Hon. III Reg. Lib. X, 303. Pertzii exemplar supplevimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1226, § 53. Potthast, Reg. 7585.

Nobili viro Henrico comiti de Zueric[b].

Olim credidimus, quod grandem et gravem maculam, quam in tua fama improvide posuisti, carissimum in Christo filium nostrum, illustrem regem Dacie, dominum tuum, rupto fidelitatis federe captivando, excitatus increpationibus apostolicis recognosceres, et ipsum regem iuxta exhortationes nostras libere dimittendo, eandem maculam per cite satisfactionis remedium aboleres. Tu vero cura fame tue posthabita et incul-

a) anno decimo *deest in R.* b) Zueric̄ *R.*

1) *Cf. Winkelmann, Fried. II. p. 65, not. 2, et n. 11.* 2) *Conrado.*

catione precum ac preceptorum nostrorum penitus obaudita, ab ipso rege extorsisti per violentiam iuramentum, quod filios suos obsides tibi daret et quandam tibi solveret pecunie quantitatem[1], ipsum in his et aliis intolerabiliter aggravando in grave preiudicium subsidii Terre Sancte, ad quod magnifice impendendum ante captionem suam solemnis promissionis vinculo se astrinxit, nec non in gravem apostolice sedis iniuriam et contemptum, cui regnum eius esse dignoscitur ad specialis ditionis iudicium censuale, et quam eidem regi astringit eius devotio specialis. Quoniam igitur tantum subsidii Terre Sancte dispendium tantumque nostrum et ecclesie Romane contemptum sub dissimulatione transire nec volumus nec debemus, nobilitatem tuam monemus, rogamus et sub obtestatione divini iudicii obsecramus, per apostolica tibi scripta districte precipiendo mandantes[a], quatinus obsides et pecuniam, quam a rege recepisti predicto, ei sine difficultate restituas et ab eo dicte pecunie residuum non requiras, obsecrationes apostolicas et preceptum hac vice taliter impleturus, quod divinum timorem te habere operis exhibitione demonstres, et apostolica sedes id gratum habere debeat et acceptum. Alioquin preter divinam vindictam, quam tibi superventuram pro iniquitate huiusmodi nuntiamus, contra te spiritualiter et temporaliter secundum immanitatem tue malitie procedemus, ita quod quibus culpa tua fuit in scandalum, pena erit auctore Domino in exemplum.

Dat. Lateran. V Id. Iunii, [anno decimo][b].

303.

Honorius III papa conventui Sancti Galli scribit de electione abbatis.

1226, Iun. 24.

Hon. III Reg. Vol. V, 128; Lib. X, 270.

Conventui Sancti Galli.

Cum venerabilis frater noster episcopus Curiensis[2] diu, sicut dicebatur, laudabiliter in monasterio vestro gessisset officium abbatie, eo ad apicem episcopalis dignitatis assumpto, ad supplicem instantiam magnatum quamplurium, asserentium quod vix umquam per alium quam per ipsum monasterium vestrum sine gravibus molestiis poterat gubernari, gubernationem eius usque ad triennium ei duximus committendam. Verum cum iam pene huiusmodi tempus effluxerit, et expediat, ut idem monasterium abbatis proprii diligentia gubernetur, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus infra viginti dies post tempus indultum ad gubernationem ipsius monasterii episcopo supradicto, vobis per electionem canonicam provideatis de persona idonea in abbatem, que tanto congruat oneri et honori. Alioquin nos ex tunc vobis et monasterio super hoc actore Domino curabimus providere.

Dat. Lateran. VIII Kal. Iulii, anno decimo.

304.

Honorius III papa W[aldemarum] regem Daniae, a quo Henricus comes de Swerin, cum eum cepisset, iuramentum extorserat, quod ei quandam non modicam

a) mandamus *Ragn.* b) anno decimo *deest in R.*

1) *1225, Nov. 17; cf. Winkelmann, Fried. II, p. 260, not. 3.* 2) *Rudolfus.*

pecuniae quantitatem solveret ac interim filios suos obsides daret, ab hoc iuramento absolvit. Cf. n. 301 et 302.

1226, Iun. 26 et 25.

Hon. III Reg. Vol. V, 137; Lib. X, 316.
Potthast, Reg. 7591 et 7593.

W. illustri regi Dacie.

Petitio tua nobis exhibita continebat, quod cum Henricus comes de Zueric.[a], vassallus tuus, te cepisset et teneret carceri mancipatum, a te iuramentum extorsit, quod ei solveres quandam non modicam pecunie quantitatem ac interim filios tuos obsides ei dares. Quare nobis humiliter supplicasti, ut cum adimpletio promissionis, qua diu ante captionem tuam te sollempniter obligaras ad subsidium Terre Sancte magnifice impendendum, per hoc impediatur omnino, et dicte pecunie quantitas tuas facultates excedat ac per hoc compelli non debeas ad solutionem eiusdem, cum nemo ad impossibile sit cogendus, idemque iuramentum a te fuerit per metum et vim manifestam extortum[b] ac per hoc ad observationem non tenearis eiusdem, cum ea que vi metusve causa fiunt non debeant esse rata, dictusque comes te capiendo vinculum fidelitatis abruperit, propter quod fidem servare non teneris eidem, cum fidem non servanti fides non debeat observari, te a predicto iuramento ad cautelam absolvere dignaremur. Nos igitur propter preassignatas causas, et quia prophetica voce monemur dissolvere colligationes impietatis et fasciculos deprimentes, ac dimittere eos qui *Es. 58,6* confracti sunt liberos, et onus omne dirumpere, te a iuramento absolvimus sic extorto et omni eo, quod ex ipso noscitur esse secutum, cum iuramentum iniquitatis vinculum esse non debeat set iustitie firmamentum. In huius autem absolutionis testimonium presentes litteras tue devotioni duximus concedendas.

Dat. Lateran. VI Kal. Iulii, [anno decimo][c].

In eundem modum scriptum est . . episcopo Verdensi[1] et . . abbati de Luna Verdensis diocesis usque: observari, verbis competenter mutatis, ipsum et prefatos vassallos eius a predicto iuramento ad cautelam absolvere dignaremur. Nos igitur etc. ut supra usque: firmamentum. Ideoque mandamus, quatinus dictum comitem, ut prefatis dicti regis vassallis remittat huiusmodi iuramenta, moneatis prudenter et efficaciter inducatis, ipsum ad id, si monitis acquiescere non curaverit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellendo.

Dat. Lateran. VII Kal. Iulii, anno X.

305.

Honorius III papa de Altersbach et de Heidenheim abbatibus et praeposito de Speinshart mandat, ut de electione episcopi Ratisponensis inquirant.

1226, Iul. 13.

Hon. III Reg. Vol. V, 139; Lib. X, 326.

a) Zuerič *R.* b) exortum *R.* c) anno decimo *deest in R.*

1) *Isoni.*

. . de Alderspac[1] Cisterciensis et . . de Heidenheim[2] abbatibus et . . preposito de Speinshart[3] Premonstratensis ordinum Eistetensis et Ratisponensis diocesum.

Dilecti filii R. decanus et H. scolasticus Ratisponensis pro se ac maiori et saniori parte capituli sui transmissa nobis petitione monuerunt, quod nuper eorum ecclesia pastoris solatio destituta[4] ministeriales ipsius, se ius in episcopi electione habere dicentes, ad eam celebrandam se admitti una cum capitulo petierunt, cumque ad eligendum prefixo die capitulum convenisset et ministeriales, ipsi electioni faciende se vehementer ingerere presumentes, mox maiorem prepositum[5] Ratisponensem temere in episcopum nominarunt, eum sibi dari minis adhibitis acclamando, quorum furor sic accensus extitit contra ipsos, ut plurimi ex hiis, nisi protecti fuissent a civibus, mortis periculum incurrissent. Tandem ministerialibus dolose spem tribuentibus sibi pacis et ipsis sub huiusmodi expectatione manentibus, dictus prepositus, non attendens quod per laicalis impressionis abusum fuerat nominatus, cum paucis canonicis, captato tempore quo alii dormiebant, in eandem ecclesiam pro episcopo se intrusit, cathedram pontificalem invadens seque pulsatis campanis faciens Ratisponensem pontificem publice proclamari, sicque intrusus pro ipsorum pastore se gerit in eorum non modicum preiudicium et gravamen, propter quod iidem per appellationis remedium recurrere ad sedem apostolicam sunt coacti. Unde humiliter petierunt a nobis, ut ad nos dignaremur causam huiusmodi revocare, ne, si aliis committatur, diem eam prorogari contingat in grave ipsius ecclesie detrimentum. Ulricus vero procurator G. electi in episcopum Ratisponensem, litteris contradicens in audientia publica proposuit ex adverso, quod cum die primo electioni prefixo capitulum convenissent in unum de electione futuri pontificis tractaturi, nec possent propter laicorum insolentiam concordare, de communi consensu alium diem et horam ad eligendum pontificem peremptorie statuerunt. Cumque predictus electus et maior et sanior pars capituli ad statutum locum in prefixo termino accedentes, predictos decanum et partem eius citaverint, ut, iuxta quod simul statuerant, convenirent cum eis, ut de pontificis electione tractarent, et ipsi nec ad eos accedere nec se curarent aliquatenus excusare, maior et sanior pars dicti capituli, que cum electo ipso convenerat, timens laicorum insolentiam et videns ex dilatione huiusmodi grave ipsi ecclesie periculum imminere, predictum electum Spiritus sancti gratia advocata unanimiter in suum elegit episcopum et pastorem. Set predictus decanus et fautores ipsius, quorum quidam electum ipsum elegerant, electioni electi se contra iustitiam opponentes, ut maiorem numerum adversariorum sibi statuerent, preter maioris et sanioris partis assensum installarunt quosdam in minoribus ordinibus constitutos contra ipsius ecclesie approbatam consuetudinem et antiquam, et quosdam ad sacros fecerunt ordines promoveri, quendam etiam ab obedientia absolutum et alium de apostasia monachatus publice infamatum non sine fraude ac preiudicio predictorum electi et sue partis in canonicos minus canonice receperunt. Unde petebat, ut aliquibus discretis scribere dignaremur, qui de electione cognoscerent, et si eam canonicam invenirent, per venerabilem fratrem nostrum . . Salseburgensem archiepiscopum[6] ipsius metropolitanum facerent confirmari. Quia vero nobis non constitit de premissis, mandamus, quatinus vocatis qui fuerint evocandi audiatis causam, et eam sufficienter instructam ad nostram presentiam

1) *Altersbach, Kr. Niederbayern, Bez.Amt Vilshofen.* 2) *Ex septentrione Ulmae, Würtemb. Jaxtkreis.* 3) *Kr. Oberpfalz, Bez.Amt Eschenbach.* 4) *Conradus IV mortuus erat 1226, April. 9.* 5) *Gotefridum.* 6) *Eberhardum.*

remittatis, in octavis epyphanie[1] proximo venture partibus terminum prefigentes, quo per se vel per procuratores idoneos nostro se conspectui representent, iudicialem auctore Deo sententiam relaturi. Quod si non omnes etc.

Dat. Lateran. III Idus Iulii, anno X.

306.

Honorius III papa Friderico Romanorum imperatori conquerendo scribit, quod nuper Tancredus de Campelio militum Bertoldi multitudine sociatus viros venientes et redeuntes ab apostolica sede in stratis ceperit et eorum litteras a se impetratas publice legi fecerit, quod non sine eius conniventia fieri potuerit; rogat, ut tam enormem excessum corrigat, alioquin se ipsum cogitaturum esse, quomodo procedendum sit.

1226, Iul. 21.

Hon. III Reg. Vol. V, 110; Lib X, 334[a]. Edimus hanc epistolam ex Rayn. Ann. eccl. a. 1226, § 15—16, collatam cum editione ap. Theiner, Cod. dipl. dom. temp. s. sed. I, p. 81, n. 135 [T].
Potthast, Reg. 7601.

Friderico imperatori.

Cum omnibus iniuriam patientibus paterno compatiamur affectu et gravamina singulorum, prout ad nostrum spectat officium, sollicite persequamur, molestias et iacturas, que viatoribus et presertim venientibus ad sedem apostolicam et redeuntibus inferuntur, tanto accuratius prosequi nos oportet et stratas publicas debita securitate tueri, quanto id ad maiorem utilitatem totius populi Christiani dignoscitur redundare, ac a predecessoribus nostris factum est hactenus et a nobis sollicitius procuratum, qui ter in anno, videlicet in die cene Domini, festo ascensionis, consecratione basilice beati Petri, solenniter presente toto populo, qui de diversis mundi partibus tunc concurrit, omnes violatores stratarum cum suis complicibus excommunicationis vinculo innodemus. Sane filius Belial, Tancredus de Campelio[2], hec sicut convenit non attendens, nuper militum Bertoldi multitudine sociatus, multos, tam nostre familie quam alios, venientes et redeuntes ab apostolica sede cepit, quos per devia ducens et Campelium ire compellens, gravibus affectos iniuriis ad Bertoldum media nocte transmisit, qui presumptione dampnabili omnes ipsorum litteras impetratas a nobis inspici faciens, ex eis per officiales suos non sine gravi sedis apostolice iniuria et contemptu fieri fecit coram cunctis astantibus audientiam generalem. Quod vix est qui ambigat sine tua conniventia fieri non[b] potuisse, maxime cum idem Bertoldus, qui hec ausu nephario attemptare presumpsit, sit tuus nuntius specialis et coram astantibus proposuisse dicatur, predictum Tancredum habere a te contra certas personas violandi stratam licentiam specialem. In quo quantum imperiali celsitudini derogetur, cum inquietos corripere, non fovere, ac maleficos et oppressores innocentium persequi tenearis, nec tu ignoras nec nos atrox iniuria in hoc ecclesie irrogata patitur ignorare. Cum igitur nihil sit, quo magis tangatur status ecclesie, quam si viatoribus et peregrinis securitas auferatur et litterarum ipsius violari auctoritas attemptetur, serenitatem tuam rogandam duximus et monendam, quatinus tam enormem excessum celeri emendatione corrigere studeas, ut peregrinis[c] petendi orationum suffragia et

---

a) 324 *T.* b) non *deest ap. Rayn. et T.* c) peregrini *Rayn.*

1) *Ian. 13.* 2) *Hic mense Augusto ab imperatore propter grata et accepta servitia laudatur. Huillard-Bréholles, Hist. dipl. Frid. II, t. II, p. 674.*

oppressis postulandi iustitiam alicuius ausu temerario facultas debita non negetur. Alioquin, cum hec incorrecta relinquere non possimus, cogitabimus, qualiter sit ad correctionem tantorum excessuum procedendum.

Datum Laterani, XII Kal. Augusti, anno decimo[a].

307.

Honorius III papa Fridericum Romanorum imperatorem rogat, ut iis quae frater Leonardus ei proponat, fidem adhibeat. *1226, Aug. 20.*

Hon. III Reg. Vol. V, 146; Lib. XI, 361.
Potthast, Reg. 7603.

Friderico, illustri Romanorum imperatori semper augusto, regi Sicilie.

Hiis que tibi fideliter frater Leonardus ex parte nostra proponet, fidem te volumus adhibere.

Dat. Lateran. XIII Kal. Sept. anno XI.

308.

Fridericus Romanorum imperator Honorio III papae conqueritur de coniuratione Lombardorum et eorum, qui post concordiam apud Mercarium per [Conradum] Portuensem episcopum apostolicae sedis legatum et alios quamplures praelatos, H[ermannum] magistrum domus Theutonicorum et Alatrinum subdiaconum firmatam eidem coniurationi adhaeserunt, sibique et imperio graves iniurias intulerunt, curiam Cremonensem impediendo et negotium Terrae Sanctae retardando; causam vero inter se et Lombardos praedictos ordinationi papae et cardinalium committit. *1226, Aug. 29.*

Hon. III Reg. Lib. XI, 435.
Ed. Raynaldus, Ann. eccl. a. 1226, § 21—22.

309.

Honorius III papa rectores communitatis Lombardiae hortatur, ut in festo Omnium Sanctorum proximo venturo [Nov. 1] aliquos viros sufficienter instructos super concordia inter ipsos et Fridericum Romanorum imperatorem facienda Romam mittant.
1226, Sept. — initio Oct.[1]

Hon. III Reg. Vol. V, 149; Lib. XI, 388.

---

a) Datum — decimo *desunt ap. Rayn.*

1) *Haec epistola, ut Pertzius monet, in regesto collocata est inter alias dierum X et VIII Kal. Dec., sed hoc tempore scripta esse non potest, cum papa nuntios societatis Kal. Nov. coram se parere iubeat. Aug. 29 imperator causam inter se et Lombardos papae ordinationi committit [n. 308], Nov. 17 eundem laudat, quod eam utiliter assumpserit, eumque rogat, ut firmiter procedat [n. 317], Nov. 21 procuratores societatis instituuntur, ut omnia ad mandatum papae faciant [n. 320]. Apparet ex hoc papam mense Sept. vel initio Oct. hanc epistolam scripsisse, sed causam, cum Lombardi de fide imperatoris dubitarent [cf. Huillard-Bréholles, t. II, p. 691], usque ad medium mensem Nov. retardatam esse. — Cum exemplum nota chronologica careret, scriptor regestis id non debito loco inseruit.*

Rectoribus communitatis Lombardie.

Cum inter varias sollicitudines et occupationes innumeras et immensas, quibus angimur ultra vires, urgentius cogitemus, qualiter miserator Dominus misereatur Syon et Ierusalem, in qua nobiscum dignatus est operari salutem[a], restauret sicut a diebus antiquis, liberando videlicet terram illam de manibus paganorum et restituendo eam cultui Christiano, quam[b] proprio sanguine dedicavit ipsius, oportet nos omne obstaculum, quantum in nobis fuerit, removere, impedimentum auferre et suborte contentionis materiam amputare. Cum itaque inter carissimum in Christo filium nostrum Fridericum, Romanorum imperatorem illustrem semper augustum et regem Sicilie, ac vos nuper, inimico homine seminante zizania, discordie sint suborte, et inter alias Matth. 13,25. provincias nomini Christiano subiectas magnificum speretur a vobis auxilium succursui Terre Sancte, si Domino faciente inter vos concordia reformetur, et e contrario timeatur eius promotio impediri, si pax non fuerit reformata, expedit nobis tam propter predicta, et etiam quia licet insufficientibus meritis illius simus vicarii constituti, qui pacificos Dei filios nominavit et pedes evangelizantium pacem pulchros prophetica Matth. 5,9. Rom. 10,15. voce dixit, ad sedandam discordiam et corda vestra in vinculo pacis et in unitate spiritus uniendo modis quibus possumus laborare. Nunc autem cum idem imperator ex devotione qua tenetur ecclesie, ac desiderio quo aspirat ad subsidium Terre Sancte, super concordia inter vos et fautores vestros ex parte una et ipsum ex altera reformanda per suas litteras et venerabilem fratrem nostrum . . Reginum archiepiscopum[1] et dilectos filios . . magistrum domus sancte Marie Teutonicorum[2] et R. iuris civilis professorem, quos ad nostram presentiam propter hoc specialiter destinavit, nostre se supposuerit beneplacito voluntatis, dans nichilominus universis suis fidelibus per litteras proprias in mandatis, ut nullus aliquos vestrum pro huiusmodi concordia ad curiam laborantes perturbare presumat[c], set eis potius in eundo et redeundo securum ducatum impendat, sicut ex tenore litterarum ipsarum, quas vobis dirigimus, attendere poteritis manifeste: rogamus igitur universitatem vestram et hortamur in Domino, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus in festo Omnium Sanctorum proximo venturo aliquos viros prudentes, universitatis nomine ad recipiendum mandatum nostrum sufficienter instructos, super dicta concordia facienda et aliis, que ad pacem et quietem totius vestre provincie pertinere noscantur, ad nostram presentiam destinetis, non attendentes quod istius discordie lentum videtur esse principium, quia, si peccatis exigentibus augeatur, sicut ignis in principio leniter, cum difficultate tamen extinguitur ex putrefacto, sic ipsa, nisi principiis obvietur, non posset sine gravibus dampnis rerum, corporum periculis et animarum dispendiis ammoveri. Mandatum autem nostrum sic sollicite ac efficaciter adimplere curetis, ut provincia vestra, quam propter eminentia meritorum suffragia magnifice, quotiens necesse fuerit, disponimus honorare, de virtute in virtutem semper accrescens per singulos dies magis reddatur in nostris et fratrum nostrorum oculis gratiosa.

Dat. Lateran.

310.

Honorius III papa [Vicedomino] Placentino, [Ottobello] Laudensi et [Graziae] Parmensi episcopis mandat, ut rectores societatis Lombardiae ad mandatum suum perficiendum moneant; cf. n. 309. *1226, Sept. — initio Oct.*

Hon. III Reg. Lib. XI, 389.

a) saltem *R.* b) qui *R.* c) presumunt *R.* 1) *Landonem.* 2) *Hermannum.*

. . Placentino, . . Laudensi et . . Parmensi episcopis.

Fraternitati vestre tenore presentium facimus manifestum, nos quasdam litteras rectoribus communitatis Lombardie pro concordia reformanda inter ipsos et karissimum in Christo filium nostrum Fridericum, Romanorum imperatorem illustrem semper augustum et regem Sicilie, destinare, quarum tenorem ex ipsarum inspectione perpendere poteritis evidenter. Quocirca mandamus, quatinus assignantes easdem, quibus videritis assignandas, ad perficiendum sine difficultate aliqua, quod mandamus, eos moneatis prudenter et efficaciter inducatis, ante ipsorum oculos secundum datam vobis a Deo prudentiam posituri, quid boni, si discordia, priusquam ultra vires extendat, radicitus extirpetur, et quid mali, si ultra processerit, toti Christianitati poterit provenire.

Dat. Lateran.

311.

Honorius III papa Petro Iohannis de Romano Deuteguarde promittit pecuniam ei in diocesi Curiensi ablatam restitutum iri. *1226, Oct. 30.*

Hon. III Reg. Vol. V, 147; Lib. XI, 366.

Petro Iohannis de Romano Deuteguarde civi Romano.

Cum olim transiens per diocesim Curiensem rebus propriis ad valentiam centum quadraginta librarum denariorum de senatu spoliatus fueris, ut dicebas, tandem bone memorie . . Curiensem episcopum tunc apud sedem apostolicam constitutum in presentia nostra conveniens, ab eo ablatorum valentiam repetisti, allegando quod cum balivo ipsius episcopi in terra sua pedagium exolvisses, ipse super hiis que ibi ablata tibi fuerant, te servare tenebatur indempnem. Quare supradictus episcopus sponte promisit, quod, nisi karissimus in Christo filius noster Fridericus, Romanorum imperator semper augustus et rex Sicilie, ea tibi fecerit emendari, ipse vel ecclesia sua de pecunia tibi satisfaceret pretaxata. In cuius rei testimonium et cautelam has tibi litteras duximus concedendas.

Dat. Lateran. III Kal. Novemb. anno XI.

312.

Honorius III papa crucesignatorum Coloniensium personas, familias et bona sub beati Petri et sua protectione suscipit. *1226, Nov. 13.*

Hon. III Reg. Vol. V, 148; Lib. XI, 379.

Universis crucesignatis civitatis Coloniensis.

Sacrosancta etc. usque: confovere. Cum igitur zelo fidei ac devotionis accensi signo vivifice crucis assumpto proposueritis in Terre Sancte subsidium proficisci, nos vestris iustis precibus inclinati personas, familias et omnia bona vestra, que impresentiarum rationabiliter possidetis, sub beati Petri et nostra protectione etc. usque: com-

munimus, statuentes ut postquam in proximo generali passagio iter arripueritis transmarinum, donec de vestro reditu vel obitu certissime cognoscatur, sub defensione apostolice sedis ea omnia integra maneant et quieta. Nulli ergo —. Si quis —.

Dat. Lateran. Idibus Novembris, [anno XI][a].

313.

Honorius III papa iisdem insuper concedit facultatem obligandi redditus suos. *1226, Nov. 13.*

Hon. III Reg. Lib. XI, 380.

Cunctis crucesignatis civitatis Coloniensis.

Sacrosancta etc. ut supra usque: quieta. Ut autem facilius et efficacius reddere valeatis Domino vota vestra, percipiendi ac obligandi redditus vestros a tempore generalis passagii usque ad tempus in generali crucesignatorum indulgentia comprehensum liberam vobis concedimus facultatem, ita quod illi, quibus eos committendos duxeritis vel etiam obligandos, infra prescriptum tempus cum ea integritate fructus percipiant earundem, cum qua vos illos perciperetis, si personaliter in illis resideretis ecclesiis, in quibus eos dignoscimini obtinere. Nulli ergo —. Si quis —.

Dat. ut supra.

314.

Honorius III papa [Henrico] archiepiscopo Coloniensi, [Conrado] maiori praeposito et decano Sanctorum Apostolorum Coloniensium mandat, ne permittant, ut crucesignati, qui in Terrae Sanctae subsidium proficisci proposuerint, contra protectionis suae tenorem molestentur. *1226, Nov. 13.*

Hon. III Reg. Lib. XI, 382.

. . archiepiscopo et . . maiori preposito et . . decano Sanctorum Apostolorum Coloniensium.

Cum dilectos filios universos crucesignatos civitatis Coloniensis, qui zelo fidei ac devotionis accensi signo vivifice crucis assumpto proposuerunt in Terre Sancte subsidium proficisci, cum familiis et omnibus bonis suis, que impresentiarum rationabiliter possident, sub beati Petri susceperimus protectione ac nostra, statuentes ut postquam in proximo generali passagio iter arripuerint transmarinum, ea omnia sub defensione apostolice sedis integra maneant et quieta, donec de ipsorum reditu vel obitu certissime cognoscatur, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus ipsos contra protectionis et constitutionis nostre tenorem non permittatis ab aliquibus molestari, molestatores eorum indebitos per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellentes. Quod si non omnes —.

Dat. Lateran. Idibus Novembris, [anno XI][b].

a) anno XI *deest in R.* b) anno XI *deest in R.*

In eundem modum scriptum est . . Zurinensi[1] et . . Racheburgensi[2] episcopis pro universis crucesignatis Lubicensibus.

Dat. Lateran. XVI Kal. Decembris[a][3].

In eundem modum scriptum est . . archiepiscopo, . . preposito maiori et . . decano Sanctorum Apostolorum Coloniensium pro clericis crucesignatis civitatis Coloniensis.

Dat. Lateran. Idibus Novembris.

315.

Honorius III papa scabinis et populo Coloniensi libertates, immunitates et consuetudines ab imperatoribus et principibus civitati eorum concessas confirmat.

1226, Nov. 14.

Hon. III Reg. Vol. V, 148; Lib. XI, 375.
Potthast, Reg. 7609.

Scabinis et universo populo Coloniensi.

Prone devotionis promptus affectus, quam erga Romanam ecclesiam laudabiliter geritis, non indigne meretur, ut vos speciali[b] gratia sedis apostolice prosequentes vestris, quantum cum Deo possumus, precibus annuamus. Eapropter, dilecti in Deo filii, usque: assensu, libertates et immunitates antiquas et rationabiles consuetudines ab imperatoribus, principibus vel aliis legittime vobis et civitati vestre concessas et hactenus observatas, ratas habemus et eas auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo —. Si quis —.

Dat. Lateran. XVIII Kal. Decembris, anno XI.

316.

Honorius III papa crucesignatis Lubicensibus idem atque Coloniensibus concedit: cf. n. 312.

1226, Nov. 16.

Hon. III Reg. Lib. XI, 381.
Potthast, Reg. 7607.

Universis crucesignatis Lubicensibus.

Sacrosancta etc. usque: confovere. Cum igitur zelo fidei usque: communimus, statuentes etc. Nulli ergo —. Si quis —.

Dat. Lateran. XVI Kal. Decembris, anno undecimo.

[a]) Novembris *R; cf. n. 316.* [b]) specialis *R.*

1) *Brunwardo Suerinensi.* 2) *Henrico Razeburgensi.* 3) *cf. Meklenb. U.-B. t. IV, 198, n. 2661, ubi legitur sub Nov. 15.*

317.

Fridericus Romanorum imperator Honorium III papam rogat, ut in negotio Lombardorum, quo importabile onus sibi impositum putet, firmiter procedens ordinare velit, quae ad honorem Dei et Romanae ecclesiae, imperii et imperatoris redundare valeant, ne servitium Christi propter hoc impediatur; quidquid statuerit, ratum se habiturum promittit; nuntiat se [Simonem] Tyrensem et L[andonem] Reginum archiepiscopos et [Hermannum] magistrum Theutonicorum ad curiam Romanam mittere, quibus plenam fidem adhibere debeat. *1226, Nov. 17.*

Hon. III Reg. Lib. XI, 436.
Ed. Raynaldus, Ann. eccl. a. 1226, § 23—24.

318.

Honorius III papa compositionem inter civitatem Rigensem ex parte una et Albertum episcopum Livoniensem, Io[hannem] praepositum Rigensem et [Volquinum] magistrum militiae Christi Livoniensis dioecesis ex altera super iurisdictionibus et libertatibus civitatis praefatae, mediante G[uilhelmo] Mutinensi episcopo a. 1225, Dec. amicabiliter initam, confirmat, tenore diplomatis adiecto. *1226, Nov. 19.*

Hon. III Reg. Vol. V, 150; Lib. XI, 391. Diploma ipsum contulimus cum autographo ap. Bunge, Livl. U.-B. t. I. p. 81, n. 75 (A).
Potthast, Reg. 7612.

Communi civitatis Rigensis.

Ea que iudicio vel concordia etc. usque: communiri. Eapropter usque: assensu, compositionem, que inter vos ex parte una et venerabilem fratrem nostrum . . episcopum Livonensem, . . prepositum Rigensem et fratres militie Christi Livonensis dioecesis ex altera super iurisdictionibus et libertatibus civitatis vestre, mediante venerabili fratre nostro G. Mutinensi episcopo apostolice sedis legato, amicabiliter intervenit, prout in ipsius litteris plenius continetur, sicut sine pravitate provide facta est et ab utraque parte sponte recepta et hactenus pacifice observata, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti pagina communimus. Ad maiorem autem rei evidentiam tenorem ipsarum litterarum de verbo ad verbum presentibus duximus inserendum; qui talis est:

Coram nobis W. divina miseratione Mutinensi episcopo, apostolice sedis legato, inter venerabilem fratrem Albertum Livoniensem episcopum et dilectos filios Io. Rigiensem prepositum et Wleher.[a] magistrum militie Christi in Livonia ex una parte et Albertum sindicum civitatis Rigensis nomine ipsius civitatis ex altera super iurisdictione ipsius civitatis et super moneta et super quibusdam aliis capitulis questio huiusmodi vertebatur. Dicebat namque sindicus prenominatus civibus licere iudicem civitatis constituere, eo quod haberent ius Gottorum sibi ab episcopo a constitutione civitatis concessum, super quibus interrogatus iamdictus dominus episcopus pro se, preposito et magistro ibidem presentibus et consentientibus respondit, quod a constitutione civitatis concessit civibus in genere ius Gottorum et specialiter libertatem a duello, theloneo, candente ferro et naufragio. Dubitabatur autem inter eos, quid[b]

a) Wulchinum A. b) quod A.

esset ius Gottorum; de quibus omnibus de consensu nostro eis placuit transigere in hunc modum: videlicet quod cives possint sibi libere iudicem eligere civitatis et electum debeant episcopo presentare et episcopus ipsum investiet; ille vero iudex de omni causa temporali cognoscit. Homines autem qui sunt de iurisdictione episcopi vel aliorum, qui ab episcopo feudum tenent, ut magister, prepositus et alii, non teneantur sub predicto iudice respondere, nisi de contractibus et delictis in civitate vel infra marchiam civitatis commissis vel contractis. Si autem episcopus, prepositus, magister et abbas de Dunemonte habuerint domos aut agros infra marchiam civitatis, et in hiis contractum fuerit aliquid vel commissum, sub eo, cuius fuerit domus vel ager, debeat terminari. Et si quis civis in iurisdictione episcopi, prepositi vel magistri possessiones habuerit vel ibi contraxerit seu delictum commiserit, teneatur sub eo, cuius fuerit iurisdictio, respondere. Clerici vero vel alias viri religiosi, ut magister et fratres eius vel hospitalarii, ut Sancti Spiritus et Sancti Lazari, de nulla causa teneantur sub predicto civitatis iudice respondere. Monetam autem in civitate fieri, cuiuscumque forme, sit in potestate domini episcopi, dum tamen eiusdem bonitatis sit et ponderis, cuius est moneta Guttorum seu Gutlandie. Cives vero liberi sint in predictis quattuor capitulis, scilicet a ferro, theloneo, naufragio et duello. Omnibus autem volentibus intrare civitatem ad habitandum liceat cives fieri predicte libertatis. Si quid etiam cives poterunt probare infra triennium esse de iure Teotonicorum commorantium in Gutlandia, eodem gaudeant et Rigenses, excepto eo quod, si Teotonici in Gutlandia instituerent aliquatenus sacerdotem, Rigenses tamen nunquam possint constituere sacerdotem.

Actum in Riga, anno Domini MCCXXV, mense Decembri, XIII indictione; presentibus domino Lamberto episcopo Semigallie, domino Guizelino[a] episcopo Renelensi[b], magistro Lamberto Constendalensi canonico, comite Borgardo, Bernardo cive Rigensi, Ludolfo de Honovere Lubicensi canonico[c], mercatoribus et etiam peregrinis.

Nulli ergo — confirmationis etc. Si quis —.

Dat. Lateran. XIII Kal. Decemb. [anno undecimo][d].

319.

Rectores societatis Lombardiae in civitate Bononiae convenientes constituunt procuratores pro pace et concordia cum Friderico Romanorum imperatore facienda.

1226, Nov. 21.

Hon. III Reg. Vol. V, 156; Lib. XI, 437.
[Sartius], De claris archigymn. Bonon. prof. tom. I, pars II. p. 71.

Anno[1] Domini millesimo ducentesimo vicesimo sexto, indictione quartadecima, die sabbati decimo exeunte mensis Novembris, in civitate Bononia in pallatio episcopatus[2], dominus Bocatius Bremma[3], dominus Robertus de Concolezo, dominus Ubertus de Marnate[4], dominus Ardicio de Ponte caralo, dominus Guillielmus de Oliana[5], dominus Guillielmus de la Porta, dominus Ubertus Vicecomes[6], dominus Aicardus de Formivica[7], dominus Auliverius Henrici Gerardi[8], dominus Oldradus Pocalodus, dominus

---

a) Guiz R. b) Revaliensi A. c) *hic testis deest ap. Bunge, sed vix credi potest, cum in A non legi; additum est hoc loco in A:* et multis aliis civibus. d) anno undecimo *deest in R.*

1) *Subiunxit Pertzius varias lectiones et additiones ex num. 320 petitas.* 2) Bononiensis. 3) nuntius marchionis de Monte ferrato. 4) Marnace de Mediolano. 5) de Brixia. 6) de Placentia. 7) Forminica. 8) de Tarvixio.

Guillielmus de Solarolo[1], dominus Guillielmus Lazaronus, dominus Dentesalvi Cremensis[2], dominus Guidrixius iudex de Scaperlis, dominus Iohannes Cremensis[3], dominus Rustigellus iudex[4], dominus Spinabellus iudex, dominus Ubertus de Maltraversii[5], dominus Fredericus de Pasepovre[6], dominus Scanabicus de Arimondo[7], dominus Mariscotus Iohannis de Mariscoto[8], dominus Henrigetus Hugonis Regaite[9], omnes rectores societatis Lombardie et Marchie et Romaniole, nomine illius societatis et pro ipsa societate constituerunt procuratores dominum Bocatium Bremmam, dominum Mudalbergum iudicem, dominum Guidonem Mainerium[10], dominum Guillielmum de la Porta, dominum Ubertum Vicecomitem[11], dominum Guidonem Boncambii doctorem legum, dominum Albertum de Muso[12], dominum Guidonem de Cole sancti Martini, dominum Bartholomeum de Vidoro[13], dominum Guidonem de Marzan.[a], dominum Senzanome[b] de Achillicis[14], dominum Obizonem de Hugonibus, dominum Rizardum de Rodengo[15], dominum Guillielmum de Campidello, dominum Castellanum de Caffaris[16], dominum Petrum Bicherium, dominum Huguicionem de Bondonis[17], ad pacem et concordiam faciendam et omnia, que fuerint necessaria sive utilia ad ipsam pacem et concordiam vel pro ipsa pace et concordia, de discordia sive super discordia, quam habent cum domino Frederico, Romanorum imperatore semper augusto et rege Sicilie, sive ipse dominus Fredericus Romanorum imperator cum eis habet; et quicquid dicti procuratores vel maior pars eorum fecerint super predictis et pro predictis, ratum et firmum habere promiserunt. Qui procuratores sic mandatum susceperunt.

Horum autem fuerunt testes: dominus Gerardus Rang.[c] Bononie potestas, dominus Bagarotus et dominus Senprebene, doctores legum, dominus Tomasinus Cazaninici et dominus Aldrevandinus de Prendiparte, dominus Rolandus de Gutefredis, Bonus Martinus notarius et Bologuitus notarius, omnes Bononienses, et Petrinus de Gorgonzola notarius de Mantua et plures alii.

Ego Laurentius sacri pallatii notarius et nunc notarius dictorum procuratorum interfui et de mandato supradictorum rectorum scripsi.

320.

Rectores societatis Lombardiae constituunt procuratores, ut super pace cum Frederico Romanorum imperatore ineunda omnia faciant ad mandatum domini papae.

1226, Nov. 21.

Hon. III Reg. Lib. XI, 438.

[Sartius], De claris archigymn. Bonon. prof. tom. I, pars II, p. 71.

Anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo sexto, indictione quartadecima, die sabbati decimo *etc. ut in praecedenti usque*[18]: dominus Bocatius Bremma nuntius marchionis de Monte ferrato *etc.* — nomine illius societatis et pro ipsa societate con-

a) Marzañ *R.* b) Senzanōme *R.* c) Rang̃ *R.*

1) Soralolo de Laudo. 2) de Bergamo. 3) de Mantua. 4) de Vicentia. 5) Ubertus Maltraversii de Padua. 6) Paxiponte. 7) de Bononia. 8) Marescotus Iohannis Marescoti. 9) de Faventia. 10) de Mediolano. 11) de Placentia. 12) Munso de Bononia. 13) de Tarvixio. 14) de Faventia. 15) de Brixia. 16) de Mantua. 17) de Vercellis. 18) *In reg. epistola integra legitur; variam nominum lectionem vides supra p. 340, not. 2—8 et p. 341, not. 1—17.*

stituerunt et fecerunt procuratores dominum Bocatium Bremmam *etc. usque:* Huguicionem de Bondonis de Vercellis, ut omnia faciant ad mandatum et voluntatem domini pape et cardinalium super pace et concordia facienda cum domino Frederico *etc. etc. ut supra usque:* rectorum scripsi.

321.

Rectores societatis Lombardiae instruunt alios procuratores secundum formam, in qua die praecedenti procuratores constituti sunt. *1226, Nov. 22.*

Hon. III Reg. Lib. XI, 439.
[Sartius], De claris archigymn. Bonon. prof. tom. I. pars II. p. 72.

Anno[a] Domini millesimo ducentesimo vigesimo sexto, die nono exeunte mensis Novembris, indictione quintadecima[1], in civitate Bononie in pallacio episcopatus Bononiensis, in presentia testium ad hoc specialiter rogatorum et vocatorum, Ambroxii notarii de Mediolano, Presbyteri notarii de Laudo, Oderici notarii de Padua et Guidonis notarii de Vicentia, dominus Robertus de Concorezo, dominus Ubertus de Marnate, dominus Ardicio de Pontecarale, dominus Guillielmus de Oliano, dominus Aicardus de Forminica, dominus Auliverius de Schirpo, dominus Oldracus Pecalodus, dominus Guillielmus de Solarolo, dominus Guillielmus Lazaronus, dominus Deutesalve Cremensis, dominus Guidrixius iudex de Scaperlis, dominus Iohannes Cremensis, dominus Rustigellus iudex, dominus Spinabellus iudex, dominus Ubertus de Maltraverso, dominus Fredericus de Paxipoure, dominus Scanabichus domini Rolandi, dominus Marescotus Iohannis Marescoti et dominus Henrigetus Hugonis Regaite, omnes rectores societatis Lombardie, Marchie et Romanie, nomine illius societatis et pro ipsa societate constituerunt procuratores dominum Rolandum iudicem de Guarnerio, dominum Ugonem de Vado de Padoa, et eos instruxerunt in omnibus et per omnia et ad omnia, sicut est forma et secundum formam, in qua heri alii procuratores constituti et instructi fuerunt ab eisdem rectoribus, qui ituri sunt ad Romanam curiam pro factis societatis predicte; et est dictum, quod tantum valeat procuratio et instructio iste, quam valerent, si simul cum aliis et eadem hora constituti et instructi essent; et quicquid fecerint in predictis secundum predictum modum ipsi procuratores, rectores habere firmum et ratum promixerunt. Qui procuratores sic mandatum susceperunt.

Ego Gerrardinus de Gisso sacri pallatii et nunc dictorum rectorum notarius interfui et de mandato eorum scripsi.

322.

Honorius III papa Friderico Romanorum imperatori roganti, ut terrae, quas quondam Raymundus comes Tolosanus ab imperio tenuerit, sibi restituantur, respondet se R[omano] diacono cardinali, apostolicae sedis legato, mandasse, ut iura imperii illaesa

a) *Hic in margine appictum est signum notarii, quod litteram a his scriptam continet.*

1) *Hic secundum consuetudinem Graecam, in praecedentibus secundum pontificalem.*

servarentur et terrae per episcopos custodirentur, donec innotesceret, quae ad imperium pertinerent. Item se provisurum promittit, quod fideles imperii de hominibus Massae iustam conquerendi causam non habeant. 1226, Nov. 22.

Hon. III Reg. Vol. V, 149; Lib. XI, 385. Pertzii exemplar supplevimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1226, § 31—32.
Potthast. Reg. 7614.

Friderico, illustri Romanorum imperatori semper augusto et regi Sicilie.

Tue sublimitatis sollicitudo non improbe postulavit, ut civitates, castra et alia loca ad imperium pertinentia in partibus Provincie ac regni Arelatensis, et nominatim ea, que quondam Raymundus comes Tolosanus tenuit ab imperio, tibi, sive ad dilecti filii nostri R. Sancti Angeli diaconi cardinalis, apostolice sedis legati, sive ad cuiuscunque alterius manus occasione exercitus facti ob extirpandam de partibus illis pravitatem hereticam devenerunt seu adhuc forte devenient, restitui faceremus[1]. Noverit itaque tua serenitas, nos, qui tua et imperii iura minui nolumus sed augeri, viva voce dixisse cardinali predicto, dum esset in nostra presentia constitutus, ac postmodum eidem litteris apostolicis mandavisse, quod volebamus terram illam sic heretica pravitate purgari, ut iura imperii servarentur illesa. Licet igitur tua petitio a nostro proposito non discordet, restitutionem tamen huiusmodi providemus differendam, donec que terre ad imperium in partibus illis pertineant, ac totius negotii circumstantie nobis per relationem ipsius legati plenius innotescant. Ipsi autem cardinali ad presens per scripta nostra mandavimus, ut terras ad ipsum imperium pertinentes in sua et ecclesie potestate retineat, faciendo eas per episcopos et alios ecclesiarum prelatos cum diligentia custodiri, qui terras easdem salvo iure tuo custodiant, tua in ipsis et imperii fidelitate servata, ut cum ex insinuatione legati iam dicti nobis de predictis constiterit, iura tua nuntiis vel ordinatis tuis sine periculo pacis et fidei restitui faciamus. Imperialis igitur circumspectio dilationem huiusmodi sustineat patienter necessariam negotio pacis et fidei, que cum in partibus illis nunc quasi de novo plantetur, eradicari posset levis turbationis impulsu; quod ne accidat, tua debet optare devotio et nostre sollicitudinis instantia precavere. Legato quoque et hominibus Masse, super eo quod quedam castra fidelium imperii detinere dicuntur et infestare illos, ac ipsorum homines in imperii preiudicium receptare, direximus scripta nostra, sicut vidimus expedire, et vel scribendo iterum vel etiam proprium nuntium illuc propter hoc, si necesse fuerit, destinando providere curabimus, quod fideles tui iustam de illis causam non habeant conquerendi.

Dat. Lateran. X Kal. Dec. [anno XI][a].

323.

***H**onorius III papa R[omano] Sancti Angeli diacono cardinali, apostolicae sedis legato, mandat, ut terrae, quas quondam Raymundus comes Tolosanus in partibus Provinciae et regni Arelatensis ab imperio tenuerit, per episcopos custodiantur, donec innotescat, quae ad imperium pertineant; cf. n. 322.* 1226, Nov. 22.

Hon. III Reg. Vol. V, 149; Lib. XI, 386.
Potthast, Reg. 7614.

a) anno XI *deest in R.*

1) *Cf. Winkelmann, Fried. II. p. 209, 210.*

R. Sancti Angeli diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Carissimus in Christo filius noster Fridericus, illustris Romanorum imperator semper augustus et rex Sicilie, postulavit instanter, ut civitates, castra et alia loca ad imperium pertinentia in partibus Provincie ac regni Arelatensis, et nominatim ea, que quondam Raimundus comes Tholosanus tenuit ab imperio, sibi, sive ad tuas sive ad cuiuscumque alterius manus occasione exercitus facti ad extirpandam de partibus illis pravitatem hereticam devenerunt seu adhuc forte devenient, restitui faceremus. Sane a memoria tua excidisse non credimus, nos tibi litteris apostolicis pluries mandavisse, quod volebamus terram illam sic heretica pravitate purgari, ut iura imperii servarentur illesa. Licet igitur ipsius imperatoris petitio a nostro proposito non discordet, nec imperii iura velimus minui set augeri, restitutionem tamen huiusmodi providimus deferendam, donec que terre ad imperium in partibus illis pertineant, ac totius negotii circumstantie nobis per relationem tuam plenius innotescant. Volumus autem et circumspectioni tue presentium auctoritate mandamus, quatinus terras ad ipsum imperium pertinentes in tua et ecclesie potestate retineas, faciendo eas per episcopos et alios ecclesiarum prelatos cum diligentia custodiri, qui terras easdem salvo iure ipsius imperatoris et imperii custodiant, eiusdem in ipsis et imperii fidelitate servata, ut cum ex insinuatione tua nobis de premissis constiterit, sine periculo pacis et fidei iura imperatoris prefati nuntiis vel ordinatis suis restitui faciamus.

Dat. Lateran. X Kal. Decembris, anno undecimo.

324.

H*onorius III papa N. subdiacono, rectori Massano, et populo Massae mandat, ut si qua castra vel terras fidelium imperii detineant, ea reddant; cf. n. 322.*

1226, Nov. 22.

Hon. III Reg. Lib. XI, 387.
Potthast, Reg. 7615.

N. subdiacono et capellano nostro, rectori Massano, apostolice sedis legato, et universo populo Masse.

Carissimus in Christo filius noster Fridericus, illustris Romanorum imperator etc. nobis insinuare curavit, quod vos quedam castra fidelium imperii detinere presumitis, et ipsas guerrarum insultibus infestantes, eorum homines in ipsius imperii preiudicium receptatis. Ideo discretioni vestre firmiter precipiendo mandamus, quatenus si qua castra vel terras fidelium imperii detinetis, ea sine qualibet difficultate ac dilatione reddatis, et super aliis ab eorum infestatione ac iniuria quiescatis omnino, preceptum nostrum taliter impleturi, quod ad ipsum imperatorem seu ad nos super hiis querimonia non recurrat.

Dat. ut supra.

325.

H*onorius III papa abbati et conventui Sancti Michaelis de Siegburg Coloniensis dioecesis confirmat, quod archiepiscopos Colonienses in perpetuos advocatos assumpserint.*

1226, Nov. 26.

Hon. III Reg. Vol. V, 150; Lib. XI, 391.

. . abbati et conventui monasterii sancti Michaelis de Siberch Coloniensis diocesis.

Iustis petentium etc. usque: complere. Significastis siquidem nobis, quod cum olim felicis memorie Anno Coloniensis archiepiscopus, monasterii vestri fundator, de consensu capituli sui provide statuisset, ut abbates, qui pro tempore monasterio vestro preessent, quemcumque vellent eligerent advocatum, sicut in eius privilegio plenius dicitur contineri, deinde vacante advocatia ipsius monasterii bone memorie Engelbertum Coloniensem archiepiscopum eiusque successores concorditer assumpsistis in perpetuos advocatos, ita tamen quod advocatiam ipsam a Coloniensi ecclesia nullo tempore alienare valeant vel transferre, prout in eiusdem Engelberti litteris dicitur plenius contineri. Quare hiis adici postulastis robur apostolice firmitatis. Nos igitur vestris supplicationibus annuentes, premissa, sicut rite ac provide facta sunt, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo confirmationis —. Si quis —.

Dat. Lateran. VI Kal. Decembris, anno XI.

326.

Honorius III papa compositionem inter magistrum militiae Christi in Livonia et Hermannum episcopum Lealensem super quibusdam terris mediante Alberto Rigensi episcopo a. 1224, Iul. 23 initam confirmat, adiecto tenore diplomatis.

1226, Dec. 10.

Hon. III Reg. Vol. V, 151; Lib. XI, 101.
Potthast, Reg. 7628.

. . magistro et fratribus militie Christi in Livonia.

Ea que iudicio vel concordia etc. usque: communiri. Eapropter etc. usque: assensu, compositionem, que inter vos ex parte una et venerabilem fratrem nostrum . . Lealensem episcopum ex altera super quibusdam terris, mediantibus venerabili fratre nostro . . Rigensi episcopo et eius collegis, amicabiliter intervenit, prout in litteris inde confectis plenius continetur, sicut rite sine pravitate provide facta est et ab utraque parte sponte recepta, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti pagina communimus. Ad maiorem autem rei evidentiam tenorem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus duximus inserendum. Qui talis est:

Hermannus Dei gratia Lealensis episcopus, omnibus hoc scriptum legentibus salutem in eo qui est salus omnium. Notum esse volumus tam futuris quam presentibus, quod de consilio venerabilis fratris nostri domini Alberti Rigensis episcopi et ecclesie sue, peregrinorum quoque ac civium Rigensium cum fratribus militie Christi, iuxta quod in autentico ipsorum continetur, talem fecimus compositionem, ut videlicet a nobis et nostris successoribus teneant ipsi mediam circiter regionem episcopatus nostri iurisdictione civili perpetuo possidendam cum ecclesiis, decimis et omni emolumento temporali, terram videlicet Sackele[1], Normecunde, Moeche cum suis attinentiis et dimidiam partem terre Weigele, salvo nobis in omnibus iure spirituali. In illis

1) *Hae terrae, Sackele, Normigunde, Mocke vocatae, se extendunt ex occidente lacus, qui dicitur Peipus.*

igitur terris per ecclesias suas personas idoneas instituent et eas investiendas nobis presentabunt. Pro hiis autem terris nullum nobis temporale servitium aut aliud exhibebunt, nisi quod pro episcopatu nostro contra incursus hostium iugiter decertabunt et in spiritualibus nobis obedient, et cum ratione officii episcopalis ecclesias eorum visitabimus, expensas nobis necessarias ministrabunt. Fluvium autem Emevike[1] liberum relinquemus, vel gurgustrarum[a] regis[b] dimidium eis dimittemus: et ne quis autem eis super hac nostra concessione malitiosum afferat impedimentum, sub anathematis interminatione prohibemus. Et ut factum nostrum robur perpetuum obtineat, hanc cartam inde scribi et sigillo nostro et domini Rigensis episcopi et ecclesie sue muniri fecimus.

Huius actionis testes sunt, dominus Albertus Rigensis episcopus, et Iohannes prepositus Sancte Marie in Riga et eius conventus, Albric prior in Dunemine[c] cum fratribus suis, Rothmarus germanus noster, Thomas plebanus in Luneburg; vassalli ecclesie Rigensis: comes Bruchardus de Alderiberg[d], Daniel de Lenwarde, Conradus de Ikescule, Iohannes de Dolen; peregrini: Fredelmus de Poch, Theodericus de Escherde, Lubertus de Nordorphe advocatus peregrinorum, Helmoldus de Luneburg[e], Henricus de Lith, Iohannes de Bekeshovede, Engelbertus de Tisenhusen, Iacobus de Urbe; cives Rigenses: Luoderus advocatus, Benhardus de Deventhere, Albertus Utnoerding[f] et alii quam plures.

Dat. in Riga, anno Domini MCCXXIIII°, X Kal. Aug.

Nulli ergo — confirmationis etc. Si quis —.

Dat. Lateran. IIII Idus Decembr. anno XI.

327.

Honorius III papa rectoribus societatis Lombardiae mittit formam pacis, quam ipse tanquam arbiter inter ipsos et imperatorem statuerit: scilicet quod imperator omnem in eos rancorem remittet bannaque et constitutiones editas relaxabit, ipsi autem dabunt imperatori pro subsidio Terrae Sanctae per biennium 400 milites et in adhaerentes imperatori omnem rancorem dimittent; mandat iis, ut iuxta tenorem, quem iis transmittat, patentes litteras sigillis munitas usque ad proximam dominicam instantis quadragesimae [Febr. 28] sibi transmittant. *1227, Ian. 5.*

Hon. III Reg. Lib. XI, 410. Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1226, § 26—29. Potthast, Reg. 7641.

Rectoribus societatis Lombardie, Marchie ac Romaniole.

Eius locum licet immeriti obtinentes in terris, qui pax nostra fecit utraque
Ephe. 2.15. unum, duos parietes venientes e diverso coniungens in se ipso lapide angulari, nascentibus debemus obviare discordiis et intendere sollicite ac diligenter ad ea, que sunt concordie, unitatis et pacis. Cum ergo nuper inter carissimum in Christo filium nostrum Fridericum, Romanorum imperatorem semper augustum et regem Sicilie, atque vos discordia orta esset, nos attendentes quod res, nisi obsisteretur principiis, videbatur altius progressura et preter difficultates alias allatura impedimentum negotio

[a]) *nassarum, quae plerumque gurgustia vocantur.* [b]) reg̃ *R.* [c]) *i. e.* Danemunde. [d]) *i. e.* Aldenburg. [e]) Luneburḡ *R.* [f]) Utnoerdiñ *R.*

1) *Embach, qui ex orientali parte lacus Wirz exiens in lacum Peipus influit.*

Terre Sancte, pro quo est tanto tempore laboratum, dignum duximus interponere partes nostras, et igne huiusmodi antequam vires assumpsisset extincto, gravibus obviare periculis, que quidem ex hoc, nisi tempestive occurreretur, poterant evenire. Ipso igitur imperatore ac vobis totum ipsum negotium in nostra et fratrum nostrorum providentia et dispositione libere ac absolute ponentibus, idque declarantibus per litteras et publica instrumenta necnon per solemnes procuratores et nuncios propter hoc ab utraque parte ad nostram presentiam destinatos, cum inter cetera fuisset ex parte ipsius imperatoris propositum, quod impediente societate vestra nequiverat iuxta propositum suum procedere contra pravitatem hereticam, que partes illas dicitur graviter infecisse, ac relevare libertatem ecclesiasticam, que ibidem multipliciter asserebatur oppressa, nec procurare subsidium Terre Sancte, propter quod specialiter ad partes ipsas duxerat accedendum, quodque captivi sibi contra ius et honorem imperii fuerant denegati: nos, his et aliis que fuerunt hinc inde proposita plenius intellectis, de providentia sic duximus statuendum, ut videlicet ipse imperator pro reverentia Iesu Christi et negotio Terre Sancte suo et filii sui ac imperii nomine iis, qui sunt de societate iam dicta, universaliter singulis et singulariter universis remittat omnem rancorem, malevolentiam, iniurias et offensas, omnia quoque banna, constitutiones, sententias et ordinamenta, que fecit vel imposuit per se vel per alium, aliusve pro eo societati vel alicui de societate predicta, civitatibus, locis et personis de ipsa societate, et quecunque ex eis vel ob ea secuta sunt, penitus revocet, et specialiter constitutionem factam de studio et studentibus Bononie, universos et singulos, qui occasione alicuius predictorum lesi videntur, restituens in integrum in omnibus et per omnia suo statui atque fame, remittendo infamiam omnem et penam, que secute sunt ex aliquo predictorum, ita quod ea que medio tempore per eos acta sunt, non obstantibus supradictis, robur obtineant, quod alias debuerant obtinere. Ad hec civitates, loca et personas de ipsa societate recipiat in sue gratie plenitudinem et eis faciat firmam pacem, specialiter marchioni Montisferrati, Mediolano, Placentie, Vercellis, Bononie, Faventie, Alexandrie, Taurino, Laude, Bergamo, Brixie, Mantue, Verone, Padue, Vicentie, Tervisio, Creme, Ferrarie et comitibus de Blandrato, aliisque locis et personis quibuslibet societatis eiusdem. Faciat etiam restitui captivos, qui sunt capti occasione huius discordie, cum bonis eorum, ac alia que occasione ipsius discordie capta sunt vel detenta. Insuper quoque faciat fieri patentes litteras ex parte filii sui, quod pacem et concordiam istam ratam habebit et firmam, et remittet illis de societate omnem rancorem, malevolentiam, iniurias et offensas. Hii vero qui sunt de societate iam dicta, ad honorem Dei omnipotentis et ecclesie sancte sue ac ipsius imperatoris dent eidem imperatori pro subsidio Terre Sancte in expensis eiusdem societatis per biennium milites quadringentos, ac civitatibus, locis et personis imperiali excellentie adherentibus, tam ecclesiasticis quam mundanis, faciant pacem et inviolabiliter servent, remittentes eis omnem rancorem, malevolentiam, iniurias et offensas, ac revocent omnia banna, constitutiones, sententias et ordinamenta, que fecerunt vel imposuerunt civitatibus, locis et personis imperiali celsitudini adherentibus, et quecunque ex eis secuta sunt vel ob ea. Captivos, qui occasione huius discordie capti sunt, cum bonis eorum, et alia que occasione ipsius discordie capta sunt vel detenta, restituant, ita quod adherentes ipsi imperatori similiter eis faciant et observent. Alii autem captivi secundum ius imperii restituantur, cum ipse imperator legatum suum in Lombardiam pro pace reformanda inter discordes duxerit destinandum. Constitutiones vero, leges et statuta ab ecclesia Romana et Romanis imperatoribus et specialiter ab ipso imperatore contra hereticos, receptatores, defensores, credentes et fautores eorum hactenus promulgata vel in posterum promulganda recipiant et observent inviolabiliter et efficaciter exequantur; constitutionibus municipalibus editis contra tales

nichilominus in suis locis firmiter observandis. Potestates autem, consules et rectores civitatum aliorumque locorum, quocunque nomine censeantur, iurent quod illas fideliter observabunt, idque suos iurare faciant successores, ponentes eas in statutis civitatum aliorumque locorum, illas inde nequaquam in posterum deleturi. Statuta omnia communia et particularia facta contra ecclesias et ecclesiasticam libertatem penitus revocent, de suis constitutionibus deleant, et ea vel eis similia de cetero non resumant. Lateranensis quoque statuta concilii et constitutiones a nobis et leges ab ipso imperatore super his editas observent, et iurent in posterum observare, suosque iurare faciant successores. Porro predictos quadringentos milites in eundo, morando, redeundo sub nostra et speciali sedis apostolicę protectione suscipimus cum omnibus bonis suis. Iidemque teneantur ire in ipsius imperatoris passagio, quod ab eo statutum est et a Romana ecclesia approbatum. Ideoque universitati vestre per apostolica scripta mandamus atque precipimus, quatinus supradicta omnia pro parte vestra inconcussa servetis, ac super hoc nobis et ipsi imperatori iuxta tenorem, quem vobis transmittimus [1], vestras patentes litteras usque ad proximam dominicam instantis quadragesime transmittatis, per manum publicam scriptas et vestri ac prefati marchionis et quarumlibet civitatum de ipsa societate sigillorum appensione munitas.

Dat. Later. Non. Ianuar. pontificatus nostri anno XI.

328.

Forma litterarum, quas Honorius III papa rectoribus societatis Lombardiae transmisit, ut secundum tenorem earum pacem cum Friderico Romanorum imperatore facerent.
Hon. III Reg. Lib. XI, 413.

Forma litterarum, quas Lombardi debent mittere domino imperatori.

Serenissimo et excellentissimo domino suo Friderico, Dei gratia invictissimo Romanorum imperatori semper augusto et regi Ierusalem atque Sicilie illustrissimo, rectores societatis Lombardie, Marchie ac Romaniole totaque ipsa societas, fideles sui, promptum et fidele servitium. Inter cetera, que dominus papa ordinavit et statuit, sicut eius nobis littere declararunt, [hec de fratrum suorum providentia piissime decrevit,][a] ut nos ad honorem Dei omnipotentis et ecclesie sancte sue ac vestrum demus excellentie vestre pro subsidio Terre Sancte in expensis nostris per biennium milites quadringentos, ac civitatibus, locis et personis vestre celsitudini adherentibus faciamus pacem firmiterque servemus, remittentes eis omnem rancorem, malivolentiam, iniurias et offensas, omniaque banna, constitutiones, sententias et ordinamenta, que fecimus vel imposuimus civitatibus, locis et personis vestre celsitudini adherentibus, et quecumque ex eis vel ob ea secuta sunt, penitus revocemus, ac restituamus captivos, qui occasione huius discordie capti sunt, cum bonis eorum, et alia que occasione eiusdem discordie capta sunt vel detenta, ita quod adherentes sublimitati vestre similiter nobis faciant et observent. Alii autem captivi secundum ius restituantur imperii, cum legatum vestrum in Lombardiam pro pace reformanda inter discordes

[a] *deest in copia nostra, addidi e litteris, quas Lombardi Mart. 26 papae et imperatori secundum hanc formam scripserunt; LL. t. II, p. 259.*

1) *n. 328.*

duxeritis destinandum. Constitutiones vero, leges et statuta ab ecclesia Romana et Romanis imperatoribus ac specialiter a vestra celsitudine contra hereticos, receptatores, defensores, credentes et fautores eorum hactenus promulgata vel in posterum promulganda recipiamus et observemus inviolabiliter et efficaciter exequamur, constitutionibus municipalibus editis contra tales nichilominus in suis locis firmiter observandis. Civitatum autem aliorumque locorum potestates, consules et rectores, quocumque nomine censeantur, iurent, quod illa fideliter observabunt, idque suos iurare faciant successores, ponentes ea in statutis civitatum aliorumque locorum, ea inde nequaquam imposterum deleturi. Statuta omnia communia et particularia facta contra ecclesias et ecclesiasticam libertatem penitus revocent, de suis constitutionibus deleant, et ea vel eis similia decetero non resumant. Ad hec statuta Lateranensis concilii[a] et constitutiones ab ipso domino papa et a vobis super hiis editas observent, et iurent imposterum observare, suosque iurare faciant successores. Supradicti vero quadringenti milites teneantur ire in vestro passagio, quod a vobis statutum est et a Romana ecclesia approbatum. Nos igitur omnia, que super hiis ab ipso domino papa et fratribus suis ordinata sunt et statuta, volentes inconcussa servare, promittimus nos ea omnia, sicut superius plenius sunt expressa, humiliter et fideliter completuros. Ad plenam autem rei certitudinem presentes litteras iuxta eiusdem domini pape beneplacitum et preceptum per manum publicam scribi fecimus et sigillorum nostrorum appensione muniri.

In eundem modum debet scribi domino pape verbis competenter mutatis.

329.

Honorius III papa Friderico Romanorum imperatori eadem atque rectoribus societatis Lombardiae de pace reformanda scribit; rogat eum, ut sibi super hoc iuxta tenorem, quem ei transmittat, usque ad primam dominicam instantis quadragesimae [Febr. 28] litteras suae maiestatis typario insignitas mittat. *1227, Ian. 5.*

Hon. III Reg. Vol. V, 157; Lib. XI, 112.
Potthast, Reg. 7640.

Friderico, illustri Romanorum imperatori semper augusto et regi Sicilie.

Eius locum licet immeriti obtinentes etc. ut supra usque: pacis. Cum ergo nuper inter te ac societatem Lombardie, Romaniole atque Marchie discordia orta esset, nos attendentes quod res, nisi obsisteretur principiis, afferebat impedimentum negotio Terre Sancte, pro quo est tanto tempore laboratum, dignum duximus interponere partes nostras. Te igitur et predictis totum ipsum negotium etc. ut supra usque: destinatos, cum inter cetera fuisset ex parte tua propositum, quod impediente societate predicta nequiveras iuxta propositum tuum procedere contra pravitatem hereticam etc. ut supra usque: statuendum, ut tu videlicet pro reverentia crucifixi etc. ut supra usque: approbatum, verbis competenter mutatis. Tu ergo, fili karissime, supradicta omnia pro parte tua serves, sicut imperialem decet constantiam, inconcussa, ac super hoc nobis iuxta tenorem, quem tibi transmittimus[1], tuas patentes cures usque ad primam dominicam instantis quadragesime transmittere litteras, tue maiestatis typario insignitas.

Dat. ut supra.

---

[a]) concilia *R.*

1) *n. 330.*

330.

Litterae, quas Honorius III papa Friderico Romanorum imperatori transmisit, ut secundum tenorem earum pacem cum societate Lombardiae faceret.

Hon. III Reg. Lib. XI, 414.
Winkelmann, Acta imp. ined. p. 263, n. 288.

Forma litterarum, quas dominus Fridericus imperator debet mittere rectoribus societatis Lombardie, Marchie et Romaniole.

Fredericus etc. fidelibus suis rectoribus societatis Lombardie, Marchie et Romaniole et toti eidem societati gratiam suam et bonam voluntatem. Causam discordie nuper inter nos et vos orte, quia videbatur impedimentum afferre negotio Terre Sancte, in providentia et dispositione domini pape ac fratrum suorum posuimus absolute. Eorum igitur provisione super hoc plenius intellecta, pro reverentia Iesu Christi et ipsius Terre Sancte negotio vobis universis et singulis de innata nobis clementia remittimus omnem rancorem, malivolentiam, iniurias et offensas, omniaque banna, constitutiones, sententias et ordinamenta, que fecimus vel imposuimus per nos vel per alium, aliusve pro nobis, societati vestre seu alicui de societate ipsa, civitatibus et personis eiusdem, et quecumque ex eis vel ob ea secuta sunt, penitus revocamus, et specialiter constitutionem factam de studio et studentibus Bononie, universos et singulos, qui occasione alicuius predictorum lesi videntur, restituentes in integrum in omnibus et per omnia suo statui atque fame, remittendo infamiam omnem et penam, que secute sunt ex aliquo predictorum, ita quod ea que per eos medio tempore acta sunt, non obstantibus supradictis, robur obtineant, quod alias debuerant obtinere. Ad hec civitates, loca et personas vestras recipimus in nostre gratie plenitudinem, et eis reddimus firmam pacem et specialiter marchioni Montis ferrati, Mediolano, Plecentie[a], Vercellis, Bononie, Faventie, Alexandrie, Taurino, Laude, Pergamo, Brixie, Mantue, Verone, Padue, Vincentie, Tervisio, Creme, Ferrarie et comitibus de Blandrato aliisque locis et personis quibuslibet societatis eiusdem. Faciemus etiam restitui captos occasione predicte discordie cum bonis suis, ac alia que occasione huiusmodi capta sunt vel detenta. Insuper faciemus fieri patentes litteras ex parte filii nostri, quod pacem et concordiam istam ratam et firmam habebit, quodque remittet vobis omnem rancorem, malivolentiam, iniurias et offensas. Ad plenam autem certitudinem huius rei presentes litteras iuxta ipsius domini pape[b] beneplacitum fieri iussimus et maiestatis nostre typario insigniri [1].

In eundem modum debet scribi domino pape verbis competenter mutatis.

331.

Honorius III papa rectoribus societatis Lombardiae declarat, quod si Fridericus Romanorum imperator non transeat, transire non teneantur 400 milites, quos pro subsidio Terrae Sanctae dare debeant. *1227, Ian. 5.*

Hon. III Reg. Vol. V, 157; Lib. XI, 411.
Potthast, Reg. Add. I, 7641a—26164.

a) *ita R.* b) pape *deest in R.*

1) *De iis in quibus haec forma et litterae a. 1227, Febr. 1 papae et Lombardis missae [n. 340] differunt, cf. Winkelmann l. c. not.*

Rectoribus societatis Lombardie, Marchie et Romaniole.

Cum in forma concordie inter vos et karissimum in Christo filium nostrum Fridericum, Romanorum imperatorem illustrem semper augustum et regem Sicilie, per nos facte duximus statuendum, ut ad honorem Dei omnipotentis et ecclesie sue ac ipsius imperatoris detis eidem imperatori pro subsidio Terre Sancte in expensis vestris per biennium milites quadringentos, transituros in ipsius imperatoris passagio, quod est statutum ab ipso et a Romana ecclesia approbatum, auctoritate presentium declaramus, ut si forte ipse, quod absit, non transierit imperator, transire non teneantur milites supradicti, nisi forsan ipsum imperatorem propter necessitatem evidentem et manifestam et a sede apostolica approbatam contingeret non transire.

Dat. Lateran. Non. Ianuar. anno XI.

332.

Honorius III papa Friderico Romanorum imperatori scribit de [Wilhelmo] marchione Montisferrati. *1227, Ian. 5.*

Hon. III Reg. Lib. XI, 145.

Frederico, illustri Romanorum imperatori semper augusto et regi Sicilie.

Auctoritate presentium protestamur, nos ex eo, quod in forma concordie facte inter te ac societatem Lombardie, Marchie ac Romaniole providendo statuimus, ut marchionem Montisferrati in plenitudinem gratie tue recipias, nolle in aliis iuri tuo vel eiusdem etiam marchionis preiudicium aliquod generari[1].

Dat. Lateran. Non. Ianuar. anno undecimo.

333.

Honorius III papa Fridericum Romanorum imperatorem et eius filium cum imperio, regno et omnibus iuribus et honoribus sub sua protectione suscipit. *1227, Ian. 8.*

Hon. III Reg. Vol. V, 159; Lib. XI, 159.

Friderico, Romanorum imperatori semper augusto et regi Sicilie.

Sincera devotio, quam te ad Deum et eius ecclesiam habere conspicimus, nos inducit, ut ad tuam tranquillitatem et pacem diligenti studio et studiosa diligentia intendamus. Cum igitur zelo fidei ac devotionis accensus ad liberationem terre, in qua rex regum et dominus dominantium Iesus Christus generis humani salutem dignatus est misericorditer operari, potenter, sicut imperialem decet magnificentiam[a], te

[a]) munificentiam *R; cf. n. 337.*

1) *Agitur, ut videtur, de mutuo novem milium marcarum argenti, pro quo marchio bona sua immobilia imperatori obligaverat [1224, Mart.], quodque eum non solvisse credimus; cf. Huillard-Bréholles, Hist. dipl. Frid. II, t. II, p. 125 et 713, et n. 340.*

accingas, nos, ut tam pium et salubre propositum melius valeas adimplere, tuam et filii tui personas cum imperio, regno et omnibus iuribus ac honoribus tuis sub beati Petri et nostra protectione suscipimus etc. usque: communimus; auctoritate presentium districtius inhibentes, ne quis interim presumat ea invadere, minuere seu quomodolibet perturbare, set usque ad reditum tuum sub speciali apostolice sedis et archiepiscoporum et episcoporum defensione libera et quieta consistant. Nulli ergo etc. nostre protectionis et inhibitionis usque: contraire. Si quis autem etc. usque incursurum.

Dat. Lateran. VI Idus Ianuar. anno XI.

334.

Honorius III papa [Ugrino] archiepiscopo Colocensi mandat, ut magnos et parvos exhortationibus inducat, ut in instanti Augusto, quo generale passagium indictum sit, modis quibus possint Terrae Sanctae subsidium impendant: crucesignatos autem moneat, ut in ipso passagio transeant. *1227, Ian. 11.*

Hon. III Reg. Vol. V, 159; Lib. XI, 157.
Potthast, Reg. 7647.

Archiepiscopo Colocensi.

Benedictus Deus, qui ex hiis, que mala videntur, frequenter bona dignatur elicere, et que timentur cedere ad dispendium, ad compendium revocare. Cum igitur super discordia, que inter carissimum in Christo filium nostrum Fridericum, Romanorum imperatorem illustrem semper augustum et regem Sicilie, et Lombardos exorta fuerat, per studium nostrum actore pacis Deo cooperante salubriter sit provisum, et idem imperator ad transfretandum in instanti Augusto magnifice, prout imperialem decet excellentiam, se accingat, multitudinem navium et alia que tanto negotio congruunt studiosissime preparando, sicut eo nobis per sollempnes nuntios et litteras insinuante letantes audivimus, et ipsa rei evidentia, prout ab hiis qui viderunt asseritur, clarius manifestat, sperantes quod Deus exurgens iudicare disposuit causam suam et Ierusalem sicut diebus pristinis instaurare, mandatum, quod de predicanda cruce dudum a sede apostolica recepisti, duximus innovandum, fraternitatem tuam sollicitantes et hortantes attente ac per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus iniuncte tibi predicationis officium exerceas studiose, magnos et parvos secundum datam tibi a Deo prudentiam sedulis exortationibus inducendo, ut in instanti Augusto, quo generale passagium est indictum, impendant suum dicte Terre Sancte subsidium modis omnibus quibus possunt. Crucesignatos autem, ut occasione cessante in ipso passagio transeant, efficaciter moneas, et si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam, nisi quos evidens necessitas excusaverit, sublato appellationis impedimento compellas.

Dat. Lateran. III Id. Ianuar. anno XI.

In eundem modum episcopo Geuriensi[1].

In eundem modum episcopo Hildesemensi.

In eundem modum abbati Sancti Trudonis[2].

In eundem modum magistro Conrado de Marborch.

In eundem modum magistro Egidio de Braibant predicatori crucis.

1) *n. 463 in copia additum est.* 2) *St. Trond, in dioc. Leodiensi.*

In eundem modum abbati de Bivenhusen[1].
In eundem modum abbati Morbacensi[2].
In eundem modum abbati de Aldemberch[3].
In eundem modum magistro Arnoldo predicatori crucis.
In eundem modum abbati de Sancta Cruce in Austria[4].
In eundem modum magistro Salomoni.
In eundem modum fratri Iohanni Argentinensi ordinis Predicatorum.
In eundem modum abbati de Salem[5].
In eundem modum predicatoribus crucis per Bisuntinam provinciam deputatis.
In eundem modum predicatoribus crucis per Magdeburgensem provinciam deputatis.
In eundem modum predicatoribus crucis per Salzeburgensem provinciam deputatis.
In eundem modum predicatoribus crucis per Coloniensem provinciam deputatis.
In eundem modum predicatoribus crucis in Maguntina provincia deputatis.
In eundem modum episcopo Wintoniensi.

335.

Honorius III papa principibus Theutoniae, tam ecclesiasticis quam mundanis, mandat, ut ad Terrae Sanctae subsidium ita se praeparent, ut ii, qui iam crucis signaculum susceperint, in instanti Augusto, quo generale passagium indictum sit, una cum Friderico Romanorum imperatore transfretare valeant. 1227, Ian. 11.

Hon. III Reg. Vol. V, 159; Lib. XI, 162.
Potthast, Reg. 7646.

Archiepiscopis et episcopis et nobilibus viris ducibus, marchionibus, comitibus et aliis principibus Theutonie, tam ecclesiasticis quam mundanis.

Pridem vobis significasse recolimus, quod carissimo in Christo filio nostro Friderico, illustri Romanorum imperatore semper augusto et rege Sicilie, se, sicut nobis per suas litteras et nuntios intimaverat, magnifice preparante ad terram, in qua deus noster et dominus Iesus Christus generis humani salutem misericorditer operari dignatus est, de infidelium manibus liberandam, nos dilectum filium magistrum domus sancte Marie Theutonicorum[6], pro ipsius terre procurando succursu ad partes Theutonie festinantem, duxeramus aliquanto tempore retinendum, eo quod eius industria tum pro aliis magnis arduisque negotiis, tum specialiter ad sedandam quandam discordiam inter ipsum imperatorem et Lombardos exortam, nobis erat plurimum oportuna. Cum igitur super ipsa discordia per studium nostrum, actore pacis Deo cooperante, salubriter sit provisum, et ipse imperator ad transfretandum illuc in instanti Augusto magnifice, prout imperialem decet excellentiam, se accingat, multitudinem navium et alia que tanto negotio congruunt studiosissime preparando, sicut eo nobis per sollempnes nuntios et litteras intimante letantes audivimus, et ipsa rei evidentia, prout ab hiis qui viderunt asseritur, clarius manifestat: sperantes itaque quod Deus exurgens iudicare disposuit causam suam et Ierusalem sicut diebus pristinis instaurare, uni-

1) *Bebenhausen prope Tübingen.* 2) *In Alsatia superiore, in dioc. Basil.* 3) *ex septentrione Coloniae (?).* 4) *Heiligenkreuz prope Viennam.* 5) *prope lacum Brigantinum, in dioc. Constant.* 6) *Hermannum.*

versitatem vestram rogamus, monemus et obsecramus in domino Iesu Christo, ac per apostolica vobis scripta mandamus, et in remissionem iniungimus peccatorum, quatinus zelo fidei ac devotionis accensi, pro Iesu Christi redemptoris nostri amore pariter et timore nec non pro honore imperialis celsitudinis et imperii ita vos ad ipsius Terre Sancte subsidium preparetis, quod illi, qui iam crucis susceperunt signaculum, et alii, quibus id divina gratia inspirabit, in instanti Augusto, quo generale passagium est indictum, una cum ipso imperatore Deo duce valeant transfretare ad laudem, honorem et gloriam nominis Christiani et suarum remedium animarum. Dictum autem magistrum, qui huic negotio totaliter se impendit et tandem ad vos propter hoc omissis aliis negotiis et impedimentis exuperatis accedit, universitati vestre studiosissime commendamus, cuius prudentiam et circa ipsum negotium Terre Sancte sollicitudinem vobis exponere seu commendare superfluum reputavimus, cum laudabilia facta eius ipsum habunde notificent et commendent.

Dat. Lateran. III Idus Ianuar. anno XI.

In eundem modum archiepiscopis et episcopis ac nobilibus viris comitibus et baronibus per Ungariam constitutis.

In eundem modum A[ndree] illustri regi Ungarie usque: instaurare, te, qui ab olim suscepto crucis signaculo illi militare vovisti, qui pro te in crucis patibulo militavit, rogamus, monemus et hortamur attente, ac per aspersionem sanguinis Iesu Christi nichilominus exhortantes[a], quatinus taliter preparare te studeas, quod in instanti Augusto, quo generale passagium est indictum, valeas Deo duce feliciter transfretare, recepturus ex hoc gratiam in presenti et gloriam in futuro. Dictum autem magistrum etc. usque in finem verbis competenter mutatis.

In eundem modum nobili viro langravio Turingie[1].

336.

Honorius III papa praeposito maioris ecclesiae et eiusdem ecclesiae et Sancti Stephani decanis Moguntinis nuntiat, quomodo [Engelberto] quondam Osnaburgensi electo providerit, iisque mandat, ut super beneficia eidem ad sustentationem concessa episcopos, abbates et capitula, qui ei debeant providere, compellant. *1227, Ian. 11.*

Hon. III Reg. Vol. V, 161: Lib. XI, 180.
Potthast, Reg. 7644.

. . preposito maioris ecclesie et eiusdem ecclesie et Sancti Stephani decanis Maguntinis.

Quia indignum erat, ut dilectus filius G.[2] quondam Osemburgensis electus ecclesiastica provisione careret, qui ab amministratione fuerat ecclesie Osemburgensis amotus et aliqua ad sustentationem suam beneficia non habebat, cum diu in multa humilitate apud sedem apostolicam nostram implorando gratiam expectarit, nos de fratrum nostrorum consilio duximus providendum, ut per quosdam ecclesiarum prelatos

[a]) *ita R.*

1) *Ludowico.* 2) *ita R. male; erat Engelbertus, qui cum de nece Engelberti archiepiscopi Coloniensis infamatus in concilio Leodiensi [1226, Febr. 3] sufficienter se purgare nequivisset, ad papam transmissus fuerat; cf. Caes. de Heisterb. ap. Boehmer, Fontes, t. II, p. 327 et Reiner. Leod. ibid. p. 387 et Mon. Germ. SS. XVI, 679.*

ac successores eorum necnon capitula provideatur eidem, nostris sibi dantes litteris in mandatis, ut venerabilis frater noster . . Osemburgensis episcopus in centum marcis puri argenti, Traiectensis in viginti quinque, Monasteriensis vero in viginti, et Hereveldensis, Wldensis et Corbeiensis abbates in triginta, ita quod quilibet eorum in decem, provideant annuatim, medietate in festo sancte Walburgis, reliqua vero in festo sancti Martini annis singulis ab eis ac eorum successoribus ei vel procuratori eius, quoad vixerit, exhibenda, iuxta nostram continentiam litterarum. Capitula vero maioris et Sancti Iohannis Osemburgensis, Monasteriensis et Verdensis ecclesiarum eum recipiant in canonicum et in fratrem, assignaturi sibi prebendas, si vacant ad presens, vel cum primum in ecclesiis vacarint eisdem, et annuatim, donec vacaverint, de communi ei, sive presens sive absens fuerit, quantum residens de prebenda sua perceperit, provisuri et exhibituri terminis supradictis. Ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus prefatos episcopos et abbates ac successores eorum necnon capitula supradicta ad hec, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam sublato cuiuslibet contradictionis et appellationis obstaculo compellatis, constitutione de duabus dietis in generali concilio edita non obstante. Quod si non omnes etc.

Dat. Lateran. III Idus Ianuar. anno XI.

337.

Honorius III papa [Sifrido II] archiepiscopo Moguntino et [Egberto] episcopo Babenbergensi nuntiat, se Fridericum Romanorum imperatorem et eius filium cum imperio et regno sub sua protectione suscepisse; mandat iis, ut si qui contra hanc prohibitionem veniant, in eos excommunicationis et interdicti sententias promulgent. 1227, Ian. 13.

Hon. III Reg. Vol. V, 160; Lib. XI, 161.
Potthast, Reg. 7649.

Archiepiscopo Maguntino, episcopo Pambergensi.

Sincera devotio, quam carissimus in Christo filius noster Fridericus, illustris Romanorum imperator semper augustus et rex Sicilie, ad Deum et ecclesiam habere dinoscitur, nos inducit, ut ad eius tranquillitatem et pacem diligenti studio et studiosa diligentia intendamus. Cum igitur idem zelo fidei ac devotionis accensus ad liberationem terre, in qua rex regum et dominus dominantium Iesus Christus generis humani salutem dignatus est misericorditer operari, potenter, sicut imperialem decet magnificentiam, se accingat, nos, ut tam pium et salubre propositum melius valeat adimplere, suam et filii sui personas cum imperio, regno, iuribus et hominibus suis sub beati Petri et nostra protectione suscepimus, districtius inhibentes, ne quis interim ea invadere, minuere vel quomodolibet perturbare presumat, set usque ad redditum eius sub speciali apostolice sedis et archiepiscoporum et episcoporum defensione libera et quieta consistant. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatinus, si qui contra prohibitionem nostram ausu temerario venientes, ipsius imperatoris honores et iura, que infra fines tue metropolis, frater archiepiscope, obtinet, invadere vel minuere seu quomodolibet presumpserint indebite perturbare, huiusmodi presumptores, undecumque fuerint, ut a sua presumptione desistant et de presumptis debitam satisfactionem impendant, monitione premissa per excommunicationem in personas et interdictum in eorum terras appellatione remota cogatis, quotiens fueritis requisiti. Quod si non ambo etc. alter vestrum —.

Dat. Lateran. Id. Ianuar. anno XI.

In eundem modum archiepiscopo Salzburgensi et episcopo Gurcensi.

In eundem modum archiepiscopo Bisuntino.

In eundem modum archiepiscopo Pisano et abbati Sancti Antimi Clusine diocesis.

In eundem modum archiepiscopo Regino et episcopo Aquinati et electo Barensi.

In eundem modum Arelatensi et Ebredunensi archiepiscopis; excepta illa clausula, ubi dicit infra fines tue metropolis, frater archiepiscope, quod archiepiscopo Pisano et abbati Sancti Antimi dicit in Tuscia. Similiter archiepiscopo Regino et episcopo Aquinati et electo Barensi dicit in Regno, et Arelatensi et Ebredunensi archiepiscopis dicit in regno Arelatensi.

In eundem modum archiepiscopo Strigoniensi. Infra fines etc.

In eundem modum episcopo Wintoniensi.

In eundem modum archiepiscopo et preposito Ianuensibus.

In eundem modum archiepiscopo Coloniensi et episcopo Parburnensi.

In eundem modum archiepiscopo Bremensi et abbati Stadensi.

In eundem modum archiepiscopo Treverensi et episcopo Metensi.

In eundem modum archiepiscopo Ravennati et episcopo Parmensi.

In eundem modum archiepiscopo Mediolanensi et episcopo Novariensi.

In eundem modum patriarche Aquilegensi et episcopo Paduano.

338.

Honorius III papa Fridericum Romanorum imperatorem hortatur, ut Iohannem regem Hierosolymitanum, socerum suum, in gratiae suae plenitudinem reassumat, mittens ad ipsum super hoc negotio tractando abbatem Sancti Martini Viterbiensis.

1227, Ian. 27.

Hon. III Reg. Lib. XI, 196. Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1227, § 2—3. Potthast, Reg. 7659.

Friderico, illustri Romanorum imperatori semper augusto et regi Sicilie.

Non dubitat, sicut credimus, tua serenitas, quin te sincero diligamus affectu, et quin ad incrementum tui honoris ac nominis aspiremus. Unde cum ea tue celsitudini suademus, que ad honorem tuum novimus pertinere, debes suasiones nostras gratanter accipere ac eis acquiescere reverenter. Sane carissimo in Christo filio nostro Iohanne illustri rege Ierosolimitano tue sublimitati affinitate coniuncto, communis fuit omnium vox et opinio, quod quasi in immensum successisset eidem, et quod Deus ipsam sublimitatem eius per affinitatem tanti principis magnifice sublimasset. Nec mirum, si hoc homines crediderunt, considerantes hinc excellentie tue potentiam, cui esse facile cognoscebant non solum in sua sublimitate conservare sublimes, sed etiam humiles novis honoribus sublimare, illinc vero strenuitatem et industriam dicti regis non solum dignam, ut ei suum conservares honorem, sed ut illum etiam ampliares. Et ecce res videtur in contrarium versa esse, cum rex ipse inde, nisi alio modo provideris, contra spem nostram et suam ac aliorum graviter sit depressus, unde sperabatur magnifice sublimandus. Omnes qui hec audiunt, vehementer admirantur et dicunt: 'Que hec est imperialis industrie providentia, alienasse a se tante prudentie, tante strenuitatis, tante industrie, tanti consilii virum, et tanto sibi vinculo copulatum, de quo poterat tanquam de semetipso confidere, cuius honorem et statum deberet proprium reputare? Cui fiducialius poterit regnum Ierosolimitanum committere? Quis

fidelibus ibi existentibus gratiosior? Quis terribilior infidelibus? Quis utilior toti negotio Terre Sancte? Ecce si nulla sibi esset affinitate coniunctus, deberet tamen propter strenuitatem et industriam eius et propter eam quam habet gratiam hominum notitiamque locorum, sibi regnum committere supradictum. Sed etsi simplicem militem in socerum assumpsisset, deberet eum decorare regia dignitate. An pulchrius sibi est militis generum esse quam regis? An pulchrius erit filiis, quos ex filia dicti regis suscipiet, avum militem habere quam regem? Hec et similia parvi loquuntur et magni, admirantes super huiusmodi facto, et illud, ut loquamur verius, detestantes. Nobis quoque ac fratribus nostris insultatur a multis, eo quod huius affinitatis mediatores extitimus, ipsaque regis depressio nobis quodammodo imputatur. Denique per factum inter te et ipsum regem dissidium multorum devotio circa Terre Sancte subsidium, ut dicitur, refrigescit, quam facies recalescere, si ad ipsum regem tuum, ut decet, vultum et animum curaveris serenare. Desiderantes ergo hanc quasi quandam nebulam a tui serenitate nominis removere, ac simul pro ipsius Terre Sancte subsidio, cui tua et eiusdem regis reconciliatio est plurimum necessaria, satagentes, serenitatem tuam monemus, rogamus et obsecramus in domino Iesu Christo, postulantes pro munere speciali, quatinus tecum ipse recogitans, quam absurdum sit tantum et talem virum occasione affinitatis tue magnificentie deprimi, cum solam familiaritatem tue sublimitatis adeptos per eam deceat exaltari, ac sepedicte Terre Sancte utilitatem attendens, dictum regem in imperialis gratie plenitudinem reassumas, eumque tibi sic efficaciter reconcilies, quod tui serenitatem animi erga eum ipsa exhibitione operis manifestes, cum si diligenter attendas illud quo tibi iunctus est vinculum, facile possis advertere neminem esse, persona filii tui dumtaxat excepta, qui te sincerius ipso rege diligere debeat, vel de quo tua sublimitas fiduciam possit gerere certiorem. Ut autem intelligas plenius, quam intime reconciliationem huiusmodi affectemus, ecce propter hoc specialius mittimus ad te dilectum filium abbatem Sancti Martini Viterbiensis Cisterciensis ordinis, latorem presentium, virum utique prudentem, religiosum et fidum, serenitatem tuam deposcentes attente, quatinus ipsum, immo verius nos in ipso, cures in iis, que ad hoc negotium pertinent, et audire clementer et efficaciter exaudire[1].

Datum Later. VI Kal. Febr. pontificatus nostri anno undecimo.

339.

Honorius III papa Iohanni regi Hierosolymitano patrimonium ecclesiae Romanae a Radicofano usque Romam, excepta marchia Anconitana, ducatu Spoleti, Reate et Sabina, committit gubernandum, omnesque populos ibidem habitantes monet, ut ei humiliter intendant. 1227, Ian. 27.

Hon. III Reg. Lib. XI, 197. Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1227, § 5. Potthast, Reg. 7658.

Carissimi[2] in Christo filii nostri Iohannis, Ierosolimitani regis illustris, strenuitatem industriamque pensantes, simulque firmam spem fiduciamque tenentes, quod per eius-

1) *In Chron. Turon. [Rec. des hist. des Gaules, t. XVIII, p. 318] legitur regem ipsum ab imperatore pacem petivisse, cum imperatricem filiam peperisse audiret. — Papa firmam spem pacis reformandae habuisse videtur, cum eodem die regi partem patrimonii administrandam traderet; v. infra n. 339.*
2) *Forma inscriptionis non satis constat. — Cf. litteras speciales de hac re singulis civitatibus missas ap. Theiner. Cod. dipl. dom. temp. s. sed. t. I, p. 82, n. 158.*

dem regis prudentiam inter vos poterunt sedari dicordie, custodiri strate, servari iustitia et alia, que ad vestram utilitatem et tranquillitatem pertinent, utiliter provideri; totum patrimonium, quod habet Romana ecclesia a Radicofano usque Romam, excepta marchia Anconitana, ducatu Spoleti, Reate ac Sabinia, cure, regimini et custodie ipsius regis duximus committendum, tenendum, custodiendum et servandum, quamdiu de nostra et ecclesie Romane fuerit voluntate, nominatim Radicofanum, Precenam, Aquapendentem, Montemflasconem, Martam, Valentan[am], insulam Martan[am][a], cum aliis locis, que ab olim consueverunt iurisdictioni castellani Montisflasconis subesse, Verall.[b] Petronian., salvis proventibus dilecto filio nostro R[aynerio] Sancte Marie in Cosmedin diacono cardinali concessis, Orde, Montaltum, Centumcellas, Cornetum, Perusium, Urbemvet[erem], Tudertum, Balneoregium, Viterbium, Narniam, Sanctum Geminum, Strunconm., salvis proventibus dilecto filio nobili viro Petro Capucio consanguineo et ostiario nostro concessis, Tuscan[am], Ortam, Ameliam, Nepe, Civitatem Castellanam, Gallesium, salvis proventibus concessis dilecto filio nostro Egidio Sanctorum Cosme et Damiani diacono cardinali, Stutrium[c] et alia, que ipsa ecclesia Romana habet vel tenet infra terminos prenotatos, cum pertinentiis suis et iuribus universis. Ideoque universitatem vestram monemus et exhortamur attentius, ac per apostolica vobis scripta sub obtentu gratie nostre et debito fidelitatis, quo nobis tenemini, firmiter precipiendo mandamus, quatinus ipsum regem recipientes hilariter et dignam ei honorificentiam exhibentes, eidem tanquam vicario et procuratori nostro et ecclesie Romane humiliter et efficaciter intendatis, sibi de iuribus curie, quamdiu ecclesie Romane placuerit, quod huiusmodi curam gerat, integre respondendo *etc.*

Dat. Later. VI Kal. Febr. anno XI.

340.

Fridericus Romanorum imperator Honorio III papae notum facit, se iuxta provisionem eius civitatibus et nobilibus Lombardiae, quae maiestatem suam offenderint, omnem rancorem remisisse omniaque banna per se vel per alium iis imposita revocasse; contra [Wilhelmum] marchionem Montisferrati autem se omnia iura omnesque actiones, quae sibi competant, sibi reservare. Promittit insuper filium suum Henricum Romanorum regem per litteras patefacturum esse, quod et ipse hanc pacem ratam habeat. — In eundem modum scripsit rectoribus civitatum, quae singulae enumerantur, marchioni Montisferrati et comiti Gottifredo de Blandrato. Cf. n. 330. *1227, Febr. 1.*

Greg. IX Reg. Ann. I.
Ed. Pertz, LL. t. II, p. 258.

341.

Honorius III papa potestatem et populum Ariminensem hortatur, ut I[nghiramo] de Macreta, quondam rectori eorum, cui quidam cives iniurias intulerint, eo quod quasdam mulieres haereticas imperatori tradiderit comburendas, satisfactionem condignam impendant. *1227, Febr. 27.*

Hon. III Reg. Vol. V, 171; Lib. XI, 550.
Potthast, Reg. 7672.

[a]) Insulam, Martan. *Rayn.* [b]) *fortasse* Vetrallam. [c]) *fortasse* Sutrium.

Potestati et communi Ariminensi.

Gravem dilecti filii I. de Macreta civis Mutinensis recepimus questionem, quod Ariminus de Bonfiletto et Bucca de Ferro ac quidam alii cives Ariminenses eidem, tunc vestre civitatis regimen obtinenti, ponentes insidias, et ut ipsum occiderent insultum in eum temere facientes, graves eidem iniurias intulerunt pro eo, quod quasdam eorum filias, sorores et consanguineas hereticas manifestas iuxta debitum sui officii ceperat et imperatori tradiderat comburendas, ac imperialem legem nuper contra hereticos editam volebat in statuario eiusdem ponere civitatis. Nolentes igitur aliquatenus eiusdem I. dissimulare iniuriam, quam passus est pro zelo fidei orthodoxe, universitatem vestram monendam duximus et hortandam[a], per apostolica vobis scripta precipiendo mandantes, quatinus cum a culpa nequaquam videamini fuisse immunes, eo quod potuistis et noluistis huiusmodi prohibere iniuriam, per quod videmini presumptores predictos in sue presumptionis malitia confovisse, eidem I. ita satisfaciatis et faciatis satisfieri a presumptoribus antedictis, quod et ipse merito a sua querela desistat, et alii attemptare similia reformident. Alioquin damus venerabili fratri nostro . . episcopo[1] et dilectis filiis preposito et primicerio Aretino nostris litteris in mandatis, ut tam vos quam presumptores iamdictos ad condignam satisfactionem impendendam eidem et ad resarciendas expensas, quas hac de causa subiit, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellant.

Dat. Lateran. III Kal. Martii, anno XI.

Illis scriptum est: constitutione de duabus dietis in generali concilio edita non obstante. Quod si non omnes —, tu frater episcope —.

Dat. ut supra.

342.

Honorius III papa rectoribus societatis Lombardiae mandat, ut celeriter litteras de accipienda pace transmittant, et interim quae pro Terrae Sanctae succursu facere teneantur praeparent, ita ut Friderico Romanorum imperatori notitia non veniat, quod tam diu litterarum missionem distulerint, neque ei occasio praebeatur eundem succursum differendi.

1227, Mart. 10.

Hon. III Reg. Vol. V, 174; Lib. XI, 580b.
Potthast, Reg. 7679.

Rectoribus societatis Lombardie.

Miramur nec satis sufficimus admirari, quod cum ad pacem et statum provincie vestre paterno intendentes affectu, ad sedandam discordiam inter vos et carissimum in Christo filium nostrum Fridericum, Romanorum imperatorem illustrem semper augustum et Sicilie regem, exortam curaverimus interponere partes nostras, ipsoque imperatore ac vobis totum negotium in nostra et fratrum nostrorum providentia libere ac absolute ponentibus, super ipso negotio de providentia statuerimus que utilitati ac statui eiusdem provincie non est dubium expedire, vobisque per litteras nostras dederimus in preceptis, ut ea que statuimus studeretis pro parte vestra inconcussa servare, ac super hoc nobis et ipsi imperatori iuxta formam, quam vobis transmisimus, vestras patentes litteras usque ad primam dominicam quadragesime nunc preteritam[2] mitteretis,

a) hotandam *R.*

1) *Martino.* 2) *Febr. 28; cf. n. 327*

per manum publicam scriptas et vestri ac nobilis viri marchionis Montis ferrati et quarumlibet civitatum de vestra societate sigillorum appensione munitas, vos a nobis et nuntio ipsius imperatoris, qui super hoc pro parte sua litteras secundum quod ei scripsimus destinavit[1], diutius expectati, quod mandavimus efficere non curastis, per quendam simplicem nuntium tantam negligentiam et contemptum excusare conantes, causantes cedulam, in qua fuit dicta forma conscripta, cecidisse in aquam, et fuisse ita quod legi nequiverit vitiatam, atque in argumentum rei nobis paginam, in qua inclusa fuit supradicta cedula, transmisistis, in qua quid notaverimus non duximus presentibus exprimendum. Sane non fuit vestre prudentie occasionem tam ineptam obtendere, et ecclesiam Romanam et imperatorem ac ipsum Iesum Christum, cuius servitium, videlicet Terre Sancte succursus, per hoc posset facile impediri, contra vos taliter provocare. Repulsa ergo petitione vestra de dilationibus dandis, quam nobis per alium nuntium, qualem vobis placuit, transmisistis, discretioni vestre presentium auctoritate mandamus et districte precipimus, quatinus, sicut caram habetis gratiam divinam et nostram, litteras secundum prenotatam formam, quam nunc quoque vobis sub bulla nostra destinamus inclusam, nobis et ipsi imperatori omni occasione et excusatione cessantibus ita celeriter transmittatis, quod non possit ad ipsius imperatoris venire notitiam, vel vos ipsarum litterarum missionem distulisse tam diu, vel nos vobis super hoc iterato scripsisse, ac interim nichilominus cum ea sollicitudine, quam angustia temporis exigit, ea que pro ipsius Terre Sancte succursu facere tenemini preparetis, ne ipsi imperatori differendi eiusdem Terre Sancte succursum occasionem videamini dare, ac per hoc contra vos Deum et homines provocetis; scientes quod si vos in tanto facto Dei et nostri contemptores illusoresque senserimus, nil aliud videmus restare, nisi ut celum et terram contra vestram insolentiam invocemus. *Misimus* autem ad vos propter hoc dilectum filium Gualam fratrem ordinis Predicatorum, latorem presentium, qui statum et tranquillitatem eiusdem provincie, sicut manifeste cognovimus, diligit et pro ea frequenter apud nos interpellare curavit, per cuius relationem plenius scire poteritis, quantum huiusmodi more diffugium nobis et fratribus nostris grave fuerit ac molestum.

Dat. Lateran. VI Idus Martii, anno XI.

1) *n. 310.*

EX GREGORII IX REGISTRO.

343.

Gregorius IX papa Fridericum Romanorum imperatorem de obitu Honorii III papae et de sua electione certiorem faciens monet, ut efficaci studio negotium Terrae Sanctae peragere studeat; timeat alioquin, ne in illam necessitatem incidat, unde forsan de facili non poterit expediri. *1227, Mart. 23.*

Greg. IX Reg. Vol. I, 1; Lib. I, 2[a].
Potthast, Reg 7864

Gregorius episcopus servus servorum Dei
Frederico, illustri Romanorum imperatori semper augusto
et regi Ierusalem.

Alto illius, qui est sacerdos in eternum secundum ordinem Melchisedec, consilio (Ps. 110,4) agitur, ut cum eius vicarii sibi succedentes vicissim morte prohibeantur diutius permanere, interdum ad sponse ipsius regimen infirmitate circumdati assumantur, ut ex se ipsis cognoscant, qualiter infirmis compati debeant, et hiis qui ignorant et errant, valeant condolere, non sibi sumentes honorem sed tanquam Aaron divinitus evocati, ac manifeste appareat, quod non ab homine neque per hominem set ab ipso solo, qui est benedictus in secula, regitur sponsa sua. Sane bone memorie Honorio papa pre- (Rom. 1,25) decessore nostro XV Kal. Aprilis soluto debito carnis de presenti seculo nequam erepto, et in crastino iuxta morem celebratis exequiis et ipsius corpore ad tumulum deportato, una cum fratribus nostris ad eligendum convenimus successorem, et missa, ut moris est, in honore sancti Spiritus devote ac sollempniter celebrata, post aliquantulum tractatum de substitucione pontificis omnes pariter ad imbecillitatem nostram quasi divinitus inspirati oculos direxerunt, et nobis renitentibus et invitis, cum multa instancia et eciam violencia conati sunt humeris nostris imponere onus istud, cuius gravitatem pertimescendo nonmodicum non posse portare, licet suscipere fuerimus plurimum reluctati, metuentes tamen ne videremur inspirationi divine resistere, tandem summisimus humeros ad portandum[1], sperantes in eo, qui iugum suum suave miseri- (Matth. 11,30) cordia sua facit et onus leve preduce caritate, quod ipse, qui vota fratrum aspirando prevenit, adiuvando etiam prosequetur. Fiduciam enim talem habemus per Christum ad Deum, non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed nostra sufficientia est ex Deo, qui nos suos voluit esse ministros. Sollicitudine igitur ecclesiastice provisionis suscepta, de honore tuo ac salute solliciti, qui te, dum esse-

---

a) Lib. I, 2, *supplevimus ex Rayn. a. 1227. § 18.*

1) *Gregorius IX (Hugolinus, Ostiensis episcopus) Mart. 19 apud Septemsolia eligitur et Mart. 21 die dominico in basilica sancti Petri consecratur. Rayn. a. 1227, § 15 et 16.*

mus in minori officio constituti, habuimus in visceribus caritatis ac tuis profectibus aspiravimus, sublimitati tue primitias litterarum nostrarum duximus destinandas, celsitudinem tuam rogantes attentius et monentes et exhortantes in Domino, in remissionem tibi peccaminum iniungendo, quatinus in devotione sedis apostolice firmiter perseverans et nobis disponente Domino ad regimen eius assumptis, prout decet principem Christianum, assistens humiliter et devote, sic sollicite ac efficaci studio peragere satagas negotium Terre Sancte, ac te viriliter et potenter in instanti passagio ad eius succursum accingas, in manu forti et brachio extento ad preliandum de corde puro et fide non ficta prelia Domini transfretando, quod ab eo consequi merearis inmarcescibilis glorie diadema, et nos, qui te sinceritatis brachiis amplexamur, ad ea que tuum respiciunt comodum et honorem, ex hoc forcius accendamur. Alioquin quantumcumque te sincera diligamus in Domino caritate et tibi, quantum cum Deo possumus, deferre velimus, id dissimulare nulla poterimus ratione, presertim cum ad instantiam tuam pro predicto negotio, dum adhuc minori officio fungeremur, sollicitudines subierimus plurimas ac labores, et nunc omnibus archiepiscopis et episcopis nostris demus litteris in mandatis, ut eorum singuli crucesignatos suarum diocesium efficaciter moneant et inducant, et, si necesse fuerit, sublato appellacionis obstaculo ecclesiastica censura compellant, ut se viriliter et potenter ad iter peregrinationis accingant, transfretaturi ad Terre Sancte subsidium in instanti passagio et sic reddituri Domino vota sua, quod in oculis divine maiestatis complaceant et premium vite recipere mereantur ab eo in retributione iustorum. Tu ergo, fili karissime, ad illum, qui dominatur in regno hominum, qui te sua gratia sublimavit, debitum habens cum devotione respectum, sic precibus et monitis nostris obtempera, quod nequaquam nos et te ipsum in illam necessitatem inducas, de qua forsan te de facili non poterimus, etiamsi voluerimus, expedire.

Data Laterani, X Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno primo.

344.

Rectores societatis Lombardiae Honorio III papae formam compositionis et pacis cum Friderico Romanorum imperatore initae transmittunt[1]. — *In eundem modum ab iis scriptum est imperatori.* *1227, Mart. 26.*

Greg. IX Reg. Vol. I, 3.
Ed. Pertz, LL. t. II. p. 259.

1) *Haec forma non multum ab ea differt, quam papa Ian. 5 iis transmisit [n. 328]. — Ut Huillard-Bréholles, Hist. dipl. Frid. II. t. III. p. 5, not. 1 monet, reperitur in collectione Laporte du Theil sub n. 125 aliud eiusdem formae exemplar, in quo nomina rectorum desunt et in fine legitur:* Acta sunt hec anno a nativitate Domini *etc.* die lune mense exeunte Martio [*Mart. 29*], in civitate Brixie, in quadam caminata domini episcopi Brixiensis, presentibus domino Agone de Turbiado archidiacono, domino Lanfranco archipresbytero maiore canonice [*sic*] Brixie, magistro Alberto de Bornado canonico Brixiensi, fratre Iacobo, fratre Rogerio de ordine fratrum Predicatorum, Guidone notario de Folliano et Girardo Spalla notario de Placentia et aliis multis testibus rogatis. — Ego Iohannes Savalensis sacri palatii notarius hiis interfui et rogatus hoc perpetuavi et scripsi. *Hae eae aliae litterae esse videntur, quas Gregorius IX papa propter nonnullorum sigillorum defectum a Lombardis poposcit [n. 349], quasque, ut Raynaldus hunc eundem num. 125 commemorans refert, maturato consilio omnium sigillis munitas misere. Quod si res ita se habet, temporis notas non veras, sed diem aliquanto maturiorem indicantes subscribi iusserunt.*

345.

Gregorius IX papa rectoribus societatis Lombardiae scribens, Honorii III epistolam Mart. 10 datam verbis competenter mutatis repetit, qua iis mandatur, ut litteras suas de pace inter ipsos et imperatorem facta secundum formam transmissam celeriter sibi dirigant.

1227, Mart. 27.

Ex Greg. IX Reg.

Gregorius episcopus etc. rectoribus societatis Lombardie.

Miramur nec satis sufficimus ammirari, quod cum apostolica sedes ad pacem et statum provincie vestre paterno intendens affectu, ad sedandam discordiam inter vos et carissimum in Christo filium nostrum Fridericum, Romanorum imperatorem illustrem semper augustum et regem Sicilie, exortam curaverit interponere partes suas, ipsoque imperatore ac vobis totum negotium in eius providentia libere ac absolute ponentibus, ea super negotio ipso providendo statuerit, que utilitati eiusdem provincie non est dubium expedire, vobisque apostolicis litteris dederit in preceptis, ut ea que statuit studeretis pro parte vestra inconcussa servare, ac super hoc tam ipsi apostolice sedi quam dicto imperatori iuxta formam vobis transmissam vestras patentes litteras usque ad primam dominicam quadragesime nunc preteritam[1] mitteretis, per manum publicam scriptas et vestri ac nobilis viri . . marchionis Montis ferrati et quarumlibet civitatum de vestra societate sigillorum appensione munitas, vos a nuntio ipsius imperatoris, qui super hoc pro parte sua secundum quod ei scriptum fuit litteras destinavit, diutius expectati, quod vobis mandatum fuit, efficere non curastis, huiusmodi negligentiam et contemptum per quosdam simplices nuntios excusare conando, ac pretendendo quasdam occasiones frivolas et ineptas; propter quod bone memorie Honorius predecessor noster vos digne redarguens per sua vobis scripta mandavit et districte precepit, quod res ipsi deposcere videbatur. Quia vero eodem predecessore nostro interim ab hac luce subtracto, ad officium apostolice servitutis sumus licet insufficientes assumpti, ne forte ea occasione vos excusare velitis, quod eiusdem predecessoris nostri mandatum eius obitu expiravit, illud duximus innovandum, per apostolica vobis scripta districte precipiendo mandantes, quatenus, sicut caram habetis gratiam divinam et nostram, litteras secundum prenotatam formam, que iam secundo sub apostolica bulla missa est vobis inclusa, nobis et ipsi imperatori omni occasione ac excusatione cessantibus ita celeriter transmittatis, quod non possit ad ipsius imperatoris venire notitiam, vel vos litterarum ipsarum missionem distulisse tam diu, vel vobis super hoc ab apostolica sede totiens scriptum esse, ac interim nichilominus cum ea sollicitudine, quam angustia temporis exigit, ea que pro Terre Sancte succursu facere tenemini preparetis, ne ipsi imperatori differendi eiusdem Terre Sancte succursum occasionem videamini dare, ac per hoc contra vos Deum et homines provocetis; scientes quod si vos in tanto facto Dei et nostri contemptores illusoresque senserimus, nil aliud videmus restare, nisi ut celum et terram contra vestram insolentiam invocemus. Taliter igitur nostrum curetis adimplere preceptum, quod qui provinciam vestram, dum in minori essemus officio, sincera caritate dileximus, merito in eius dilectione crescere debeamus.

Data Lateranis, VI Kal. April. pontificatus nostri anno primo.

1) *Febr. 28.*

346.

Gregorius IX papa abbati de Lapide Sancti Michaelis, praeposito et decano Halberstadensi mandat, ut si electionem [Bertradae] praepositae Quedlinburgensis in abbatissam eiusdem monasterii canonice celebratam inveniant, eam confirment. Cf. n. 258 et 297.

1227, Mart. 29.

Greg. IX Reg. Vol. I, 1.

. . abbati de Lapide Sancti Michaelis Cisterciensis ordinis Alberstadensis diocesis, . . preposito et . . decano Alberstadensi.

Cum sicut ex parte . . decane et conventus monasterii Quindelimburgensis ad sedem apostolicam nullo medio pertinentis fuit propositum coram bone memorie Honorio papa predecessore nostro, nuper eodem monasterio abbatisse solatio destituto, invocata Spiritus sancti gratia eiusdem loci prepositam concorditer ac canonice in abbatissam elegerunt, eidem humiliter supplicarunt, ut electionem celebratam de ipsa dignaretur auctoritate apostolica confirmare. Nos igitur sequentes formam litterarum, quas memoratus predecessor noster providerat destinandas, diserte vobis per apostolica scripta mandamus, quatenus examinata electione pariter et electa, si eam inveneritis de persona idonea canonice celebratam, auctoritate nostra confirmetis eandem, et faciatis electe vice nostra munus benedictionis impendi. Quod si non omnes hiis exequendis poteritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur.

Data Lateranis, IIII Kal. Aprilis, [anno primo][a].

347.

Gregorius IX papa [Eberhardo] archiepiscopo Salisburgensi mandat, ut Henricum de Cunring ministerialem [Liupoldi VI] ducis Austriae et socios eius, qui terram Bohemiae iniustissime provocati depopulati fuerint, iniuncta poenitentia competente ab excommunicationis laqueo absolvat.

1227, April. 3.

Greg. IX Reg. Vol. I, 5; Lib. I, 27[b].
Potthast, Reg. 7872.

Gregorius episcopus etc. archiepiscopo Salzburgensi.

Dilectus filius noster vir nobilis[c] . . dux Austrie transmissa nobis petitione monstravit, quod ipso existente in partibus Lombardie, quo vocatus fuerat a karissimo in Christo filio nostro Frederico, Romanorum imperatore illustri semper Augusto et rege Sicilie, de Terre Sancte subsidio tractaturus, Boemi terram eius hostiliter invadentes, ipsam depopulari rapinis et incendiis presumpserunt. Quare Henricus de Cunring[d], ministerialis ducis ipsius, quem ipse dimiserat ad custodiam terre sue, inimicis pro posse repugnans obsequentium sibi militum auxilio comitatus, terras illorum potenter intravit et ibidem exercuit incendia et rapinas. Unde dictus dux

a) anno primo *deest in R.* b) Lib. I, 27 *supplevimus ex Boczek, Cod. dipl. Morav. t. II, p. 178, n. 175.* c) nobilis *deest in R.* d) Cunring *R.*

nobis fecit humiliter supplicari, ut licet dictus ministerialis et socii eius iniustissime provocati se licite vindicantes nil egisse videantur iniuste, quia tamen bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, ubi culpa non fuit, predictum ministerialem et sequaces suos ab excommunicationis laqueo, si quem propter hoc forsitan incurrerunt, faceremus absolvi, presertim cum idem ministerialis paratus sit propter hoc quatuor milites suis sumptibus, qui alias ituri non essent, in Terre Sancte subsidium destinare. Volentes igitur sic annuere precibus supplicantis, ut rigorem servemus ecclesiastice discipline, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus illo premissa complente ipsis iuxta formam ecclesie beneficium absolutionis impendens, ipsis secundum qualitatem et quantitatem culparum iniungas penitentiam competentem.

Dat. Laterani, III Non. Aprilis, [anno primo][a].

348.

Gregorius IX papa [Eberhardo] archiepiscopo Salisburgensi mandat, ut [Ulricum] episcopum Gurcensem super regalibus, quae possideat, non molestet sed coram iudicibus ius suum persequatur. *1227, April. 6.*

Greg. IX Reg. Vol. 1, 5; Lib. 1, 26.
Potthast, Reg. 7874.

Archiepiscopo Salzburgensi.

Venerabilis frater noster . . Gurcensis episcopus in nostra proposuit presentia constitutus etc. usque: compescentes, verbis competenter mutatis[1]. Ideoque fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus interim ipsum episcopum super regalibus illis, quorum possessionem obtinet vel obtinebat appellationis tempore, non molestes, sed coram prefatis iudicibus proponas, ut decet, que pro tuo et ecclesie tue iure videris proponenda.

Data Lateran. VIII Id. Aprilis, [anno primo][b].

349.

Gregorius IX papa rectoribus societatis Lombardiae exprobrat, quod in litteris, quas super acceptatione concordiae inter ipsos et imperatorem ordinatae sibi direxerint, sigilla marchionis Montisferrati et quamplurium civitatum non fuerint; mandat iis, ut eas iterum

a) anno primo *deest in R.* b) anno primo *deest in R.*

1) *Epistola, quae hic citatur, Lib. 1, 25, inter Pertzii apographa non extat. Ut Huillard-Bréholles, l. c. t. III, p. 20, not. 2 refert, episcopo Concordiensi, abbati Moracensi et praeposito de Garnech Aquilegensis diocesis directa erat, qui monentur, ut causam Gurcensis episcopi contra archiepiscopum Salisburgensem regalia sibi vendicantem audiant et, si fieri possit, terminent. Alioquin rem ad sedem apostolicam remittant. Datum Laterani, VIII Idus Aprilis, anno primo. — Cf. etiam privilegium confirmationis 1227, Mart. 29 archiepiscopo Salisburgensi ab Henrico VII Romanorum rege indultum: Huillard-Bréholles, l. c. t. III, p. 312.*

scribi faciant et omnium sigillorum appensione muniri; monet, ut milites, quos in Terrae Sanctae subsidium destinare teneantur, in instanti passagio paratos habeant.

[1227, April. 16][1].

Greg. IX Reg. Vol. I, 5; Lib. I, 28.
Potthast, Reg. 7868.

Rectoribus societatis Lombardie.

Recepimus litteras, quas super acceptatione concordie inter karissimum in Christo filium nostrum Fredericum, Romanorum imperatorem illustrem semper augustum et regem Sicilie, ac societatem Lombardorum per sedem apostolicam ordinate nobis et imperiali excellentie direxistis, in quibus notavimus, quod licet confecte fuerint secundum formam vobis ab apostolica sede transmissam, fuit tamen in sigillorum appositione defectus, cum nobilis viri marchionis Montisferrati et quampluriun civitatum de ipsa societate sigilla non fuerint in eisdem; propter quod eas, que ipsi imperatori destinantur a vobis, eidem non duximus transmittendas, ne prenotatum defectum ex aliqua fraudolentia crederet evenisse, cum ipsum non lateat vobis fuisse mandatum, ut vestro et prefati marchionis ac singularium civitatum de ipsa societate sigillis litteras muniretis easdem. Ideoque discretioni vestre per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatenus secundum formam eandem, quam nunc etiam vobis duximus transmittendam, litteras faciatis scribi per manum publicam et omnium predictorum sigillorum appensione muniri, easque nobis celeriter transmittatis, ne illorum dilatio more occasionem imperatori ipsi tribuere videatur ac Terre Sancte subsidium retardare. Provideatis etiam, quod milites, quos in ipsius Terre Sancte subsidium destinare tenemini, habeatis paratos in instanti passagio, tales quos decuit imperialem excellentiam et vos ipsos, et sint utiles Terre Sancte, quoslibet de societate ipsa, qui[a] pro parte sua subire onus huiusmodi detrectaverint et observare alia, que in forma supradicte concordie sunt expressa, ad id potestate vobis tradita compellendo; scientes nos venerabili fratri nostro Mediolanensi episcopo[b 2] mandavisse, ut eos ad ipsum, si necesse fuerit, modo predicto per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellat. Porro litteras ipsius imperatoris, quas vobis mittit super acceptatione concordie supradicte, penes nos habemus imperialis sigilli appositione munitas, earumque tenorem vobis sub bulla nostra destinamus inclusum, ipsas vobis litteras transmissuri, cum vestras receperimus sigillis omnibus que appendi debent, secundum quod superius exprimitur, roboratas.

Data Laterani, XVI Kal. Aprilis, [anno primo][c].

Scriptum est super hoc . . archiepiscopo Mediolanensi verbis competenter mutatis.

---

a) que *R.* b) *ita copia nostra.* c) anno primo *deest in R.*

1) *Haec epistola et quinque sequentes, secundum Sarioli, Annal. Bologn. t. III 2, p. 73, 76, 77 et Huillard-Bréholles, Hist. dipl. Frid. II, t. III, p. 7, not. 1, Greg. IX Reg. Lib. I, 28—33, in apographis Pertzii omnes datae sunt XVI Kal. Aprilis, Lib. I, 28 et 30 [n. 349 et 351] apud Sarioli sub III Kal. Apr.; male, nam ut a V. Cl. E. Winkelmann comperi, et in Coll. Fontanini Bibl. Archiv. Venet. et in Cod. Bonon. vol. XXXVII, ubi ex Reg. Vat. sumptae continentur, notam chronologicam quam nos damus habent. Corruptam eam in omnibus illis epistolis esse apparet ex hoc: 1) papa Mart. 27 [n. 345] epistolam Mart. 10 datam [n. 342] repetit, quod non fecisset, si Mart. 17 Lombardis iam aliter scriptum fuisset; 2) Guala Mart. 10 ad eos mittitur ideoque papa Mart. 17 eius litteris nondum respondere potuit; 3) cum n. 349—351 scriberet, forma concordiae in eius manibus erat, sed usque ad Mart. 27 nihil receperat. Cum igitur forma illa Mart. 26 Brixiae sigillata [n. 344] ante initium mensis Aprilis Romae esse vix potuerit, pro XVI Kal. April. XVI Kal. Maii legendum esse credimus. Cf. n. 344, not. 1. — Eadem corruptio in Lib. I, 34 et 35 ap. Theiner, Cod. dipl. dom. temp. s. sed. t. I, p. 85—86, n. 145 et 146, quae epistolae propter ordinem Reg. ad annum 1227 referendae sunt.*
2) *Henrico.*

350.

Gregorius IX papa fratri Gualae mandat, ut rectores societatis Lombardiae sollicitet, ut litteras imperatori dirigendas iterum scribi faciant et omnium sigillorum appensione muniri, et ut ad faciendum inter se divisionem militum in Terrae Sanctae subsidium mittendorum celeriter procedant. Cf. n. 349, not. 1. [1227, April. 16].

Greg. IX Reg. Lib. I, 29.
Potthast, Reg. 7880 et 8147.

Fratri Gale ordinis Predicatorum.

Recepimus litteras, quas ad sedem apostolicam direxisti, et notata earum continentia diligenter scripsimus rectoribus societatis Lombardorum secundum quod expedire cognovimus et litterarum nostrarum inspectio te poterit edocere. Monemus igitur probatam sollicitudinem tuam et per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus rectores ipsos sollicites incessanter, ut litteras imperiali celsitudini dirigendas per manum publicam scribi faciant iterato, et sicut nunc mandamus et a principio fuit mandatum eisdem, sui et nobilis viri marchionis Montis Ferrati ac singularum civitatum de ipsa societate sigillorum appensione muniri, ac ad faciendum inter se divisionem militum in Terre Sancte subsidium mittendorum cessante dilatione procedant. Que cum perfecerint[a], ad nostram presentiam revertaris, et totus processus negotii per te nobis plenius innotescat. Ad cautelam autem formam litterarum ipsarum eisdem iterum sub bulla nostra destinamus inclusam.

Data Laterani, XVI Kal. Aprilis, [anno primo][b].

351.

Gregorius IX papa Friderico Romanorum imperatori nuntiat, rectores societatis Lombardiae formam concordiae acceptasse; obsecrat eum, ut ad Terram Sanctam liberandam in instanti passagio potenter se accingat. Cf. n. 349, not. 1. [1227, April. 16].

Greg. IX Reg. Lib. I, 30.
Potthast, Reg. 7869.

Gregorius etc. Frederico, illustri Romanorum imperatori semper augusto et regi Sicilie.

Noverit tua serenitas rectores societatis Lombardie humiliter acceptasse formam concordie, que inter te ac eandem societatem per apostolicam sedem extitit ordinata, et super hoc nobis et excellentie tue iuxta formam eis ab apostolica sede transmissam litteras direxisse, scriptas per publicam manum et diversorum sigillorum appensione munitas, quarum tenorem sublimitati tue sub bulla nostra destinamus inclusum, litteras ipsas, que ab eis tue celsitudini diriguntur, tibi per competentem nuntium transmissuri, cum eas latori presentium non duxerimus committendas. Rogamus igitur imperialem magnificentiam, monemus et obsecramus in Domino, quatinus ad terram, in qua ipse dominus Iesus Christus salutem humani generis voluit operari, de impiorum manibus eius preeunte auxilio liberandam te, sicut teneris et excellentiam tuam decet, magnifice

a) profecerint *R.* b) anno primo *deest in R.*

ac potenter accingas, sciens nos hec significasse per litteras nostras crucesignatis per Theutoniam constitutis, et ut preparent se ad transeundum tecum in instanti passagio, sollicite monuisse, ac mandavisse prelatis, ut subditos suos ad ipsius Terre Sancte subsidium sedulis exhortationibus studeant animare.

Data Lateran. XVI Kal. Aprilis, [anno primo][a].

352.

Gregorius IX papa [Henrico] archiepiscopo Coloniensi et suffraganeis eius nuntiat, imperatorem et Lombardos formam concordiae acceptasse et ad invicem litteras suas destinasse; mandat iis, ut subditos suos ad Terrae Sanctae subsidium sollicite animent. Cf. n. 349, not. 1. *[1227, April. 16.]*

Greg. IX Reg. Lib. I. 31.

Gregorius etc. archiepiscopo Coloniensi et suffraganeis eius.

Noverit vestra fraternitas, quod formam concordie inter carissimum in Christo filium nostrum Fredericum. Romanorum imperatorem etc., et societatem Lombardorum per apostolicam sedem facte utraque pars humiliter acceptavit, super hoc nobis et sibi ad invicem suas patentes litteras destinando. Cum ergo idem imperator ad transeundum in instanti passagio magnifice se accingat, ipsique Lombardi, qui ex forma concordie supradicte quadringentos milites per biennium in expensis propriis dare ipsi imperatori tenentur in subsidium Terre Sancte, ad illos dandos se hilariter et viriliter preparent, fraternitatem vestram sollicitandam duximus et monendam, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus ad ipsius Terre Sancte subsidium subditos vestros sollicite animetis, crucesignatis iniungendo, ut transeant in instanti passagio, ac alios ad suscipiendam crucem vel ad conferendum de bonis suis in ipsius Terre Sancte subsidium sedulis exhortationibus inducendo, promissa eis secundum statutum concilii generalis suorum venia peccatorum, de quibus vere contriti fuerint et confessi, eam in hiis sollicitudinem et diligentiam adhibentes, quam negotium tam favorabile, tam necessarium tamque sanctum exposcit.

Data Laterani. XVI Kal. Aprilis. [anno primo][b] [1].

353.

Gregorius IX papa [Ludowico] lantgravio Thuringiae idem scribit de acceptatione formae concordiae eumque hortatur, ut ad transeundum se praeparet. Cf. n. 349, not. 1. *[1227. April. 16.]*

Greg. IX Reg. Lib. I. 32.

a) anno primo *deest in R.* b) anno primo *deest in R.*

1) *In eundem modum, ut vidit Huillard-Bréholles, l. c. t. III, p. 7, not. 1 in collect. Laporte du Theil ap. Bibl. Paris., scriptum est Maguntino, Bremensi, Trevirensi et Magdeburgensi archiepiscopis et eorum suffraganeis.*

Gregorius etc. lancravio Turingie cruce signato.

Noverit discretio tua, quod formam concordie inter carissimum in Christo filium nostrum Fredericum . . . . usque: viriliter preparent, nobilitatem tuam rogamus et hortamur in domino Iesu Christo, quod ad transeundum una cum ipso imperatore procures, pro temporali labore quietem eternam largiente Domino recepturus.

Datum Laterani, XVI Kal. Aprilis, [anno primo][a].

In eundem modum universis crucesignatis per Theutoniam constitutis.

354.

Gregorius IX papa Hermanno magistro Theutonicorum idem scribit verbis mutatis. Cf. n. 349, not. 1. *[1227, April. 16.]*

Greg. IX Reg. Lib. I, 33.

Gregorius etc. fratri Hermanno magistro Theutonicorum.

Noverit discretio tua Lombardos humiliter acceptasse formam concordie inter carissimum in Christo filium nostrum Fredericum . . . ac ipsos per apostolicam sedem facte. Tu ergo ad Terre Sancte subsidium, ad quod idem imperator magnifice se accingit, crucesignatos Theutonie ac alios, quoscumque potes, studeas secundum datam tibi a Deo prudentiam animare.

Datum Lat. XVI Kal. Aprilis, [anno primo][b].

355.

Gregorius IX papa Lombardis scribens conqueritur, quod haereticae labis morbus eorum provinciam fere totam infecerit, eosque monet, ut ea, quae contra haereticos et pro libertate ecclesiastica apostolica et imperialis sanxerit auctoritas, fideliter observent; si eius praeceptis obedire neglexerint, se ea excogitaturum esse, per quae eorum praesumptio comprimatur. *1227, April. 29.*

Greg. IX Reg. Vol. I, 8—9; Lib. I, 54.

Gregorius episcopus etc. potestatibus et populis civitatum Lombardie.

Diversis laudum titulis claret quidem provincia Lombardie, set duo sunt que ipsam eius claritatem vehementer obfuscant, labes videlicet heretice pravitatis, que nonnullas eiusdem provincie terras publica fama immo infamia referente asseritur graviter infecisse, et consequenter subversio ecclesiastice libertatis, que ex illa venenata radice, cum arbor mala non possit facere bonos fructus, videtur absque Matth. 7, 17
dubio processisse. Magno igitur studio, magna cura, magna diligentia est vestre providencie satagendum, ut de gloria vestra huiusmodi deformes et periculosas maculas auferatis, que non solum ipsam gloriam temporalem imminuunt, verum etiam prorsus

a) anno primo deest in R. b) anno primo deest in R.

auferunt sempiternam hiis, quos inficit dicta labes, et eos penis sempiternis addicunt. Vos vero, sicut audivimus ab aliis et experti sumus aliquando per nos ipsos, non
Ierem. 48 10. sincere nitimini medicinam morbis adhibere predictis, set cum scriptum sit: 'Maledictus qui agit opus Domini negligenter', vos non solum negligenter in predictorum morborum curatione proceditis set etiam fraudulenter, ledentes fraude huiusmodi vosmetipsos,
Prov. 1.18. ita ut vobis adaptari possit illa sententia Salomonis: 'Insidiantur' inquit 'contra sanguinem suum et fraudes contra suas animas moliuntur'. Cum enim vel vestrorum exhortationibus prelatorum vel apostolicis comminationibus excitamini ad procedendum contra hereticam pravitatem vel ad faciendum aliquid in favorem ecclesiastice libertatis, vos quasi ad oculum servientes, ac studentes potius famam vestram hominibus quam vestram Deo conscientiam commendare, facitis statuta nostra de expellendis hereticis et eorum fautoribus puniendis nec non de conservanda ecclesiastica libertate, ipsaque statuta superficialiter exequentes, hereticos ipsos a finibus vestris expellitis, qui post tempus modicum revertuntur, vosque, quasi Deus vestra possit astutia irrideri, id sub dissimulatione transitis. Si quando vero eis vel eorum fautoribus pecuniariam penam infligitis, aut illam non aufertis eisdem, aut ad solam apparentiam auferentes eis clanculo restituitis, et sic de impunitate securos in sua malitia roboratis. In fine quoque vestrorum ponitis statutorum, ut potestates, consiliarii addendi, minuendi atque mutandi liberam habeant potestatem. Pretextu cuius capituli evacuatur et redit in nichilum, quicquid pro fide catholica vel ecclesiastica libertate fuerat constitutum, et ita factum est, quod non sine magno cordis dolore referimus, ut heretice labis morbus, serpens paulatim ut cancer, provinciam vestram fere totam infecerit, et libertas ecclesiastica pene penitus subversa sit in eadem et ab eius finibus emigrarit, cum
Cant. 2 15. heretici iam non vulpes latentes vineam demoliantur Dominicam, set quasi equi parati ad prelium presumant manifeste insurgere contra eam, in quibusdam locis publice
Ps. 67 31 predicando, et quasi tauri inter vaccas populorum, inter videlicet seductibiles animas, ducatum gregis, dum episcopos se appellare presumunt, temere usurpando. Libertas vero ecclesiastica adeo inter vos subversa esse dicitur et eversa, ut non solum ecclesiarum hominibus set etiam ipsis ecclesiis et personis ecclesiasticis collecte, tallie, angarie ac parangarie imponantur a laicis, et respondere cogantur sub examine iudicis secularis, quos etiam non veremini publico banno subicere ac interdum carceri mancipare. Qui autem vel nondum prorsus ecclesie reverenciam abiecerunt, vel, quod verius est, volunt non abiecisse videri, banno personas huiusmodi non subiciunt, set si clericale privilegium allegantes coram eis renuunt respondere, eis negant iusticiam, cum de laicis conqueruntur, ipsisque laicis, ne illis communicent in commerciis aliisve contractibus, interdicunt, et sic nove potencie genere laici clericos quodammodo excommunicant, cum ipsis communicari, ut diximus, non permittant. Faciunt statuta etiam super decimis, et contempta lege divina subditos suos ad usurarum solucionem cogere non verentur, quorum quidam in tante temeritatis audaciam proruperunt, ut in illos, qui contra usurarios litteras impetrant apostolicas, non sint veriti statuere certam penam. Nunquid creditis, quod Deus ista non videat? Nunquid creditis, quod hec mala, nisi correxeritis, semper impunita relinquat? Patiens quidem est Deus, et diu perversos, ut ad ipsum revertantur, expectat. Sed illi, qui divitias eius longanimitatis contempnere non formidant, sibi iram in die iudicii thesaurizant. Ab hoc metuendo thesauro, qui confusionem perpetue paupertatis inducit, vos preservare iuxta officii nostri debitum satagentes, universitatem vestram monemus, rogamus et obsecramus in domino Iesu Christo, ac per apostolica vobis scripta precipiendo mandamus, quatenus ad Deum habentes puro corde respectum et transitoriis eterna, ut convenit, preferentes, omissis huiusmodi adinventionum versutiis, quibus nullos magis decipitis quam vos ipsos, ea que contra hereticos et credentes ac

fautores eorum, et que pro ecclesiastica libertate apostolica et imperialis sanxerit auctoritas, et specialiter que super hiis statuta fuerunt in concilio generali, nec non ea que karissimus in Christo filius noster Fridericus, Romanorum imperator etc., super eisdem constituit, et que in forma concordie inter ipsum et quosdam vestrum a sede apostolica nuper facte super iamdictis articulis sunt expressa, que volumus ad omnes civitates Lombardie extendi, sincere ac fideliter observetis et faciatis a civibus vestris et subditis excluso cuiuslibet fraudis commento inviolabiliter observari, nullum ad solutionem usurarum compellere vel eis, qui contra usurarios litteras impetrant apostolicas, ob hoc penam infligere presumentes: preceptum nostrum taliter impleturi, quod sepedicte labis infamia, que vos reddidit ubique notabiles, conquiescat, et remota huiusmodi macula, que, sicut a principio diximus, laudum vestrarum titulos vehementer obfuscat, de puritate fidei et conservatione ecclesiastice libertatis possitis merito commendari: pro certo scientes, quod si nostris in hoc salubribus monitionibus et preceptis neglexeritis obedire, et contra ea presumpseritis per adinventiones quaslibet hereticis vel eorum fautoribus favorem indignum impendere, vestrosque prelatos aliasve personas ecclesiasticas in prenotatis articulis aggravare, nos contra presumptionem huiusmodi ea excogitare curabimus, per que eadem comprimi debeat et vos a vestris perversitatibus ad viam rectitudinis revocari. Provideatis igitur sicut viri sapientes et providi, ne contra vos, quorum salutem paterno zelamur affectu, grave aliquid cogitare cogamur culparum vestrarum immensitate compulsi.

Data Lateran. III Kal. Maii, [anno primo][a].

356.

Gregorius IX papa praelatis Theutoniae scribit de quibusdam miserrimis mulieribus, quas R[odulfus] presbyter canonicus Sancti Mauritii Hildeshemensis converterat, eosque monet, ut huiusmodi mulieres, si ad eos confugerint, commendatas habeant et presbyterum, cum ad eos accesserit, benigne recipiant. *1227, Iun. 7.*

Greg. IX Reg. Lib. I, 111.

Gregorius etc. archiepiscopis et episcopis et aliis ecclesiarum prelatis per Theutoniam constitutis.

Dilecto filio R. presbitero canonico Sancti Mauricii Hildesemensis, venerabilis fratris nostri . . Portuensis episcopi[1] cappellano, accepimus referente, quod ipse de mandato venerabilis fratris nostri archiepiscopi Maguntini[2] et episcopi memorati, tunc apostolice sedis legati, officium predicationis assumens et hominum piscator effectus Marc. 1,17
quasi iubente Domino rete piscibus plenum extraxit, dum quasdam miserrimas mulieres, que hostis humani generis suggestione seducte in lutum ceciderant fece libidinis involute, de lacu miserie, ne absorberet ipsas puteus desperationis, eduxit, sicque factum est, quod multis ex ipsis nuptui traditis, alie facte de meretricibus moniales et de prostibulo fugientes ad claustrum servare voverunt Domino castitatem. Cum igitur ipse chorus angelicus gaudeat, sicut credimus, ex hoc facto, vos, qui animarum salutem zelamini, potestis exinde non immerito iocundari. Sane quia occurri debet cum panibus Es. 21,14.

a) anno primo *deest in R.*

1) *Conradi.* 2) *Sifridi II.*

fugientibus ex Egypto, universitatem vestram rogandam duximus et hortandam, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus huiusmodi mulieres penitentiam agentes, que ad vestras partes confugerint, divine pietatis intuitu et pro apostolice sedis et nostra reverentia commendatas habentes, in oratoriis, cimiteriis et aliis, que ad vestrum spectant officium, provideatis eisdem liberaliter et benigne, ita quod ipse favoris vestri auxilio confortate in castitate ac religione assumpta Domino adiuvante persistant, et nos caritatem vestram dignis in Domino laudibus comendemus. Ad hec volumus et mandamus, quatenus dictum presbiterum, cui super conversione talium mulierum officium predicationis commisimus, cum ad vos accesserit, recipiatis benigne ac honeste tractetis, vite sibi necessaria ministrando, et populum vobis comissum ad audiendum predicationem ipsius salubribus monitis inducatis.

Data Anagnie, VII Idus Iunii, anno I.

357.

Gregorius IX papa abbati Wissenburgensi mandat, ut Rodulfo canonico Sancti Mauritii Hildeshemensis proventus ecclesiasticos ministrari faciat. *1227, Iun. 7.*

Greg. IX Reg. Lib. I, 112.

Gregorius etc. abbati de Wizeburc Spirensis diocesis et coniudicibus suis.

Ut dilectus filius Rodulfus, canonicus Sancti Mauricii Hildesemensis, venerabilis fratris nostri Portuensis episcopi[1] capellanus, comissum sibi a nobis sancte predicationis officium libere valeat exercere, districte vobis per apostolica scripta mandamus, quatinus ipsum tam pio et necessario operi insistentem pro apostolice sedis et nostra reverentia manutenere ac defendere a quorumlibet malefactorum incursibus procuretis, et proventus suos ecclesiasticos faciatis eidem integre ministrari; contradictores, si qui fuerint, et molestatores eius indebitos per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quod si non omnes —, duo vestrum etc.; non obstante constitutione concilii generalis, qua cavetur, ne quis ultra duas dietas extra suam diocesim per litteras apostolicas ad iudicium trahi possit.

Data Anagnie, VII Idus Iunii, anno I.

358.

Gregorius IX papa R[odulfo] canonico Sancti Mauricii Hildeshemensis de conversione quarundam miserrimarum mulierum gratulatur, eique potestatem concedit, ut confessiones huiusmodi mulierum audiat, aliqua mandata eandem rem attinentia addens.

1227, Iun. 8.

Greg. IX Reg. Lib. I, 110.
Potthast, Reg. 7926.

1 *Conradi.*

Gregorius etc.
R. presbytero canonico Sancti Mauritii
Hildesemensis.

Gaudemus in Domino et tue sollicitudinis studium comendamus, quod quasi vocatus a Domino de mandato venerabilium fratrum[a] nostrorum C[onradi] Portuensis episcopi, tunc apostolice sedis legati, et . . archiepiscopi Maguntini[1] ad sancte predicationis officium te convertens et hominum piscator effectus, rete plenum piscibus Marc. 1,17. extraxisti, dum illas miserrimas mulieres, que humani generis hostis sugestione seducte in lutum ceciderunt fece libidinis involute, de lacu miserie, ne ipsas desperationis absorberet puteus, eduxisti. Sicque factum est, quod multis ex ipsis nuptui traditis alie facte de meretricibus moniales et de prostibulo fugientes ad claustrum, servare voverunt Domino castitatem. Potes inquam et tu letari in Domino, cum et ipse chorus angelicus gaudeat ex hoc facto, set ut tantum a te gaudium nemo tollat, indefessa vigilare sollicitudine te oportet ac instare viriliter, ne hostis ille antiquus et callidus conversionem mulierum ipsarum penitentiam agentium sue possit calliditatis astutia impedire. Quocirca discretionem tuam monendam duximus et hortandam, per apostolica tibi scripta mandantes et in remissionem peccaminum iniungentes, quatinus sumens intrepidus auctoritate nostra tam pium predicationis officium, ad conversionem mulierum talium prudenter intendas, et conversas salubribus monitis in castitate ac religione corrobores et confortes. Ut autem commissum tibi a nobis predicationis officium possis liberius et utilius exercere, auctoritate presentium tibi concedimus potestatem, ut confessiones huiusmodi mulierum audire valeas et hiis de comissis iniungere penitentiam salutarem, illos vero, qui mulieres huiusmodi causa lucri tamquam patroni turpidinis manutenent et fovent, quod eas ad audiendum vocem predicationis tue libere venire permittant et conversionem et salutem earum nullatenus impedire presumant, diligenter moneas et inducas. Mulieres vero, que relicto maritali thoro lapsu carnis ceciderint, si mariti earum a te diligenter commoniti eas ad frugem melioris vite conversas noluerint recipere propter Deum, in claustris ipsas[b] cum predictis conversis mulieribus studeas collocare, ut perpetuam penitentiam ibi agant, prius tamen viris ipsis iniungens in remissionem peccaminum, ut easdem uxores suas recipiant divine intuitu pietatis. Alios autem viros solutos salubribus exhortationibus moneas et inducas, et hiis, si expedire videris, in remissionem peccatorum iniungas, ut aliquas ex huiusmodi mulieribus, que castitatem servare nequiverint, dummodo solute fuerint, accipiant in uxores. Ad hec, quia sicut audivimus quidam clerici et laici de pretio scorti lucrum captantes, ex quadam prava consuetudine vel potius corruptela questum accipere turpitudinis non verentur, licentiam tibi concedimus, ut sub pena excommunicationis inhibeas, ne quisquam decetero exigat vel recipiat huiusmodi turpem questum. Tu igitur tamquam vir prudens ita modeste concessa tibi potestate utaris, quod opera tua divina favente gratia Deo et hominibus sint accepta, securus utique, quod si viam mandatorum nostrorum incurreris, eterne felicitatis bravium dante Domino comprehendes.

Data Anagnie, VI Idus Iunii, anno I.

---

a) fratrum *deest in R.* b) ipsis *R.*

1) *Sifridi II.*

359.

Gregorius IX papa abbati de Hegenneche et coniudicibus eius mandat, ut si [Berchtoldus] episcopus et capitulum Argentinense R[odulfum] canonicum Sancti Mauritii Hildeshemensis in canonicum recipere noluerint, eos ad id compellant.

1227. Iun. 11.

Greg. IX Reg. Lib. I, 116.

Abbati de Hegenneche et coniudicibus suis.

Etsi omnes militie clericali ascripti commisse nobis hereditatis Dominice suam habere debeant portionem, nos tamen, ut dispensatores inveniamur fideles, diligenti meditatione pensare debemus status et merita singulorum, quatinus apostolice provisionis dexteram illis facilius porrigamus, quos experte bonitatis prudentia magis commendat et efficit ad obtinendam paterne benedictionis gratiam aptiores. Cum igitur pro dilecto filio R. canonico Sancti Mauricii Hildesemensis, capellano venerabilis fratris nostri . . Portuensis episcopi[1], litterarum scientia predito et morum honestate condito, sue probitatis merita intercedant, venerabili fratri nostro . . episcopo et dilectis filiis capitulo Argentinensi nostris dedimus litteris in preceptis, ut ipsum pro apostolice sedis et nostra reverentia in canonicum recipiant et in fratrem, stallum sibi in choro et locum in capitulo assignantes, et prebendam, siqua vacat vel quamcito se facultas obtulerit, eidem conferant et assignent, precum nostrarum primitias taliter impleturi, quod dictus canonicus, quem sincera in Domino caritate pro sua bonitate diligimus, propter difficultatem aliquam non gravetur laboribus et expensis, et nos devotionem eorum tanto amplius commendare possimus, quanto eos ad obediendum fore viderimus promptiores. Ideoque districte vobis per apostolica scripta mandamus, quatinus, si dicti episcopus et capitulum mandatum nostrum super hoc neglexerint adimplere, vos eos ex tunc districtione qua convenit appellatione postposita compellatis; non obstante constitutione generalis concilii, qua cavetur, ne quis ultra duas dietas extra suam diocesim per litteras apostolicas ad iudicium trahi possit. Quod si non omnes etc., duo vestrum etc.

Data Anagnie, III Idus Iunii, anno primo.

360.

Gregorius IX papa monasterium sanctae Mariae et sancti Petri et sancti Cyriaci in Gernrode sub protectione sua suscipit. *1227. Iun. 12.*

Greg. IX Reg. Vol. I, 16; Lib. I, 105.
Potthast, Reg. 7933.

. . dilectis[2] in Christo filiabus Sophie abbatisse Sancte Dei genitricis semperque virginis Marie et Sancti Petri apostolorum principis Sanctique martyris Cyriaci in Gernrode eiusque sororibus canonice substituendis.

Prudentibus virginibus, que sub habitu religionis accensis lampadibus per opera sanctitatis etc. usque: sacre religionis infringat. Eapropter, dilecte in Christo filie,

1) *Conradi.* 2) *Autographum editum est a v. Heinemann Cod. dipl. Anhalt. t. II, p. 70, n. 88; a forma nostra in nonnullis verbis discrepat, quae annotanda non putavi.*

vestris iustis postulationibus clementer annuimus, et prefatum monasterium in Genrode, quod in fundo beati Petri, quem bone memorie G[ero] marchio cum tota proprietate sua ecclesie Romane obtulit, intuitu pietatis noscitur esse constructum, in quo divino estis obsequio mancipate, ad exemplar felicis recordationis Iohannis, Leonis et Innocentii tertii predecessorum nostrorum Romanorum pontificum, cum clericis, ministerialibus et omnibus ad idem monasterium pertinentibus sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus, in primis siquidem statuentes, ut ordo canonicus, qui in eodem monasterio secundum Deum institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascumque possessiones etc. usque: adipisci, firma vobis et eis, que vobis successerint, et illibata permaneant. In quibus hec etc. usque: vocabulis: locum ipsum etc. usque: pertinentibus suis; forensem ecclesiam cum capellis, monasterium in Vrose cum ipsa villa et duabus parrochiis positis in eadem, Alsleven maiorem et minorem, capellam cum duabus parrochiis, Egelen cum capella abbatisse et tribus aliis ecclesiis, Waledalen cum capella abbatisse et parrochia, Padeburne[a] cum duabus ecclesiis, Heteburnen[b] cum parrochia, quatuor villas que nominantur Polege cum ecclesia, Nachterstide cum ecclesia, Iezere cum ecclesia, Strentsen cum ecclesia, Drogebul cum ecclesia, Burgengerod et Helbelingerod cum ecclesia, Behem, Wellebeke, Gaiedendorp, Baleburge, Bennendorp, Ancleburch, Hakeburne[c] viginti quinque mansos, in Henrikesdorp viginti septem mansos, in Plezegen septem mansos, in Alekendorp duodecim mansos, in occidentali Egelen triginta mansos, in Groninge triginta tres mansos, in Blekendorp triginta septem mansos cum parrochia, in Amendorp tres mansos, in Hergezstede et in Westerhusen sedecim mansos, in Reinesdorp decem et septem mansos et dimidium cum foro, et viginti curtes pertinentes ad forum cum ecclesia, in Wallensdorp quatuor mansos, in Molendorp sex mansos, in Cunelez decem mansos, in Niendorp sex mansos, in Asmersleve viginti duos mansos cum ecclesia, in Stortewist octo mansos, in Stroniz viginti duos mansos, in Drosege tredecim mansos, in Kokstede duos mansos, in Padelez duos mansos, in Sleve duos mansos, in Wederstede dimidium mansum, in Winninge duos mansos, in Wiesederode novem mansos, in Hachermesleve decem et octo mansos, in Gatersleve tres mansos, in Wepesleve tres mansos, in Wedestorp unum mansum, in Daldorp sex mansos, in Reinstede unum mansum, in Wippere unum mansum, in Alvensleve duos mansos, in Rodolvesburc duos mansos, in Sulten duos mansos, in Rotmersleve viginti mansos, in Menstede duos mansos, in Scholene unum mansum, in Burdewich duos mansos, in Levezhe duos mansos, in Liere unum mansum, in Thederzingerod unum mansum, in Wendelmesburc duos mansos, in Mandorp unum mansum, in Cephen duos mansos, in Alberod unum mansum, in Reiden decem et septem mansos et totidem areas, duodecim areas cum annuo reddito sex solidorum et unum pomerium cum tribus nemoribus. Sane novalium vestrorum, que propriis manibus vel sumptibus colitis tam de terris cultis quam incultis sive de vestrorum animalium nutrimentis vel de ortis, virgultis et piscationibus vestris, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere presumat. Ad hec novas et indebitas exactiones ab archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum prelatis in eadem ecclesia fieri prohibemus. Predictorum autem predecessorum nostrorum vestigiis inherentes, prohibemus omnem cuiuslibet ecclesie sacerdotem preter apostolicam sedem habere aliquam in vestro monasterio ditionem. Preterea beatorum apostolorum Petri et Pauli auctoritate iubemus, ut nullus rex, dux, marchio, comes vel alia secularis persona licentiam habeat ipsum monasterium aliquibus hominibus in beneficium dare, ut profecto iuxta id quod subiectum apostolice sedi privilegii firmitate consistit, inconcusse ditatum permaneat.

a) Padeburñ R. b) Heteburñ R. c) Hakeburñ R.

et locis ac rebus, tam hiis quas moderno tempore habet vel possidet quam que futuris temporibus in iure ipsius monasterii divina pietas voluerit adiungere ex donis, oblationibus decimisque fidelium, absque ullius persone contradictione firmitate perpetua perfruatur. Obeunte vero te nunc eiusdem loci abbatissa vel earum aliqua, que tibi successerit, nulla ibi qualibet surreptionis astutia vel violentia preponatur, nisi quam sorores communi consensu vel earum pars consilii sanioris secundum Dei timorem et canonicas sanctiones providerint eligendam. Libertates quoque et immunitates antiquas et rationabiles consuetudines monasterio vestro concessas et hactenus observatas ratas habemus et eas perpetuis temporibus illibatas permanere sancimus. Ad hec auctoritate apostolica prohibemus, ut nullus publicus iudex vel quilibet ex iudiciaria potestate in loca prefati monasterii ad causas audiendas ingredi audeat, vel freda seu tributa et coniectus aliquos exigendos, aut mansiones vel paratas[a] faciendas, fideiussores tollendos, homines ipsius ecclesie constringendos, theloneum vel parafridos ab ipsius hominibus requirendos, eosdem homines suos, litos vel liberos, ad mallum convocandi vel exercendi aliquam potestatem nisi advocatus, quem abbatissa eiusdem loci communi consensu sororum suarum ad hoc duxerit eligendum. Ad indicium autem percepte huius a sede apostolica libertatis duas marcas et dimidiam puri argenti nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvetis. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatum monasterium etc. usque: profutura; salva sedis apostolice auctoritate et diocesanorum episcoporum canonica iustitia in ecclesiis non exemptis. Si qua igitur in futurum etc. usque: ultioni. Cunctis autem eidem loco etc. usque: inveniant. Amen.

Data Anagnie per manum magistri Senebaldi sancte Romane ecclesie vicecancellarii, II Idus Iunii, indictionis XV, incarnationis Dominice anno M°CC°XXVII°, pontificatus vero domni Gregorii pape VIIII anno primo.

361.

Gregorius IX papa Conrado de Marburg procurationem a [Ludowico] lantgravio Thuringiae ad ecclesiastica beneficia conferenda demandatam confirmat.

1227. Iun. 12.

Greg. IX Reg. Lib. I.
Potthast, Reg. 7930.

Gregorius etc. magistro Conrado de Marburc predicatori verbi Dei.

Solet annuere etc. usque: impertiri. Cum itaque, sicut insinuante nobili viro langravio Turingie didicimus, ipse ordinandi, prout spectabat ad eum, ecclesiastica beneficia, in quibus ius obtinet patronatus, de coniugis ac filiorum et fratrum suorum assensu ad evitandum periculum, quod ex defectu posset vel negligentia provenire, tibi contulerit potestatem, nos ipsius nobilis supplicationibus annuentes, quod super hoc ab eodem pie factum est, sicut in eius autentico continetur, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis infringere. Si quis autem etc.

Data Anagnie, II Idus Iunii, anno primo.

a) parietas *R.*

362.

Gregorius IX papa eidem mandat, ut quos viderit expedire ad investigandum in partibus Theutoniae pravitatis hereticae sectatores socios sibi assumat.

1227, Iun. 12.

Greg. IX Reg. Lib. I, 109.
Potthast, Reg. 7931.

Gregorius etc. eidem super officio predicationis sibi commisso.

Sollicitudinem tuam, quam diligenter intendis ad investigandum in partibus Theutonie pravitatis heretice sectatores, in Domino comendamus, dum pestis huiusmodi, quanto serpit occultius, tanto gravius vineam Dominicam in simplicibus demolitur. Quia vero efficacius procedere poteris ad heresim de illis partibus abolendam, si aliqui a te fuerint in partem huius sollicitudinis evocati, districte tibi per apostolica scripta mandamus, quatinus assumptis ad eandem sollicitudinem quos noveris expedire, diligenter et vigilanter inquiras heretica pravitate infectos in partibus memoratis, ut per illos ad quos pertinet zizania valeat de agro Domini extirpari.

Data Anagnie, II Idus Iunii, anno primo.

363.

Gregorius IX papa [Gebhardo] episcopo Pataviensi et eius coniudicibus mandat, ut cum electionem [Gotefridi] praepositi Ratisponensis in episcopum Ratisponensem cassaverit, quidquid ille egerit, irritum decernant. *1227, Iun. 19.*

Greg. IX Reg. Vol. I, 18; Lib. I, 114.

Gregorius etc. episcopo Pataviensi et coniudicibus suis.

Cum electionem de . . Ratisponensi preposito in Ratisponensem episcopum per laicalem impressionem presumptam[1] cassaverimus iustitia exigente, districte vobis per apostolica scripta mandamus, quatinus si prepositus ipse, qui se gessit temere pro electo, aliqua de bonis episcopalibus infeudare, donare, vendere, obligare seu quomodolibet alienare presumpsit, decernatis irritum et inane, quidquid super hiis sive super beneficiorum collationibus factum inveneritis per eundem, ac infeudata seu quomodolibet alienata per ipsum ad ius et proprietatem Ratisponensis episcopi revocetis; contradictores, si qui fuerint, vel rebelles modo predicto per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes, simili censura compellendo ipsum prepositum, ut si qua de bonis episcopalibus in usus suos huiusmodi electionis occasione convertit, ea ipsi episcopo restituat universa. Ad hec cum venerabilis frater noster . . Ratisponensis episcopus[2] ad presentiam imperialem accesserit pro ecclesie sue negotiis promovendis, volumus et mandamus, ut donec ad ecclesiam ipsam accesserit, eius honores et iura diligenti sollicitudine conservetis, quoslibet qui ea presumpserint invadere vel turbare, modo predicto per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quod si non omnes —, tu ea frater episcope cum eorum altero etc.

Data Anagnie, XIII Kal. Iulii, anno I.

1) *cf. n. 305.* 2) *Sigefridus; de re cf. Ried. Cod. dipl. Ratisbon. t. I. p. 349–351, n. 367–369.*

364.

Gregorius IX papa [Gebhardo] episcopo Pataviensi et coniudicibus eius fere idem scribit verbis mutatis. *1227. Iun. 19.*

Greg. IX Reg. Lib. 1, 115.

Episcopo Pataviensi et coniudicibus suis.

Dilecti filii . . decanus, Eweradus et Hermannus archidiaconi, . . vicedominus ac alii canonici Ratisponenses, qui pro causa electionis seu verius intrusionis de Ratisponensi preposito in ecclesia sua facte ad nostram accesserunt presentiam, nobis humiliter supplicarunt, ut cum ipse prepositus gerens se temere pro electo quedam de facto, cum de iure non posset, contulerit de beneficiis eorundem, et quedam in usus suos converterit, quedam etiam bona sua interim fuerint per quosdam Ratisponenses canonicos et quosdam alios clericos et laicos illicite occupata, super hiis paterna hiis providere sollicitudine dignaremur. Ideoque districte vobis per apostolica scripta mandamus, quatenus quicquid inveneritis in preiudicium eorundem fuisse pendente causa huiusmodi temere attemptatum, in statum debitum revocetis; contradictores siqui fuerint vel rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quod si non omnes etc., duo vestrum etc.

Datum Anagnie, XIII Kal. Iulii, anno primo.

365.

Gregorius IX papa Fridericum Romanorum imperatorem monet, ut ad coelestia animum erigat neque se voluptatibus terrenis detineri permittat, eique quinque insignia imperiali dignitati deputata cum eorum mysteriis describit, scilicet crucem, lanceam, coronam, sceptrum et pomum. *1227, Iul. 22.*

Greg. IX Reg. Lib. 1, 142. Edimus hanc epistolam ex Rayn. Ann. eccl. a. 1227, § 21—23, collatam cum editione ap. Ripolli, Bullar. Praed. t. I, p. 21, n. 10, qui, ut asserit, autographum Vaticanum ab amanuensi transscriptum publicavit. Fortasse ille usus est Libro Censuum, nam in Reg. Raynaldo auctore ad has litteras dies et locus consignati non sunt.

Potthast, Reg. 7972.

Friderico imperatori.

Gen. 3, 24. Ad ostendendam viam ligni vite errantibus in invio mundi huius posuit te Dominus quasi cherubin et versatilem gladium. Cum enim diligenti meditatione pensatur ratio in te illuminata dono intelligentie naturalis et imaginatio defecata in rei comprehensione sensibilis, que quasi versatilis una facie respicit rationem, alia naturam sensibilium intuetur, in te virtus motiva manifeste conspicitur, qua possis inconveniens a convenienti distinguere, et comprehensiva, qua facile valeas conveniens et licitum obtinere. Donum sane[a] tibi scientie desuper attribute et virtus perfecte imaginationis in manu opificis resultantis, quasi duo luminaria magna, duo dona celestia, viam ligni, in qua vita nostra pependit, et terram promissionis ostendunt. Ista duo vexilla, que Dominus erexit in anime tue corporeis[b] instrumentis, tota sequitur militia Christiana; quin potius sequitur totus mundus a paradiso pure conscientie merito sue prevari-

a) donum. Sane *Rayn.* b) corporis *Rayn.*

cationis exclusus. [Et ideo est summopere precavendum, ne vexillum][a], quod habes commune cum angelis, intellectus videlicet et affectus, inclines ad id, quod habet homo commune cum brutis scilicet et arbustis, sensum et nutrimentum, quia et amor sensibilium minuit intellectum et affectum deformat delicati corporis nutrimentum. Ac per hoc luminaribus, quod absit, cognitionis et dilectionis extinctis et in terram victricibus aquilis sic prostratis et voluptatibus terrenis implicitis, quomodo poteris te sequentibus viam demonstrare salutis? Absit a te hoc, fili carissime, a quo videtur modo vita mundi huius sensibilis dependere. Illius itaque recorderis historie, quod in columna ignis et nubis[b] de iugo Pharaonis populus Hebreorum eductus in terram Exod. 13,21
promissionis inducitur, quam in zelo iustitie et in nube, que refrigerat, misericordie coneris virtute divina superatis interioribus hostibus obtinere.

Ut hec in archivio memorie valeas iugiter intueri, quinque insignia imperialis celsitudinis culmini deputata cum ipsorum misteriis cupimus stilo ferreo in cordis tui ungue adamantino[c] depingere, quod nulla possit oblivione deleri. Crux, ubi est lignum Domini, et lancea, ubi clavus eius consistit, ante te in processionibus solemnibus deportantur; coronam auream cum lapidibus pretiosis gestas in capite, sceptrum in dextera, pomum tenes aureum in sinistra, ut crux Dominice passionis et memoria acerbissimi cruciatus sint semper ante oculos mentis tue in contumeliis verborum, iniuriarum opprobriis, flagellis et plagis, laceratione spinarum, transfixione clavorum: prudenter attendens in quantis te oporteat Domino respondere. Lanceam considera diligenter, cuius acumen latus eius aperuit, de quo Christus largiter sacramenta tue salutis effudit. Ista est porta angusta, que te ducit ad vitam, de qua non substantia Matth. 7,14.
solida sed liquor tantum exivit, ut dolor acutus sit in te et vere contritionis acumen, quod est clavis, que portam tibi aperit paradisi, quam non potest intrare solidum aliquid nec anima indurata, sed liquefacta in fornace amoris et camino fervide caritatis. Corona autem triplici coronaris, sicut et Christus extitit triplici diademate coronatus, a matre, noverca et a patre: a matre corona gratie, per quam infirmitatem nostre mortalitatis assumpsit; a noverca corona iustitie, per quam genus humanum sanguinis pretio sui redemit; a patre corona glorie, ad dexteram enim suam ipsum in regno glorie collocavit. Tu autem similiter in Germania coronaris a matre, cuius lacte nutritus es et feliciter educatus, corona gratie, quam non ex debito iustitie sed ex libera electione principum nosceris assecutus. A noverca coronatus es in Liguria, que solet aliquando in imperio novercari, corona iustitie, que debetur iuris necessitate. Tertia coronaris a patre, scilicet summo pontifice, que est glorie, que te omnibus mundi potestatibus anteponit, ut gloria et honore super omnes mundi principes sublimeris. Coronam igitur gratie portes in hoc exilio, ut corona iustitie tibi in iudicio reponatur, et examinandus a iudice sermones tuos in presenti disponas, quibus ad arguentem te valeas respondere; et tandem corona immarcessibilis glorie coroneris in regno, quod nunquam ullo tempore corrumpetur. Sceptrum iustitie portas in dextera, que gravis est ad puniendum iniquos, in sinistra pomum aureum initio carens et fine, quod est misericordie, cui regnum promittitur sempiternum; que extenta debet esse ad liberandum oppressos et miseros consolandos, quia iudicium sine misericordia multum destituitur, si unum sine altero teneatur. Ad hec de anime tue, quam sincera et ardenti diligimus caritate, salute sollicIti universis mundi huius transitoriis preferenda, ex prerogativa dilectionis, qua in minori officio sumus imperialem celsitudinem amplexati, ut nihil de contingentibus omittamus, que ad mortis eterne periculum evitandum et recuperandam gratiam crucifixi fuerint opportuna, latorem

[a]) *addidimus ex Rip.* [b]) nubibus *Ragu.* [c]) *ita uterque.*

presentium fratrem Gualonem de ordine Predicatorum duximus destinandum, cui tanquam nobis fidem indubitatam super iis, que ex parte nostra duxerit proponenda, velis habere.

[Datum Anagnie, XI Kal. Augusti, pontificatus nostri anno primo][a].

366.

Gregorius IX papa [Waltero] episcopo Tornacensi et [Roberto] Valcellensi et [Sigero] Camberonensi abbatibus mandat, ut [Henricum] ducem Brabantiae crucesignatum moneant, ut votum suum aut personaliter exequatur aut, si id non possit, 40 milites in proximo passagio Martii in subsidium Terrae Sanctae mittat ibidem per annum integrum permansuros. 1227, Iul. 27.

Greg. IX Reg. Vol. I, 25; Lib. I, 136.
Potthast. Reg. 7976.

. . episcopo Tornacensi, et . . Vacellensi[1] et . . Camberonensi[2] abbatibus Cisterciensis ordinis Cameracensis diocesis.

Dilecti filii magister Balduinus de Barbenzon.[b] et Iohannes de Lovania clerici, nuntii et procuratores nobilis viri . . ducis Brabantie crucesignati, in nostra presentia constituti ex parte ipsius nobilis nobis humiliter suplicarunt, ut cum ipse septuagenarius esse credatur, nec propter valitudinem et debilitatem proprii corporis votum valeat exequi quod emisit, predictum ducem a voto prefato absolvere misericorditer dignaremur. Nos vero de vobis, quibus poterit de premissis fieri plena fides, gerentes in Domino fiduciam specialem, districte vobis per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatinus ad eundem ducem personaliter accedentes vel ad locum, ad quem sine periculo persone venire valeat, vocantes eundem, si vobis constiterit eum posse personaliter exequi votum suum, ut in proximo passagio Martii ad prosequendum votum predictum se sicut decet accingat, ipsum moneatis attentius et, si necesse fuerit, ecclesiastica censura cogatis. Si vero eundem ducem ad peragendum peregrinationem suam proprio corpore inveneritis impotentem, ut de rebus propriis quadraginta idoneos milites cum sumptibus necessariis et hiis sufficientibus in proximo passagio Martii mittat, in subsidio Terre Sancte tempore guerre crucifixo per annum integrum servituros, modo predicto per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogatis: proviso attente ne interim a predicto voto absolvatis eundem, nisi predictos milites, iuxta quod predictum est, in eiusdem terre subsidium destinarit. Quod si non omnes etc., duo vestrum etc.

Data Anagnie, VI Kal. Augusti, pontificatus nostri anno primo.

367.

Gregorius IX papa universis principibus Alamanniae scribens conqueritur, quod Fridericus Romanorum imperator negotium transmarinum deseruerit, eosque obsecrat, ut eo fortius ad vindicandum in crucis blasphemos animentur. 1227, Oct. 8.

Greg. IX Reg. Vol. I, 55.

---

a) *Notam chronologicam supplevimus ex Rip.* b) Barbenzon̄ *R.*

1) *Valliscella, Valcella ad Scaldim prope Cameracum.* 2) *prope oppidum Belgicum Cerviacum [Chièvres].*

Universis principibus Alamannie.

Flere libet potius quam referre, imperatorem Fridericum deseruisse negotium transmarinum, pro quo diutius laboravit ecclesia et Christianus populus tanto tempore desudavit. Unde non deferentes homini, qui adduxit in tante confusionis obprobrium causam Christi, contra ipsum processimus[1], prout in litteris, quas ad ecclesiarum prelatos dreximus[2], plenius continetur. Verum licet sic decepti simus ab illo, in quem locaverat ecclesia in hoc facto fiduciam spei sue, quia tamen non est abbreviata manus eius, cuius est negotium memoratum et qui nomini suo dat gloriam, cum beneplacitum est ipsius, cum et melius in Domino quam in principibus sit sperare, firmam in ipso habemus fiduciam, quod viam nobis ostendet, per quam in eodem negotio prospere procedatur. Quia vero perfidi pagani contra fideles, tamquam ex hoc consternati sint animo, maiorem sunt audaciam assumpturi, oportet nos viros potentes et catholicos, ut occurrant tanto discrimini et obprobrium nostrum relevent, excitare. Cum igitur vitam et universa que habetis tribuerit vobis Dominus, pro quibus tribuere debetis eidem, universitatem vestram hortamur et obsecramus attentius, quatenus ad vindicandum in crucis blasphemos occupatam tenentes terram Redemptoris nostri sanguine consecratam, vestrum animum preparetis, et tanto fortius animemini, quanto maior dinoscitur necessitas imminere, ita quod devotio vestra per effectum appareat in hac parte, ac divinam gratiam et nostrum et ecclesie Romane favorem plenius promereri possitis.

Data Anagnie, VIII Idus Octobr. pontificatus nostri anno primo.

368.

Gregorii IX papae encyclica, qua memorans, quomodo Fridericus Romanorum imperator promissiones pro liberatione Terrae Sanctae toties factas eluserit, illum excommunicatum et ab omnibus evitandum denuntiat, pro eo quod non transfretaverit in termino praefixo, nec in taxatis passagiis pecuniam, quam debuerit, ad Terram Sanctam destinaverit, nec duxerit mille milites per biennium ibidem tenendos, sicut apud Sanctum Germanum fuerit pollicitus. *1227, Oct. 10.*

Greg. IX Reg. Lib. I, 177. Edimus hanc epistolam ex Rayn. Ann. eccl. a. 1227, § 30—39, exordium, quod ille omisit, addentes ex Cod. Bibl. Berolin. Manuscr. lat. fol. 454 exeunt. saec. XIII, collato Huillard-Bréholles l. c. t. III, p. 23, qui collect. Paris. adhibuit. In codice illo archiepiscopo Magdeburgensi et suffraganeis eius missa data esse legitur: Anag. Kal. Oct. pontificatus nostri anno primo; *cf. Forsch. z. deutsch. Gesch. t. XV, p. 229.*

Potthast, Reg. 8044.

Gregorius episcopus etc.
Marsicano, Valvensi, Theatino, Pennensi, Aprutino ceterisque per has regiones constitutis episcopis etc.

In maris amplitudine spatiosa navicula Petri posita, vel potius exposita turbinibus tempestatum, sic iugiter procellis et fluctibus agitatur, ut eius gubernatores et remiges vix contingat aliquando inter angustias inundantium imbrium respirare. Nam si quando prospero vento flante plenis velis ad portum tenditur, subito ventus irruens

1) *1227, Sept. 29 apud Anagniam eum excommunicaverat; cf. Rycc. de S. Germ. a. 1227, SS. t. XIX, p. 348.* 2) *haud dubio sub forma epistolae sequentis.*

Iob 41,12 ex adverso, impulsus ab illo, cuius halitus prunas ardere facit, ad maris altitudinem et turbulente profunditatis oceanum navim rapit, que cincta fluctibus mergitur, non submergitur, quia in ea residens Dominus discipulorum tandem clamoribus excitatus, dum fugat spiritus insufflantes et mari ventisque imperat, fit tranquillum. Quatuor quidem procelle precipue quatiunt navim istam: nam perfidia paganorum terram inclitam Christi sanguine consecratam impie detinere contendit, rabies tyrannorum temporalia rapiens exterminat iustitiam et conculcat ecclesiasticam libertatem, hereticorum insania Christi tunicam scindere nititur et subvertere fidei fundamentum, falsorum fratrum et filiorum dolosa perversitas concutit viscera et latus dilacerat 2 Cor. 7,5. matris sue. Sicque foris pugne, intus timores: extra interficit gladius et domi mors similis intentatur, fitque frequenter, quod[a] Christi ecclesia tot angustiis perturbata, dum alere credit filios, nutrit in sinu ignem, serpentes et regulos, qui flatu, morsu, incendio cuncta vastare nituntur. Hinc est quod ad monstra huiusmodi perimenda, expugnandas acies inimicas ac tempestatum inquietudines mitigandas, apostolica sedes his temporibus cum multa diligentia quendam nutrivit alumnum, imperatorem videlicet Fridericum, quem quasi a matris utero excepit genibus, lactavit uberibus, humeris baiulavit, de manibus querentium animam eius frequenter eripuit, educare studuit multis laboribus et expensis, usque ad virum perfectum deduxit, ad regie dignitatis decorem et tandem ad fastigium culminis imperialis provexit, credens ipsum fore defensionis virgam et sue baculum senectutis.

Ipse autem, dum in Theutoniam se transtulit ad habenas imperii obtinendas, iucunda quedam, ut credebatur, auspicia sed verius spicula matris obtutibus inferebat. Nam sponte, non monitus, sede apostolica ignorante, crucem suis humeris affixit, vovens solemniter se in Terre Sancte subsidium profecturum. Deinde se ac alios crucesignatos excommunicari obtinuit, nisi certo proficiscerentur tempore; sed incidenter absolutionem petiit et accepit, de parendo super hoc mandatis ecclesie prius prestito iuramento. Exuberantem autem gratiam super ipsum apostolica sedes effundens, ut festinantius ad Terre Sancte transiret subsidium, ipsum contra morem ad coronam vocavit, que ad hoc non invitare sed invitari multiplicatis intercessionibus per magnificos nuntios consuevit. Sicque idem sub crucis vexillo usque ad hec tempora negotia propria plenius et perfectius consummavit.

Tandem cum de manibus felicis recordationis Honorii pape predecessoris nostri in beati Petri basilica recepisset imperii diadema, de manibus nostris tunc in minori officio constituti crucem resumpsit, votum publice innovavit, plures de spe sui subsidii ad crucem suscipiendam induxit, certum recepit terminum transfretandi. Habito quoque postmodum apud Verulas cum ecclesia Romana colloquio[1], iuravit publice se in certo termino a Romana sibi ecclesia prefigendo tanquam imperatorem honorifice profecturum. Exinde apud Ferentinum[2] in colloquio simili duorum annorum transfretandi elegit sibi terminum et prefixit, seque tunc transiturum et nobilem mulierem, natam carissimi in Christo filii nostri Iohannis regis Ierosolimitani illustris, ipsius regni heredem, in coniugem recepturum, solemniter prestito iuramento spopondit, adiungens quod per hoc ad obsequium Terre Sancte non ut ceteri peregrini, sed ut Hospitalarius vel Templarius se in perpetuum obligabat. Appropinquante itaque termino prelibato cepit multiplices excusationes pretendere, se ad transitum asserens imparatum, et ut denuo duorum annorum sibi daretur terminus, grandia obtulit obsequia Terre Sancte cum obligationibus satis magnis. Apostolica vero sedes, ne

a) *hucusque ex Cod. et H.B.*

1) *1222, April. 12; cf. n. 196.* 2) *1223, Mart.; cf. n. 225.*

tantis laboribus exsufflatis et inutiliter sic exhaustis totum dissolveretur negotium, quod humeris huius principis post Romanam ecclesiam principalius incumbebat, habito plurium episcoporum et aliorum proborum[a] virorum consilio, de contingentibus nil omittens, venerabilem fratrem nostrum Petrum[1] Albanensem episcopum et bone memorie I. tituli Sancti Martini presbyterum cardinalem ad firmanda ea, que imperator pro crucis obsequio spontaneus promittebat, transmisit. Cumque apud Sanctum Germanum cum pluribus Alemannie principibus pariter convenissent[2], imperator propria manu iuravit, quod inde ad biennium, id est in passagio Augusti proximo nunc transacti, omni excusatione ac dilatione cessantibus transfretaret, mille milites ibidem per biennium teneret ad suum in obsequiis Terre Sancte, centum milia unciarum auri in quinque passagiis proximo tunc futuris illuc destinaret certis assignanda personis; et tunc cardinales predicti de imperatoris assensu in eius conspectu, principum ac populi circumstantis, sententiam excommunicationis publice auctoritate sedis apostolice protulerunt, in quam incideret imperator, si forsan in aliquo deficeret predictorum. Obligavit se insuper imperator ad centum calendras et quinquaginta galeas ducendas et tenendas biennio ultra mare, ac quod insuper duobus milibus militum passagium certis terminis largiretur, in animam suam iurari faciens se ista que prediximus impleturum, et sponte consentiens in ipsum et regnum suum ferri sententiam, si hec non fuerint observata.

Qualiter autem hoc impleverit, advertatis. Nam cum ad eius frequentem instantiam multa crucesignatorum milia per excommunicationis sententiam coarctata in termino destinato ad portum Brundusii properassent, quia gratiam suam imperator subtraxerat civitatibus fere omnibus in portubus constitutis, idem[b] a predecessore nostro ac nobis frequentius monitus, ut diligenter pararet omnia et fideliter que spoponderat adimpleret, ipse omnium promissorum, que apostolice sedi et crucesignatis per litteras suas fecerat de sponsione passagii, necessariorum et victus, et sue salutis immemor, tamdiu in estivi fervoris incendio in regione mortis et aeris corruptela detinuit exercitum Christianum, quod non solum magna pars plebis, verum etiam non modica multitudo nobilium et magnatum pestilentia, sitis ariditate, ardoris incendio ac multis incommoditatibus expiravit. Inter quos defecerunt nobilis vir antegravius[3] et episcopus Augustensis[4]. Pars vero non minima infirmitate gravata regrediens in viis et silvis, montibus, planitiis et speluncis occubuit iam ex parte. Sane reliqui vix imperatoris obtenta licentia, licet galee, calendre ac naves sufficientes ad transitum victualium, hominum et equorum, ut promiserat, non adessent, in festo tamen nativitatis beate Virginis[5], cum iam temporis instantia immineret, ut naves a transmarinis partibus inciperent remeare, sulcare maria inchoarunt, se pro nomine Iesu Christi discrimini committentes, ac credentes imperatorem cominus eorum vestigium secuturum. Idem vero evacuatis promissionibus, ruptis vinculis quibus tenebatur astrictus, calcato timore divino, contempta reverentia Iesu Christi, censura ecclesiastica vilipensa, derelicto exercitu Christiano, exposita infidelibus Terra Sancta, devotione populi Christiani abiecta, in suum et totius Christianitatis opprobrium retrorsum abiit, attractus et illectus ad consuetas delicias regni sui, abiectionem cordis[c] sui frivolis excusationibus[6], ut dicitur, gestiens palliare.

Attendite et videte, si est dolor sicut dolor apostolice sedis, matris vestre, sic crudeliter et toties decepte a filio, in quo locaverat in hoc facto fiduciam spei sue, in

a) presbyterorum *Rayn.* b) et idem *Rayn.* c) corporis *Rayn.*

1) *minus recte, immo Pelagium et Gualam; cf. n. 276.* 2) *1225, Iul. 25; cf. n. 278.* 3) *Ludowicus lantgravius Thuringiae, mortuus Sept. 11.* 4) *Sigefridus.* 5) *Sept. 8.* 6) *de morbo imperatoris cf. Winkelmann Fried. II, p. 335—336.*

quem tot beneficiorum abundantiam cumularat, dissimulans interim, ne occasione inventa se averteret a Terre Sancte subsidio, exilia presulum, spoliationes, captivitates et iniurias multiplices, quas ecclesiis et religiosis et clericis irrogavit, et obaudiens querelas multiplices pauperum popularium et nobilium patrimonii ecclesie clamantium
Iac. 5,4. contra ipsum, quas in aures domini Sabaoth credimus introisse. Et quamvis Romana ecclesia doleat filium tanta educatum diligentia et magnificentia exaltatum, nunc sic viliter sine marte victum, absque hoste prostratum, in tante confusionis opprobrium tam ignominiose deiectum, non minus gemit exterminium exercitus Christiani, qui non inimicorum gladiis vel virtute defecit, sed calamitate tam miserabili est consumptus. Gemit etiam, quod pars residua bellatorum exposita maris periculis et fluctibus tempestatum absque duce, preceptore vel principe ducitur quo ignorat, modicum profectura utilitatibus Terre Sancte, quibus debite consolationis solatium et opportune subventionis auxilium, impedientibus iam maris frementis procellis temporisque angustia, iuxta votum non possumus ministrare. Plangit insuper excidium Terre Sancte, quam nunc eripi de paganorum manibus sperabamus, quam olim, ut asseritur, recuperasset exercitus Christianus per concambium Damiate, nisi ei semel et iterum imperialibus fuisset litteris interdictum. Qui etiam non fuisset conclusus in manibus paganorum, si galearum imperatoris subsidium tunc fuisset, ut ex parte sua promissum extiterat et fieri potuit, subsecutum, nec Damiata perdita, que, ut asseritur, suo tradita nuntio et aquilis imperialibus insignita, eadem die crudeliter expoliata per suos, deserta viliter ac ignominiose per ipsos fuit infidelibus restituta[1]. Recurrit etiam ad rediviva suspiria, et amissionem prescriptam recolens Damiate, tot laborum angustias, tot expensarum dispendia et tot mortes fidelium, tot excursus temporum, que inutiliter defluxerunt, subortis lacrimis deflere non cessat, necdum est, qui con-
Thren. 1,2. soletur eam ex omnibus caris eius et abstergat lacrimas a maxillis.

Matth. 2,19. Cum ergo vox eius iam in Rama insonuerit, et Rachel non solum filios sed hec omnia irremediabili lamentatione deploret, quis fidelium se a gemitibus et suspiriis continebit? Quis filiorum cernens aquarum profluvia matris oculis prodeuntia, lacrimas non effundet? Quis matris non compatietur angustiis, nec immensis eius doloribus condolebit? Quis fidelium propter hoc non ardentius inflammabitur ad subsidium Terre Sancte, ne Christiana iuventus ex insperato casu prostrata penitus videatur et ignominiose animo consternata? Nonne viri cordati et filii Iesu Christi debent ad subsidium Terre Sancte tanto fortius animari, quanto ignominiam geminatam amplius resultare conspiciunt ex insperata ruina in patrem et filios, in Redemptorem atque redemptos, in Christum et populum Christianum? Nos enim istud negotium tanto ardentius assumere affectamus et profundiori consilio alta intendimus remedia invenire, quanto maior incumbit necessitas, et ex multis conflata doloribus nostram grandis angustia mentem premit. Etsi enim Dominus populo suo modicum ostenderit se iratum, de illius manu hoc tempore sacrificium non acceptans, qui prudentiam non
1 Mac. 5,62. est imitatus illorum, per quos salus in Israel fieri consuevit, nondum tamen misericordie Domini sunt consumpte nec eius miserationes penitus defecerunt. Speramus namque in misericordia Dei nostri, quod viam nobis ostendet, per quam in hoc negotio prospere gradiamur, et viros secundum cor suum ecclesie designabit, qui precedant in cordis puritate ac manuum munditia exercitum Christianum.

Quapropter fraternitatem vestram obsecramus in Domino, per apostolica vobis scripta precipiendo mandantes, quatinus hec clero et populis vobis commissis fideliter exponentes, ac inducentes eosdem ut ad hec exequenda studeant suos animos preparare, ipsos ad vindicandam iniuriam Iesu Christi sedulis exhortationibus invitetis.

1 *cf. Winkelmann l. c. p. 170 et 171.*

ut cum ipsos apostolica sedes habito maturiori tractatu sollicitandos providerit, promptos inveniat et paratos. Porro ne tanquam canes muti, non valentes latrare, Es. 56,10. videamur deferre homini contra Deum, non sumentes ultionem de illo, qui tantam ruinam in Dei populo procuravit, imperatorem Fridericum, qui nec transfretavit in termino, nec illuc in taxatis passagiis prescriptam pecuniam destinavit, nec duxit mille milites per biennium tenendos ibidem ad suum pro subsidio Terre Sancte, sed in his tribus articulis manifeste deficiens, in excommunicationis descripte laqueum ultroneus se ingessit, excommunicatum, quanquam inviti, publice nuntiavimus et mandamus ab omnibus arctius evitari, per vos et alios ecclesiarum prelatos ipsum excommunicatum precipientes publice nuntiari, contra ipsum, si contumacia eius exegerit, gravius processuri. Confidimus tamen adhuc in clementia pii patris, qui neminem vult perire, quod eius mentis oculi caligantes, hoc ecclesiastico delibuti collyrio, si non fuerit omnino rebellis, lumine poterunt illustrari, ut suam aspiciant nuditatem, et ignominiam quam incurrit advertant, sicque recurrat ad medicum et ad matrem ecclesiam revertatur, per humilitatem debitam et[a] satisfactionem congruam salutis remedia recepturus. Nos enim eius salutem in Domino, non interitum affectamus, quem ab olim sincere diliximus, in minori etiam officio constituti[1].

Datum Anagnie, sexto Idus Octobris, pontificatus nostri anno primo.

369.

Gregorius IX papa [Liupoldi VI] ducis Austriae zelum pro negotio Terrae Sanctae laudibus extollit eumque cum terra et bonis suis sub sua protectione suscipit.

1227. Oct. 20.

Hon. IX Reg. Vol. I. 42; Lib. I. 151[b].
Potthast, Reg. 8047.

Gregorius episcopus etc. nobili viro . . duci Austrie.

Fidei tue sinceritas exigit et meritum devocionis exposcit, ut te sicut devotum filium diligentes, quieti tue debeamus prospicere et tuum honorem et commodum affectare; nam preter id quod devotio tua commendabilis est in multis, arbitratus olim fidei fervore succensus super te cadere obprobria exprobrantium crucifixo, pro honore ecclesie, cuius tamquam vir catholicus zelator existis, in propria persona laborasti pro crucis negotio in partibus transmarinis laudabiliter et potenter. Ex tua quoque nuper insinuatione didicimus, quod multi nobilium terre tue crucis signo assumpto se devoverunt servitio Terre Sancte, alii vero multo plures aliis divites et potentes pium super hoc propositum conceperunt et ad transfretandum in proximo passagio se accingunt, per quod licet pro magna parte militum tuorum auxilio destitui te contingat, quia tamen ardenter desideras promotionem dicti negotii per effectum, et nunc exhibens devotionis affectum, quem tibi super hoc Dominus inspiravit, non vis tantum bonum et factum tam necessarium impedire, set super hoc tibi petisti per sedem apostolicam provideri, quatinus tanto libentius crucesignatos et signandos ad succursum

[a]) et *deest ap. Rayn.* [b]) Lib. I, 151 *suppleuimus ex Rayn. a. 1227, § 40.*

1) *Eadem encyclica in Cod. Taurin. D. 38, fol. 54, ut Huillard-Bréholles l. c. t. III, p. 24 refert, archiepiscopo Ravennati directa, data esse legitur:* Anagniae, III Octob.; *apud Rogerum de Wendover, Flores hist. ed. Coxe, IV, 175 ad Stephanum archiepiscopum Cantuariensem sub dato:* Laterani, pontificatus nostri anno secundo.

terre predicte valeas animare, quanto id securius facere poteris, cum fuerit tibi provisum specialiter in hac parte. Quare nobilitatis tue precibus inclinati, te existentem in devotione huiusmodi et Terre Sancte negotium procurantem, cum terra et omnibus bonis, que impresentiarum rationabiliter possides, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum etc. nostre protectionis infringere. Si quis autem etc.

Data Velletri, XIII Kal. Novemb. pontificatus nostri anno primo.

370.

Gregorius IX papa Friderico Romanorum imperatori scribit se, licet cum sententia percuderit, maxima tamen qua potuerit dulcedine erga eum egisse; memorat oppressiones ecclesiarum in regno Siciliae et persecutionem comitum Celanensis et Raynaldi de Acersa, pro quibus ecclesia se obligaverit, eumque monet, ut ad gremium fidei catholicae satisfaciendo Deo et hominibus recurrat. *1227, in fine anni.*

Greg. IX Reg. Vol. I, 48—49; Lib. I, 165[a].
Potthast, Reg. 8049.

Gregorius etc. Frederico, Romanorum imperatori etc. spiritum consilii sanioris.

Utinam ita imperialem celsitudinem assuefecisses timori divino, ut illi te tota devotione subiciens, qui tibi subiecit varias nationes, non solum ipsum contra te provocare metueres, ne arguereris ingratitudinis manifeste, set pro perceptis beneficiis ad serviendum sibi totis desideriis aspirares, qui cum non nisi pro te indigeat bonis tuis, nequaquam affectum nedum effectum irremuneratum relinqueret servientis. Utinam quoque benignitatem et patientiam ecclesie Romane humiliter recognoscas; quam cum exasperaveris multipliciter, ultra quam expediat recenseri, ne celsitudinem tuam conviciis velle lacescere videamur, ipsa erga te semper affluens pietatis materne visceribus, tecum numquam processit nisi in spiritu lenitatis. Quare arguimur, et
Exod. 23,19 forsitan non indigne, quod quasi coquentes edum in lacte matris te in tuis noxiis voluntatibus fovere videmur in multorum preiudicium et scandalum ecclesie generalis. Licet enim ex eo quod Christi causam, quam videbaris magnanimiter assumpsisse, sperantibus fere omnibus te illam ad finem deducere gloriosum, ita eneviter, ita periculose, ita misere deiecisti, dolor immoderatus, stupor immensus et enormis orror corpus et animam nostram undique circumdederint, ita quod fere in extasi positi de recuperatione Terre Sancte pene penitus cepimus desperare, flentes amarissime nichilominus tot et tantos occasione tui mortuos Christianos et gementes illorum exilium, utinam non excidium!, qui pro tua fiducia iter arripuerunt in eiusdem terre subsidium transfretandi, omne tamen quod potuimus erga te servavimus mansuetudinis moderamen, illam tantum sententiam publicando, quam ipse in te voluntarius feceras promulgari, et retardando illas, quas consensisti ferendas, nisi conditiones alias quas promiseras adimpleres. Ne autem possit quispiam suspicari, quod sinceritatis affectus, quem erga
Prov. 3,12. te gerimus, sit ex hoc vel in aliquo diminutus, cum dicatur potius, quod pater filium quem diligit corripit, et e contrario qui parcit virge odit filium, ea que ad salutem anime tue, quam totis visceribus affectamus, pertinere cognoscimus, nec non ea que

a) Lib. I, 165 *supplevimus ex Rayn a. 1227, § 40.*

ad honoris tui augmentum proveniunt, quem libenter in quibus convenit promovemus, serenitati tue non desinimus suadere. Ideoque imperialem mansuetudinem rogamus, monemus et hortamur attente, obsecrantes per aspersionem sanguinis Iesu Christi, quatinus ne, quod absit, de numero sis illorum, de quibus Dominus conqueritur per prophetam dicens: 'Percussi eos et non doluerunt, et attriti renuerunt accipere disciplinam', set potius correptus in misericordia correptionem recipias et medelam, ad solvenda varia vincula, quibus teneris astrictus, instanter intendas, et ad gremium matris ecclesie te desiderabiliter expectantis cum omni celeritate festines, satisfaciendo Deo, qui tibi utique satis fecit, et hominibus iustitiam exhibendo. Sicut enim scire te credimus, contra nos murmuratur immo clamatur, quod prelatorum exilium, ecclesiarum, hospitalium, orphanorum et viduarum nec non aliorum religiosorum spoliationes et alias atroces iniurias visi sumus hactenus sub dissimulatione transire. Illud quoque nobis sepius exprobratur, quod cum ecclesia Romana se ad precum tuarum instantiam, prout ex litteris tuis apparet, fideiussorie obligarit super servanda compositione inter te ac comites Celanensem et Raynaldum de Aversa sollempniter celebrata[1], ita tue sublimitati detulimus, quod illorum videmur iustitiam sustulisse, qui numquam disponimus cuiquam in suo iure deesse. Nec illorum vociferationes possumus obaudire, qui clamantes quod ad preces pie recordationis Honorii pape predecessoris nostri dilectum filium nobilem virum . . comitem Rogerium[2] in tuam recipiens gratiam et favorem promiseras, quod ipsum in nullo minueres set potius augmentares, convitiando concludunt, quod ipsius exilium, quem ipse crucesignari fecisti, et captivitatem filii quasi conniventibus oculis pertransimus, qui afflictis et captivis specialiter tenemur adesse. Ad hec cum universi crucesignati sub speciali sedis apostolice protectione consistant, multi subsanniant convitiantes yronice ac dicentes: 'Heccine qualiter sunt protecti, qui cum crucem assumerent potentes et divites, nunc a te deiecti exulant et mendicant!' Preterea cum regnum Sicilie pleno proprietatis iure ad Romanam spectet ecclesiam, non solum calamitatibus oppressorum compassionis affectu confodimur, gementium quod illos in eis sustinemus impie servitutis abusus, quos vix debemus in regnis aliis comportare, set confundimur a vocibus exprobrantium et obloquentium, quod tales afflictiones in hiis, qui ad sedem apostolicam te mediante pertinent, toleramus, quales ipse in hiis qui ad te spectant aliquo medio nullatenus tolerares, cum intersit nostra potissime beneficio consolationis adesse quibuslibet tribulatis. Quare nec illorum penas nec tuas culpas possumus ulterius salva conscientia comportare, presertim cum super hiis iam monitus fueris diligenter. Ut igitur conscientie ac fame tam tue quam nostre propitiari proberis, monemus, rogamus et hortamur et pro dono speciali deposcimus, ut memor quod nil valet homini si universum mundum lucretur, anime vero sue sustineat detrimentum, taliter super hiis provideas, quod solo virtutis amore que debita sunt videaris cupere adimplere, nosque facias de tua conversione immo profectu letari: sciturus quod parati sumus ad gratiam, ubi tamen scimus iustitiam non perire. Alioquin, quantumcumque tibi deferre velimus, supradicta nequaquam dissimulare poterimus, quin secundum Deum et iustitiam procedamus.

Ierem. 5,3. — Matth. 16,26.

Data Lateran.[3]

1) *cf. n. 221, 222, 223.* 2) *cf. p. 221, not. 2.* 3) *Addidit Pertzius in copia:* [mense Dec.?]; *et nos quoque credimus hanc epistolam aliquantum post n. 368 datam esse, nam in ea aliquae excommunicationis causae, res comitum Celanensis et Rogerii aliaque, accedunt, quae n. 368 non commemorantur et n. 371 repetuntur, et papam fine a. 1227 spem reconciliationis nondum abiecisse videmus ex legatione Thomae et Oddonis cardinalium [n. 371, not. 2], qui fortasse latores epistolae erant. Cf. etiam n. 372.*

371.

Gregorius IX papa universis praelatis Apuliae scribit, se in Fridericum Romanorum imperatorem, qui mandatis ecclesiae non obtemperaverit et licet excommunicatus sibi fecerit divina celebrari, sententiam in festo Coenae Dominicae [Mart. 23] renovasse et loca quaelibet, ad quae ipse pervenerit, submisisse interdicto ecclesiastico; monet, ut hanc sententiam denuntiare curent, hoc adiecto quod si in duritia perseveret, formidare possit se iure feudi privandum. *1228, exeunte Mart.*

Greg. IX Reg. Lib. I, 180. Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1228, § 2—4. Potthast, Reg. 8162.

Universis archiepiscopis, episcopis etc. per Apuliam constitutis.

Quanto nobilius membrum in ecclesie corpore leditur, tanto acrioribus doloribus cruciamur, qui Cephe locum, licet insufficientibus meritis, obtinemus. Verum quia tectum vulnus, si dimittatur intactum, solet in scandalum corporis latius evagari, nos olim viso, quod Fredericus Romanorum imperator salutem propriam negligebat, dum salubre votum, quod Deo voverat additis iuramentis, detrectabat exolvere non sine detrimento fidei et gravi scandalo totius populi Christiani, quia iuxta sapientis edictum: 'Vulnera dum sanas, dolor est medicina doloris'[1], medicinalem Petri gladium in eum exseruimus in spiritu lenitatis, excommunicationis sententiam publicando, quam ipse in se voluntarius fecerat promulgari, nisi statuto termino transfretaret in Terre Sancte subsidium et alia promissa fideliter adimpleret: sperantes ut percussus dolens, ad percutientem se in humilitate rediret dominum exercituum requirendo. Sed quod dolentes referimus, inclinato corde medicinam exhorrens et increpationem abominans
Iob. 41,20. discipline, immo malleum velut stipulam reputans, non solum nulla penitudine se correxit, verum etiam adiciens peccata peccatis contra se Dominum audaciter irritat, ultra quam recensere nos deceat, ne videamur in eius convitiis delectari, qui conversionem eius desiderabiliter expectamus. Inter alia namque claves ecclesie contemnens, quibus Dominus beato Petro et successoribus eius ligandi et solvendi contulit potestatem, sibi facit celebrari vel potius, quantum in ipso est, prophanari divina, in enormius anime sue periculum et enervationem totius ecclesiastice discipline. Unde timentes, ne plaga eius fieret penitus desperabilis, si male permitteremus obduci neglecti vulneris cicatricem, et eo insanabile quo insensibile redderetur, malagma studuimus apponere sanativum.

Utinam studium nostrum optatum habuisset effectum! Cum enim pie recordationis Honorius papa predecessor noster per bone memorie Tusculanum et Sabinensem episcopos et dilectum filium magistrum G. notarium nostrum et Roffridum clericum camere nostre et abbatem Sancti Martini Viterbiensis Cisterciensis ordinis eundem imperatorem diversis temporibus super diversis articulis, in quibus Deum et ecclesiam graviter offendebat, diligenter commoneri fecisset: nos adhuc humiliantes vim auctoritatis ecclesie, ad presentiam eius dilectos filios . . tituli Sancte Sabine presbyterum et O. Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconum cardinales curavimus destinare[2], ut eum super premissis et subsequentibus vice nostra salubriter commonerent. Qui licet de contingentibus nil omiserint, nequaquam tamen eum potuerunt ad penitentiam revocare. Utinam ad nequiora nequaquam manus illicitas extendisset! Quare ne videremur deferre homini contra Deum, ecce iustitiam in iudicium con-

1) *versus hexameter.* 2) *Thomam et Oddonem 1227, mense Dec.: Rycc. de S. Germ. a. 1227, SS. XIX. p. 348 et 349.*

vertentes, in proximo preterito festo cene Dominice in predictum imperatorem excommunicationis sententiam solemniter duximus promulgandam, tum pro eo quod, ut premissum est, non transfretavit in subsidium Terre Sancte, nec promissum numerum militum in expensis suis tenuit vel transmisit, nec pecuniam quam promiserat destinavit, tum quia venerabilem fratrem nostrum Tarentinum archiepiscopum[1] ad sedem propriam accedere non permittens, eum populum suum non patitur visitare, tum etiam quia Templarios, Hospitalarios bonis mobilibus et immobilibus, que habebant in regno, temere spoliavit, et quia compositionem factam inter ipsum et comitem Celanensem et Raynaldum de Aversa, pro cuius observatione Romana ecclesia ad precum eius instantiam fideiussit, servare contemnit, et quia comitem Rogerium crucesignatum sub apostolice sedis protectione receptum, comitatu et aliis terris indebite spoliavit, et filium eius in captivitate detentum ad mandatum apostolicum sepius iteratum reddere denegavit. Adiecimus quoque, ut loca quelibet, ad que ipse pervenerit, ecclesiastico subiaceant interdicto, ut quamdiu presens fuerit, ibidem nulla divina officia celebrentur; officio beneficioque privantes omnes cuiusque professionis vel ordinis, qui ei, postquam denuntiatus fuit excommunicatus a nobis, divina sibi ausu temerario celebrarunt, et antequam ad mandatum ecclesie redeat, de cetero celebrabunt. Illud etiam non duximus omittendum, quod si de cetero se officiis divinis ingesserit, contra eum tanquam contra hereticum et clavium ecclesie contemptorem severitate debita procedemus. Et si ab ecclesiarum et ecclesiasticarum personarum oppressionibus non destiterit, aut non cessaverit a conculcatione ecclesiastice libertatis, vel excommunicatione contempta redire non curaverit ad mandatum ecclesie, omnes, qui sunt ei fidelitatis iuramento astricti, et specialiter homines regni, a iuramento, quo sibi tenentur, absolvemus et denuntiabimus absolutos, quia iuxta decretum felicis recordationis Urbani pape secundi, predecessoris nostri, fidelitatem, quam homines Christiano principi iuraverint, Deo eiusque sanctis adversanti et eorum precepta calcanti, nulla auctoritate persolvere cohibentur. Et si non cessaverit ab oppressione pupillorum, orphanorum et viduarum seu nobilium et aliorum hominum regni vel eius destructione, quod ad Romanam ecclesiam specialiter noscitur pertinere, pro quo etiam predecessoribus nostris et ecclesie Romane iuramentum fidelitatis exhibuit et homagium prestitit, merito poterit formidare se iure feudi privandum. Ideoque universitatem vestram monemus attente, per apostolica vobis scripta districte precipiendo mandantes, quatenus singuli predictam sententiam solemniter publicantes, denuntietis eam singulis diebus dominicis et festivis.[2]

372.

Gregorius IX papa Fridericum Romanorum imperatorem attente monet, ut a molestatione ecclesiarum regni Siciliae et Apuliae conquiescat et personis ecclesiasticis ablata restituat; mittit ad eum de hac re B. et R. fratres Minores.

1228, Mai. 7.

Greg. IX Reg. Vol. I, 68; Lib. II, 10.
Potthast, Reg. 8189.

1 *Nicolaum.* 2) *In Bull. Rom. ed. Taur. t. III, p. 428, n. 8:* Datum Laterani, XII Kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno primo; *male, cum epistola post Mart. 23 scripta sit. — Ut ap. Huillard-Bréholles l. c. t. III, p. 55, not. 1 legimus, adest in Reg. ann. II, n. 6 haec eadem epistola regi Angliae directa cum variantibus in fine, sub dato:* Rome apud Sanctum Petrum, VII Idus Aprilis.

Friderico Romanorum imperatori.

Ascendit ad nos clamor, ululatus et stridor miserabilis, validus et horrendus ecclesiarum et clericorum regni Sicilie et Apulie, quod in eos ultra quam de facili exprimi valeat inique deseviens, ipsos affligis cruciatibus infinitis, bona eorum diripiens et extorquens[1] in manifestam contumeliam Redemptoris et atrocem iniuriam ecclesie generalis, ut taceamus apostolice sedis contemptum, in quam cadunt ex hoc obprobria exprobrantium. Cum igitur hec nequeamus sine periculo sustinere, qui Christi vicarii licet immeriti constituti, pro tuenda iustitia et defendenda ecclesiastica libertate tenemur et volumus impendere nosmetipsos, ab eo nobis digna vicissitudine rependenda, qui beatificat tribulationem propter iustitiam patientis, imperialem celsitudinem monemus et hortamur attente, quatinus ecclesiis et personis ecclesiasticis ablata restituens integre universa, ab ipsorum molestatione penitus conquiescas, fame tue consulens et saluti. Alioquin, ne contra Deum homini deferamus, super hoc procedemus dante Domino, sicut fuerit procedendum. Ad hoc autem dilectos filios B. et R. fratres Minores ad te mittimus, si forsan saltem sero salubriter monitionibus nostris aures aperias, quas hactenus nimium inconsulte clausisti.

Data Reate, Non. Maii, pontificatus nostri anno secundo.

373.

Gregorius IX papa A[zzoni] marchioni Estensi mandat, ut in Marchiam celeriter revertatur, in quam inimici ecclesiae nuntios destinaverint, qui quoscumque possint corrumpere moliantur. *1228, Sept. 23.*

Greg. IX Reg. Vol. I, 82; Lib. II, 33.
Potthast, Reg. 8261.

Nobili viro A. marchioni Anconitano et Estensi.

Memorari te credimus, quod adhuc in minori officio constituti speciali te diligentes affectu, honoris et profectus tui libenter procuravimus incrementa, et nosti, quod et nunc intendimus ad ea, que ad tuum credimus commodum provenire, sperantes ut prompta fide pronaque devotione nostris velis prout teneris obsecundare beneplacitis et mandatis. Verum licet colloquio apud Perusium celebrato a nobis petieris licentiam de Anconitana marchia recedendi, quia tamen inimici ecclesie ad occupandum eam ferventius aspirantes, illuc proprios nuntios destinarunt, qui nunc sedentes in insidiis in occulto, nunc publice discurrentes, quoscumque possunt corrumpere moliuntur, ne te inde videaris eo tempore absentare, quo studiosius et promptius teneris adesse, nobilitatem tuam monemus attente, per apostolica scripta firmiter precipiendo mandantes, quatinus memor quid de iure fieri valeat de feudo taliter derelicto, in Marchiam, quam deseruisse videris manibus direptorum, cum exfortio militum in manu potenti

1) Mense Aprilis imperator pro subsidio Terre Sancte ab ecclesiis et personis ecclesiasticis ubique per regnum certam exigit pecunie quantitatem. — Eodem mense Gregorius papa per suas mandat litteras universis ecclesiarum prelatis et clericis per regnum Sicilie constitutis sub interminatione ultionis canonice, ne quis eorum imperatori aut baiulis suis dare aliquid pro redemptione, data vel collecta presumat. *Rycc. de S. Germ. a. 1228, SS. t. XIX, p. 349.*

celeriter revertaris, ipsam cum auxilio ecclesie Romane tam studiose quam viriliter defensurus. Alioquin non nostre duritie set tue facilitati poteris imputare, si de feudo ipso aliquid tibi eveniat, quod non velis.

Data Perusii, VIIII Kal. Octob. pontificatus nostri anno secundo.

374.

Gregorius IX papa [Petro Ziano] duci Venetorum nuntiat, se ripam Recanatae et Humanatae in manibus suis retinuisse, cum portus terrae ecclesiae Romanae potestati alienae subiecere nolit: rogat eum, ut societatibus cum Auximanis et Recanatibus renuntiet.

1228, Oct. 12.

Greg. IX Reg. Vol. I, 82, 83; Lib. II, 34.
Potthast, Reg. 8266.

Nobili viro . . duci Venetorum.

Solite dilectionis affectu receptis nuntiis tuis, videlicet dilectis filiis B. Falletr. et Iacobo Accottant, viris sapientibus et discretis, tam Anconitanos quam Auximanos ac Recanatos[1] ad nostram presentiam duximus evocandos, prebentes predictis nuntiis plenam audientiam et benignam, et intelligentes que illi coram nobis proponere curaverunt. Quia vero societates, que hinc inde facte fuerunt in Marchia, in preiudicium erant sedis apostolice nec non in dispendium fame ac salutis illorum qui fecerunt easdem, nos, cum dissolvende sint colligationes impietatis et solvendi fasciculi Es. 58,6
deprimentes, iustitia exigente societates ipsas dissolvimus, et omnes, qui super hoc iuraverant, absolvimus a vinculo iuramenti, quin potius decrevimus non teneri. Porro non molestum tibi debet hoc existere set acceptum, cum vir sis catholicus et devotus Deo et ecclesie, diligens cum civibus tuis inter ceteros circumpositos equitatem atque iustitiam, et solitus gravitatem ac modestiam observare. Sane cum nolimus, sicut nec velle debemus, portus terre nostre, qui ecclesie Romane iuris existunt, potestati subicere aliene vel aliis comittere disponendos, ripam Racanate et Humanate in manibus nostris retinuimus, dispondituri de ipsa sicut viderimus expedire. Cum autem personam tuam et civitatem Venetiarum speciali diligamus affectu, cupientes exaltationem tuam et civitatis ipsius comodum et augmentum, debes profecto confidere ita nos super hoc auctore Domino provisuros, quod ex devoto poteris esse devotior et paratior ad honorem sedis apostolice matris tue. Quocirca nobilitatem tuam monemus attente, rogantes quatinus renunties omnino societatibus cum Auximanis et Racanatibus initis, et illicita super hoc pacta remittas; non enim tibi expedit, ut Romanam ecclesiam, que filium specialem te reputat, in honore vel iustitia sua ledas vel, quod absit, dispendium salutis incurras aut obnubiles etiam nomen tuum.

Data Perusii, IV Idus Octobris, pontificatus nostri anno secundo.

375.

Gregorius IX papa R[aynaldo] nato quondam C[onradi] ducis Spoletani conqueritur, quod castra ad ecclesiam Romanam pertinentia occupaverit, presbyteros mutilaverit et

1) *e meridie civitatis Anconitanae. — 1229, Mart. Raynaldus dux Spoleti eos pro gratis eorum servitiis sub speciali protectione imperii recipit. Huillard-Bréholles, l. c. t. III, p. 112.*

marchiam Anconitanam invaserit; octo dies ad satisfaciendum praefigit, alioquin eum per Cynthium subdiaconum excommunicari et per P. Theodaldi diffidari iubebit.

1228. Nov. 7.

Greg. IX Reg. Vol. I, 85, 86; Lib. II, 43[a].
Potthast, Reg. 8276.

Nobili viro R.
nato quondam C. ducis Spoletani, spiritum consilii sanioris.

Satis domino tuo sufficere poterat, quod Deo et hominibus gratis ingratus, Romanam ecclesiam matrem suam hactenus acerbis amaricavit doloribus, atrocibus lacescivit iniuriis et variis molestiis perturbavit, si non et tu, eius vicarius et minister, patientie nostre abusor improvidus, nos cumulatis exacerbares offensis, ita provocans nos audacter, quasi non sit auxilium, quo tua possit audacia cohiberi. Set si sapis, ut crederis, ad frangendos conatus tuos nos non oportet considerare laborem, qui[b] quod non processimus hactenus ad iniuriam iniuria propulsandam, mansuete patientie virtus fecit, per quam non ad insolentias prorumpere sed ad celeriorem correctionem te ac alios debueras revocare: set exinde ad impenitentiam abduceris, ut videmus. Non enim contentus quod Castrum Stupizi occupasti et Turrem de Arnata obsidens invasisti, eam in nostram contumeliam comburendo, quod destruxisti Castrum Leonis et homines nostros de Arrone ac quosdam de Cassia tibi fecisti iurare, et quamplures alios a fidelitate apostolice sedis avertens, multos corrupisti muneribus et promissis, quod Arquatam, quam aliquando dominus tuus occupans ad commonitionem pie memorie H[onorii] predecessoris nostri sponte restituit, reoccupasti de novo, et, quod non est tacendum, sicut dicitur, presbyteros et alios clericos ausu sacrilego mutilans, eos variis cruciatibus afflixisti, quosdam per Sarracenorum ministerium crucis affigendo patibulo, quosdam cecando, reliquis afflictis talliis et collectis, et spoliatis ecclesiis in manifestam subversionem ecclesiastice libertatis, nunc marchiam Anconitanam ingressus, hostiliter ad occupandam eandem fraudes et vires exerces, te manifestum ostentans sedis apostolice inimicum[1]. Verum licet non tam ex longanimitatis virtute quam ex pusillanimitatis vitio forte procedere videatur, quod premittimus monita, cum iam pena debuerit precessisse, quia tamen eo potiorem patientiam habere nos decet, quo uberiorem potentiam nobis Dominus amministrat, nobilitatem tuam monemus attente, per apostolica tibi scripta firmiter precipiendo mandantes, quatinus ad corrigendum te consilio salutari recurrens, protinus Marchiam exeas et dimittas, et infra octo dies post susceptionem presentium occupata et ablata restituas universa, et de datis dampnis et irrogatis iniuriis satisfacias competenter, vel super hiis et aliis sufficientem exhibeas cautionem. Alioquin dilecto filio Cinthio subdiacono et capellano nostro, de cuius fide ac prudentia indubitatam fiduciam obtinemus, ut te ac fautores tuos, tam de regno quam alios, excommunicatos publice nuntiet, et terras, ad quas tu vel tui devenerint, supponat ecclesiastico interdicto, et nobili viro P. Theodaldi fideli nostro, ut ex parte nostra te manifeste diffidet, dedimus firmiter in preceptis: alias contra dominum tuum et te nichilominus auctore Domino spiritualiter et temporaliter severius processuri.

Data Perusii, VII Idus Novemb. pontificatus nostri anno secundo.

a) Lib. II, 43 *supplevimus ex Theiner, Cod. dipl. dom. temp. t. I, p. 87, n. 150.* b) *an* quia?

1) *cf. Rycc. de S. Germ. a. 1228; SS. t. XIX, p. 350.*

376.

Gregorius IX papa Ianuensibus scribit, qualiter Fridericus imperator in Terra Sancta Christianis potius quam Sarracenis studeat officere, et Raynaldus natus quondam Conradi ducis Spoletani, vicarius eius, terras ecclesiae violenter invaserit, unde in hunc quoque excommunicationis sententiam publicaverit: addit sibi ab eodem Friderico [Marinum] Barensem archiepiscopum et Henricum comitem Maltensem fuisse destinatos de tractanda concordia; cum autem imperator praedictum Raynaldum procuratorem in hac re esse voluerit, se respondisse, quod tractatus reconciliationis cum isto haberi nec posset nec deberet. *1228, Nov. 30.*

Greg. IX Reg. Lib. II, 66. Edimus hanc epistolam ex Rayn. Ann. eccl. a. 1228, § 16—18, suppletam ex Collect. Paris. ap. Huillard-Bréholles, l. c. t. III. p. 82 [H.B.]. Potthast, Reg. 8284

Gregorius etc. potestati et populo Ianuensi.

Illorum superbia, qui oderunt Dominum, semper ascendens, licet interdum dolose malignitatis palliata velamine, ut efficacius noceat, furorem suum intermittere videatur, quantumcumque tamen aliena patientia supportetur, mitescere nescia gravius invalescit, donec illam iustitia ex alto superveniat et subvertat[a]. Fridericus siquidem[b] imperator cor suum elevans contra Deum, spiritu ad superbiam obfirmato, ut taceamus alia fere innumera quibus Deum provocavit audacter, non contentus quod negotium Terre Sancte dolosa perversitate irreparabiliter quasi confudit, in atrocissimam contumeliam Iesu Christi et inextricabile opprobrium populi Christiani, et pro nichilo reputans quod ecclesias et personas ecclesiasticas spolians violenter, subvertit ecclesiasticam libertatem, nunc faciem euntis in Ierusalem inique pretendens, ubi Christianis potius quam Sarracenis studeat officere, viros sceleratos loco sui dimisit in partibus cismarinis, qui ut eius iniquis iussionibus obsecundent, et timorem divinum et humanum pudorem penitus abiecerunt. Raynaldus enim natus quondam Conradi ducis Spoleti, eius vicarius et minister, exfortio congregato patrimonium beati Petri, quod idem Fridericus multiplici iuramento tenetur defendere, violenter invadens, presbyteros et alios clericos, sicut nobis est pro certo relatum, per manus Sarracenorum fecit ausu sacrilego mutilari, quibusdam in cruce suspensis, aliis diversis suppliciis cruciatis. Et quia primos virium suarum conatus a primordio[c] non repressimus, cum facile potuerimus, ille de patientia nostra insolentiorem assumens audaciam, marchiam Anconitanam et ducatum Spoleti aggredi attemptavit, quibusdam venalibus ibidem corruptis pretio et quibusdam minis et terroribus a fidelitate apostolice sedis aversis; ubi Sarraceni, qui Christianorum sanguinem insatiabiliter sitiunt, non parcentes sexui vel etati, impietates abominabiles perpetrarunt, quas horror esset intolerabilis recenseri. Et licet eum super iis per dilectum filium Cinthium subdiaconum et capellanum nostrum et litteras nostras monuerimus diligenter[1], idem tamen monitis acquiescere aspernatus, quantum potuit ad graviora prorupit. Quare in eundem Raynaldum et complices ac fautores suos et in omnes et singulos, cuius vel quorum mandato, auctoritate, consilio et auxilio talia perpetrantur, excommunicationis sententiam sollempniter publicantes, quia ipsam pertinaciter vilipendit, ad defendendam terram ecclesie et iniuriam auctore Domino propulsandam exercere proponimus potentiam temporalem, ne inimici Dei et

a) *hucusque ex H.B.* b) siquidem *deest ap. Rayn.* c) a primordio *deest ap. Rayn.*

1) *n. 375.*

ecclesie in sua prevaleant vanitate, sed in pravitate potius evanescant[1], quia quantumcunque facinora prenotata nos moveant, potissime tamen nec immerito exhorremus, quam idem Fridericus semper minatur et indesinenter exequitur, depressionem ecclesiastice libertatis, cum antea etiam, ubicunque habuit potestatem, ecclesias et ecclesiasticas personas nec non viduas, orphanos et pupillos ex industria conculcarit. Quare potestas huiusmodi non dilatari sed decurtari meretur.

Ad hec ne falsis rumoribus vos circumveniri contingat, noveritis quod dictus Fridericus non sine fraudis excogitate commento venerabilem fratrem nostrum . . Barensem archiepiscopum et Henricum comitem Maltensem ad nostram presentiam destinavit[2], scribens nobis ut eis benignam audientiam preberemus, scientes quod ad tractandam concordiam cum ecclesia prefatum Raynaldum procuratorem reliquerat et adhuc volebat per eum haberi tractatum. Et licet certissime crederetur, quod ad deludendam ecclesie Romane patientiam venerunt, nichilominus tamen benigne audivimus quecunque proponere voluerunt. Et quia mandatum aliud non habebant, respondimus quod dictus Raynaldus non tractator pacis sed factus erat ecclesie persecutor, unde tractatus reconciliationis cum eo haberi nec poterat nec debebat; et his ita dictis protinus abierunt, variis nocendi modis interim ab eodem Raynaldo concinnatis. Hec autem vobis scribimus, ne falsa pro veris vobis a maliloquis suggerantur. Ut igitur tanquam veri filii matri vestre fideliter obsequentes, incomparabile vobis meritum apud Deum et homines comparetis, universitatem vestram affectuose rogamus et monemus attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus nullis suggestionibus patiamini vos seduci, quominus in ecclesie Romane devotione, in qua radicati et fundati estis, inflexibiles persistatis, ut qui libenter in vestris laudibus delectamur, in vestre magnanimitatis constantia gloriantes, sinceritatem vestram dignis debeamus prosequi actionibus gratiarum.

Dat. Perusii, II Kal. Decembris, pontificatus nostri anno II.

377.

Gregorius IX papa episcopis Tusciae praecipit, ut Raynaldum et Bertoldum, filios quondam Conradi ducis Spoletani, et fautores eorum excommunicatos solemniter nuntient.

1228, Dec. 3.

Greg. IX Reg. Vol. I, 94; Lib. II, 67.
Potthast, Reg. 8286.

Gregorius etc. universis episcopis per Tusciam constitutis.

Ad vestram credimus notitiam pervenisse, qualiter nos excommunicavimus Fridericum dictum imperatorem et omnes contra Romanam ecclesiam faventes eidem. Verum Raynaldus et Bertoldus, filii quondam ducis Conradi, cum invadere ceperint ecclesie patrimonium, excommunicationis sententiam incurrerunt, propter quod universis et singulis districtius inibemus, ne consilium, auxilium aut favorem illis impendant, cum excommunicaverimus omnes eorum consiliarios, auxiliarios et fautores,

1) *Extant, ut monet Huillard-Bréholles, in Regest. n. 70 litterae Gregorii archiepiscopo Mediolanensi et suffraganeis eius directae:* Dat. Perusii, X Kal. Decembris ann. II *[Nov. 22], quibus mandat, ut subsidia stipendiario exercitui suo ministrent.* 2) *Agitur ut videtur de legatione, quam imperator de Accone ad papam misit quamque commemorat Bernardus Thesaurarius in Cont. Guill. Tyr. ed. Guizot. t. XIX, p. 118.*

et nos ab imperatoris fidelitate absolverimus universos. Si quid enim in personis vel rebus propter hoc sustinuerint, sibi poterunt imputare. Contra quos insuper duximus statuendum, ut nullus eorum ad potestariam vel aliud officium civitatum aut aliorum locorum de cetero assumantur[a]; excommunicentur etiam electores ipsorum ac civitates et loca; quam diu habuerint ibidem officia, subiaceant interdicto. Preterea omnibus beneficiis seu feudis, que tenent ab ecclesiis, ipso sint iure privati, eorumque filii non ammittantur ad benefitia vel dignitates ecclesiasticas sine dispensatione sedis apostolice speciali, nec huiusmodi excomunicati absolutionis possint obtinere beneficium, nisi per annum facturi moram in servitio Terre Sancte, et tantum expensuri ad minus ibidem, quantum eos ab illis constiterit percepisse. Quocirca presentium vobis auctoritate districte precipimus, quatinus inhibitionem nostram et easdem sententias, ac quod super hoc in penam predictorum statuimus, publicantes diebus dominicis et festivis, tam predictos Raynaldum et Bertoldum quam consiliarios, auxiliatores et fautores eorum, et nominatim si qui sunt de vestris civitatibus vel districtis earundem, cum illis excommunicatos a nobis solempniter nuntietis, publice nichilominus protestando quod tales non aliter quam predictum est, poterunt absolutionis beneficium obtinere. Et quidem cum promotio negotii Terre Sancte sit causa, pro qua nobis talia inferuntur, verendum est omnibus, qui eidem Raynaldo et Bertoldo consilium, auxilium vel favorem impenderint, ne contra eos tamquam contra inimicos eiusdem negotii, paganos videlicet et Christi blasphemos, procedere compellamur.

Data Perusii, III Nonas Decembris, pontificatus nostri anno II.

378.

Gregorius IX papa [Erico] regi Sueciae conqueritur de iniquitate Friderici dicti imperatoris, qui patrimonium Petri per Raynaldum natum quondam Conradi ducis Spoletani aggressus sit; cum huic tres exercitus opponendos providerit, sed facultates non sufficiant, eius subventionem requirit, et ad eum de hac re magistrum Simonem scriptorem suum mittit. *1228, Dec. 21.*

Greg. IX Reg. Lib. II, 75. Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1228, § 19, ultimam partem, quam omisit, addentes ex Vastovio, Vitis aquil. p. 175.
Potthast, Reg. 8299.

Illustri regi Suecie.

Regi regum reges terre gratissimum exhibent famulatum, qui compatiuntur et dolent, cum persecutionem patitur sponsa Christi, et tempore persecutionis evidenter ostendunt, quod nullus Deo set Deus est omnibus preferendus. Sane si dictus imperator, Deo et hominibus gratis ingratus, apostolice sedi malum pro bono, pro honore iniuriam et odium pro dilectione inique retribuens, non contentus quod negotium Terre Sancte studiosa malignitate pervertit, nunc inhianter aspirat ad conculcandam universalem ecclesiam modis omnibus, quibus potest, et libertatem ecclesiasticam subvertendam, totum sibi quasi reputans deperire quidquid libertatis vel honoris obtinet sponsa Christi, et nequiter cogitans quod si Romanam ecclesiam posset opprimere, reges alios et regna sit ei facillimum expugnare, processit ad beati Petri patrimonium hostiliter occupandum, ubi per Raynaldum natum Conradi quondam

[a]) *ita R.*

ducis Spoletani, suum vicarium et ministrum, quasdam terras apostolice sedis corruptis earum habitatoribus fecit invadi, presbyteris et aliis clericis a Sarracenis impie mutilatis. Unde nos videntes et dolentes, quod ipsius Friderici iniqua superbia semper ascendens non sistitur, donec eam iustitia superveniat et conveniat, illius malitie cum auxilio divino providemus apostolice sedis dexteram opponendam, tribus ad hoc exercitibus congregatis[1]. Verum quia hec non possunt sine gravibus sumptibus fieri, ad quos apostolice sedis nequaquam sufficiunt facultates, tue subventionis auxilium tanquam specialis ecclesie Romane filii super his duximus fiducialiter requirendum[a], serenitatem regiam affectuose rogantes et monentes attente, quatinus ea que super his dilectus filius magister Simon scriptor noster, de cuius providentia et sinceritate fidei plene confidimus, tibi ex parte nostra proponet credens tanquam ab ore nostro prolata, taliter eadem studeas adimplere, quod ex hoc tibi merito reddas Romanam ecclesiam obligatam, et nos grata tibi debeamus vicissitudine respondere.

Datum Perusii, XII Calen. Ianu. pontificatus nostri anno II.

379.

Gregorius IX papa [Iohanni] Sabinensi episcopo mandat, ut si persona quaedam velit, ut exercitus super terram suae vicinam inducatur, contra eam viriliter procedat.

1229, Febr. — Mart.

Greg. IX Reg. Vol. I, 103; Lib. II, 99.

. . Sabinensi episcopo, apostolice sedis legato[2].

Intelleximus diligenter, qualiter vult illa persona, quod super aliam terram sue vicinam exercitus inducatur, ut per metum suos valeat ad eius inducere voluntatem. Cum autem magis timeri soleat inimicus, si hostis sit a facie quam a tergo, et proximus quam remotus, propter quod non immerito amplius illi terreri debeant, si acies dirigatur super propriam terram illius, firmiter tibi per apostolica scripta mandamus, quatinus si predicta persona voluerit, contra ipsam directe procedas viriliter et constanter, prout secundum negotii qualitatem tue providentie videbitur expedire.

Data Perusii[3].

380.

Transscriptum aliquorum[4] capitulorum treugae a Friderico Romanorum imperatore cum El-Kamil soldano Babyloniae initae, quae Geroldus patriarcha Hierosolymitanus Gregorio IX papae cum animadversionibus quibusdam direxit. *1229, Febr. 18[5].*

[a]) *hucusque ex Rayn., quae sequuntur ex Vat.*

1) *cf. Winkelmann, l. c. p. 316.* 2) *in Hispania; cf. Rayn. a. 1229, § 57; sed qua de re agatur nescio.* 3) *ep. 82, 83, 84 eiusdem libri ad eundem Iohannem directae sunt, quarum prima data est VIII Id. Febr. Rayn. l. c.* 4) *Capitula ista non esse totius treugae textum monet ipse patriarcha [n. 384]:* Vidimus in eo inter cetera quedam mirabilia contineri, que sanctitati vestre de verbo ad verbum duximus transmittenda. *Cf. Schirrmacher, Kaiser Fried. II, t. II, p. 197.* 5) *nota chronologica ex n. 382.*

Greg. IX Reg. Lib. III, 35. Apud Rayn. Ann. eccl. a. 1229. § 15 legimus: 'impii foederis capita, quae e Sarracena in vulgarem Gallicam linguam versa patriarcha ad summum pontificem misit, additis ad singula animadversionibus Latinis, — nos Latino sermone adducenda censuimus'. Apparet ex hoc treugae formam Latinam. quam ipse § 15—21 et post eum Pertzius, LL. t. II, p. 260 publicarunt, nihil esse nisi translationem. Quam ob rem ipsa capitula pacis in Gallico idiomate edimus, sicut ea Huillard-Bréholles, l. c. t. III, p. 86 'ex Regesto Gregor. ann. III, n°. 35, mendis quibus scatent accurate correctis' exhibuit, purgata tamen nonnullis locis ope V. C. Ad. Tobler, patriarchae animadversiones Latinas ex Rayn. adiungentes.

Transcriptum capitulorum treuge ad dominum papam directum.

I. Li soldans baille a l'impereour ou a ses baillis Ierusalem le exalchie. qu il en face cho que ilh vora de garnir ou autre chose.

> Notandum quod imperatori sive balivis suis fit concessio, non facta de ecclesia vel Christianitate vel peregrinis aliqua mentione, et ita apparet quod secundum formam tregue nullus potest eam munire vel retinere nisi imperator vel balivi sui. Item notandum quod soldanus de iure non habuerit potestatem concedendi, cum super hoc violentia inferatur soldano Damasci, qui eam possidebat nec treugam iurare voluit nec ratam dictam concessionem habere.

II. L'emperere ne doit touchier[a] la Geemelaza[1], cho est le temple Salomon, ne le temple Domini ne nule rien de tot le porpris, ne ne doit soufrir que nus Francs de quelque generation qu'il soit, que ilh se mete sor les lius motis[b], mais ilh remandront sens riens cangier en la main et la garde des Sarrasins, qui les[c] terront por lor oresons faire et por lour loie crier, sens cho que defendu ne contredit ne lor iert nulle riens de cho. et les cles des portes des porpris de ches lius qui moti sunt, seront es mains de chiex ki iki seront por les lius servir. et de lour mains tolues ne seront.

> Hec est abusio manifesta que expositione non indiget. hec est conventio Christi ad Belial; per hoc apparet. si frequentatio psalmi illius: 2. Cor. 6.15.
> 'Deus, venerunt gentes', cessare debeat, cum adhuc templum sanctum Psal. 78 1.
> polluant infideles. Item notandum quod cum in locis adiacentibus civitati nulla sint casalia restituta et remaneant in manibus paganorum, et longe maior erit multitudo Sarracenorum venientium causa orandi ad templum Domini quam multitudo Christianorum venientium ad sepulcrum, quomodo poterunt habere dominium Christiani usque ad decem annos sine discordia et periculo personarum, cum, sicut predictum est, sibi vires retineant Sarraceni?

III. Non sera defendu a nul Sarrazin qu'il ne voyse franchement en pelerinage en Bethleem.

IV. Et si yl y a acuns Frans qui ayt ferme creanze en la hautece e en la dignite del temple Domini, et il vuelt le lou visiter e fayre yki ses oresons, il les y puisse faire, e s'il ne croyit en sa hautece e en sa dignite, non doyt estre soffers a entrer en tot le porpris de leu.

---

a) douchier *H.B.* b) motit *H.B.* c) le *H.B.*

1) '*Vox Arabica, rectius autem Djami al-Acsa, id est Mesquita longinqua, ex opposito vicinarum, scilicet apud Mekkam et Medinam. Haec mesquita in ea parte qua olim surgebat Salomonis templum a kalifa Omaro extructa, maxima apud Moslemos veneratione colitur. Diversa omnino est ab ecclesia Sepulchri sive Resurrectionis, sita in alio civitatis vico, illo qui dicitur Golgatha.*' *H.B.*

Mirum est quod etiam clausuram illam utriusque templi nullus Christianus ingredi permittetur, nisi credat sicut Sarraceni credunt. Item mirum est quod ipsi possunt libere intrare Bethleem, locum scilicet orationis nostre, in infidelitate sua sine omni examinatione, et nos templum Domini, immo nec clausuram, in fide et nomine Iesu Christi non poterimus nec permittemur intrare, nisi prius eis constet, quod de templo quod ipsi credunt credamus. Item notandum quod templum Domini fuit primo sedes episcopalis, que nunc patriarchalis facta est, et ibi nunc sedes est Mahometi.

V. Se aeuns Sarrazins meffayit des estajanz en Ierusalem a Sarrazins com' il est[a], doyt estre menez per l'esgart des Sarrazins.

Ecce quod in civitate iurisdictionem habent sicut Christiani.

VI. L'empereres non aydera nul Franc, ki ke il soyt, en nule maniere per nule entention k'il ayent[b], de kelke diversite k'il soyent, ne Sarrazin a combatre ni a guerre fayre contre les Sarrazins ly[c] kel sunt en ceste trive moty, ni no mandra[d] o eulz ni ne segra nul d'euls en nule des partyes[e] ki motyes sunt, por battaille fayre, ne no se asentyra a eulz en aucune maniere, ne no les soccoyra ne d'ost ne d'avoyr ne de genz.

Istud sacramentum, quod in hac parte fecit soldano, quomodo servari poterit cum eo, quod fecit ecclesie de tenendis mille militibus per biennium et de quinquaginta galeis, pro quibus excommunicatus est, quia adimplere eadem non curavit?

VII. L'empereres destornera toz cels qui auront[f] entendement del mal fayre en la terre del soldan Melec el Kemel e en la terre ke est motye[g] en la trive, e les defendra a son ost e a son avoyr et a ses homes e a tot kant[h] k'il aura de poer.

Si bene notetur istud capitulum, etsi nunquam in aliis deliquisset, non solum Deus, contra quem se specialiter obligavit, verum etiam totus mundus deberet insurgere contra eum, quia in hoc contra universam Christianitatem commisit in opprobrium et contemptum excellentie imperialis et totius Christianitatis dedecus non modicum et manifestum gravamen.

VIII. S'aucuns Frans, ki ke il soyt, a entendement de trapasser rien des fermetez ke recordees ou motyes sunt en ceste trive, li empereres . . . . . .[i] e sor li est de deffendre le soldan e d'oster e destorner l'en a son ost e a son avoyr et a ses homes.

IX. Triple e sa terre, le Chrach, Castel Blanc, Tortose, Margat e Antioche e kant ke est en lor terre[k], se soyt en son estat en guerre e en trive; e sor l'empereor soyt k'il[l] deffendra a ses genz e a son ost e as apendanz a li e a cels ki a li venrunt, Frans prives e enstranges a li venanz, la aye des seguors de cels leus motiz sor nule entention k'yl ayent en la terre de Sarrazins.

Hoc nunquam accidit, sicut dicitur, in terra nisi modo, quia quando in regno Ierosolimitano treuga habebatur, loca precedentia milites regni et alii Christiani indifferenter iuvabant et ea modis quibus poterant defendebant.

381.

Hermannus magister Teutonicorum Gregorio IX papae narrat, quid in Terra Sancta gestum sit, et quomodo Fridericus Romanorum imperator cum [El-Kamil] soldano

a) *locus, ut videtur, corruptus.* b) avent *H.B.* c) ky *H.B.* d) mandera *H.B.* e) partye *H.B.* f) aurant *H.B.* g) motyes *H.B.* h) kante *H.B.* i) *hic aliquid excidisse apparet.* k) trive *H.B.* l) kal *H.B.*

Babyloniae pacem inierit, qua Ierusalem et alia quaedam loca, quae enumerantur, Christianis restituantur, quae loca munire iis liceat; per decennium treugae sint et omnes captivi ex utraque parte reddantur. 1229, *medio mense Martio.*

Greg. IX Reg. Vol. I, 116, 117; Lib. III, 19.
Ed. Pertz, LL. t. II, p. 263.

382.

F*ridericus Romanorum imperator Gregorio IX papae nuntiat prosperos successus suos in Terra Sancta, quomodo cum [El-Kamil] soldano Babyloniae Febr. 18 pacem utilem fecerit, et Mart. 17 Ierusalem ingressus sequenti die ad gloriam summi regis coronam ibi portaverit*[1]. 1229, *Mart. 18.*

Greg. IX Reg. Vol. I, 118, 119; Lib. III, 21.
Ed. Pertz, LL. t. II, p. 261.

383.

H*ermannus magister Teutonicorum cuidam nuntiat, quomodo Fridericus Romanorum imperator Mart. 18 in civitate Ierusalem coronam portaverit et postea sibi mandaverit, ut coram populo praesenti et ipsum excusaret, quod non prius transfretasset, et papam, quod contra se processisset, quia non potuisset aliter apud homines blasphemias et infamiam evitare; sequenti autem die archiepiscopum Caesariensem ad mandatum patriarchae omnia loca sancta sub interdicto posuisse, sed imperatorem, postquam de reaedificatione civitatis disposuerit, ipso die versus Ioppen rediisse.* 1229, *post Mart. 19.*

Greg. IX Reg. Vol. I, 121; Lib. III, 23.
Ed. Pertz, LL. t. II, p. 264.

384.

G*[eroldus] patriarcha Hierosolymitanus Gregorio IX papae scribit, quid [Fridericus] imperator in Terra Sancta post accessum suum egerit, et quomodo cum [El-Kamil] soldano Babyloniae pacem fraudulentam neglectis terrae illius utilitatibus inierit.*
1229, *Mart. 26.*

Greg. IX Reg. Lib. III, 34. Edimus hanc epistolam ex Rayn. Ann. eccl. a. 1229. § 3–14, suppletam ex Collect. Paris. ap. Huillard-Bréholles, l. c. t. III, p. 102 [H.B.].

[Littere ad dominum papam][a].

Sanctissimo in Christo patri et domino Gregorio, divina providentia summo pontifici, G., miseratione divina patriarcha Ierosolimitanus humilis et indignus, salutem cum summa reverentia et devota pedum oscula beatorum. Sanctitatem[b] vestram, pater sancte, super statu negotii Terre Sancte duximus presentibus instruendam, ut ex rebus

a) *haec inscriptio deest ap. Rayn. et H.B.* b) sanctitatem — informari *addidimus ex H.B.*

1) *Sub eadem forma imperator multis aliis scripsit; cf. Huillard-Bréholles, l. c. t. III, p. 93.*

plenius cognitis motus vestre beatitudinis valeat de singulis amplius informari. Sciat igitur sanctitas vestra, quod circa festum beati Clementis[1] imperator Ioppen profectus est de Accon, ipsumque secutus est exercitus Christianus. Ipso autem illuc perveniente ac incipiente munire, peregrini ad circumadiacentia casalia cucurrerunt pro victualibus perquirendis; quod audiens soldanus, qui prope erat cum suo exercitu, male respondit nuntiis imperatoris, qui iam de Accon iverant ad eundem, et dixit, quod durante tractatu pacis Ioppen non debuisset causa munitionis faciende venisse, nec frangi sua casalia debuisse; propter que memoratos nuntios cum indignatione et confusione remisit. Ad hec imperator omnia, que peregrini ceperant a casalibus antedictis, fecit restitui, et ipsa casalia cum omnibus affidari, soldanum incipiens sic placare. Eo tempore ei soldanus quedam instrumenta misit vilia et despecta, que directe pretendebant effectum turcopuli et tonsoris, mandans quod terra sua talibus abundaret. Ad hec imperator remisit suum notarium ad soldanum pro tractatu pacis iterum inchoando; qui male receptus a soldano, statim ab eo recessit, fuitque in suo reditu a Sarracenis tractatus turpiter et bonis omnibus spoliatus. Postmodum non sine gravi scandalo peregrinorum ac mira confusione idem notarius est remissus, mittens soldano arma sua propria, loricam scilicet, galeam et gladium, atque mandans, sicut fuit nobis pro certo relatum, quod faceret de ipso imperatore quidquid vellet, quia nunquam contra eum de cetero se armaret. Ad quod nichil respondit soldanus, vilipendens omnia que fiebant. Inter hec quidam de familiaribus soldani, qui imperatorem diligere se fingebat[2], dixit notario, si esset de beneplacito soldani, quod comes Thomas[3] reverteretur ad ipsum, ipsi duo de pace aliqua et concordia iterato tractarent. Super quo sepedictus notarius soldano cum magna instantia supplicavit, ut sibi in hac parte suum prestaret assensum; qui tandem concessit supplicatam gratiam supplicanti. Sic igitur reverso comite ad soldanum, per ipsum et familiarem predictum tractatus pacis, qui modo supradicto in confusionem totius Christianitatis fuerat dissolutus, fuit confusione duplici denuo inchoatus. Quo durante capiebantur nostri miseri peregrini et interficiebantur indifferenter, et secundum quod intelleximus veraciter, sic bene amisimus plusquam quingentos de nostris, et ut verum fateamur, postquam Syriam imperator intravit, a suis vel ab illis de exercitu Christiano capti vel interfecti Sarraceni numerum denarium non attingunt. Immo quidam in exercitu fuit captus, qui statim liberatus, claris vestibus indutus et sic honorifice est soldano remissus, ita quod illi, qui eum ex parte imperatoris conducebant, fuerint a Sarracenis in via bonis omnibus spoliati, vixque mortem evadere potuerunt. Sic itaque qui ab inimicis fidei infestabantur, principis auxilium non habebant; si quis[a] autem eos ex quacunque
2 Cor. 7, 5. causa offenderet, puniebatur ab eo; unde foris gladius et intus timor nostris assidue imminebat. Nec illud silendum est, quod ad maius dedecus Christianitatis cedere visum fuit. Imperator rogavit soldanum, ut per Sarracenos suos in ipsius imperatoris expensis Christianum exercitum faceret custodiri; quod cum ordinatum a soldano fuisset, quia de lupis erant pastores effecti, multi de nostris sub illa confidentia ceciderunt, et quod cum maxima verecundia referimus et rubore, imperatori soldanus, audiens quod secundum morem Sarracenicum se haberet, misit cantatrices, que et saltatrices dicuntur, et ioculatores, personas quidem non solum infames, verum etiam de quibus inter Christianos haberi mentio non deberet. Cum quibus idem princeps

a) quis *deest ap. Rayn.*

1) *i. e. Nov. 23; immo Nov. 15 pervenerat Ioppen; Winkelmann, Fried. II, p. 300, not. 1.* 2) *Agitur ut videtur de Fakr-eddin; cf. Reinaud, Extraits des Hist. Arabes, p. 429.* 3) *comes Acerrarum, baiulus imperatoris in Terra Sancta.*

huius mundi vigiliis, potationibus et indumentis et omni more Sarracenico se gerebat. Etsi talia abhorruit exercitus Iesu Christi, adhuc, dante Domino, loco et tempore sanctitatis vestre auribus referent, qui propriis oculis hec viderunt. Erga Sarracenos non solum largus extitit sed effusor, ac si emere vellet pacem, quam obtinere non poterat violentia vel timore.

Sane longe ante nativitatem Domini precepit biscottum fieri et galeas et omnia vasa sua parari[1]: quod audientes Sarraceni, licet eum antea non timerent, ipsum tamen amplius contempserunt. Denique in dominica septuagesime[2] pacis volens publicare tractatum, qui usque tunc admodum fuerat occultatus, vocavit ad se circiter quatuor de maioribus Syrie, eisque intimavit, quod adeo pauper erat, quod[a] ibi non poterat moram trahere longiorem, quia iam sibi deficiebant expense, ut consilia eorum eo facilius ad suum propositum ac desiderium inclinaret. Cum autem de paupertate prologum perfecisset, aperuit eis, quod soldanus offerebat ei civitatem sanctam, retento sibi templo Domini, quod a Sarracenis custodiri debebat, ut illud sine tributo intrare possent libere Sarraceni, qui illuc vellent causa peregrinationis venire, et quod civitatem poterat firmare; Bethleem et duo minima casalia, que sunt inter Bethleem supra stratam et Ierusalem; casalia que sunt inter Ierusalem recto itinere usque Ioppen; Nazareth et duo casalia modica, que sunt inter Nazareth et Accon recto itinere; Tyrum[3] cum quibusdam pertinentiis suis, quod non debebat firmari; Sydonem cum plano et duo casalia modica, que sunt in plano. Et sciendum quod patriarche extra civitatem non restituitur unus passus terre, nec domui Sepulchri Dominici, nec hospitali sancti Iohannis, nec de Latina, nec de Iosaphat, non de Templo Domini, nec Montis Oliveti, nec Montis Sion abbatibus, ut brevius dicamus, nichil restituitur extra civitatem preter ea, que sunt superius nominata, que tamen non sunt de casalibus, que ad aliquem pertineant de corpore civitatis, nisi domui Templi ad quam aliqua pertinent ex eis, que sunt inter Ierusalem et Ioppen. Casalia vero, que restituta dicuntur, pauca sunt numero nec plurimum commendanda valore.

Ad hec supradicti nobiles responderunt, quod ex quo ita pauper erat, quod ulterius remanere non posset, ei factum illud disconsulere non audebant, ita tamen si civitatem retinere poterat et munire. Postmodum vocati fuerunt magistri domorum et super hoc requisiti; qui una cum episcopis Anglie responderunt, quod sine nostro consilio nichil penitus responderent, dicentes quod nostrum erat consilium potissimum requirendum, tum propter dignitatem patriarchatus, tum quia in illis partibus ac negotio precipue Iesu Christi legationis officio fungebamur. Ad hec imperator respondit, quod nostrum super hoc consilium non requireret nec haberet. Sic igitur imperator clam, nemine de terra presente, presentibus nuntiis soldani, iuravit se servaturum ea que continebantur in quadam charta clausa, que nunquam coram aliquo peregrino nec aliquo de terra lecta fuit vel aperta, nec coram nuntiis soldani ab ipso imperatore baronibus vel magistris recitata, nec ab ipso manifestata soldano; et soldanus contentus fuit solo principis iuramento, nec alterius fuit super hoc securitas requisita, quia bene sciebat imperator, quod si contingeret ab alio hanc securitatem requiri, sicut fieri consuevit, ille qui requireretur vellet sibi explanari singula capitula diligenter, antea quam iuraret. Sed imperator cum male ageret, lucem rationis in omnibus declinabat. Tandem vocatis Theutonicis suis, qui nichil aliud affectabant nisi quod possent visitare sepulchrum, allegare cepit imperator et magister Alemannorum post ipsum, quomodo per eos fuerat exaltatus et quantum in negotio illo eum Dominus honorabat, non suis meritis sed orationibus eorundem. Et si omnes alii id

---

[a]) et quod *Rayn.*

1) *cf. Winkelmann. l. c. p. 302.* 2) *Febr. 11.* 3) *ita Rayn. male; erat castrum Turon.*

disconsulerent, consilio eorum se reputabat contentum, rogans eos ut de honore suo gauderent et cantum in signum exultationis et letitie inchoarent: que sola natio cantum levavit et luminare fecit, omnibus aliis stultitiam reputantibus quod fiebat, cum multi ex iis fraudem iam cognoscerent manifeste. His peractis magister Alemannorum, comes Thomasius et dominus Sydonis iverunt ad soldanum Babylonie, ut super conventionibus initis reciperent sacramentum ab ipso; quo recepto ivit dominus Sydonis ad soldanum Damasci[1], ut ab eo similiter reciperet sacramentum. Sed idem soldanus iam presenserat, quod soldanus Babylonie et Seraphius[2], avunculi eius, eum exheredare penitus intendebant et inter se dividere terram suam, propter quod se in Damascum recepit et adunatis suis eis viriliter resistere[a] conabatur. Qui treugam iurare noluit ullo modo, dicens quod soldanus Babylonie avunculus suus terram ipsius Christianis sine consensu suo reddere de iure non poterat nec debebat.

Inter hec magister Alemannorum ad magnificandam vocem, immo ad palliandam principis falsitatem, malitiam atque fraudem, mandavit nobis consulens atque rogans, ut ad exercitum personaliter veniremus, cum peregrinis civitatem sanctam sollempniter intraturi, et quod deinceps ordinari deberent nostro consilio universa, nostrumque adventum imperator plurimum affectabat. Circa idem magister valde sollicitus erga amicos et familiares nostros de exercitu, ut nos ad veniendum inducerent suis precibus cum affectu ....[b]; quorum omnium receptis litteris et perlectis, caute considerandum duximus et notandum, quod imperator sue intendens dilatare fimbrias falsitatis, et attendens quod treuge et conventiones, quas cum soldano inierat fraudulenter et malitiose, omni fundamento veritatis et stabilitatis carerent, nec tam vesanum scelus posset diutius occultari, cum ipse esset de terra recessurus instanter, nec terra, quam se acquisisse iactabat, posset retineri per ipsum, se exoneratum crederet immo honoratum omnino, et nos post recessum suum quacumque occasione dimitteret in acquisitione, quam se fecisse fingebat, vel operis continuatione Ioppen, et si postmodum de Ierusalem aliqua necessitate contingeret nos exire vel opus relinquere imperfectum, diceret: 'Ego acquisivi civitatem sanctam, quam perdidit patriarcha et ecclesie Romane legatus; incepi munire Ioppen, et est perdita per eundem', et non solum nobis id verum etiam ecclesie imputaret. Ad hec, pater sancte, licet malitiam imperatoris ac fraudem et circumventionem magistri in hac parte perpenderemus expresse, tamen ad intellecta tunc pretermisimus ex industria respondere, rescribentes magistro, ut transcriptum treuge et omnium conventionum nobis transmitteret de verbo ad verbum, ut habita deliberatione debita quod mandabat possemus confidentius ac securius adimplere. Non enim tutum erat nobis, immo admodum indiscretum, quod nos in manu committeremus soldani, de cuius nobis forma treuge non constabat. Quo intellecto magister incontinenti per fratrem W.[3] de ordine Predicatorum, penitentiarium nostrum, nobis misit supradictum transcriptum: quo retento ac diligenter notato vidimus in eo inter cetera quedam mirabilia contineri, que sanctitati vestre de verbo ad verbum duximus transmittenda[4], beate circumspectionis vestre relinquentes iudicio principis huius malitiam evidentem.

Nos igitur ex forme treugarum instrumentis, utpote qui nichil aliud querebamus, ex tunc incepimus nostrum consilium ordinare, qualiter in toto negotio procedere deberemus. Cum igitur nobis inprimis constaret, quod soldanus civitatem sanctam imperatori ac suis baiulis ad muniendam et habendam dedisset, nulla de ecclesia vel

a) assistere *Regn.* b) *deesse aliquid videtur.*

1) *Ennasir-Dâud.* 2) *El-Aschraf, soldanus de Khelath in Armenia maiore.* 3) *Walterum, de quo Matth. Paris. Chron. maior, ed. Luard. t. III, p. 177.* 4) *n. 380.*

Christianis habita mentione, non fuit nostrum consilium, quod de munitione illa intromittere nos vellemus, quia post recessum imperatoris dicere posset soldanus: 'Exite, nullam habeo conventionem vobiscum', et soldanus Damasci, cum quo treugam non habemus, posset nos graviter infestare; et quia treuge forma continebat expresse, quod Sarraceni in manu sua templum Domini sicut antea detinerent, et quod ibidem lex eorum deberet modo solito proclamari, cum civitas omnino cultui Christiano restituta non esset, precipue cum soldanus Damasci, cui super dicta restitutione inferebatur violentia, treugam non iurasset, propter quod videbatur minime duratura: de consilio peritorum inhibuimus reconciliari inibi loca sacra ac celebrari divina, quousque super hoc sanctitatis vestre requireretur consilium et assensus. Cumque videremus, quod in omnibus his malitiose ac fraudulenter procederet imperator, peregrinis indifferenter denegavimus licentiam intrandi Ierusalem et visitandi sepulchrum, dicentes quod a sanctitate vestra et a vestris predecessoribus fuerat super hoc lata sententia: et cum ex tali ingressu et visitatione iam dicta damnum sequeretur non modicum ac periculum personarum, non credebamus, quod a beatitudine vestra factum illud acceptari deberet nec memorata sententia propter hoc revocari. Et cum ad nos illius sententie absolutio non spectaret, eis id denuntiari per predicatores fecimus evidenter, quod a sanctitate vestra requiri eiusdem absolutionis beneficium oporteret.

Et ecce unanimiter sabbato[1] dominice, qua cantatur: 'Oculi mei', sunt cum principe civitatem ingressi, qui summo mane ipso die dominico Sepulchrum intravit, vestibusque indutus regalibus capiti suo imposuit diadema. Quo facto magister Alemannorum surrexit, et sermonem longum et prolixum primo in Theutonico et postea in Gallico ad nobiles et populum inchoavit, et, sicut nobis relatum fuit, exonerando immo exaltando principem, et ecclesiam salva gratia sua multipliciter onerando. In fine sermonis nobiles pro munienda civitate ad subsidium operis invitavit. Imperator oblationes Sepulchri Dominici et aliarum ecclesiarum, invitis canonicis et expulsis, recipi faciebat per seculares milites operis occasione predicti. Post prandium civitatem exivit, ad se venire faciens venerabiles viros Wintoniensem[2] et Exoniensem[3] episcopos et magistrum hospitalis sancti Iohannis[4], preceptorem domus militie Templi, magistro Templi absente: habito cum magistro Alemannorum consilio, per eundem magistrum primo ab eis pro facienda munitione adiutorium requisivit. Qui responderunt, quod super hoc habere spatium deliberandi volebant. Secundo habito consilio cum magistro quesivit ab eis consilium per eundem magistrum, utrum sibi expediret facere munitionem predictam, et quod super hoc ei in crastino illius dominice responderent. Adveniente autem crastino summo diluculo civitatem exivit cum tota familia sua, mirantibus omnibus[5], constitutus in itinere recedendi. Quod audientes illi, qui super predicto verbo ei die illa respondere debebant, festinanter accesserunt ad ipsum, unanimiter respondentes fratres Templi, quod si vellet munire, sicut promiserat, civitatem, ipsi eum ad id faciendum taliter adiuvare curarent, quod domus Templi apud Deum et homines redderetur super hoc merito commendanda. Qui respondit, quod volebat super hoc habere tractatum alias pleniorem. Sicque recedens ab eis, in civitate nemine salutato, ipso die versus Ioppen ita celeriter festinavit, quod vix qui eum sequi valeret invenit. Quod videntes peregrini sese cum ipso pariter reputantes confusos, audientes inter cetera procla-

1) *Mart. 17.* 2) *Petrum.* 3) *Wilhelmum.* 4) *Guarinum de Monte acuto.* 5) *nihil dicit hoc loco de interdicto, sub quo Mart. 19 loca sancta ab archiepiscopo Caesariensi posita erant; cf. n. 383.*

Ps. 108,29. mationem legis Mahometi alte et sollempniter frequentari, fuerunt velut diploide duplici confusione turbati, iamque ipsius malitiam cognoscentes civitatem exibant omnes unanimiter, ipsumque sequebantur ad portum sua peregrinatione, ita quod non sperabatur, quod ibi deberet Christianus aliquis remanere. Imperator venit in Accon in media quadragesima[1], festinans modis quibus poterat transfretare. Milites Theutonicos secum trahere conabatur, sed in hac parte proficere non poterat, prout vellet, cum timerent excommunicationis sententiam et de tempore[a] magnam fiduciam non haberent. Iam aliqui peregrini interfecti fuerant adeuntes sepulchrum, unde paulatim transeuntibus videbatur huiusmodi malitiis securitas interdici. Que postea evenient, curabimus fideliter ac diligenter sanctitati vestre quam cito poterimus intimare. Transmittenda duximus scripta eadem per diversos nuntios, ut saltem unus bravium apprehendat.

Datum Accon, VII Kalendas Martii[2].

385.

Gregorius IX papa rectores societatis Lombardiae rogat et monet, ut promissus numerus militum impleatur. *1229, Mai. 15.*

Greg. IX Reg. Vol. I, 112, 113; Lib. III, 10.
Potthast, Reg. 8398.

Nobilibus viris rectoribus societatis Lombardie.

Si consultius est in vicini fundo alluvionis impetum congruis obstaculis prevenire, ne sata propria rapido disperdantur incursu, si tutius est parieti vicino ardenti succurrere, ut dampnis propriis occurratur, plane patet et plene, quod dum ecclesie Romane gratuita, ne dicamus debita, et promissa prestatis obsequia, vestrum interesse prosequimini principale, prout plenius potestis advertere, quam nos deceat explanare. Quare non tam necessitate quam voluntate, non tam solvendo debitum quam commodum proprium procurando, debetis et promissum numerum militum sine diminutione complere et providere sollicite, ne militantium tempus continuum set utile nobis currat, cum alias ecclesie causam et vestram, et utique plus vestram quam ecclesie, discrimini videremini exponere inconsulto. Ceterum, quod non sine ammiratione referimus et rubore, nondum promissus numerus militum est completus, et qui missi sunt adeo morose venerunt, quod magna pars temporis, quo debuerant in ecclesie obsequiis exerceri, videtur inutiliter effluxisse. Nam quedam civitates nullos, quedam non nisi partem promissi numeri destinarunt, quedam hiis qui missi sunt dederunt minus sufficientes expensas, alie vero equorum et armorum negant emendam, extorto ab eis, sicut ab aliis intelleximus, quod nichil ultra exigant iuramento. Militum quoque quidam, nolentes vel non valentes usque ad tempus morari statutum, iam de itinere cogitant redeundi. Quare Lombardi noxam et notam videntur fere inevitabiliter incurrisse, et negotio ecclesie, cui Dominus est hactenus feliciter prosperatus et prosperabitur, ut speramus, felicius in futurum, de dilatione sperati succursus multiplicis utilitatis est prorogatus effectus. Quia vero sicut viri providi plene nostis, quod nisi promissus numerus impleatur, cum crederetur quod prehabundaret promissioni solutio,

a) *leg.* ipso.

1) *Mart. 25.* 2) *immo* Aprilis *legendum arbitramur, cum epistola post Mart. 25 scripta sit. — Papa eam Iul. 1 recepit; cf. n. 397 in fine.*

non solum promissores notabiles, ne ulterius exprimamus, merito redderentur, verum etiam alias ipsis exinde posset grave dispendium imminere, universitatem vestram rogamus et monemus attente, per apostolica scripta mandantes, quatinus secundum datam vobis a Deo prudentiam modis omnibus procuretis, ut promissus numerus militum impleatur, et provideatis, ne more prolixitas a venientibus facta ecclesie servitiis imputetur, nec propter expensarum vel redditus equorum defectum retro respicere compellantur, quia melius fuerat nullum ecclesie ac vestre cause promisisse[a] subsidium, quam subtrahere imminente necessitate promissum, nec possemus non moveri, dum cerneremus nos tam sollempnis promissionis effectu fraudatos, cum non fraudatos set fraudantes culpa soleat et infamia comitari. Facite igitur, facite, ut ceptam utique causam vestram prosequamini virtuose, ne si, quod absit, magnanimitas vestra vel in modico remittatur, excitetis contra vos in audaciam inimicum.

Data Perusii, Id. Maii, pontificatus nostri anno tertio.

386.

Gregorius IX papa [Pelagio] Albanensi episcopo firmiter praecipit, ut illos, quos de cetero ceperit, sine occisione vel detruncatione sic caute custodiri faciat, ut plus libertatis habere se gaudeant sic captivi, quam sub Aegyptiaca servitute alterius servire Pharaoni.

1229, Mai. 19.

Greg. IX Reg. Lib. III, 14. Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1229, § 41—45. Potthast, Reg. 8405.

Albanensi episcopo, apostolice sedis legato[1].

Magnus Dominus et laudabilis nimis ecclesiam suam in filii sui humilitate lactatam, et demum inconcussis radicibus in eius pretiosissimi sanguinis aspersione mirabiliter stabilitam, adeo mere libertatis titulo glorioso dotavit, ut profusis palmitibus nec humilitas defensionem libertatis excludat, nec libertatis defensio gradus humilitatis excedat; sic unum altero recompensans, quod nec esse debet libertas rigida nec humilitas dissoluta. Ex quo satis decenter innuitur, quod etsi defensor ecclesiastice libertatis aliquando, licet raro, contra tyrannos et persecutores ecclesie, quamvis invitus, auxilio gladii materialis utatur, consuete humilitatis non immemor, non eo sic utitur, ut sanguinem sitiat vel desideret cum aliena iactura ditari, sed potius ut errantes ad viam veritatis revocet, et revocatos cum omni mansuetudine in sua libertate conservet. Verum cum libertatis defensio ab illo dependeat, qui in paucis et in multis ineffabili providentia et incomprehensibili dispositione triumphat, dicens inter alia: 'Non occides': quis viribus confisus humanis proprie salutis oblitus in exercitu Iesu Christi lupo crudelior ovem errantem, quam ut unum ovile et unus (Ioh 10,16.) pastor fieret reducere debuerat ad ovile, occidere, detruncare, vel creatori derogans, creature ipsius imaginem deturpare presumit, quos vivos sue potest subicere ditioni, prout his diebus non sine cordis amaritudine didicimus accidisse? Eia frater, eia, non expedit, ut qui fideles et filios ad ubera matris ecclesie advocamus, in sanguinis effusione gaudentes iniuriis provocemus, cum nullum sibi locum libertas laudabilis

[a]) promisse *R.*

1) *dux erat exercitus papalis in Terra Laboris.*

vendicaret, si sanguinolenta servitus sic serviret. Cum enim reos sanguinis defendat Prov. 24, 11. 12. ecclesia, que debet esse liberans non flagellans, iuxta Salomonis eloquium sic dicentis: 'Erue eos, qui ducuntur ad mortem, et qui trahuntur ad interitum, liberare non cesses; et si dixeris, vires non suppetunt, qui inspector est cordis, ipse intelligit, et servatorem anime tue nichil fallit, et homini iuxta opera sua reddet': absit, ut filios, quos sub alis protectionis sue fovere tenetur Romana ecclesia, que disponente Domino mater est omnium et magistra, occidi vel etiam mutilari permittat; sic enim et libertas servituti cederet, et libertatis propositum in revocandis errantibus servitus abdicaret. Quocirca fraternitatem tuam rogandam duximus et hortandam, per apostolica tibi scripta firmiter precipiendo mandantes, quatinus illos, quos in manus exercitus Iesu Christi de cetero dextera exaltantis concluserit, sine omni occisione, detruncatione vel mutilatione membrorum, que penitus abhorremus, sic caute facias custodiri, ut plus libertatis habere se gaudeant sic captivi, quam sub Egyptiaca servitute in servilis libertatis titulo more solito servire ulterius Pharaoni; ministris et aliis, qui presunt in exercitu, sub obtentu gratie nostre nec non et pena pecuniaria, quam videris expedire, districtius inhibendo, ne similia deinceps in ipso exercitu aliquis attemptare presumat. Sic enim ab oblocutionibus detractorum famam ecclesie ac nostram intendimus super huiusmodi conservare illesam, quod nec conscientia famam negligat, nec infamia odorem vite ac suavitatem absorbens, titulum conscientie sub false opinionis rubigine captiosa denigret.

Datum Perusii, XIV Kalend. Iun. pontificatus nostri anno III.

387.

Gregorius IX papa potestati et populo civitatis Castellanae de eorum submissione gratulatur eorumque civitatem et personas cum omnibus bonis sub protectione sua suscipit et antiquas eorum libertates et consuetudines confirmat. 1229, *Mai.* 19.

Greg. IX Reg. Vol. I, 115; Lib. III, 15.
Potthast, Reg. 8402.

. . potestati et populo civitatis Castellane.

Cum civitatem vestram de beati Petri patrimonio esse constet, sicut ex pluribus privilegiis evidenter apparet, licet aliquando imperialis potentia iustitiam violentia violans, in vobis indebitum usurpaverit dominatum: quia tamen sicut vestra et nostra noscitur interesse, recognoscentes prudenter vos ecclesie Romane subesse debere, ad nos estis fide ac devotione conversi, fidelitatis nobis exhibitis iuramentis, nos volentes, sicut et decet, vos tamquam speciales filios et fideles fovere favorabiliter in dulcedine libertatis, civitatem vestram et personas cum omnibus bonis et iuribus vestris, tam in civitate quam extra, comitatu videlicet et episcopatu et aliis, que impresentiarum rationabiliter possidetis aut in futurum iustis modis prestante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus speciali, statuentes ut eadem civitas perpetuo in ecclesie Romane demanio teneatur, et tam in rebus quam in personis sicut alii fideles patrimonii per Romanam ecclesiam defendatur, nullo unquam tempore sub ditione alterius reditura. Libertates quoque et laudabiles consuetudines vestras hactenus observatas, quibus gaudent alie patrimonii civitates, scilicet in eligendis et faciendis potestatibus seu consulibus, iudicibus, camerariis et notariis, consulibus mercatorum et omnibus aliis officialibus singulis et universis, quibuscumque nominibus

censeantur, et constitutariis facturis constitutiones municipales seu statuta quibus regamini, dum tamen in hiis non contineatur aliquid contra ecclesiam et ecclesiasticam libertatem, nec non auctoritatem exercendi iurisdictionem plenarie in civitate ac extra in vobis et vestris, tam in personis quam rebus, sicut ea omnia iuste ac pacifice possidetis, nec non alia, que in futurum iustis modis prestante Domino poteritis adipisci, vobis auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. Si quis autem etc.

Data Perusii. [XIIII Kalendas Iunii, anno tertio][a].

388.

Gregorius IX papa Suessanos ad dominium ecclesiae reductos cum bonis suis sub protectione sua suscipit et laudabiles eorum consuetudines et alia, quae [Pelagius] Albanensis episcopus, apostolicae sedis legatus, eis indulserit, confirmat. *1229. Mai. 19.*

Greg. IX Reg. Vol. I, 115; Lib. I, 16.
Potthast. Reg. 8403.

Civibus Suessanis.

Sedes apostolica velut pia mater, que filiorum uteri sui oblivisci non potest, intrante sepe in conspectu suo gemitu tribulationum multarum, quarum tempestas vos et alios homines regni graviter luctusque depresserat et pene demerserat in profundum, materno affectu compatiens afflictionibus filiorum, qui quasi in luto et latere coacti (Iudith 5.10) fuerant deservire, desiderio desideravit, ut iugo ab eorum cervicibus tam dure servitutis excussso, finem dare hiis Dominus dignaretur. In effectum quoque producens quod in affectu gerebat, in se suscepit negotium et submisit humeros ad portandum, pro quo quidem exposuit se laboribus et expensis innumeris, et personis etiam suorum fidelium non pepercit, languores per hoc ferens et portans dolores hominum predictorum. Cum igitur reducti sitis ad fidelitatem et dominium Romane ecclesie, ad quam non erat dubium vos spectare, adherentes sicut subiecti et fideles eiusdem, cuius suave (Matth. 11.30.) iugum et onus eius est leve, ac per hoc non illius, que in servitutem[b] generat, set (Gal. 4.21) libere filii existatis, dignum est, ut ab uberibus consolationis sedis apostolice matris et domine vestre amodo recreemini, gaudentes cum letitia qui in tristitia extitistis. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris commodis providere volentes, cum Romana ecclesia clementer prospicere consueverit utilitatibus subiectorum, vestris supplicationibus inclinati, de fratrum nostrorum assensu vos et civitatem vestram cum omnibus bonis, que impresentiarum rationabiliter possidetis aut in futurum etc. usque: adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, statuentes auctoritate presentium civitatem predictam in fidelitate sedis apostolice persistentem, in eius demanio sicut Anagniam et alias civitates Campanie, salvis servitiis et redditibus curie debitis, perpetuo retinendam. Insuper concedimus vobis, ut in preficiendis vobis rectoribus et in contractibus venditionis, emptionis ac aliis habeatis ad instar predictarum civitatum Campanie libertatem. Laudabiles preterea consuetudines vestras et hactenus approbatas, necnon et alia que venerabilis frater noster . . Albanensis episcopus,

[a]) XIIII — tertio *deest in copia nostra; supplevimus ex Theiner, Cod. dipl. dom. temp. s. sed. t. I, p. 88. n. 152.* [b]) servitute *R.*

apostolice sedis legatus, provide vobis indulsit, auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus, salvo in omnibus apostolice sedis mandato. Nulli ergo etc. nostre protectionis et concessionis infringere. Si quis autem —.

[Datum Perusii, XIIII Kalendas Iunii, anno tertio][a].

389.

Gregorius IX papa Petro infanti Portugaliae iniungit, ut iuxta quod liberaliter obtulerit, cum equitum multitudine ad sponsae Christi subsidium quantocius properet.

1229, Iun. 4.

[Ex Greg. IX Reg.][1]. Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1229, § 34.
Potthast. Reg. 8411.

Petro infanti Portugalie.

Prov. 31.19. Quod inspirante spiritu salutis concepto cogitasti ad fortia mittere manum tuam et militare in obsequium sponse Christi, ac vota, tibi eius preeunte gratia inspirata, te prosecuturum gratuito ipso adiuvante obtulisti devotus, tu quoque debes spirituali exultatione gaudere et bonorum omnium largitori sacrificium laudis offerre, quod te inter tot reges et principes ac magnates ecclesie fideles et filios elegisse videtur, ut Deboram[2] sedentem sub palma, immo in palmam potius ascendentem, contra Sisaram sequaris ad prelium, qui exclusit gaudium a se verum, utinam non inferni doloribus mancipatus! Sic enim iam factus est stupidus, quod ictus gladii spiritualis acerbitatem
Es. 9.13. non sentit, nec etiam erubescit, ut salubri confusione confusus ad percutientem se redeat et sanetur; sed in malitia indurata mente perdurat Dei miserationem oblitus, sine quo fit inglorius, immo nichil. Interni etiam et eterni gaudii hoc devotioni tue letitiam ingerit, quod levam temporalis substantie divini muneris largitate preventus, illam in ecclesie subsidium offerendo, in dexteram convertisti, ad eruendum populum Dei de iugo quo inique premitur servitutis — —[b]. Tam tibi quam iis, qui venturi sunt tecum, in remissionem iniungimus peccatorum, quatenus, iuxta quod liberaliter obtulisti, cum equitum multitudine ad sponse Christi subsidium quantocius properes, militaturus Domino sub beato Petro exercitus eius duce.

Dat. Perusii, II Non. Iun. pontificatus nostri anno III.

390.

Gregorius IX papa [Henrico] archiepiscopo Mediolanensi et suffraganeis eius refert, Fridericum dictum imperatorem, sicut ipsius et [Hermanni] magistri Teutonicorum litterae sibi intimaverint, cum soldano Babyloniae pactionem iniisse, ut templum Domini

a) Datum — tertio *deest in copia nostra; supplevimus ex Theiner. l. c. t. I, p. 89, n. 153.* b) *deest aliquid ap. Rayn.*

1) *Aperte quidem Raynaldus non dicit se hanc epistolam ex Reg. sumpsisse, sed nos id credimus ideoque eam hic recipimus, cum Pertzius ipse eam in usum editionis suae ex Rayn. describendam curaverit.*
2) *Iud. c. 4 et 5.*

Sarraceni custodiant, et inaniter in Ierusalem se coronasse, qua re causam Christi enormiter confuderit; mandat iis, ut haec subditis suis exponant, ne iidem errore aliquo super his conveniantur. *1229. Iun. 13.*

Greg. IX Reg. Vol. I, 122, 123; Lib. III, 24.
Potthast, Reg. 8418.

Archiepiscopo Mediolanensi et suffraganeis eius.

Ea que Fridericus dictus imperator egit in partibus transmarinis, ideo vobis hactenus intimare distulimus, quia speramus, quod venerabilis frater noster . . patriarcha[1], apostolice sedis legatus, et . . Templi[2] et . . Hospitalis[3] magistri Ierosolimitani et alii principes et barones de partibus illis nobis illa plenius intimabunt, et tunc certius ea vobis poterimus declarare. Set ne interim vobis suggeri valeant falsa pro veris, ea que dictus Fridericus et . . magister domus Theutonicorum nobis suis litteris intimarunt[4], vobis duximus referenda. Idem enim Fridericus cum soldano Babilonie, qui Ierusalem vel circumpositam regionem nec de facto nec de iure tenebat, irrequisito soldano Damasci qui terram detinebat eandem, talem iniit pactionem, videlicet ut templum Domini Christo dicatum custodiant Sarraceni et servent observantias ritus sui, et sic idem in Ierusalem diruta fere penitus et deserta se sollempniter vel potius inaniter coronavit. Set patriarcha et magistri predicti necnon quamplures alii zelum Dei habentes, nullatenus consenserunt huiusmodi pactioni, quin potius idem patriarcha civitatem Ierusalem ecclesiastico supposuit interdicto, ita quod nullum ibi divinum officium celebretur. Quare patet expresse, quod idem Fridericus, quantum in eo est, confudit enormiter causam Christi et populi Christiani, dum, quod horrendum est dictu et stupendum auditu, conventionem Christi ad Belial penitus 2 Cor. 6,15 impossibilem gestiens concinnare, sanctum exposuit prophanandum, ut in templo Domini celebretur memoria Machometi et illius perditissimi lex detestabilis predicetur, qui legem Christi, quantum in ipso fuit, evacuavit in partibus orientis. Sicque inimicus crucis, hostis fidei, adversarius castitatis, inferno dampnatus, quasi contradicto iudicio videtur erigi adorandus, in intolerabilem contumeliam Salvatoris et inextricabile obprobrium populi Christiani et contemptum multorum Christi martyrum manifestum, qui ut terram Christi sanguine consecratam a Sarracenorum mundarent spurcitiis, animas suas salubriter posuerunt. Ne igitur subditi vestri aliquo super hiis circumveniantur errore, universitatem vestram monemus et hortamur attente, per apostolica scripta mandantes, quatenus hec ipsis fideliter exponatis, adicientes que secundum Deum honori ecclesie videritis expedire. Nomina vero terrarum, quas memoratus Fridericus Sarracenis in pactione reliquit, vobis per alias litteras providimus exprimenda.

Data Perusii, Idibus Iunii, pontificatus nostri anno tercio.

391.

Gregorius IX papa rectoribus et populo Gaietanis significat, se petitiones eorum studiose audivisse, sed baiulationem et plateaticum civitatis eorum et borgii Molarum ad manus suas retinenda duxisse. *1229. Iun. 19.*

Greg. IX Reg. Vol. I, 124; Lib. III, 30.
Potthast, Reg. 8420.

1) *Geroldus.* 2) *Petrus de Monte acuto.* 3) *Guarinus de Monte acuto.* 4) *cf. n. 381, 382 et 383.*

Rectoribus et populo Gaietano.

Venientes ad nos dilectos filios Iohannem dictum Cabotum et Petrum Bulgamin., cives et nuntios vestros, viros providos et discretos, benigne recepimus et intelleximus diligenter. Cum autem ad vos sicut pater ad filios sincere dilectionis habeamus affectum, ac per hoc utilitatibus vestris libenter tamquam propriis intendamus, petitiones vestras, in quibuscumque cum honestate potuimus, studuimus exaudire. Verum baiulationem et plateaticum civitatis vestre ac borgii Molarum cum omnibus iustitiis et redditibus curie debitis ad manus nostras duximus retinenda, gerentes in proposito super aliis oportuno tempore providere, prout utilitati vestre salvo honore ecclesie videbimus expedire. Monemus igitur universitatem vestram per apostolica scripta mandantes, quatinus in fidelitate ac devotione sedis apostolice de bono semper in melius proficere studeatis, ita quod ipsius dilectionem et gratiam magis ac magis promereri possitis, et nos in oportunitatibus vestris vobis favorabiliter assistere debeamus.

Data Perusii, XIII Kal. Iulii, pontificatus nostri anno tertio.

392.

Gregorius IX papa Gaietanos sub protectione sua suscipit, statuens eorum civitatem in demanio sedis apostolicae perpetuo retinendam. *1229, Iun. 20.*

Greg. IX Reg. Vol. I, 123; Lib. III, 28.
Potthast, Reg. 8422.

Civibus Gaietanis fidelibus nostris.

Sedes apostolica veluti pia mater, que filiorum uteri sui oblivisci non potest etc.[1] usque: onus eius est leve, de communi fratrum nostrorum consilio et assensu vos et civitatem vestram cum omnibus, quę impresentiarum rationabiliter possidetis aut in futurum iustis modis prestante Domino poteritis adipisci, sub dominio ac protectione apostolice sedis et nostra suscipimus, statuentes auctoritate presentium civitatem predictam in fidelitate sedis apostolice persistentem, in eius demanio et ad manus ipsius perpetuo retinendam, ita quod non debeat de cetero alterius dominio et potestati subesse. Nulli ergo etc. nostre protectionis et constitutionis infringere. Si quis autem etc.

Data Perusii, XII Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno tertio.

393.

Gregorius IX papa [Bertoldum] patriarcham Aquilegiensem graviter corripit, quod personaliter in Ungariam accedens [Andream] regem a devotione ecclesiae Romanae subtrahere studeat, eique districte praecipit, ut inimicis ecclesiae de Polae et aliarum terrarum portubus in Apuliam transire volentibus aditum penitus interdicat. *1229, Iun. 20.*

Greg. IX Reg. Vol. I, 123; Lib. III, 27.
Potthast, Reg. 8421.

1) *cf. n.* 388.

. . patriarche Aquilegensi.

Cum nemo possit Deo vel homini sine fide placere, quia qui fidem perdidit perditus reputatur, nil[a] habet ultra quam perdat, non iniuste miramur nec indigne movemur, quod cum sis ecclesie Romane iuramento fidelitatis astrictus, alioquin nobis ut nosti obligatus vinculo speciali, qui adhuc in minori officio constituti te prompto diligentes affectu, et ad profectus tuos efficaciter intendentes, ecclesiam tuam liberavimus a variis tribulationibus et pressuris, tu sicut audivimus mala pro bonis nobis inique retribuens, faves ecclesie inimicis aliosque ad favendum inducere machinaris, personaliter in Ungariam accedendo, ut karissimum in Christo filium nostrum . . Ungarie regem illustrem seduceres et corrumperes, ut ab ecclesie Romane devotione recedens, baculo arundineo inhereret, qui manum perforat innitentis. Et ne vestigia tuorum (Es. 36, 6.) gressuum apparerent, dilectum filium magistrum Egidium subdiaconum et capellanum nostrum alloqui dedignatus vel potius dolose declinans, tibi ab ipso velut ab hoste cavisti, non attendens quod frustra iacitur rete ante oculos pennatorum, nec metuens (Prov. 1, 17) quod sepe quis incidit in laqueum quem pararat. Verum quia contra te non nisi ex intollerabili offensa tua provocari possemus, ut scias nil intollerabilius a te nobis posse inferri, quam te prevaricationibus implicando facere irritam fidem tuam, firmiter te monemus attente, per apostolica tibi scripta in virtute obedientie sub debito iuramenti districte precipiendo mandantes, quatinus in fide ac devotione apostolice sedis et nostra inflexibilis perseverans, nullum adversariis ecclesie prestes vel a tuis prestari permittas auxilium vel favorem, set voluntate nobis et actione satagens complacere, inimicis ecclesie te potenter et patenter opponas, et specialiter in Pole ac aliarum terrarum portubus, que iurisdictioni tue spiritualiter vel temporaliter subesse noscuntur, omnibus transire volentibus in Apuliam aditum penitus interdicas, tam eos quam ductores ipsorum spirituali et temporali districtione compescens. Alioquin cum in talibus culpis culpa esset relaxari vindictam, venerabilibus fratribus nostris . . patriarche Gradensi[1] et . . episcopo Castellano[2] nostris damus litteris in mandatis, ut excommunicatum te denuncient et periurum. Aliasque contra te severius procedentes super variis et enormibus excessibus tuis, de[b] quibus frequens et clamosa insinuatio perculit aures nostras, faciemus inquisitionem fieri diligentem, ut punitus agnoscas quod pertinax commisisti.

[Data Perusii.] XII Kal. Iulii, [pontificatus nostri anno III][c].

In eadem forma mandati Pabenbergensi episcopo[3].

394.

Gregorius IX papa Gaietanis ad dominium ecclesiae Romanae reductis concedit in praeficiendo potestates et in omnibus aliis libertatem, quam habeat civitas Anagnina, quaedam alia privilegia addens iisque bonas consuetudines, quas tempore regis Guillielmi habuerint, confirmans. *1229, Iun. 21.*

Greg. IX Reg. Vol. I, 122–123; Lib. III, 26.
Potthast, Reg. 8423.

a) *an* nec? b) de *deest in R.* c) *locus et annus desunt in R.*

1) *Angelo.* 2) *Marco.* 3) *Egberto, Bertoldi fratri.*

Civibus Gaietanis fidelibus nostris.

Sedes apostolica veluti pia mater, que filiorum uteri sui oblivisci non potest, intrante sepe in conspectu suo gemitu tribulationum multarum, quarum tempestas vos et alios homines regni graviter hucusque depresserat et pene demerserat in profundum, Iudith 5.10. materno affectu compatiens afflictionibus filiorum, qui quasi in luto et latere coacti fuerant deservire, desiderio desideravit, ut iugo ab eorum cervicibus tam dure servitutis excusso, finem hiis dare Dominus dignaretur. In effectum quoque producens quod in affectu gerebat, in se suscepit negotium et submisit humeros ad portandum, pro quo quidem exposuit se laboribus et expensis innumeris et personis etiam suorum fidelium non pepercit, languores ferens per hoc et portans dolores hominum predictorum. Cum igitur reducti sitis ad fidelitatem et dominium Romane ecclesie, ad quam non erat dubium vos spectare, adherentes sicut subiecti et fideles eiusdem, Matth. 11.30. cuius suave iugum et onus eius est leve, ac per hoc non illius, que in servitutem Gal. 4.24 generat, set libere filii existatis, dignum est, ut ab uberibus consolationis sedis apostolice matris et domine vestre amodo recreemini, gaudentes cum letitia qui in tristitia extitistis. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris comodis providere volentes, cum Romana ecclesia clementer prospicere consueverit utilitatibus subiectorum, vestris supplicationibus inclinati de communi fratrum nostrorum consilio et assensu concedimus in preficiendo potestates, consules et rectores et in omnibus aliis libertatem, quam habet a sede apostolica civitas Anagnina. Immunitatem quoque per totum regnum a prestatione passagii, pedagii, falangatici ac dationis, que directus vulgariter dicitur, ad curiam pertinentium, et medietatem eorum, que pro offensis debentur, cum magistratu protentiatus[a] galearum a Policastro usque Gaietam de gratia vobis concedimus liberali. Cudendi etiam monetam argenteam, ubi ex una parte ymago capitis beati Petri cum superscriptione civitatis vestre, ex alia vero in medio pape et in circulo superscriptio nostri nominis habeantur, et ampliandi civitatem vestram vel edificandi novam in monte sancti Martini prope posito liberam vobis tribuimus facultatem, ita quod pro moneta quolibet anno, cum eam cudi contigerit, quinquaginta tarenos auri nobis et nostris successoribus persolvetis. Insuper omnes libertates omnesque laudabiles consuetudines, quas habuistis tempore clare memorie regis Guilielmi in creandis consulibus, iudicibus et aliis officialibus annuis ac notariis, in cognitione ac terminatione causarum, nec non et in duana salis, in portubus quoque, scilicet in Patria et ab ea usque Cannetum, in vendendo scilicet in hiis salem et emendo et extraendo inde victualia et in deferendo libere Gaietam, labores hereditatum, quas vos et ecclesie civitatis vestre habetis in comitatu Fundano, ac in defendendo vos ab inimicis vestris extra regnum et pacem faciendo cum ipsis, Pontianam etiam insulam, Palmeriam, Sennonem, Pantateram et Sanctum Martinum cum piscariis et tenimentis suis, sicut tempore memorati regis habuistis easdem, et generaliter omnes bonas consuetudines vestras, salvis omnibus iustitiis et redditibus curie debitis, pro quibus recipiendis aliquis de terra nostra ponetur per sedem apostolicam, idem vel alius annuatim, vobis auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Ubique vero per regnum salvi sint cives vestri, quos naufragium pati contingeret, et ne offendantur in personis vel rebus, districtius prohibemus. Interdicimus etiam, ne in civitate vestra vel extra in tenimentis ipsius castrum seu munitio aliqua construatur. Quandocumque autem Romana ecclesia stolium facere voluerit, civitas vestra ei tenebitur pro una galea sufficientem dare numerum armatorum, corpus vero galee cum

---

a) *ita R.*, potentiatus *Huill.-Bréh.*

apparatu ipsius, mercedem et alia necessaria hominum sedes apostolica iuxta regum consuetudinem exhibebit; salva in omnibus sedis apostolice auctoritate ac salvis ecclesiarum libertatibus et iuribus earundem. Nulli ergo etc. nostre protectionis, constitutionis, concessionis, confirmationis et inhibitionis infringere. Si quis autem etc.

Data Perusii, XI Kalendas Iulii, anno tertio.

395.

Gregorius IX papa rectoribus societatis Lombardiae nuntiat, I[ohannem] regem Hierosolymitanum et I[ohannem] presbyterum cardinalem contra Fridericum dictum imperatorem, quem de partibus transmarinis rediisse audierint, processuros esse; unde iis firmiter praecipit, ut milites, quos in auxilium miserint, sed qui se non teneri ultra servire dicant, in ecclesiae servitio perseverare faciant iisque abunde stipendia ministrent.

1229, Iun. 26.

Greg. IX Reg. Vol. I, 124; Lib. III, 31.
Potthast, Reg. 8425.

Rectoribus societatis Lombardie.

Scitis et sicut credimus tanquam viri prudentes frequenti meditatione revolvitis, nos ex summo desiderio et deliberato consilio vestro contra Fridericum dictum imperatorem negotium inchoasse, cum idem totis mentis affectibus aspiraret ad exterminium Lombardie. Unde cum ad prestandum nobis auxilium contra eum vos certis obligationibus astrinxeritis, quia numquam alias instanti periculo vestro poteratis efficacius obviare nec utilitati communi consultius providere, speravimus et speramus, ut veritatem in omni puritate servantes, nobis, vel vobis verius, et promissum impendatis auxilium et adiciatis prompta voluntate promisso, sicut vestrum irreprehensibiliter prosequi cupitis interesse. Sane, sicut iam pluries vobis nos[a] intimasse meminimus[1], milites, quos in ecclesie Romane servitium citra promissum numerum destinastis, voluntaria, ne malitiosa dixerimus, lentitudine retardati, adeo morose venerunt, quod nunc tempus veniendi et redeundi volentes continuum computare, nichil aut modicum ecclesie servierunt. Et nunc cum[b] per gratiam suam Dominus ecclesie sue misericorditer prosperetur, ita quod iam civitatibus et castris quampluribus ad manum ecclesie revocatis, karissimus in Christo filius noster I. rex Ierosolimitanus illustris et dilectus filius I. tituli Sancte Praxedis presbyter cardinalis, audito sed nondum plene scito quod dictus Fridericus redierit de partibus transmarinis[2], contra eum proponant procedere in nomine Iesu Christi, ut artantes eundem, omnem ei nocendi potentiam interdicant: dicti milites vestri, dicentes se non teneri ultra servire, nimis reprehensibiliter exercitum deserere comminantur, ut tunc retro respiciant, cum procedere ac proficere sperarentur; in quo et nos et vos proderent manifeste. Que namque nequior posset esse perfidia, queve proditio notior, quam promissum auxilium in ipso necessitatis articulo subtrahi confidenti, presertim in quem promissionis fiducia eum noscitur induxisse? Et quidem gravia exinde universitati vestre discrimina inevitabiliter imminerent, set infamie macula et confusionis obprobrium vos et filios

a) iam *R.* b) cum *deest in R.*

1) *cf. n. 385.* 2) *Iun. 10 ad portum Brundusii applicaverat; Chron. de reb. Sic. ed. Huillard-Bréholles, l. c. t. I, p. 902.*

filiorum vestrorum perpetuo sequerentur, prout ipsi melius intueri potestis, quam
Prov. 19, 24. posset per aliquem de facili enarrari. Ne igitur manus vestras videamini mittere sub ascellas, quas nunc nunc mittere debetis ad fortia, tamquam propria capita viriliter defendentes, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta sub debito iuramenti firmiter precipiendo mandantes, quatinus faciatis omnino, ut predicti milites in ecclesie servitio et vestro per consequens fideliter perseverent, ministrantes eis habunde stipendia et alia oportuna, nec vos ad presens talium tedeat expensarum, que a multis et gravibus dampnis et iniuriis vos preservant, cum utiliter denarius expendatur quo libre parcitur sine nota. Ecce autem transcriptum litterarum predictorum regis et cardinalis vobis sub bulla nostra mittimus interclusum, ut exinde urgentis necessitatis articulo intellecto impleatis et celerius et liberius quod mandamus, adiciendo prompto affectu et effectu omnimode subventionis auxilium, sicut liberaliter promisistis, quia cum per Dei gratiam ecclesia Romana multis modis possit sibi consulere, nequaquam imputaretur eidem, si assistentibus sibi libenter assistens, adesse nolentibus non adesset.

Data Perusii, VI Kal. Iulii, pontificatus nostri anno tertio.

396.

Gregorius IX papa rectoribus societatis Lombardiae firmiter praecipit, ut cum Fridericus dictus imperator de partibus transmarinis reversus sit, militibus, quos in ecclesiae servitium destinaverint, mandent, ut saltem tribus mensibus in ipsius servitio perseverent. *1229, Iul. 13.*

Greg. IX Reg. Vol. I, 129, 130; Lib. III, 36.
Potthast, Reg. 8427.

Nobilibus viris rectoribus societatis Lombardie.

Si meditatione debita pensaretis, quam sit necessarium, quam sit utile Lombardie, ne Fridericus dictus imperator invalescere permittatur, nequaquam nos totiens vobis scribere oporteret[1], set ipsi etiam irrequisiti nos sollicitaretis instanter et vos et vestra ultronei offerretis, ut malitiis obviantes ipsius, eum in primis quasi motibus reprimere studeremus, cum melius sit in tempore occurrere quam post exitum vindicare. Sane, sicut nostis, milites, quos in ecclesie nec minus vestrum servitium destinastis, adeo lente venerunt, quod maior pars temporis quo debuere servire inutiliter est elapsa, et sic, quasi ante quam aliquid boni egerint, ad propria redire minantur, quod esset nos et vos prodere studiose, quia cum nunc sit potissime necessarium et plurimum oportunum, ut dicto Friderico reverso confuso de partibus transmarinis exercitus ecclesie confortetur, ne ille prodire sinatur: quid umquam contra nos et vos posset periculosius cogitari, quam dictum exercitum modo dissolvi, ut, quod absit, debilitatis nostris hostis perfidus sumat audaciam resistendi? Ut igitur tantis periculis occurrentes quieti vestre provide consulatis, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta sub debito iuramenti, quo nobis astricti tenemini, firmiter precipiendo mandantes, quatinus, sicut divinam et nostram gratiam caram habetis, sicut confusionem vultis evitare perpetuam,

1) *cf. n. 385 et 395.*

sicut quieti et honori Lombardie cupitis providere, procuretis omnino, ut tempus militum predictorum non continuum set utile nobis currat, eis sub omni qua potestis districtione ac celeritate mandantes, ut saltem tribus mensibus in ecclesie Romane servitio fideliter perseverent, stipendia sibi et alia necessaria destinando, cum speremus, quod in proximo Dominus ecclesie iustitiam declarabit, represso inimico Christi et populi Christiani. Cetera vero, que dilectus filius frater Guala vobis ex parte nostra proponet, sine dubitatione credentes, ea studeatis efficaciter adimplere, ita quod de vestris meritis apud nos certissime confidere valeatis. Alioquin dilecto filio nostro G[uifredo] tituli Sancti Marci presbytero cardinali, apostolice sedis legato, nostris damus litteris in mandatis, ut vos ad id per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellat.

Data Perusii, III Idus Iulii, pontificatus nostri anno tercio.

397.

Gregorius IX papa [Liupoldo VI] duci Austriae scribit, quomodo Fridericus dictus imperator pactum execrabile in Terra Sancta cum Sarracenis inierit et postmodum Acconem reversus se gesserit, eum exhortans ad vindicandam iniuriam Salvatoris.

1229, Iul. 18.

Greg. IX Reg. Vol. I. 130, 131; Lib. III, 38.
Potthast. Reg. 8431.

Nobili viro . . duci Austrie.

Inter alia flagitia, quibus Fridericus dictus imperator fidem nominis Christiani confudit et prodidit, quatuor precipue notare debes alfabeto quadruplici deploranda, que per litteras venerabilis fratris nostri . . patriarche Ierosolimitani[1], apostolice sedis legati, nobis sunt fideliter intimata et in forma treugue inite cum paganis perpenduntur[a] manifeste. Primum quod arma Christiane militie, gladii potestatem de altari beati Petri sumpti, ad vindictam malefactorum laudemque bonorum sibi a Christo per suum vicarium assignati, quo pacem Christi, fidem ecclesie defenderet et muniret, soldano Babilonie, inimico fidei, adversario Iesu Christi, cultori perditi Machometi, impudentissime resignavit, denuntians ei ut de ipso faceret quicquid vellet, et affirmans se nolle arma de cetero assumere contra ipsum, quem ut impugnatorem fidei fideliter impugnaret, acceperat imperialis culminis dignitatem. Per quod patenter arguitur, quod dignitati imperii eiusque spontaneus renuntiavit honori, cum executionem gladii contra hostes fidei pacto execrabili et inaudita presumptione remittens, potestatis et dignitatis sue se spoliavit officio, causa se privatum insinuans, cuius effectu promisit et iuravit se de cetero cariturum; privilegium enim meruit dignitatis ammittere, qui concessa sibi abusus est potestate. Secundum magis execrabile et inauditi ammiratione stuporis horrendum, quod de templo Dei, in quo Christus oblatus est et sedem sibi primam cathedralem constituit, quando in medio doctorum sedit audiens et respondens, ipsum impudenter et irreverenter eiecit et in sede sua Machometum perditum collocavit, cum doctrinam nephandam et legem ipsius in templo Dei predicari et clamari concedens, silentium preconio evangelice veritatis imposuit, eiusdemque

a) perpenditur *R.*

1) *Geroldi; cf. n. 384 et 380.*

templi custodiam et septi eius claves Sarracenis committens, nullum intrare statuit Christianum, nisi de altitudine templi prius examinatus suam pagano credulitatem exponat. Per quod datur intelligi manifeste, quod iudicio Sarraceni relinquitur, utrum debeat Dei templum ingredi Christianus. Tertium est quod Antiochiam et Antiochenam provinciam, Tripolitanam etiam cum adiacentibus suis, castrum quod dicitur Crak, Castellum Album et Margattum occupanda paganis exposuit, quando ipsa a confederatione treuguarum excepit. Immo si ea invadi contingeret a paganis, non solum omne subsidium se denegaturum assensit, set universos ferentes auxilium impedire et cohibere nephandissimo iuramenti vinculo se astrinxit, quasi non sufficiat inaudite tyrampnidi et infidelitati dampnate, templum Dei hostium fidei subdere potestati et prophanari immunditiis paganorum ac Christum de sede sua turpiter eiecisse, nisi etiam primam sedem apostolorum principis, eius vicarii, iuramentum ei prestitum male servans, exposuerit inimicis fidei Christiane, manifeste protestans quod infidelis capiti non solum uni membro, set toti corpori sit infidus. Quarto autem contra totum populum Christianum apparet ipsius et paganorum confederatio manifesta, ubi ita se dampnabiliter obligavit, quod omnes, qui predictis inter se initis factionibus vellent quomodolibet obviare, iuramento tenetur suis expensis et exercitu suo pro suis viribus debellare; ex quo constat, quod si Christianus exercitus ulcisci sui vellet iniuriam Redemptoris et a templo Dei et a Terra Sancta eliminare spurcitias paganorum, patenter tenetur se opponere Christianis.

Numquid super hiis non indignabitur zelus tuus, aut impune Christus de regno suo et sede repellitur, et transactionem principis solo nomine Christiani, qua templum Dei conceditur Machometo, religio Christiana conniventibus oculis approbabit? Absit ut illius, qui lese maiestatis reus est, particeps vel consors existas. Si reus est ille criminis huius, cuius ope vel dolo civitas hostibus vel provincia traditur, quanto magis eiusdem criminis reus est, qui cum inimicis fidei Christiane contra regem celi et imperatorem eternum, ut thronus eius ad adversarium transferatur, nepharias iniit factiones. Si secundum leges principum secularium hoc piaculare flagitium tam dura diraque pena multatur, ut feratur ultio tam in actores sceleris quam in proieniem dampnatorum, et[a] eiusdem criminis nóxius non solum honore sed vita privetur filiosque perpetua comitetur infamia, ut ad nullum honorem nullaque prorsus perveniant sacramenta, ut mors sit eis solatium et vita in supplitium convertatur, quanta qualive pena est dignus, qui in tot et tantis impie dominum Dei filium Iesum Christum offendit, cum longe sit gravius eternam quam temporalem offendere maiestatem. Quocirca nobilitatem tuam rogamus et monemus in Domino, per effusionem Christi sanguinis obsecrantes, quatinus ad vindicandam iniuriam salvatoris nostri Dei taliter assurgas, ut cum a nobis fueris requisitus, paratum te inveniat ecclesia mater tua ad exprobrandum obprobrium inimicorum crucis Christi et abolendam maculam tante infamie a gloria nominis Christiani. Cum nuper die dominica post festum Apostolorum[1] super premissis recepissemus litteras patriarche, sequenti die sabbati alias eiusdem accepimus litteras, in quibus inter alia perspeximus contineri[2], quod postquam reversus est dictus Fridericus a civitate Ierusalem, dictum patriarcham et fratres militie Templi obsidens in Accon quinque diebus cum hiis qui secum erant graviter impugnavit, intendens domus eorum bonis omnibus spoliare; set cum Dominus conatum sue

a) et *deest in R.*

1) *Iun. 29, die Veneris; recepit igitur primam epistolam Iul. 1, alteram Iul. 7.* 2) *cf. patriarchae epistolam [mense Maio] ad universos Christi fideles directam ap. Huillard-Brcholles, l. c. t. III, p. 135.*

nequitie repressisset, nec posset quod in animo gerebat efficere, balistas et cetera arma tam a karissimo in Christo filio nostro Iohanne illustri rege Ierosolimitano quam ab aliis peregrinis pro defensione terre ibi relicta et longo tempore conservata ad navim suam fecit clanculo asportari, quorum partem secum deferens et reliquam soldano et fidei inimico transmittens, destructis galeis que erant ad terre custodiam relinquende, in festo apostolorum Philippi et Iacobi[1] clam fuit et summo diluculo civitatem egressus, et sic terram viris et viribus, armis et munimentis ceteris destitutam relinquens, exposuit inimicis fidei occupandam.

Data Perusii, XV Kal. Augusti, pontificatus nostri anno III.

In eundem modum scriptum est . . Rothomagensi archiepiscopo et suffraganeis eius, . . Senonensi archiepiscopo et suffraganeis eius, . . Remensi archiepiscopo et suffraganeis eius, . . Bituricensi archiepiscopo et suffraganeis eius, . . Burdegalensi archiepiscopo et suffraganeis eius, . . Turonensi archiepiscopo et suffraganeis eius, . . Ebredunensi archiepiscopo et suffraganeis eius:

. . Compostellano archiepiscopo et suffraganeis eius, . . Toletano archiepiscopo et suffraganeis eius, . . Narbonensi archiepiscopo et suffraganeis eius:

. . Cantuariensi archiepiscopo et suffraganeis eius, . . Eboracensi archiepiscopo et suffraganeis eius;

. . Coloniensi archiepiscopo et suffraganeis eius, . . Treverensi archiepiscopo et suffraganeis eius, . . Bremensi archiepiscopo et suffraganeis eius, . . Maguntino archiepiscopo et suffraganeis eius, . . Magdeburgensi archiepiscopo et suffraganeis eius, . . Salzeburgensi archiepiscopo et suffraganeis eius, . . Argentinensi episcopo, . . episcopo Pataviensi, . . episcopo Ratisponensi:

. . episcopo Mutinensi, apostolice sedis legato, . . episcopo Sabinensi, apostolice sedis legato, O. Sancti Nicolai in Carcere Tulliano[a], apostolice sedis legato, . . Colocensi archiepiscopo et suffraganeis eius, . . Strigoniensi archiepiscopo et suffraganeis eius, . . episcopo Pragensi, . . patriarche Aquilegensi et suffraganeis eius, . . Gradensi patriarche et suffraganeis eius, . . archiepiscopo et potestati Ianuensi, rectoribus Lombardie, Marchie et Romaniole, Parmensibus, Alexandrinis et Cremonensibus, . . Tarantasiensi archiepiscopo et suffraganeis eius, . . Aquensi archiepiscopo et suffraganeis eius, . . Ubsallensi archiepiscopo et suffraganeis eius, . . Nydrosiensi archiepiscopo et suffraganeis eius, G. tituli Sancti Marci presbytero cardinali, apostolice sedis legato in Lombardia:

regi Portugalensi, regi Legionensi, regi Castelle, regi Navarre, regi Aragonum, regi Francie, regi Anglie, regi Scotie, regi Dacie, regi Ungarie, regi Bele, regi Boemie, Colomanno regi, fratri Guale:

duci Bavarie, duci Carinthie, duci Austrie[2], ducisse Austrie, duci Norwagie, duci Venetorum, lantegravio.

398.

Gregorius IX papa archiepiscopo Caesariensi ad supplicationem G. de Monte acuto mandat, ut excommunicationis sententiam a [Geroldo] patriarcha in Fridericum dictum imperatorem prolatam observari faciat. *1229, Iul. 23.*

Greg. IX Reg. Vol. I. 132; Lib. III. 39 et 40[b].
Potthast, Reg. 8438.

a) *adde* diacono cardinali. b) Lib. III. 39 et 40 *supplevimus ex Huillard-Bréholles, l. c. t. III, p. 150.*

1) *Mai. 1.* 2) *Scribae negligentia hic iterum enumeratur.*

. . archiepiscopo Cesariensi.

Dilectus filius nobilis vir G. de Monte acuto crucesignatus a nobis humiliter postulavit, ut excommunicationis sententiam, quam pro eo venerabilis frater noster . . patriarcha Ierosolimitanus in Fridericum dictum imperatorem exigente iustitia promulgavit, firmitatem faceremus debitam obtinere. Ideoque firmiter tibi per apostolica scripta mandamus, quatenus dictam excomunicationis sententiam, sicut rationabiliter est prolata, facias usque ad satisfactionem condignam auctoritate nostra sub apostolice obedientie firmitate observari.

Data Perusii, X Kal. Augusti, pontificatus nostri anno III.

Eidem.

Venerabilis frater noster . . Nycosiensis archiepiscopus a nobis humiliter postulavit, ut excomunicationis sententiam, quam pro eo etc. ut supra usque in finem.

399.

Gregorius IX papa in Fridericum dictum imperatorem, cuius iniurias ecclesiae Romanae illatas recenset, sententiam excommunicationis renovat omnesque et praecipue homines regni a iuramento fidelitatis denuntiat absolutos, similiter excommunicans Raynaldum et Bertoldum filios quondam Conradi ducis Spoletani et multos alios.

1229, circa Aug. 20[1].

Greg. IX Reg. Lib. III, 46. Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1229. § 37—41. Potthast, Reg 8445

Excommunicamus et anathematizamus ex parte Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus sancti, auctoritate quoque beatorum apostolorum Petri et Pauli ac nostra, omnes hereticos Catharos, Paterinos, Pauperes de Lugduno, Arnaldistas, Speronistas et Passaginos et omnes alios, quocunque nomine censeantur, et omnes fautores, receptatores et defensores eorum.

Excommunicamus et anathematizamus ex parte Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus sancti, auctoritate quoque beatorum apostolorum Petri et Pauli ac nostra, Fridericum dictum imperatorem, pro eo quod contra sententiam excommunicationis, a venerabili fratre Albanensi episcopo et Gual[one] bone memorie quondam tituli Sancti Martini[a] presbytero cardinali de voluntate et assensu suo auctoritate apostolice sedis latam[2], ad terminum quem sibi prefixit non transfretavit, sicut promisit, nec promissum numerum militum suis expensis pro subsidio Terre Sancte misit vel tenuit, nec in Terram Sanctam promissam pecuniam statutis ab ipso terminis destinavit.

Item pro eo quod archiepiscopum Tarentinum ad sedem propriam et populum suum accedere non permittit, et quod Templarios et Hospitalarios bonis mobilibus et immobilibus, que habebant in regno, spoliavit; et quia compositionem factam inter ipsum et comitem Celanensem et Raynaldum de Aversa, pro cuius observatione

[a]) Marci *Rayn.*

1) *Praemissa est, ut Rayn. monet, haec anathematis forma 47. epistolae ad Lucanum episcopum datae, quae XIII Kalend. Septembr. consignata est.* 2) *cf. n. 368 et 374.*

ecclesia Romana ad eius instantiam fideiussit, servare contempsit, et quod comitem Rogerium crucesignatum sub protectione apostolice sedis receptum, comitatu et terris suis penitus spoliavit, ac eius filium in captivitate detentum ad mandatum apostolicum sepius iteratum restituere non curavit.

Item excommunicamus eum et anathematizamus, pro eo quod ab oppressionibus et spoliationibus ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum et conculcatione ecclesiastice libertatis monitus non destitit.

Item excommunicamus eum et anathematizamus, pro eo quod ab oppressione pupillorum, orphanorum et viduarum, seu nobilium et aliorum hominum regni, vel destructione eiusdem, quod ad Romanam ecclesiam specialiter noscitur pertinere, pro quo ecclesie Romane iuramentum fidelitatis exhibuit et homagium prestitit, monitus non cessavit.

Item, quia contempta excommunicatione ad mandatum apostolicum non rediit, omnes, qui sunt ei iuramento fidelitatis astricti, et specialiter homines regni, a iuramento, quo sibi tenentur, denuntiavimus et denuntiamus absolutos, quia Deo et sanctis eius adversanti atque eius precepta calcanti nulli fidelitatem servare tenentur. Preterea civitates, castra et omnia loca, ad que ipse pervenerit, ecclesiastico supponimus interdicto, ut quamdiu presens fuerit, ibidem nulla divina officia celebrentur, officio beneficioque privantes omnes cuiuscumque professionis vel ordinis, qui ei, postquam denuntiatus fuit excommunicatus a nobis, divina ausu temerario celebrarunt, vel antequam ad mandatum ecclesie redeat, de cetero celebrabunt.

Item excommunicamus et anathematizamus Raynaldum[1] filium quondam Conradi ducis Spoleti, pro eo quod occupavit et occupat patrimonium ecclesie in Marchia et alibi, et omnes et singulos, cuius vel quorum auctoritate, auxilio, consilio vel favore talia fecit vel facit vel faciet in futurum.

Item civitates, castra et alia loca omnia, ad que idem Raynaldus pervenerit, quamdiu ipse ibidem presens fuerit, ecclesiastico subiaceant interdicto.

Item excommunicamus et anathematizamus Bertoldum filium quondam Conradi ducis Spoleti, pro eo quod castra sancti Quirici[2] occupavit et detinet occupata, et terram ecclesie Romane invadit hostiliter et molestat, et omnes, qui in hoc ei prestant auxilium vel favorem.

Item excommunicamus Egidium de Palumbaria et Nicolaum de Arcione ac Petrum Gregorii Pagure cives Romanos, pro eo quod Friderico dicto imperatori ac Raynaldo et Bertoldo filiis ducis Conradi contra Romanam ecclesiam prestiterunt et prestant consilium, auxilium et favorem.

Item excommunicamus et anathematizamus comitem Fuxensem[3] et vicecomitem Biterrensem[4] et alios, qui eis prestant auxilium, consilium et favorem.

Item excommunicamus et anathematizamus omnes falsarios bulle nostre.

Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui in terris suis nova pedagia imponunt.

Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui ad apostolicam sedem euntes vel redeuntes capiunt, spoliant vel detinere presumunt, nominatim castellanum de Sancto Miniato[5], quia multos venientes ad sedem apostolicam spoliavit.

1) *cf. n. 375 et 377.* 2) de Introduco, *prov. Abruzzo, prope Città ducale.* 3) *Rogerus Bernardus comes Fuxensis [de Foix] iam Ian. 16 ecclesiae et regi Franciae se submiserat; cf. Tillemont, Vie de St. Louis, ed. de Gaulle, t. II, p. 16.* 4) *De Raymundo Trencavello II vicecomite Biterrensi et Carcassonae cf. L'art de vérif. les dates, t. IX, p. 431.* 5) *inter Florentiam et Pisam, de hac re cf. etiam n. 306.*

Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui equos, arma, ferrum vel lignamina deferunt Sarracenis, quibus Christianos impugnant.

Item excommunicamus et anathematizamus Theodorum dictum Cominiano et omnes, qui prestant auxilium, consilium vel favorem, et qui ei equos, arma, ferrum vel lignamina portant, quibus impugnat Latinos.

Item excommunicamus et anathematizamus nobilem virum Gaufridum de Luziniaco[1], vicecomitem castri Strandi Pictaviensis diocesis, propter damna gravia et iniurias, quas . . abbati et conventui Malliacensi[2] et monasterio eorundem enormiter irrogavit et adhuc irrogare non cessat.

Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui abbatem et canonicos Sancti Quirici de ipsa ecclesia expulerunt, et qui castra ipsius ecclesie occuparunt et detinent occupata et faciunt detineri.

Item excommunicamus et anathematizamus Ubaldum civem Pisanum, pro eo quod contra iuramentum prestitum ecclesie Romane hostiliter intravit Sardiniam ad Romanam ecclesiam pertinentem, et partem ipsius terre violenter detinet occupatam; qui etiam ad mandatum dilecti filii G[uifredi] tituli Sancti Marci presbyteri cardinalis apostolice sedis legati pignora pro satisfactione non prestitit, nec in aliquo satisfecit.

Item excommunicamus omnes illos, qui eidem in occupanda vel detinenda terra predicta consilium, auxilium prestiterint vel favorem.

400.

Gregorius IX papa R. subdiacono arcem Bantrae custodiendam committit.

1229. Aug. 28.

Greg. IX Reg. Vol. I, 135; Lib. III, 49.
Potthast, Reg. 8448.

R. subdiacono et capellano nostro.

Firmam spem et fiduciam plenam habentes, quod erga Romanam ecclesiam matrem tuam sinceritatem devotionis et fidei debeas gerere puritatem, eius sis zelator honoris, custodiam arcis Bantre[3] fiducialiter tue prudentie duximus committendam, iuramento a te recepto, quod nomine sedis apostolice diligenter et fideliter custodias arcem predictam cum servientibus Campanie vel aliis fidelibus nostris, qui iuramento fidelitatis teneantur Romane ecclesie et ad opus ipsius arcem eandem sollicite custodire, et cui et quando voluerimus eam libere resignabis ad mandatum nostrum, quod tibi per nuntium seu per litteras faciemus. Quocirca devotioni tue per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatenus illam super hoc cautelam et diligentiam adhibere procures, et sic prospicias Romane ecclesie in hac parte, quod de custodia tua nichil nobis possit sinistri contingere, set sollicitudinis tue studium et fervor devotionis et fidei manifeste appareant in effectu, indeque tibi ad gratiam teneamur.

Dat. Perusii, V Kal. Septembris, pontificatus nostri anno III.

In eundem modum . . abbati Casinensi et R. germano suo subdiacono et capellano nostro pro arce Casinensi et arce Ianule.

1) *i. e. de Lusignan.* 2) *ex occidente oppidi Pictaviensis; de re cf. Gall. Christ. t. II. p. 1183 C et 1368 B.* 3) *hodie Rocca d'Evandro prope Casertam.*

401.

Gregorius IX papa Soranos ad dominium ecclesiae Romanae reductos sub protectione sua suscipit, iisque eam quam habeant civitates Campaniae libertatem concedit.

1229, Aug. 29.

Greg. IX Reg. Vol. I, 135; Lib. III, 51.
Potthast, Reg. 8449.

Populo Sorano fidelibus nostris.

Cum reducti sitis per Dei gratiam ad fidelitatem et dominium Romane ecclesie matris vestre, ad quam non erat dubium vos spectare, per quod iam non illius, que in servitutem generat, set libere filii existatis, dignum est et conveniens, ut comodis fol. 421 vestris apostolica sedes provideat, que clementer consuevit prospicere utilitatibus filiorum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris supplicationibus inclinati, de fratrum nostrorum consilio vos et civitatem vestram cum omnibus bonis, que impresentiarum rationabiliter possidetis aut in futurum iustis modis prestante Domino poteritis adipisci, sub protectione apostolice sedis et nostra suscipimus, et presentis scripti patrocinio communimus. Civitatem quoque predictam in fidelitate Romane ecclesie persistentem providimus in eius demanio de cetero retinendam, concedentes vobis eam quam habent civitates Campanie libertatem, medietate servitiorum, in frumento videlicet, vino, annona, ferris, clavis et calceis ac omnibus exenniis, que salutes vulgariter nuncupantur, ac aliis iustitiis curie debitis et mandato apostolice sedis salvis. Nulli ergo omnino hominum etc. nostre protectionis, provisionis et concessionis infringere etc. Si quis autem etc.

Data Perusii, IV Kalendas Septembris, pontificatus nostri anno tertio.

402.

Gregorius IX papa universos populos per Amiternum et Furconem constitutos ad demanium ecclesiae revocat, iisque locum Acculi ad construendam civitatem sub certis conditionibus ibidem expressis concedit.

1229, Sept. 7.

Greg. IX Reg. Vol. I, 135. 136; Lib. III, 53.
Potthast, Reg. 8452.

Universis populis per Amiternum et Furconem[a] constitutis et in fidelitate ac devotione sedis apostolice consistentibus.

Dilecti filii, nobilis vir Lucas de Preturo, Symeon prepositus Sancti Iustini, presbiter Iohannes Stephani, Gualterus Raynaldi, I. de Petro, B. de Sancto Palumbo et alii nuntii vestri ad sedem apostolicam venientes, lamentati sunt lacrimabiliter coram nobis, exponendo tribulationes innumeras et amaritudines infinitas, quibus hactenus Fridericus dictus imperator Dei et ecclesie inimicus per ministros suos inmaniter vos

a) Furcoñ. *R.*

afflixit, quod preter rapinam bonorum vestrorum, in quibus prodigaliter debachantes et crassantes inique vix vobis victum tenuem relinquebant, preter angarias et perangarias, quibus vos opprimebant non sicut liberos set ut servos, preter ludibria et verbera, quibus vos afficere pro modico reputabant, personas vestras, tam clericorum quam laicorum, Dei timore postposito et ecclesie reverentia vilipensa multipliciter cruciarunt, alios suspendendo, alios excecando, aliis aliter interemptis, et aliis aliter mutilatis. Quare dicti nuntii ex parte vestra nobis cum summa instantia supplicarunt, obsecrantes et adiurantes per nomen domini Iesu Christi, ut cum vos et terras vestras de iure ac proprietate Romane ecclesie constet esse, et pateat quod dictus Fridericus, feudatarius feudo taliter abutendo, eo privari meruerit, quamquam iam sit ex aliis causis ipso iure privatus, angustiis vestris debito compatientes affectu, ne sanguis vester de nostris manibus a Domino requiratur, ad liberationem vestram intendere dignaremur, vos ad demanium ecclesie revocando et locum Acculi ad construendam civitatem vobis de speciali gratia concedendo, presertim cum vos provide attendentes quod in huiusmodi novitate vobis adesse sine sumptibus non possemus, parati sitis nobis decem milia unciarum auri persolvere, quinque milia videlicet infra decem dies postquam ad vos iidem nuntii revertentur, reliqua vero quinque milia terminis quos vobis duxerimus statuendos, et pro construenda munitione ac edificandis palatiis ad opus nostrum mille auri uncias conferre velitis, et sufficienter ministrare calcem, lapides et arenam; soluturi ecclesie Romane pro censu centum auri uncias annuatim. Medietatem quoque placitorum et sanguinis, forfacture et aliorum bannorum omnium balivo curie nostre dabitis inminutam; et cum de eligendo consules vel potestatem concordes fueritis, nos et successores nostros humiliter requiretis, ut, si de fidelibus ecclesie fuerint, vobis sine difficultate aliqua ipsos concedant eligere. Pro premissis autem omnibus observandis iuratoriam, fideiussoriam et obsidum secundum arbitrium nuntii nostri prestabitis cautionem. Nos igitur vestris tribulationibus non sine amaritudine plurima intellectis, nequeuntes tantam vestram non misereri miseriam, de consilio fratrum nostrorum vobis in fidelitate ac devotione sedis apostolice persistentibus et promissa servantibus concedimus postulata, dilectum filium Pandulfum subdiaconum et capellanum nostrum, virum utique fidelem, providum et honestum, ad hoc specialiter deputando. Ne igitur a vobis aliquid de contingentibus omittatur, universitatem vestram monemus attente per apostolica scripta mandantes, quatinus premissa omnia studentes fideliter observare, tempus nunc acceptabile preterire non patiamini otiosum, set opus incipientes viriliter et potenter, ad consumationem eius felicem totis affectibus et viribus intendatis. Nos enim ita vos prosequi gratia et favore proponimus, quod civitas vestra perpetuo letetur honore, et memoriale vestrum fiat in generationibus gloriosum.

Data Perusii, VII Idus Septembris, pontificatus nostri anno tertio.

403.

Gregorius IX papa [Roberto] archiepiscopo Lugdunensi districte praecipit, ut cum Fridericus dictus imperator cum Sarracenis ad conculcandam Romanam ecclesiam totis anhelet affectibus, sine mora cum congruo exfortio bellatorum personaliter venire festinet.

1229, Sept. 28.

Greg. IX Reg. Lib. III, 64. Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1229, § 35. Potthast, Reg. 8455.

Lugdunensi archiepiscopo.

Cum Fridericus dictus imperator confuso negotio Terre Sancte cum Sarracenis et aliis infidelibus ad conculcandam Romanam ecclesiam et subvertendam ecclesiasticam libertatem totis anhelet affectibus totisque viribus annitatur, te in succursum ecclesie advocavimus confidenter, utpote qui prestito iuramento ad defendendum papatum et regalia beati Petri esse teneris adiutor. Sed qui virtutis amore, zelo ecclesiastice libertatis spiritum fortitudinis debueras assumpsisse, ut nichil te a matris tue posset subducere caritate, sibi hactenus succurrere non curasti, non attendens quam facile sit tibi exinde ingratitudinis vitium, fame dispendium et manifeste transgressionis notam probabiliter exprobrari. Ut igitur tantam offensam emendatione celeri excusatam reddere videaris, fraternitatem tuam rogamus, monemus et hortamur, sicut iterum, sic attentius per apostolica tibi scripta in virtute obedientie sub debito iuramenti districte precipiendo mandantes, ac in remissionem peccaminum, tam tuorum quam eorum qui tecum in obsequium ecclesie venerint, iniungentes, quatenus sine more dispendio cum congruo exfortio bellatorum ad nos personaliter venire festines, ecclesie Romane ita ex animo serviturus, quod ex debito meritum tibi compares, et nos devotionem tuam dignis debeamus prosequi retributionibus gratiarum. Alioquin noveris nos dilectis filiis abbati Sancti Victoris, decano et magistro Iohanni archidiacono Parisiensi per nostras litteras iniunxisse, ut te ad id per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellant.

Dat. Perusii, IV Kal. Octob. pontificatus nostri anno III.

404.

Gregorius IX papa [Wilhelmo] episcopo Parisiensi districte praecipit, ut cum F[ridericus] dictus imperator contra ecclesiam fraudes impie moliatur eamque violenter aggressurus sit, ad se cum congrua manu bellatorum vel ipse veniat vel eam sine mora mittat. *1229, Sept. 30.*

Greg. IX Reg. Lib III, 65. Edimus hanc epistolam ex Rayn. Ann. eccl. a. 1229, § 36, suppletam ex Collect. Paris. ap. Huillard-Bréholles, l. c. t. III, p. 164 [H.B.].
Potthast, Reg. 8456.

. . Parisiensi episcopo.

Cum caritas, non querens que sua sunt, nichil humanum a se reputet alienum, (Ter. Heaut. I, 1.25.) quisque caritatis amator merito potest proprium extimare quidquid imminet ecclesie generali, nec debet proprio parcere, ubi periculo potest obviare communi, ne universali utilitati videatur[a] preferre privatam. Sane Romana ecclesia in tali nunc est articulo constituta, quod ad duorum alterum videtur adducta, videlicet aut se et universalem ecclesiam, fidelium fulta subsidio, auxiliante Domino tueatur, aut se cum omnibus membris suis, quod absit, conculcari permittat et patiatur seve subici servituti, F. dicto imperatore contra Deum et ecclesiam fraudes, negotio miserabiliter Terre Sancte confuso, et vires cum Sarracenis et aliis infidelibus impie moliente. Quare videntes et dolentes, quod ipsius F. iniqua superbia et superba iniquitas semper ascendit, nisi obice iustitie reprimatur, ipsius conatibus dignum duximus obviare, ne qui in iram provocat, exaltetur[b]. De tua itaque sinceritate plenam in Domino fiduciam obtinentes,

---

[a]) videantur *Rayn.* [b]) *Hucusque ex Rayn., quae sequuntur ex H.B.*

fraternitatem tuam rogamus, monemus et hortamur attente, per apostolica scripta in virtute obedientie et sub debito iuramenti districte precipiendo mandantes, ac in remissionem peccaminum, tam tuorum quam eorum qui in obsequium ecclesie venerint, iniungentes, quatenus sicut divinam et nostram gratiam caram habes, memor quod in necessitate necessitudo probatur, ad nos personaliter venire cum congruo exfortio bellatorum vel mittere sine dispendio more procures, ecclesie Romane ita ex animo serviturus, quod ex debito meritum tibi compares, et nos devotionem tuam dignis debeamus prosequi retributionibus gratiarum.

Dat. Perusii, II Kal. Octob. pontificatus nostri anno III.

405.

Gregorius IX papa [Henrico] archiepiscopo Mediolanensi et Gualae fratri ordinis Praedicatorum mandat, ut Lombardos excitent, ut propriae saluti consulentes sine mora sibi succurrant. Cf. n. 385, 395 et 396. *1229, Oct. 9.*

Greg. IX Reg. Lib. III, 66. Edimus hanc epistolam ex Rayn. Ann. eccl. a. 1229, § 33, suppletam ex Savioli, Ann. Bolog. t. III, 2, n. 85.
Potthast, Reg. 8459.

Archiepiscopo Mediolanensi et fratri Guale ordinis fratrum Predicatorum.

Utinam nunquam Lombardi se nostris obsequiis obtulissent, utinam nunquam ab ipsis aliquod auxilium sperassemus, quoniam satis alias honori ecclesie consulere poteramus, nisi quia nolentes eis subtrahere dexteram adiutricem, supplicationibus et promissionibus acquievimus[a] eorundem. Sed dum causam eorum in alienis finibus utiliter ageremus, dum refrenaremus impetum inimici aspirantis ad ipsorum exterminium inhianter, ecce Lombardi promissum auxilium adeo distulerunt, ut taceamus qualiter servierint illi quos in ecclesie servitium destinarant, quod inimicus collectis viribus invalescit, nisi in manu valida et potenti eius conatibus celeriter obvietur, quia ignis, cui non obsistitur, facile in incendium inextinguibile dilatatur. Ne igitur
Prov. 19,24. dicti Lombardi manus suas, quas debuerant ad fortia mittere, videantur ponere sub ascellas in sue confusionis opprobrium sempiternum, nec eas explicare valeant, cum voluerint, si nunc cum valent velle desierint, discretionem[b] vestram rogamus et monemus attente, per apostolica scripta mandantes, quatinus eos quos expedire videritis modis omnibus quibus poteritis excitetis et instantissime inducere satagatis, ipsis in remissionem peccaminum iniungentes[c], ut prosequentes viriliter proprium interesse nobis sine qualibet mora succurrant cum quantocunque possunt exfortio bellatorum, quia si adhuc illud habuerimus tempore opportuno, speramus in Domino, quod non prevalebit sed deficiet inimicus. Alioquin secure illis protestari potestis, quod sibi, non nobis poterunt imputare, si desertis desertoribus honori ecclesie aliter auxiliante Domino curaverimus providere.

Dat. Perusii, VII Id. Octob. pontificatus nostri anno III.

[a]) acquiescimus *Rayn.* [b]) discretionem — Alioquin *ex Sav.* [c]) indulgentes *Sav.*

406.

Gregorius IX papa O[ttoni] diacono cardinali apostolicae sedis legato scribit, quid [Iohannes] episcopus Metensis pro restitutione ecclesiae suae egerit, quidque [Theodericus II] archiepiscopus Treverensis de solutione debitorum ad id ab eodem contractorum ordinaverit, in contradictores excommunicationis sententiam promulgando; mandat ei, ut hanc sententiam observari faciat.

1229, Oct. 26.

Greg. IX Reg. Vol. I, 142; Lib. III, 76.

O. Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Olim intellecto quod venerabilis frater noster . . Metensis episcopus, statim postquam fuit per sedem apostolicam ad episcopatum Metensem tunc collapsum graviter de Verdunensi translatus, murum pro Metensis ecclesie iustitia se opponens, magnanimiter restiterat maioribus et potentioribus totius imperii circa Renum, ita quod post multos labores et pericula gravia gratia sibi favente divina pacem et quietem dederat ecclesie supradicte, ac comitatum Metensem et cum eo quatuor nobilia castra, quorum unum civitati equipollet, cum ipsorum pertinentiis acquisierat[1], que omnia ecclesie sue contulit perpetuo possidenda, propter quod cum occasione huiusmodi ampliores expensas facere oportuisset eundem, non modicum onus quo deprimebatur graviter subierat debitorum: nos attendentes causam tam laudabilem, pro qua dictus episcopus debita contraxerat memorata, nec non et probitatem persone ipsius ac devotionis et fidei sue fervorem, considerantes etiam quod clerum episcopatus Metensis negotium, quod promoverat idem episcopus, tangeret universum, et sicut emolumentum sic et onus quilibet sentire deberet, dilectis filiis prelatis et clero civitatis et diocesis Metensis nostris dedimus litteris in preceptis, ut prenominato episcopo competens ad hoc auxilium liberaliter tribuerent et benigne, contribuentibus singulis iuxta proprias facultates, ita quod honere inter eos partito, illud levius ferre possent, et sepefatus episcopus ab ipsis debitis liberari valeret, venerabili fratre nostro . . Treverensi archiepiscopo, ne sub sarcina debitorum ecclesiam contingeret deprimi memoratam, ipsi episcopo super hoc executore concesso. Qui multorum habito consilio sapientum, quantum quisque pensatis facultatibus singulorum pro solutione septem milium et quingentarum marcarum contribuere teneretur, provida deliberatione taxavit, in contradictores et rebelles excommunicationis sententiam promulgando. Nos igitur taxationem super premissis factam ab archiepiscopo supradicto gratam et ratam habentes, districte tibi per apostolica scripta mandamus, quatinus excomunicationem iam dictam in contradictores et rebelles ab archiepiscopo memorato prolatam, sicut est rationabiliter promulgata, facias usque ad satisfactionem condignam sublato appellationis obstaculo inviolabiliter observari.

Data Perusii, VII Kalendas Novembris, pontificatus nostri anno tertio.

1) *Cf. Richeri Gesta Senon. eccl. Lib. IV, c. 23; SS. t. XXV, p. 312.*

407.

Gregorius IX papa praelatis et clero Virdunensibus mandat, ut [Radulfo] episcopo suo ad solvenda debita, quae propter guerram cum civibus suis ortam contraxerit, competens auxilium impendant. *1229, Nov. 3.*

Greg. IX Reg. Vol. I, 112; Lib. III, 78.
Clouet, Hist. de Verdun, t. II, p. 391, not. 1.

Prelatis et clero civitatis et diocesis Verdunensis.

Ad subeunda onera pro ecclesiastica libertate tuenda universitatem vestram apostolicis litteris tanto sollicitius invitamus, quanto fortius ad id teneri vos novimus, nobis etiam tacentibus, per vos ipsos. Ad nostram siquidem audientiam noveritis pervenisse, quod venerabilis frater noster . . Verdunensis episcopus pro ecclesiastica libertate tuenda murum se defensionis opponens, propter guerram, quam per biennium et amplius sustinuisse dinoscitur, pro eo quod cives sui, Henrici filii Friderici dicti imperatoris fulti potentia et favore, a civitate sua ipsum cum maxima parte vestrum per violentiam expellentes, domos eiusdem et vestras destruere, bona diripere, abbatiarum claustra confringere et destructis earum edificiis per medium earundem fossata nequiter facere presumpserunt, non modica subiit onera quibus valde deprimitur debitorum. Quare a nobis humiliter petebatur, ut considerantes causam, pro qua dictus episcopus debita contraxisse dinoscitur memorata, nec non et devotionis ipsius et fidei puritatem, salubre super hoc consilium apponere dignaremur. Cum igitur vos omnes negotium, pro quo idem episcopus debita contraxit prefata, tangere dinoscatur, universitatem vestram rogamus, monemus attentius et hortamur, per apostolica vobis scripta precipiendo mandantes, quatinus sepefato episcopo competens ad hoc auxilium impendatis liberaliter et benigne, contribuentibus singulis iuxta proprias facultates, ita quod partito inter vos onere, illud levius portare possitis, et idem episcopus a premissis valeat debitis liberari. Alioquin cum nolimus hoc imperfectum relinqui, ne sub sarcina debitorum contingat periculosius deprimi ecclesiam memoratam, venerabili fratri nostro . . archiepiscopo Treverensi[1] nostris dedimus litteris in mandatis, ut vos ad id per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellat.

Data Perusii, III Nonas Novembris, anno tertio.

408.

Gregorius IX papa [Iohanni] episcopo Metensi propter debita ecclesiae suae concedit, ut fructus beneficiorum dioecesis suae infra quinquennium vacantium sibi liceat per triennium retinere. *1229, Nov. 8.*

Greg. IX Reg. Vol. I, 113; Lib. III, 80.

. . Metensi episcopo.

Cum sicut accepimus episcopatus tuus tanto prematur onere debitorum, quod nisi aliquo remedio subveniatur eidem, extrema timeatur ei desolatio imminere, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut fructus beneficiorum tue diocesis vacantium

1) *Theoderico II.*

infra quinquennium, prioratibus, prepositutis et abbatiis exceptis, tibi liceat per triennium retinere, in extenuationem debitorum huiusmodi convertendos, ita tamen quod interim ecclesiis, in quibus beneficia ipsa vacare contigerit, per idoneos facias vicarios deserviri. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere. Si quis autem etc.

Data Perusii, VI Idus Novembris, pontificatus nostri anno tertio.

409.

Gregorius IX papa rectoribus societatis Lombardiae scriptum quoddam a Friderico dicto imperatore ad mandatum ecclesiae redire parato de tractatu pacis ineundo sibi oblatum transmittit, ut eorum intellecto consilio procedat, sicut viderit expedire.

1229, Nov. 10.

Greg. IX Reg. Vol. I. 111, 112; Lib. III. 75.
Potthast, Reg. 8461.

Rectoribus societatis Lombardie.

Sepe ab Friderico dicto imperatore cum instantia requisiti, ut recipiamus eum ad mandatum ecclesie redire paratum, quoddam scriptum ex parte sua nobis oblatum inspeximus diligenter. Et quia de fide ac devotione vestra indubitatam fiduciam obtinentes, vos intendimus tamquam speciales filios honorare, scriptum ipsum ad vos duximus transmittendum, ut vestro intellecto consilio secundum honorem Dei et ecclesie pacemque suorum procedamus in facto, sicut viderimus expedire. Ideoque discretionem vestram rogamus et monemus attente, per apostolica scripta mandantes, quatinus eo perspicaciter intellecto nobis vestrum consilium intimetis; scituri pro certo quod ecclesia mater vestra numquam vos deseret, set in omni statu quieti et paci vestre sicut sue studebit utiliter providere.

Data Perusii, IIII Idus Novembr. pontificatus nostri anno tertio.

410.

Gregorius IX papa [Villano] episcopo et capitulo et clero Eugubino mandat, ut Raynaldum et Bertoldum filios quondam Conradi ducis Spoletani, invasores patrimonii, et fautores eorum excommunicatos publice denuntient. *1229, sub finem anni* [1].

Greg. IX Reg. Vol. I, 118; Lib. III, 96.
Potthast, Reg. 8450.

. . episcopo, capitulo et clero Engubino.

Ad vestram credimus notitiam pervenisse, qualiter nos excommunicavimus Fridericum dictum imperatorem et omnes contra Romanam ecclesiam faventes eidem. Verum Raynaldus et Bertoldus, filii quondam ducis Conradi, cum invadere ceperint

1) *Sartius, de episc. Eugub. p. 137, not. a, hanc epistolam mense Aug. eodem tempore quo n. 399 scriptam arbitratur, quod propter ordinem Reg. verisimile non est. Accedit quod a. 1230, April. 4 in eos excommunicationis sententia renovatur; Rycc. de S. Germ. a. 1230. SS. t. XIX, p. 359*

ecclesie patrimonium, excommunicationis sententiam incurrerunt, propter quod universis et singulis districtius inhibemus, ne consilium, auxilium aut favorem illis impendant, cum excommunicaverimus omnes eorum consiliarios, auxiliarios et fautores, et vos ab imperatoris fidelitate absolverimus universos. Si quid enim in personis vel rebus tales propter hoc sustinuerint, sibi poterunt imputare. Contra quos insuper duximus statuendum, ut nullus eorum ad potestariam vel aliud officium civitatum aut aliorum locorum de cetero assumantur[a], excommunicentur etiam electores ipsorum, ac civitates et loca, quamdiu habuerint ibidem officia, subiaceant interdicto. Preterea omnibus beneficiis seu feudis, que tenent ab ecclesiis, ipso sint iure privati, eorumque filii non admittantur ad beneficia vel dignitates ecclesiasticas sine dispensatione sedis apostolice speciali, nec huiusmodi excommunicati absolutionis possint beneficium obtinere, nisi per annum facturi moram in servitio Terre Sancte, et tantum expensuri ad minus ibidem, quantum eos ab[b] illis constitit percepisse. Quocirca presentium vobis auctoritate districte precipimus, quatinus inhibitionem nostram et easdem sententias, ac quod super hoc in penam predictorum statuimus, publicantes diebus dominicis et festivis, tam predictos Raynaldum et Bertoldum quam consiliarios, auxiliarios et fautores eorum, et nominatim si qui sunt de vestra civitate vel districtu, cum illis excommunicatos a nobis sollempniter nuntietis; publice nichilominus protestando, quod tales non aliter quam predictum est poterunt absolutionis beneficium obtinere. Et ecce dilectum filium . . subdiaconum et capellanum nostrum, merito probitatis sue nobis et fratribus nostris acceptum, ad vos duximus destinandum, quem benigne recipientes ob reverentiam apostolice sedis et nostram super hiis devote ac efficaciter intendatis.

Data Perusii.

411.

Gregorius IX papa fratribus domus Teutonicorum in Teutonia et Pruscia constitutis nuntiat, se ex relatione Hermanni magistri audivisse, C[onradum] ducem Poloniae [Masoviae] domui eorum castrum Culm et quaedam alia castra in Prutenorum confinio concessisse; monet eos, ut fidem inter Prutenos sedulo dilatent. *1230, Ian. 12.*

Greg. IX Reg. Vol. I, 149; Lib. III, 101.
Potthast, Reg. 8480.

Fratribus domus sancte Marie Teutonicorum in Teutonia et Prutenorum partibus constitutis.

Circa fideles suos indicium[c] bonitatis sue Dominus exhibet in hoc, quod reservat eis hostes, quos posset conterere solo verbo, ut videlicet qui offenderunt in multis, succurrendo pro amore suo proximis et retribuendo aliquid sibi, qui pro eis tradidit semetipsum, satisfaciendi habeant materiam et salventur. Sane dominus et redemptor noster, in cuius odium et contemptum populus barbarus Prutenorum graviter persequitur Christianos, qui iuxta ipsos existunt, devotionem querit et auxilium suorum fidelium in hac parte, qui quamvis bonorum nostrorum non egeat, ea tamen exposcit, ut pro eis nobis retribuat in celestibus beneficia potiora. Nuper siquidem dilectus filius Hermannus, magister domus sancte Marie Theutonicorum, in nostra proposuit presentia constitutus, quod nobilis vir C. dux Polonie castrum Colme cum pertinentiis

---

a) *ita R.* b) ab *deest in R.* c) indicium *R.*

suis, et quedam alia castra in Prutenorum confinio, domui vestre pia liberalitate concessit, adiciens quicquid de terra illorum per vos et coadiutores vestros poteritis obtinere, quod utique gratum non modicum gerimus et acceptum, sperantes quod fideles existentes iuxta fines terre predicte cotidie periculo mortis expositi, per vos recipere debeant subsidium oportunum. Quia vero ibi sunt pietatis studia sollicitius exercenda, ubi exinde potest maioribus impietatibus obviari, caritatem vestram monemus et hortamur in Domino, vobis et omnibus adiutoribus vestris in remissionem peccaminum[a] iniungentes, quatinus ad eripiendum de Prutenorum manibus terram ipsam, a dextris et a sinistris Dei armatura muniti, viriliter procedatis, ut favente divina gratia et vestro ministerio sacrosancta ecclesia, dilatato in partibus illis loco tentorii sui et funibus tabernaculorum eius extensis, numero et merito fidelium augeatur, Is. 54 2. vosque centuplum in via et vitam eternam in patria percipere debeatis; proviso ne contra terram illam[1], que venerabilem fratrem nostrum . . Mutinensem episcopum[2] dinoscitur recepisse, occasione huiusmodi procedatur.

Data Perusii, II Idus Ianuar. pontificatus nostri anno tertio[3].

412.

Gregorius IX papa [Henrico] abbati Sancti Nicolai Furnensis et preposito de Le et decano Furnensi ad petitionem scabinorum Iprensium mandat, ut B. et aliis clericis Morinensis diocesis inhibeant, ne actiones litium emant. *1230, Ian. 28.*

Greg. IX Reg. Vol. I, 152; Lib. III, 107.
Potthast, Reg. 9580.

. . abbati Sancti Nicolai Furnensis[4] Premonstratensis ordinis, . . preposito de Le[5] et . . decano Furnensi Morinensis diocesis.

Ex parte scabinorum et communis Iprensis fuit propositum coram nobis, quod inter laicos contra laicos eiusdem loci questionibus emergentibus dirimendis per iudicium seculare, B. et quidam alii clerici loci eiusdem Morinensis diocesis sibi dono vel pretio ab aliquibus laicorum ipsorum cedi faciunt actiones, ut adversarios ad ecclesiasticum forum trahant et predam ex huiusmodi comertio assequantur, cum ipsi laici, fatigati per eosdem clericos laboribus et expensis, cum eis cogantur componere vel cedere iuri suo. Unde cum per hoc ipsorum elludatur iurisditio scabinorum, iidem nobis humiliter supplicarunt, ut providere super hoc eis circumspectione apostolica dignaremur. Cum igitur cessiones et emptiones litium legittime prohibeant sanctiones, et ex eo sint etiam odiose quod ex fonte cupiditatis videntur procedere, districte vobis per apostolica scripta mandamus, quatinus auctoritate nostra inhibeatis clericis memoratis, ne huiusmodi actiones litium emant vel recipiant cessiones; quod si presumpserint, eos a presumptione huiusmodi per censuram ecclesiasticam appellatione remota veritate cognita compescatis. Quod si non omnes etc., duo vestrum —.

Data Perusii, V Kalendas Februar. pontificatus nostri anno tertio.

a) remissionem vobis peccaminum *R.*

1) *scil. Livoniam.* 2) *Wilhelmum.* 3) *Eiusdem tenoris epistolam datam XV Kal. Febr. edidit ex originali Io. Voigt, Cod. dipl. Pruss. t. I, p. 21, n. 23.* 4) *Furnes [Veurne] in Flandria occident. prope Nieuport.* 5) *fortasse Lo [Loo] ord. s. Augustini monasterium e meridie oppidi Furnensis.*

413.

Gregorius IX papa [Waltero] episcopo Tornacensi mandat, ut foeneratores villae Iprensis ab usurarum pravitate desistere faciat. *1230, Ian. 30.*

Greg. IX Reg. Lib. III, 106.

. . episcopo Tornacensi.

Matth. 13,7 Cum ex iniuncto nobis apostolatus officio teneamur ex agro Dominico spinas et tribulos suffocantes virtutum segetes extirpare, pullulare pravitatis usurarie vitium nequaquam tolerare volumus nec debemus, quod et rerum dispendium ingerit et periculum animarum, a quo vix abstinet qui fuerit infectus huiusmodi corruptela. Sane ad audientiam nostram pervenit, quod nonnulli Caturcenses[1] et quidam alii alienigene villam Iprensem inhabitantes, in eadem presumunt publice fenerari in divine legis contemptum et suarum periculum animarum nec non scandalum plurimorum, cum id facere sicut dicitur indigene minime permittantur. Ne igitur eorum contagio infici valeant alii manus suas servantes innoxias ab huiusmodi pravitate, firmiter tibi per apostolica scripta mandamus, quatinus feneratores predictos loci prefati, tam advenas quam indigenas, ut a sepe dicta usurarum pravitate desistant, modo predicto per penam in Lateranensi concilio contra usurarios editam appellatione remota compescas, scabinis et comuni prefate ville universis et singulis sub eadem pena iniungens, ne cum illis aliquod commercium seu participium habeant nec etiam, nisi a pravitate cessaverint sepe dicta, receptare presumant eosdem.

Data Perusii, III Kal. Februar. anno tertio.

414.

Conradus dux Masoriae et Cuiaviae cum consensu uxoris suae Agafiae et filiorum Boleslai, Kazimiri et Semoviti, et episcoporum et magnatum terrae suae, hospitali domus Teutonicorum territorium Colmense inter Drawanzam, Wizlam et Ossam flumina et terminos Prusciae situm cum omnibus pertinentiis, iuribus et regalibus, et quicquid postea a paganis adipisci potuerint, in perpetuam proprietatem possidendum confert. Fratres autem ordinis repromittunt se duci et haeredibus eius contra Prutenos et alios paganos omni tempore affuturos esse. *1230, Iun.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 223; Lib. VIII, 289. Proponimus hanc chartam ex Theiner, Mon. Pol. t. I, p. 19. n. 40; partem edidit Rayn. Ann. eccl. a. 1230, § 25.

In nomine sancte et individue Trinitatis amen. Quoniam iuxta verbum viri Eccl. 1,4 sapientis generatio preterit et generatio advenit, nichilque stabile vel permanens est sub sole, set vanitati atque mutabilitati subiacent universa, ne cum labentibus annis rerum magnifice seu utiliter gestarum labatur pariter et aboleatur memoria, munificentias ac liberalitates, presertim in pias causas et loca religiosa collocatas, scriptura convenit perpetuari, que non solum omnem emergentem in posterum precidat et tollat ambiguitatem, verum etiam universis, ad quorum notitiam pervenerit, laudabilis et

1) *homines de Cahors, Dép. du Lot.*

imitatione digni exempli speciem representando commendet, et ad similia invitando accendat. Cum enim omne datum optimum et omne donum perfectum de sursum sit Iac. 1.17. a patre luminum descendens, qui omnibus dat affluenter, nemini improperat, hominibus concedens temporalia, non ut placeat aut delectet, quia in sui natura vana vaga sunt et corruptibilia, set tanquam semen et materiam ad exercenda misericordie opera benigne subministrans, oportet diem extreme messionis, quando omnes simul in unum, dives et pauper, stabunt ante tribunal districti iudicis, rationem de omnibus gestis strictissime reddituri, operibus caritatis preveniri, in huius vite via seminando quod tunc metatur in patria, quando in exultatione reportabuntur manipuli bonorum operum cum fructu centuplato.

Eapropter ego Conradus divina miseratione dux Mazovie et Cuiavie cunctis presentibus et futuris presens scriptum inspecturis notum esse volo, quod cum Pruteni et alii Christiani nominis inimici magnam partem terrarum mearum ipsis adiacentium depredationibus, incendiis tam ecclesiarum quam aliorum locorum, interfectionibus et captivationibus virorum, mulierum et parvulorum, peccatis hominum qui Altissimum in vanitatibus suis irritaverunt exigentibus, miserabiliter divina permissione vastaverint, eorumque qui Christum oderunt semper ascendens superbia invaluerit adeo, ut nec adhuc ipsum in membris eius persequi cessent aut desistant, non solum res, immo magis ipsum sanguinem fidelium inter infinitas et horrendas auditu et dictu abusiones, quas in contumeliam exercent Creatoris, sitientes, sperans per viros religiosos manum Domini, que nos tetigit, et flagellum sue indignationis placari, eiusque favente gratia qui suis adesse consuevit, per Christi milites, quorum spes, virtus et gloria Deus est, brachium fortitudinis Sarracenorum conterendum, salutis anime mee ac meorum eterneque retributionis intuitu, ac ob defensionem fidelium in Polonia, uxore mea Agafia filiisque meis Bolezlao, Kazimiro, Semovito expresse de bona et spontanea voluntate consentientibus, accedente quoque consilio et consensu episcoporum, magnatum ac maiorum terre mee, dedi et contuli hospitali sancte Marie domus Theutonicorum et fratribus eiusdem ordinis domus totum et ex integro Colmen territorium cum omnibus suis attinentiis ab eo loco, ubi Drawanza[1] egreditur terminos Pruscie, et per descensum eiusdem fluminis usque in Wizlam, et in descensu Wizle usque ad Osam[2], et per ascensum Ose usque ad terminos Pruscie, in veram et perpetuam proprietatem possidendum pleno iure cum omni libertate, fructu et utilitate, totam terram cum aquis, aquarumque decursibus, stagnis, paludibus, montibus, vallibus, saltibus, nemoribus, silvis, arbustis, pratis, pascuis, omnibus cultis et incultis, viis et inviis, cum omnium eorum libera et plena utilitate et fructu, que in predictis omnibus sunt vel fuerint inventa, apparentia vel occulta, et specialiter sive aurum sive argentum vel alia quecunque species eris vel metallorum aut gemarum, fontes vel vene salis, et quicquid omnino in terra vel supra vel in aquis inventum fuerit, castores et omnes venationes quarumque ferarum, piscationes quoque piscium omnium generum cum ipsis aquis predictis, et omni earum proventu et utilitate in piscationibus, navigiis, passagiis, pontibus, molendinis et insulis, cum villis, castris, opidis, grangiis, foris, monetis, pedagiis, theloneis terrarum et aquarum, et omnino cum omnibus contentis inter limites predictos et pleno iure ac integra libertate, ipsorum etiam limitum sine qualibet diminutione, cum omni honore et iurisdictione, perfecto et vero dominio, proprietate et possessione omnium predictorum et aliorum omnium, que in privilegiis largitionum in favorabiles quaslibet personas vel loca in favorem, commodum et cautelam eorum quibus confertur conscribi solent aut possunt, ita ut beneficium mee collationis

1) *e meridie oppidi Thorn in Wizlam influit.* 2) *ex septentrione oppidi Graudenz in Wizlam influit.*

largissimam ad omne commodum, honorem et utilitatem domus et fratrum eorundem recipiat interpretationem: nichil prorsus iuris, utilitatis, advocatie, patronatus vel cuiuslibet alterius iurisdictionis aut potestatis, quocumque nomine censeri possit vel appellari, mihi, heredibus vel successoribus meis in omnibus supradictis vel quolibet eorum retinens aut reservans; sed omnia ea cum libertatibus et pleno et integro iure sine omni dolo, fraude, captione ac captiositate, sine diminutione ac coartatione, cum bona et exuberante fide et largissimo intellectu domui et fratribus memoratis contuli et collata recognosco, me, heredes et terram meam obligans et teneri volens. De evectione preterea, quicquid de personis vel bonis omnium Sarracenorum captivatione, depredatione, extorsione, occupatione vel subiugatione mobilium sive immobilium, terrarum vel aquarum atque omnium in eis contentorum quolibet modo fratres predicti adipisci potuerint, cum omni et integro iure ac libertate superius premisse donationis, nulla prorsus diminutione[a], coarctatione vel impedimento ipsis a me, heredibus meis vel quolibet alio, quem nos prohibere vel cohercere possimus, prestando vel procurando, eisdem concessi cum vera proprietate et perfecto dominio quiete[b] possidendum; et in hoc consensi cum uxoris mee, filiorum meorum, episcoporum, baronum et magnatum terre mee consensu, contra omnem hominem ad observationem et defensionem omnium supradictorum secundum omne posse et totas vires meas eisdem consilium et auxilium bona fide firmiter promittens, omnes heredes et successores meos et terras meas obligans mecum et astringens ad ratihabitionem, observationem et conservationem donationum, concessionum, obligationum et promissionum omnium predictorum.

Fratres quoque predicti[c] bona fide repromiserunt mihi heredibusque meis, secundum Dei honorem et timorem contra Prutenos et alios Sarracenos nobis conterminos terram nostram impugnantes, quamdiu hostes fidei sunt et inimici cultus Christi, assistere et sine dolo ac fictione una nobiscum omni tempore militare. Ne igitur donationes et concessiones predicte celebri digne memoria, tam utiles quam necessarie, non solum securitati fidelium in Polonia, qui graves impugnationes et oppressiones ab hostibus Christi iam dudum sustinuerunt, in presenti proficientes, verum etiam propagationi et ampliationi sacrosancte fidei catholice, ut etiam ipsos infideles[d], quorum exinde speratur conversio, per Dei gratiam profuture, abeant in oblivionem, aut cuiusquam calliditate, dolo, versutia, sinistra interpretatione debilitari, perverti, frangi, violari valeant vel irritari, vel saltem malivola machinatione attemptari, sed potius pie mee devotionis facta firma permaneant et inconvulsa, ad perpetuam prefatorum gestorum memoriam presentem paginam testium inscriptione, mei, uxoris mee, episcoporum et magnatum terre mee sigillis roborari feci atque communiri.

Acta sunt in Cruswia[1] ante pontes, anno incarnationis Dominice MCCXXX, mense Iunio, indictione III.

Testes horum sunt: Guntherus episcopus Mazovie, Michael episcopus Cuiavie, Christianus episcopus Pruzcie, Bervuldus prepositus, Wilhelmus decanus, Pacozlaus senior, Pacozlaus iunior, comes Dirsicyn, Nicolaus cancellarius, magister Iohannes cancellarius, Gregorius subcancellarius, et quam plures alii tam religiosi quam seculares[2].

a) dominatione *T.* b) quieto *T.* c) predicta *T.* d) *locus corruptus.*

1) *Kruschwitz in prov. Posen, e meridie oppidi Bromberg.* 2) *Autographum huius diplomatis repertum adhuc non est, sed alia eiusdem donationis forma, quam iidem testes tribus deficientibus subscripserunt, in authentico extat. Perlbach, Preuss. Reg. p. 30, n. 87 suspicatur chartam quam nos damus spuriam esse. — Haec donatio a Gregorio IX papa a. 1234, Aug. 3 confirmatur; Theiner, Mon. Pol. t. I. p. 25, n. 57.*

415.

Summaria duodeviginti instrumentorum, in quibus forma pacis inter ecclesiam et Fridericum Romanorum imperatorem apud Sanctum Germanum initae continetur.

1230, Iul. — Aug. 28.

In Greg. IX Reg. Vol. I, 161—168 post Lib. III extant 22 litterae ad hanc rem pertinentes, quas edidit Pertz, LL. t. II, p. 269—276. Damus hic n. 1—18, ordinem quo in Reg. leguntur numeris adiectis indicantes. N. 19—22 suo loco secundum temporis ordinem, et papae quidem epistolas integras proponemus.

I.

Fridericus Romanorum imperator coram Iohanne episcopo Sabinensi et Thoma presbytero cardinali, apostolicae sedis legatis, iurat, se pro omnibus, pro quibus excommunicatus sit, mandatis ecclesiae staturum esse. *1230, Iul.*

II.

Fridericus Romanorum imperator iurat et per Thomasium comitem Acerrarum iurari facit, se Teutonicis, Lombardis, hominibus regni, Gallicis et omnibus, qui ecclesiae contra se adhaeserint, omnem offensam et poenam, sententias et banna in eos lata remittere; promittit etiam se terras ecclesiae invasurum non esse. *1230, Iul.*

III.

Fridericus Romanorum imperator universis notum facit inter se et ecclesiam tractatum iri, qualiter ad se revertantur Gaietana et Sanctae Agathae civitates et omnes de regno Siciliae, quos ecclesia in fide sua receperit, quique in devotione eius perdurent. Per Thomasium comitem Acerrarum iuramentum praestat, se has terras interim offensurum non esse. *1230, Iul.*

IX.

L[ando] Reginus et [Marinus] Barensis archiepiscopi, [Nicolaus] Reginus episcopus et abbas Casaenarii universis notum faciunt, Margaritum coram se et nuntiis Iohannis Sabinensis episcopi et Thomae presbyteri cardinalis, legatorum papae, iurasse, se velle imperatorem dominum habere et non alium. *1230, Iul. 21.*

V.

Bertholdus Aquilegiensis patriarcha, Eberhardus archiepiscopus Salisburgensis, Sigefridus episcopus Ratisponensis, Liupoldus dux Austriae et Stiriae, Bernhardus Karinthiae, Otto Meraniae duces universis notum faciunt, inter Fridericum Romanorum imperatorem et ecclesiam tractatum iri, qualiter ad imperatorem revertantur Gaietana et Sanctae Agathae civitates et omnes de regno Siciliae, quos in fide sua receperit ecclesia, quique in eius devotione perdurent; imperatorem per Thomasium comitem Acerrarum iuramentum praestitisse, se interim neque has neque ullas ecclesiae terras offensurum esse, et omnibus, qui contra se ecclesiae adhaeserint, sententias, constitutiones et banna in eos lata remittere; se autem [principes praedictos] iurasse se procuraturos, quod imperator haec servet, si vero contra ea veniat, se ecclesiae affuturos esse. *1230, Iul. 23.*

VI.

B[ertholdus] patriarcha Aquilegiensis, [Eberhardus] archiepiscopus Salisburgensis, [Sigefridus] Ratisponensis episcopus universis notum faciunt, quomodo apud Sanctum Germanum in praesentia Iohannis Sabinensis episcopi et Thomae presbyteri cardinalis, legatorum papae, et multorum aliorum causae lectae sint, propter quas imperator excommunicatus sit: termino praefixo eum non transfretasse, promissum numerum militum

pro subsidio Terrae Sanctae non tenuisse, promissam pecuniam terminis statutis non direxisse, ab oppressione ecclesiarum, viduarum et orphanorum non destitisse, Templarios et Hospitalarios bonis suis privasse, Tarentinum archiepiscopum ad sedem suam accedere non permisisse, Rogerium comitem terris suis spoliasse, compositionem cum comitibus Celanensibus et Raynaldo de Aversa factam non servasse; post haec imperatorem iuramentum praestitisse [cf. n. I], et legatos praedictos ei mandarisse, ut quicquid in Marchia, Ducatu et Patrimonio occupaverit, et quicquid de bonis eorum ceperit, qui ecclesiae adhaeserint, restituat, itemque restituat Tarentinum archiepiscopum et alios praelatos exules; adicientes alia se suo tempore mandaturos esse. 1230, Iul. 23.

XI.

Bertholdus patriarcha Aquilegiensis, Eberhardus archiepiscopus Salisburgensis, Sigefridus episcopus Ratisponensis, Bernhardus Karinthiae, Otto Meraniae[1] *duces universis notum faciunt, se Iohanni Sabinensi episcopo et Thomae presbytero cardinali, legatis papae, fideiussores se constituisse, quod imperator omne id, quod teneat de Marchia et Ducatu, plene ecclesiae restituat.* 1230, Iul. 28.

IV.

Fridericus Romanorum imperator universis notum facit, se Hermanno magistro Teutonicorum Castrum Celi, Roccam Willielmi, Roccam de Bantra, Roccam Praesentiani, Roccam sancti Angeli de Rupe canina, Roccam Montis Dragonis, Castrum Atini et Petram de Tocco in eam securitatem assignasse, quod infra octo menses sub illa forma, quae in tractatu pacis contineatur, fideiussoriam cautionem daturus sit. 1230, Aug.

VII.

Fridericus Romanorum imperator universis notum facit, se L[andoni] archiepiscopo Regino et [Nicolao] episcopo Regino castra Suessae, Caiaciae, Magdalonis et roccam Capuae in cautionem assignasse, quousque quae teneat in Marchia et Ducatu, et alia ecclesiae restituerit. 1230, Aug.

VIII.

Hermannus magister Teutonicorum universis notum facit, se castra supra nominata [n. IV] custodienda recepisse.

XV.

Eberhardus archiepiscopus Salisburgensis et Sigefridus episcopus Ratisponensis universis notum faciunt, Iohannem episcopum Sabinensem et Thomam presbyterum cardinalem, legatos papae, imperatori mandarisse, ut nullas tallias vel collectas ecclesiis et personis ecclesiasticis imponat, et nulla persona ecclesiastica conveniatur in regno civiliter vel criminaliter coram iudice saeculari, nisi civiliter super feodis. 1230, Aug. 27.

XVI.

Eberhardus archiepiscopus Salisburgensis et Sigefridus episcopus Ratisponensis universis notum faciunt, Fridericum Romanorum imperatorem Aug. 23 omnibus officialibus suis Terrae Laboris mandarisse, ut nullas ecclesiis seu personis ecclesiasticis tallias vel collectas imponat, salvis servitiis sibi debitis. 1230, Aug. 27.

XVII.

Hermannus magister Teutonicorum universis notum facit, se de voluntate [Landonis] archiepiscopi Regini roccam Capuae, Magdalonis, Caiaciae et castrum Suessae custodienda recepisse.

1) *Liupoldus dux Austriae eodem die mortuus est.*

X.

Eberhardus archiepiscopus Salisburgensis, Sigefridus episcopus Ratisponensis, Bernhardus dux Karinthiae universis notum faciunt, se Gerholdum de Salzeburg iurare fecisse, quod fideiussionem pro restitutione Marchiae et Ducatus factam servaturi sint, secundum quod in litteris suis et [Bertholdi] patriarchae Aquilegiensis et [Ottonis] ducis Meraniae continentur: cf. n. XI. 1230, Aug. 28.

XII.

[Hugo II] archiepiscopus Arelatensis, [Petrus] Wintoniensis et M[ilo] Belvacensis episcopi universis notum faciunt, Iohannem episcopum Sabinensem et Thomam presbyterum cardinalem imperatori mandavisse, ne impediat, quin electiones, postulationes et confirmationes ecclesiarum et monasteriorum in regno libere fiant, ut comitibus Celanensibus et filiis quondam Raynaldi de Aversa et Templariis et Hospitalariis satisfaciat, et ut a die absolutionis suae usque ad octo menses caveat ecclesiae per fideiussores, quos ipsa nominatura sit; omnes autem cautiones pro Terra Sancta praestitas in integritate sua permanere, expensas ab ecclesia pro libertate sua conservanda coactas debere papae restitui, et si imperator haec non observaverit, eum excommunicatum esse. 1230, Aug. 28.

XIII.

[Eberhardus] archiepiscopus Salisburgensis et [Sigefridus] episcopus Ratisponensis universis idem scribunt. 1230, Aug. 28.

XIV.

[Nicolaus] Reginus, [Wilhelmus] Mutinensis, [Pellizzarius] Mantuanus episcopi et G[uala] Brixiensis electus universis idem scribunt. 1230, Aug. 28.

XVIII.

Fridericus Romanorum imperator omnibus officialibus suis per iustitiariatum Barensem et Basilicatam constitutis mandat, ut nulla persona ecclesiastica conveniatur civiliter seu criminaliter coram iudice saeculari, nisi civiliter super feodis. Idem scripsit omnibus regni sui iustitiariis. 1230, Aug. 28.

416.

Gregorius IX papa Fridericum Romanorum imperatorem precatur, ut hoc ipso die, quo in gremium matris ecclesiae revertatur, filios Thomae comitis Celanensis et quondam Raynaldi de Aversa sibi liberaliter largiatur et remittat, cum iam non oporteat ipsum in aliquo de iis dubitare. 1230, Aug. 28.

Greg. IX Reg. Vol. I, p. 165; post Lib. III, n. 19. Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1230, § 11—12.

Potthast, Reg. 8594.

Friderico imperatori.

Si Anna discessum Tobie filii sui non sustinens patienter, mox lacrimis effluebat, si more impatiens exiliens quotidie circuibat vias omnes, per quas reditum anxie prestolando, et tandem in supercilio montis sedens, viso de longinquo filio redeunte, inexplicabili gaudio exultavit: quanto nunc tripudio hilarescat mater ecclesia, que filium excelsum pre regibus terre, de regione dissimilitudinis ad se recipit redeuntem, quis valeat verbis vel litteris explicare, cum non sit hominis etiam affectus proprios perfecte posse depromere per affatus? Magnificat quidem anima nostra Dominum, et

exultat spiritus noster in Deo salutari, qui deprecationes nostras et misericordias a nobis non amovens, cordi tuo misericorditer inspiravit, ut anime tue saluti, dignitatis honori et multorum quieti provide consulens, ad pie matris gremium devote redires, que in expectatione tui maternis affectibus cruciatibus cruciata sepe pro tua conversione Os. 14,3. thus orationis Domino suppliciter adolevit, et immolavit lacrimabiliter vitulos labiorum, multorum filiorum periculum perhorrescens. Nunc autem quia maius gaudium est Luc 15,7. angelis Dei super uno peccatore penitentiam agente, quam supra nonaginta novem iustos, qui se autumant penitentia non egere, iubilat ecclesia generalis, eo quod tenebrosus turbo, qui pene involverat omnem terram, luci cedit optate, fragorque horride tempestatis, que multis excidium minabatur, arridente serenitatis gratia subsilescit. Nos etiam salutis et honoris tui profectum sinceris affectibus cupientes, Altissimi misericordiam humiliter imploramus, ut qui te revocavit ad vitam, det virtutis constantiam revocato, quatenus ubi abundavit dilectio, abundet et gratia, et precedens lapsus te reddat in omnibus cautiorem, quia proculdubio non est amor, qui possit equari materno, nec ullius efficacior erga te quam ecclesie affectus gratie valeat inveniri. Ipse quoque, fili karissime, parti tue adesto sollicitus, ne de cetero patiaris te abduci vel seduci pravis consiliis perversorum, qui non que tua sed que sua sunt inique querentes, fascinare te gestiunt, ut exasperes matrem tuam. Ceterum cum in solemnitate tam celebri, tam solemni, quando te quasi in novum hominem reformato gloriatur celestis curia et seculum iucundatur, magnificentiam tuam munificis deceat affluere beneficiis pietatis, eo quod non solum Christiani principes sed etiam pagani, qui veram Dei notitiam non habebant, in suis solemnitatibus tenebantur liberare captivos: nos, qui pro captivis et afflictis orare tenemur, precum nostrarum primitias affectione plenissimas imperiali mansuetudini duximus destinandas, pro speciali munere postulantes, et adiurantes per illum angelum, quem Dominus ad anime ac corporis tui custodiam deputavit, ne, quod absit, contristes eundem, qui precipue de tua conversione letatur, quatenus in hac solemnitate, que specialis est festivitas angelorum, comitis Thome et quondam Raynaldi de Aversa filios nobis liberaliter largiaris, eos ad nostram presentiam remittendo, quia licet secundum formam pacis a principibus acceptatam de ipsorum liberatione non fuerit dubitatum, si nunquam tamen tractatum fuisset, nequaquam eos ecclesie negare te decet, que tibi potest in longe maioribus respondere. Ut quid enim illi affligantur ulterius, cum te iam non oporteat in aliquo dubitare, qui habens manum ecclesie adiutricem, ubique ac undique secura potes gaudere quiete? Nobis siquidem principaliter atrocem irrogari reputaremus iniuriam, si contra te, quod absit, contingeret aliquid attemptari.

Dat. Anagnie, V Kal. Sept. pontificatus nostri anno IV.

417.

Gregorius IX papa Christi fideles Prutenis vicinos monet, ut potenter se accingant ad pugnam contra paganos illos, qui Christianos ibidem existentes trucident, quibusque fratres Teutonicorum a [Conrado] duce Mazoviae ad auxilium introducti per se resistere nequeant.

1230, Sept. 13.

Greg. IX Reg. Vol. II, 30; Lib. IV, 61. Edimus hanc epistolam ex Rayn. Ann. eccl. a. 1230, § 23, suppletam ex Theiner, Mon. Polon. t. I, p. 20. n. 41 [T].
Potthast, Reg. 8603.

Universis Christi fidelibus per Magdeburgensem et Bremensem provincias, Poloniam, Pomeraniam[a], Moraviam, Suraviam[b], Holisantiam et Gothlandiam constitutis.

Cum misericors et miserator dominus Dei filius Iesus Christus, cuius miserationes super omnia opera sunt ipsius, attenderet hominem iuste dampnatum, iustitia exigente vindictam et suggerente misericordia pietatem, de inextimabili habundantia caritatis pro ipso tradidit semetipsum, et crucis sustinendo tormentum redemit preciosi sanguinis sui pretio quem creavit, sciensque ipsum pronum nimium ad peccandum, ne irrecuperabiliter, quem ad imaginem et sui similitudinem condidit, perderetur, si unde resurgeret non haberet, diversa constituit remedia, quibus posset veniam promereri. Nos ergo, qui licet immeriti vices eius in terris gerimus, affectantes super omnia desiderabilia comodum animarum, libenter fideles populos ad caritatis opera, que idem Dei unigenitus voluit causam esse salutis, inducimus et ut fortius accendantur ad ipsa suffragium impertimur[c]. Ex litteris sane dilecti filii nobilis viri ducis Mazovie intelleximus, quod pagani Pruteni nomen Christi, quem ignorant, ad cuius cognitionem venire non volunt, exterminare tanquam prophanum de suis finibus per exterminium Christianorum ibidem existentium intendentes, ipsos vehementer impugnant, destruentes terram eorum, qui resistere pre paucitate non possunt, et personas etiam miserabiliter trucidantes. Et licet idem dux ordinem fratrum hospitalis sancte Marie Theutonicorum in terram suam ad Christianorum auxilium introduxerit[1], et cum ipsius ordinis fratribus ibi existentibus Deus misericorditer operetur, conterendo per eos mirabiliter sui nominis inimicos: quia tamen ad tam arduum negotium sufficere per se nequeunt et egent fidelium subsidiis adiuvari, universitatem vestram monemus et hortamur et per omnipotentem Deum obsecramus, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus ad nimiam caritatem, qua Christus vos dilexit et diligit, respectum habentes, et ei retribuentes aliquid pro omnibus, que retribuit ipse vobis, in quos tanquam viros Christianos et catholicos cadere opprobria exprobrantium sibi debent, potenter et viriliter accingamini, tanquam zelum Dei habentes, ad vindicandam iniuriam sui nominis et ad liberandum proximum de manibus paganorum profecturi, et acturi secundum fratrum consilia predictorum, ita quod et vobis premium debeatur eternum, et infideles non possint, quod impune Christi nomen impugnaverint, gloriari[d]. Cum autem multa neccessitas exigat, ut illuc fidelium subsidium transmittatur, quatinus libentius securi de retributione procedant, nos de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus qui laborem istum in propriis personis subierint et expensis, et eis qui non in expensis propriis illuc accesserint, ibidem per unius anni spatium servituri, seu illis qui ad subventionem fidelium de propriis facultatibus ministrabunt, iuxta quantitatem subsidii et devotionis affectum peccatorum suorum veniam indulgemus, ita quod illi qui in penitentia vera ibi decesserint, sicut transeuntes in Terre Sancte subsidium plenam remissionem peccaminum consequantur.

Dat. Anagnie, Id. Sept. pontificatus nostri anno IV.

---

a) Pomeraniam *deest ap. T.* b) Suraniam *Rayn.* c) *hucusque ex T.* d) *quae sequuntur usque ad finem ex T.*

1) *Cf. n. 411 et 414.*

418.

Fridericus Romanorum imperator cuidam regi scribit, quomodo Aug. 28 a Iohanne episcopo Sabinensi et Thoma presbytero cardinali, apostolicae sedis legatis, absolutus sit et Sept. 1 Gregorium pontificem adierit, quocum iucundum habuerit colloquium; se ei tanquam devotum ecclesiae filium se exhibuisse in eo vinculo caritatis, quo sacerdotium et imperium ad invicem sint coniuncta. *[1230, Sept.]*

Greg. IX Reg. Vol. I, 166; post Lib. III, n. 20.
Ed. Pertz, LL. t. II, p. 275.

419.

Gregorius IX papa [Ludovico IX] regi Francorum laetabundus nuntiat, Fridericum Romanorum imperatorem, mediantibus principibus Alamanniae tractatu pacis praehabito, ad mandatum ecclesiae rediisse et absolutionis beneficium obtinuisse.

1230, Sept. — Oct.

Greg. IX Reg. Vol. I, 166; post Lib. III, n. 21. Pertzii exemplar supplevimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1230, § 13.
Potthast, Reg. 8623.

Illustri regi Francorum.

Ecclesiam suam Dominus continua pietate custodiens, quam in multis sibi mise-
Cant. 2,6. rationibus desponsatam tanta caritate complectitur, ut ipsa levam eius sub capite suo
Cant. 1,13. sentiens et dexteram in amplexu, letabunda dicat: 'Dilectus meus inter ubera mea
Cant. 3,4. commorabitur; ne dimittam illum, donec me introducat in sue cubiculum genitricis!'
sepe ipsam temptari permittit, ne sibi forsan innoxia videatur, sed erudita potius ad
salutem terrena despiciat et celestia concupiscat, et ad supernam patriam ardenter
Psal. 119,5. aspirans, defleat incolatum suum cum habitantibus Cedar esse diutius prolongatum.
Verumptamen ne nimio timore deterrita in exercitatione plus debito perturbetur,
nequaquam eam Dominus ultra temptari patitur, quam valeat sustinere, set faciens
cum temptatione proventum, ipsam misericorditer consolatur, ita ut et eadem gratanter
Ps. 88,1. exultans, cantet Domini misericordias in eternum. Sane satis nuper ecclesia temptata
extitit et turbata, dum carissimus in Christo filius noster Fridericus, Romanorum
imperator illustris semper augustus, rex Sicilie, quem pre participibus suis honorans
excelsum pre regibus terre fecit, seductus malivolis suggestionibus perversorum matrem
spernere videbatur, multis ipsum nequiter instigantibus contra eam. Quare diversa
Marc. 13,8. dissidia pullulabant, ita quod gens exurgeret contra gentem et opiniones bellorum
multiplices tractarentur, ex quibus infinita multis poterant formidari pericula, quibus
Ps. 125,2. 3. non compati nullatenus poteramus. Sed[a] tandem magnificans Dominus facere nobiscum, magnificans Dominus facere cum illis, quare facti sumus letantes, multorum ut confidimus orationibus inclinatus, humiliavit cor principis et ad matris gremium revocavit, dum mediantibus principibus Alemannie tam ecclesiasticis quam secularibus, tractatu pacis prehabito et ab utraque parte communiter acceptato, idem ad mandatum ecclesie rediens humiliter et devote, absolutionis beneficium meruit obtinere, alias Dei

---

a) *quae sequuntur usque ad finem ex Rayn.*

et ecclesie beneplacitis hilariter se offerendo. Unde cum post nubilum gratius sit serenum et gaudium acceptius post dolorem, mater ecclesia in tanti receptione filii merito iocundata, gratias agit ei, qui non in turbine nec in igne, sed in sibilo aure 3 Reg. 19,12.
tenuis apparere dignatus, pacem hominibus bone voluntatis reddidit salutarem. Verum quia commune pacis bonum gaudium debet esse commune, quod cunctorum desideriis fuerat expetendum, celsitudinem regiam rogamus, monemus et hortamur in Domino, quatenus magnificans Dominum ex corde nobiscum, suppliciter postules ab eodem, ut pacem continuet et confirmet, aliaque[a] conservationi pacis cooperari modis quibus poteris non desistas, ita quod propitiationem divinam ex hoc uberius merearis, et nos sinceritatem tuam possimus merito commendare.

In eiusdem forma mandati scriptum est rectoribus fraternitatis Urbis.

420.

Gregorius IX papa rectoribus societatis Lombardiae nuntiat, Fridericum Romanorum imperatorem ad mandatum ecclesiae redeuntem ab excommunicationis vinculo absolutum esse, et expresse iis remisisse, si eum forsan offenderint; monet eos, ut beneplacitis ecclesiae Romanae obsequantur. Ad maiorem securitatem tenores litterarum cautionem continentium iis destinat. 1230, Oct. 10.

Greg. IX Reg. Vol. 1. 167; post Lib. III, n. 22[1]. Pertzii exemplar supplevimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1230, § 14.
Potthast, Reg. 8625.

Rectoribus societatis Lombardie.

Magnifica vestre devotionis obsequia, que in personis et rebus ecclesie Romane impendistis tempore opportuno, iugiter pre oculis mentis habentes, eorum non possumus oblivisci, sed de retributione condigna et superabundanti non desinimus cogitare, debitores nos merito reputantes ad omnia, que vobis procurare possumus profutura. Absit enim ut ecclesia Romana ingratitudinis arguatur, que semper affluens gratia gratiosis, merita supplicum consuevit premiis largioribus superare[b]. Sane cum karissimus in Christo filius noster Fridericus, Romanorum imperator illustris semper augustus et rex Sicilie, viam pacis eligens tutiorem, se humiliarit in tantum, quod ad mandatum ecclesie rediens reverenter, meruerit a vinculo excommunicationis absolvi, forma pacis inter nos et ipsum mediantibus principibus Alamannie necnon venerabili fratre nostro . . Brixiensi episcopo[2], qui vobis et pro vobis astitit fideliter et prudenter, tractata prius et multiplici munimine roborata, vobis et parti vestre sufficienter est cautum, quod nullatenus vos offendet; set remisit expresse, si eum forsitan offendistis. Quare non expedit ut exinde ullatenus dubitetis, cum nec leviter possetis offendi, quin graviter nos reputaremus offensos. Ideoque universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, per apostolica scripta mandantes, quatinus in ecclesie Romane devotione inflexibiles persistentes, fide que per dilectionem operatur beneplacitis nostris obsequi studeatis, certi omnimodis et securi, quod grata vobis intendentes vicissitudine respondere, vos dignis prosequeremur retributionibus gratiarum. Et ecce ad maiorem

a) *an* aliasque? b) *hucusque ex Rayn.*

1) *Haec epistola bis in Reg. relata est: legitur etiam Lib. IV, 70; Höfler, Kaiser Fried. II, p. 327, n. 1.* 2) *Guala.*

cautelam tenores litterarum continentium cautionem vobis sub bulla nostra duximus destinandos. Qui sunt tales: Fridericus etc.[1]. Tenor aliarum litterarum: In nomine Domini amen. Bertoldus etc. donec: satisfecerit[2]. Tenor aliarum litterarum: Nos I. etc. precipimus domino imperatori, quod a die absolutionis etc. domino pape reservetur[3].

Data Anagnie, VI Idus Octob. pontificatus nostri anno quarto.

421.

Gregorius IX papa F[ridericum] Romanorum imperatorem monet, ut spretis improborum consiliis homines de Fogia, Civitate, Casali Novo, Sancto Severo et alios quosdam de Capitanata misericordius pertractet. *1230, Oct. 15.*

Greg. IX Reg. Lib. IV, 71. Edimus hanc epistolam ex Rayn. Ann. eccl. a. 1230, § 17, suppletam ex Collect. Paris. ap. Huillard-Bréholles, l. c. t. III, p. 245.
Potthast, Reg. 8626.

Gregorius etc. F., illustri Romanorum imperatori semper augusto et regi Sicilie.

Non dubitamus, quin aliqui corde perversi, ab incentore malorum omnium nequiter instigati, mansuetudinem tuam frequenter attemptent, suggerendo procaciter ut iniuriam propriam immisericorditer prosequens, homines tuos de Fogia, Civitate, Casali Novo, Sancto Severino[4] et alios quosdam de Capitaneatu minus humane pertractes, sicque saluti et fame tue, quarum se simulant dilectores, insidias pervicaciter machinentur, ut clementiam vertens quod absit in iram, misericordem exasperes Redemptorem, qui misericordibus misericordiam impertitur, et contra te hominum ora laxentur murmurantium et clamantium, quod tam celebre festum pacis, tot votis hominum expetitum, tam cito in luctum vertitur et lamentum, multis tumultuantibus et dicentibus 'Heccine duo magna luminaria convenerunt, ut multos tenebris doloris involverent et horroris, et qui hominibus presunt ut prosint, in tribulatione consentiunt subditorum?' Quare dolore confodimur in occulto et rubore confundimur in aperto, nisi decidant a cogitationibus suis consiliorum salubrium perversores, te illos secundum impietatum ipsorum
Ps. Hebr. 10, 8 multitudinem expellente, ne sedentes[a] cum divite in insidiis in occulto destruant innocentes; sed detractoribus velut nubibus aquilone fugatis, clementie imperialis serenitas cunctis clareat luminosa, in qua velut in die post opace noctis tenebras et horridi fragoris angustias homines intimis affectibus delectentur. Ne igitur utriusque nostrum nomen ulterius blasphemetur, imperialem celsitudinem rogamus, monemus et hortamur in Domino, adiurantes per dominum Iesum Christum, qui prefert miseri-
Prov. 16, 32 et 19, 11 cordiam holocaustis, quatenus prudenter attendens, quod melior est patiens viro forti et per patientiam viri doctrina cognoscitur, misericordia, cui cetere virtutes humiliter obsequuntur, te permittas salubriter superari, cum nunquam alias felicius valeas triumphare; dimittensque debitoribus tuis ex corde, illum cui omnia debes tibi constituas merito debitorem, et tam nostro quam tuo pudori provide consulens, nos tibi

a) ne sedentes — blasphemetur *ex H.B.*

1) *n. 415, II.* 2) *n. 415, V.* 3) *n. 415, XII.* 4) *immo Sancto Severo; cf. Rycc. de S. Germ. a. 1230, SS. XIX, p. 358 et 359 et Huillard-Bréholles l. c. t. III, p. 197, not. 1.*

reddas ex hoc specialiter obligatos. Qui[a] si secus, quod Dominus avertat, ageres, non possemus nos non reputare confusos, quia non deessent, qui nobis fiduciam, quam de te concepimus, mordaciter exprobrarent.

Dat. Anagnie, Id. Octob. pontificatus nostri anno IV.

422.

Gregorius IX papa Friderico Romanorum imperatori nuntiat, in litteris, quas sibi pro fideiussuris principibus per G. iudicem Papiensem destinaverit, quaedam omissa esse, propter quod illas non publicaverit, et quae addenda vel immutanda sint, praesentibus interclusa ei dirigat. Monet eum, ut nuntium, qui suum declinans aspectum in Teutoniam profectus sit, celeriter revocet. *1230. Dec. 3.*

Greg. IX Reg. Vol. II, 38; Lib. IV, 76.
Potthast, Reg. 8633.

Friderico, illustri Romanorum imperatori semper augusto et regi Sicilie.

Dilectum filium G. iudicem Papiensem, nuntium tuum, cum litteris imperialibus ad sedem apostolicam accedentem solita benignitate recepimus, et tam viva quam litterali voce nobis ex tua parte proposita intelleximus diligenter. Ceterum inspecto litterarum tenore, quas pro fideiussuris principibus et aliis destinabas, quia quedam sive per negligentiam sive per occupationem in eis erant omissa, quare videri poterant imperfecte, ipsas non duximus publicandas, ne forte contra nos pariter et forsitan contra te amplius sineremus detractoribus materiam murmurandi, quasi tibi contra formam iuratam et scriptam de quadam quasi suspecta gratia deferremus: set ad collationem litterarum ipsarum et quorundam aliorum scriptorum venerabilem fratrem nostrum . . Capuanum archiepiscopum[1], qui et nostre intentionis affectum et sue iudicium rationis fideliter plene ac plane tibi sicut confidimus intimabit, fiducialiter admittentes, que addenda vel immutanda conspeximus, tibi presentibus dirigimus interclusa, serenitatem tuam affectuose rogantes et monentes attente, quatinus sinceritatem nostram sine fictione aliqua diligenter attendens, ea secure sine dubitatione studeas adimplere, nil penitus suspicans quasi te in aliquo circumvenire velimus, cum iam per Dei gratiam omnibus serenatis, cupiamus ut omnia in luce procedant, nullo prorsus loco versutiarum tenebris derelicto, obtantes ut ad votum tuum omnia prospere dirigantur. Verum valde credimus expedire, ut nuntius ille tuus, qui nescimus quo spiritu nostrum declinans aspectum in Teutoniam est profectus, celeriter revocetur, ne contra formam prescriptam contingat cautionem a principibus exhiberi.

Dat. Lateran. III Non. Decembr. pontificatus nostri anno quarto.

423.

Gregorius IX papa Friderico Romanorum imperatori exponit, qua de causa petitioni eius super iuribus imperii in Provincia et terris haeretica pravitate infectis ad tempus

[a]) *an* Quia?

1) *Iacobum.*

supersedendum duxerit; nuntiat praeterea se ad exhibendam iustitiam paratum esse, si idem imperator super Civitate Castelli ius quod praetendat prosequi velit.

1230, Dec. 10.

Greg. IX Reg. Vol. II, 38, 39; Lib. IV, 77[a].
Potthast, Reg. 8634.

Friderico, illustri Romanorum imperatori semper augusto et regi Sicilie.

Venerabilem fratrem nostrum . . archiepiscopum Capuanum[1] ad nos ab imperiali celsitudine destinatum recipientes affectione gratanti et honorificentia debita prosequentes, que nobis ex parte tua proposuit, intelleximus diligenter. Ceterum super hiis cum fratribus nostris congrua deliberatione prehabita. licet forte videatur utcumque difficile alicui, maxime qui rerum circumstantias non attendit, quod nunc ducimus respondendum, intelligentibus tamen nostri animi puritatem et qualitatem temporis attendentibus responsio non poterit non placere, cui evidentissima ratio suffragatur. Sane cum statutum fuerit in concilio generali, ut terre infecte heretica pravitate, nisi per dominos purgarentur, essent crucesignatis exposite, salvo iure principalium dominorum, modo super hoc ipsi nullum prestarent obstaculum nec aliquod impedimentum opponerent. licet ecclesia Romana terras in Provincia[2] constitutas et alias post infinitas angustias et expensas innumeras in Christianorum sanguine profligatis hereticis acquisitas ceperit retinere, ne reprobi repere vel irruere valeant in eandem, novit tamen ille, qui fingens
Psal. 32.15. corda hominum singillatim, cogitationes intelligit singulorum, quod nunquam ex hoc intendimus iuribus imperii derogare, que potius conservare proponimus illibata. Verum cum conversio terre illius adhuc adeo sit recens et tenera, quod ex levi mutatione aversionis posset incurrere facile recidivum, et sic esset error peior priore. saluti et honori tuo non est dubium expedire. ut petitionem tuam in tempus differas oportunum, quo et nos super ea cum ecclesie honore ac tuo intendere valeamus. quia cum nova nunc in terra illa turbatio sit exorta nec antiqua omnino sopita. siquid inde sinistri quod absit accideret, multi nobis et tibi principaliter imputarent. Ideoque serenitatem tuam rogamus et monemus in Domino, quatinus egre ne feras, quod ad presens super petitione tua non duximus procedendum, nec suspitione aliqua movearis. quod in hoc aliud quam quod premisimus intendamus. Ad hec quia Civitate Castelli[3] te asserens spoliatum. tibi super ea iustitiam postulas exhiberi, absit quod eam tibi vel aliis denegemus. in qua sumus omnibus debitores. Set illud te latere non debet, quod castellum Felicitatis, quod nunc dicitur Civitas de Castello. spectat ad sedem apostolicam pleno iure, sicut apparet ex multis publicis munimentis. et predecessorum tuorum privilegia protestantur. necnon imperatorum recognoscunt affatus. Unde audias super hoc que dictus archiepiscopus tibi dixerit. ut a nobis audivit. et si honori tuo congruere videris ius prosequi quod intendis. nos paratos invenies ad iustitie complementum.

Data Lateran. IV Id. Decembr. pontificatus nostri anno quarto.

[a]) *apud Huillard-Bréholles, l. c. t. III, p. 248:* Lib. IV, 78 et 95, *ex duplici copia in Collect. Laporte du Theil Bibl. Paris.; in sequentibus quoque epistolis huius libri numeri a nostris differentes annotati sunt; certe minus recte, cum nostri cum Regn. consentiant.*

1) *Iacobum.* 2) *cf. n. 322 et 323.* 3) *quondam Tifernum, hodie Città di Castello ex septentrione Perusii; cf. n. 387.*

424.

Gregorius IX papa [Eberhardum] archiepiscopum Salisburgensem et [Sigefridum] episcopum Ratisponensem monet, ut a praelatis et principibus, quorum nomina iis transmittat, cautionem recipere procurent, iuxta formam pacis inter ecclesiam et imperatorem reformatae. *1231, Ian. 16.*

Greg. IX Reg. Vol. II, 44. 45; Lib. IV, 96[a].
Potthast, Reg. 8651.

Archiepiscopo Salzburgensi et episcopo Ratisponensi, imperialis aule cancellario.

Cum carissimus in Christo filius noster Fridericus, Romanorum imperator illustris semper augustus et rex Sicilie, super pace reformata inter ipsum et ecclesiam observanda se obligaverit ad certam cautionem prestandam ab ecclesia sibi petitam, fraternitatem vestram presentium auctoritate monemus, quatinus a prelatis et principibus, quorum nomina vobis in scriptis transmittimus, cautionem recipere procuretis iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus interclusam.

Data Lateran. XVII Kal. Febr. pontificatus nostri anno quarto.

Hec sunt nomina: Coloniensis, Maguntinus, Magdeburgensis, Bremensis, Treverensis, Pataviensis, Babembergensis, Erbipolensis, Alberstadensis, Spirensis, Warmaciensis, Argentinensis, Leodiensis, Traiectensis, Cameracensis, Metensis, Basiliensis, Constantiensis, Augustensis, Brixinensis, Curiensis, Tridentinus; rex Boemie, dux Bavarie, dux Austrie, comes palatinus Reni, lantegravius, dux Saxonie, comes de Hanaat[1], dux Brabantie, dux Luthoringie, comes Barri, dux de Liemburgo.

In eundem modum ut supra scriptum est . . episcopo Vercellensi[2] et . . Mediolanensi electo[3]. Hec sunt nomina: [In Tuscia:][b] Pisa, Lucca, Florentia, Aretium, Pistorium, Sene, comites palatini Guerre, comes Willelmus Aldebrandini, comes Sabaudie, Dalfinus Ravennas[c]; [in Lonbardia:][b] Cremonensis episcopus et comunitas, Parmensis episcopus et comunitas, Papiensis episcopus et communitas, Regium, Mutina, Mediolanum, Pergamum, Cume, Novaria, Alexandria, Vercellum, Taurinum, Padua, Tervisium, Vicentia, Verona, Mantua, Brixia; [in Romania:][b] Bononia, Faventia, Ravenna, Ariminum; marchio Estensis, marchio Montisferrati, comes Sancti Boniphatii, Ezolinus, Salinguerra, marchiones Malespine.

425.

Gregorius IX papa Friderico Romanorum imperatori gratulatur, quod ad regni Hierosolymitani succursum operam efficacem dare velit, eumque hortatur, ut quod Hospitalariis et Templariis in regno Siciliae abstulerit, iisdem restituat et de damnis satisfaciat. *1231, Ian. 19.*

Greg. IX Reg. Vol. II, 45, 46; Lib. IV, 97[d].
Potthast, Reg. 8653.

---

a) Lib. IV, 96 et 98 *H.B. p. 253; cf. 423, not. a.* b) *postea adscripta, ut Pertzius monet.* c) *immo legendum* Viennensis. d) *ita etiam Rayn. a. 1231, § 53;* Lib. IV, 99 *H.B. p. 255; cf. n. 423, not. a.*

1) *i. e. Anhalt.* 2) *Hugoni.* 3) *Wilhelmo de Ruzolio.*

Friderico, illustri Romanorum imperatori semper augusto et regi Sicilie.

Imperialis magnificentie littere per venerabilem fratrem nostrum . . Capuanum archiepiscopum[1] et dilectum filium magistrum Roffridum imperialis curie iudicem nuper nobis exhibite, licet primo gravi nos stupore perculserint et horrore, rumores insuspicabiles referendo, letitiam tamen nobis et exultationem placidam attulerunt, fidei zelum et devotionis fervorem tibi divinitus inspiratum iuxta mentis nostre desiderium explicando. Hec est enim gratificans gratia, perempnis glorie infallibilis comparatrix, ut prudenter attendens quod qui plus aliis nosceris a Domino percepisse, ad obsequendum eidem es artius obligatus, eo quod dum augentur dona, rationes etiam donorum excrescunt, beneplacitis eius te reverenter prona humilitate substernas, et ad eadem exequenda prompta magnanimitate potenter exurgas, certus omnimodis et securus, quod Dominus virtutum ipse est rex glorie, munificus elargitor, excedensque supplicum merita transitoria commutat eternis. Agentes igitur grates et laudes gratiarum omnium laudabili largitori, misericordiam eius humiliter imploramus, ut pie intentionis propositum, ipso seminante in tua mente conceptum, continua nutriens pietate perficiat ad profectum, in tue salutis augmentum et exaltationem populi Christiani. Nos autem Christi causam agere cupientes ex animo et tuis profectibus nichilominus intendentes, ad defendendum regnum Ierosolimitanum, quod te principaliter respicit, succursum oportunum contra barbaras nationes sollicite procuramus, proposita in Domino fiducia spei nostre, quod multiplicatis super numerum ecclesie inimicis magnificabit et mirificabit suam misericordiam cum eadem, illos per ministerium suorum
Psal. 17 43. fidelium sicut pulverem ante faciem venti comminuens et velut lutum proiciens platearum, ut diligentibus eum omnia cooperentur in bonum, qui quanto durioribus exercentur, clarius elucescunt et felicius coronantur. Verum quia negotii qualitas auxilio indiget generali, ecce universis ecclesiarum prelatis, regibus et principibus et quibusdam crucesignatis dirigimus scripta nostra, qualia eidem negotio conspeximus expedire, continuaturi alias sollicitudinem diligentem et impensuri nos ipsos in quibuscumque fuerit oportunum. Ceterum quia, si te in hoc exhibueris ut convenit animosum, multos ad idem laudabiliter animabis, celsitudinem tuam rogamus, monemus et hortamur in Domino, adiurantes per sanguinem Crucifixi, quatinus fortitudine spiritus roboratus ex alto, memor quod in talibus immensitas obtima est mensura, non parcens personis vel rebus illuc in utrisque festinatum subsidium studeas destinare, faciendo loca muniri, ne timeant impetum aggressorum, donec illuc copiosus possit destinari succursus, qui profliget auctore Domino inimicos; supererogaturus nichilominus quecumque videris oportuna, ut magnanimitatem magnificam et magnanimem magnificentiam tuam Deo reddas et hominibus commendandam. Ad hec cum, sicut nosti, dilecti filii magistri et fratres domorum Hospitalis et Templi Ierosolimitani reliquias terrarum illarum diu in sanguine suo defenderint viriliter et potenter, nunc, sicut flebiliter conqueruntur, in regno Sicilie suis facultatibus diminuti et solitis destituti suffragiis, non habent consuetam potentiam hostibus resistendi, quod siquidem in enorme universalis ecclesie detrimentum et tuam specialiter posset redundare iacturam. Quapropter affectuose deposcimus et consulimus bona fide, quatinus eis ablata restitui et de dampnis satisfieri faciens competenter, eos divine retributionis obtentu beneficientie gratia favorabiliter prosequaris, cum etsi agant in partibus illis principaliter causam Christi,

1) *Iacobum.*

nichilominus tamen interesse tuum, videlicet gubernationem regni Ierosolimitani, utiliter prosecuntur, sic impendentes gratum Domino famulatum, ut et tibi opem afferant efficacem.

Data Lateran. XIV Kal. Febr. pontificatus nostri anno quarto.

426.

Gregorius IX papa Fridericum Romanorum imperatorem monet, ut fideiussoriam cautionem, quam ad octo menses praestare debeat, ex nunc adimplere studeat.

1231, Ian. 20.

Greg. IX Reg. Vol. II, 46; Lib. IV, 98[a].
Potthast, Reg. 8654.

Friderico, illustri Romanorum imperatori semper augusto et regi Sicilie.

Cum in forma pacis inter nos et te habite fuerit ordinatum, ut pro hiis que in tractatu pacis venerant observandis, ex tunc ad octo menses prestares fideiussoriam cautionem, et propter impedimenta supervenientia id nequiverit adimpleri, nolumus tibi ex transcursu preteriti temporis preiudicium generari. Tu tamen ex nunc predicta studeas adimplere, cum iam tempus prestande cautionis huiusmodi tibi currat.

Data Lateran. XIII Kal. Febr. anno quarto.

427.

Gregorius IX papa magistro domus Templi districte praecipit, ne in regno Hierosolymitano contra formam pacis et imperialis balivi prohibitionem guerram moveat, per quam possit Terrae Sanctae vel visitantibus eam periculum imminere.

1231, Febr. 26.

Greg. IX Reg. Vol. II, 51; Lib. IV, 110.
Potthast, Reg. 8667.

. . magistro domus militie Templi Ierosolimitani.

Tempora cum causis ita sapiens commetitur, ut nequaquam invicem sibi derogent, set potius mutuo suffragentur, cum alias a discrimine non vacaret, dum res exponeretur non tam prudentie quam fortune. Sane karissimus in Christo filius noster Fridericus, Romanorum imperator illustris semper augustus et rex Sicilie, gravem ad nos querimoniam destinavit, quod tu non attendens varia discrimina, que de guerra inevitabiliter imminent Terre Sancte, treuguas violare contendis contra formam pacis et contra prohibitionem balivi sui, ad movendam guerram de regno Ierosolimitano milites pluries abstrahendo, nonnullis de militibus peregrinis, quos ipse duxerat, ab hostibus miserabiliter captivatis. Unde regi Persarum in exterminium illarum partium

---

[a]) Lib. IV, 100 *H.B. p. 257; cf. n. 423, not. a.*

properanti via videretur latior preparari, ut assequatur facilius quod intendit. Licet igitur ex eo quod inimicos Christi desideras debellare, sis apud Deum et homines merito commendandus, quia tamen hoc temporis qualitas non exposcit set potius interdicit, districte te monemus et hortamur attente, per apostolica tibi scripta firmiter precipiendo mandantes, quatinus nichil agas omnino, per quod possit Terre Sancte vel visitantibus eam aliquod periculum imminere, cum id facile redundaret in confusionem totius populi Christiani. Alioquin si contra mandatum nostrum aliquid attemptares, non possemus equanimiter sustinere, quin excessum tuum animadversione debita puniremus.

Data Lateran. IIII Kal. Martii, pontificatus nostri anno quarto.

428.

Gregorius IX papa Fridericum Romanorum imperatorem monet, ut Hospitalariis et Templariis, sine quibus Terra Sancta nequaquam credatur posse gubernari, ablata restituat, mittitque ad eum de hac re abbatem Casaemarii.

1231, Febr. 26.

Greg. IX Reg. Vol. II, 51; Lib. IV, 111[a].
Potthast, Reg. 8663.

Friderico, Romanorum imperatori semper augusto et regi Sicilie.

Si vere desideras sicut decet, ut Terre Sancte negotium non turbetur set potius dirigatur, expedit ut Hospitalarios et Templarios, per quos terra illa est inter multas angustias hactenus gubernata, et sine quibus nequaquam posse creditur gubernari, nulla molestatione fatiges, set potius beneficientie gratia prosequaris, sic agens proprium interesse, ut apud Deum incomparabile tibi meritum compares et apud homines nomen bonum. Sane ut taceamus quod nobis mordaciter exprobratur, quod quasi momentanea videtur fuisse possessio de illis, que per nos sibi restituta fuerunt, nunc illorum gravamen et amaritudine plenam non possumus obaudire querelam, lamentantium quod nuper sunt et aliis spoliati, cum nec vellent nec valerent iuris ordinem declinare. Quare non est dubium, quin exinde gravia possint Terre Sancte dispendia imminere, cum indigentia laborantes non habeant, unde terram ipsam valeant more solito defensare. Ut igitur conscientie proprie nec non fame tam nostre quam tue provide consulas, imperialem celsitudinem rogamus, monemus et hortamur in Domino, quatinus eligens potius vinci misericordie pietate, cui cetere virtutes cedere minime dedignantur, quam iustitia exasperata notari, dictis Hospitalariis et Templariis ablata restitui facias universa, ita quod divinam evites offensam et nos mansuetudinem tuam possimus merito commendare, cum alias patientiam nostram variis detractionibus exponere videreris. Ut autem super hoc plenius tibi nostrum insinuemus affectum, in ore dilecti filii . . abbatis Casemarii posuimus verba nostra, quibus te credere volumus incunctanter.

Data Lateran. IV Kal. Martii, pontificatus nostri anno quarto.

---

[a]) Lib. IV, 113 *H.B. p. 264; cf. n. 423, not. a.*

429.

Gregorius IX papa eidem nuntiat, se litteras per abbatem Casaemarii praesentatas gratanter recepisse, sed responsum ad aliud tempus remittere.

1231, Febr. 26.

Greg. IX Reg. Lib. IV, 112[a].
Potthast, Reg. 8664.

Eidem.

Imperialis celsitudinis litteras nobis per dilectum filium . . abbatem Casemarii presentatas gratanter recepimus et intelleximus diligenter, gaudentes in Domino quod erga nos et Romanam ecclesiam debitum exhibes sinceritatis affectum, quo tibi Dei et hominum gratiam comparas et favorem, et nos ad profectus tuos efficaciter exhortaris. Ceterum intellectis que idem abbas nobis ex parte tua viva voce proposuit, circa plurima occupati et specialiter pro negotio fidei, nequaquam super hiis vel aliis in Urbe deliberationem habere potuimus oportunam, set cum sicut creditur noster inde non in longum differatur[b] egressus, tunc poteris ad nos tuum nuntium destinare, qui tuam nobis intentionem exponens nostrum responsum tibi plenius reportabit. Interim autem hiis, que predictus abbas ex parte nostra mansuetudini tue viva voce proponet, fiducialiter acquiescas, certus quod votis tuis libenter annuimus, quantum cum salva possumus honestate.

Data ut supra.

430.

Gregorius IX papa eundem monet, ne eos, qui ecclesiae adhaeserint, transfretare compellat.

1231, Febr. 26.

Greg. IX Reg. Lib. IV, 113[c].
Potthast, Reg. 8665.

Eidem.

Quanto malivoli et maliloqui maiori estuant libidine detrahendi, recta etiam in sugillationem nostram et tuam nequiter depravando, tanto sinceritati tue accuratius est cavendum, ne occasionem des illis contra utrumque linguas maledicas relaxandi, quem utriusque fame decet esse sollicitum zelatorem. Intelleximus siquidem, quod illos de regno, qui ecclesie adheserunt, intendis compellere transfretare, hoc est eos sicut sibi videtur et aliis in exilium relegare, cum ad id ex minori dilectione credaris induci. Ne igitur contra eos occasionem querere videaris, et per consequens contra nos et te linguas acuas detractorum, imperialem celsitudinem affectuose rogamus et monemus attente, quatinus ab intentione tali desistens, eos occasione huiusmodi minime inquietes.

Data ut supra.

a) Lib. IV, 114 *H.B. p. 264; cf. n. 423, not. a.* b) deferatur *R.* c) Lib. IV, 115 *H.B. p. 264; cf. n. 423, not. a.*

431.

Gregorius IX papa [Landoni] archiepiscopo Regino mandat, ut apud Fridericum Romanorum imperatorem partes suas interponat ad restituenda universa, quae Hospitalariis et Templariis ablata fuerint. *1231, Febr. 26.*

Greg. IX Reg. Lib. IV, 114[a].
Potthast, Reg. 8666.

. . Regino archiepiscopo.

Speravimus ut, sicut nobis presentialiter promisisti, Hospitalariis et Templariis restitui procurares ablata, set adhuc ablatis primitus destituti, aliis sunt noviter spoliati, sicut nobis eorum lamentabilis conquestio patefecit. Cum igitur propter hoc dilectum filium . . abbatem Casemarii ad imperialem presentiam destinemus, fraternitatem tuam rogamus et monemus attente, per apostolica scripta mandantes, quatinus apud carissimum in Christo filium nostrum Fredericum, Romanorum imperatorem illustrem semper augustum et regem Sicilie, ut eis ablata restituat universa, interponas efficaciter partes tuas, ita quod diligentiam tuam possimus merito commendare.

In eundem modum . . archiepiscopo Capuano[1].

Data ut supra.

432.

Fridericus Romanorum imperator Gregorio IX papae ad eius commonitionem promittit, se omnem sollicitudinem impensurum esse ad eradicandam pravitatem haereticam, quae in regno Siciliae Neapolim et Aversam partesque vicinas infecisse dicatur[2].
1231, Febr. 28.

Greg. IX Reg. Vol. II, 59; Lib. IV, 131.
Ed. Huillard-Bréholles, Cod. dipl. Frid. II, t. III, p. 268.

433.

Gregorius IX papa universis ecclesiarum praelatis mandat, ut cum rex Persarum exterminium Terrae Sanctae intendens iam civitates et alia loca sibi subiugaverit, subditos suos ad illius terrae succursum excitent. *1231, Febr. 28.*

Greg. IX Reg. Lib. IV, 120[b]. *Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1231, § 55.*

Universis archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis aliis ecclesiarum prelatis, ad quos littere iste pervenerint.

Ille humani generis pervicax inimicus, concinnator perfidie, desperationis incentor, odii procurator, non contentus quod in singulis Christi fidelibus fidem attentat, spem

---

[a]) Lib. IV, 116 *H.B. p. 266; cf. 123, not. a.* [b]) Lib. IV, 129 *Rayn.*

1) *Iacobo.* 2) Mense Februario — imperator pro capiendis Patarenis apud Neapolim mittit Reginum archiepiscopum. *Rycc. de S. Germ. a. 1231, SS. t. XIX, p. 363. — Etiam edictum contra haereticos 1224, Mart. editum [n. 246] hoc tempore innovasse videtur. Rayn. a. 1231, § 19.*

impetit et aggreditur caritatem, gestiens exstirpare virtutes, ut serantur vitia et perditio subsequatur, etiam universalem ecclesiam continue inquietat, infestat iugiter et tribulat incessanter, dum Terram Sanctam Christi sanguine consecratam, ubi vita, salus et redemptio nostra noscuntur originem habuisse, non desinit impie impugnare, ratus quod si posset ibi ullatenus prevalere, irreparabile periculum, inextricabile opprobrium et perditionem inestimabilem inferret universo populo Christiano. Et quidem satis acriter sevit hactenus per soldanos illarum partium, diabolice feritatis executores perfidos et protervos; sed quod gravi nos stupore perculit et horrore concussit, regem Persarum stipatum multitudine numerosa in exterminium terre predicte nequiter instigavit, sicut carissimus in Christo filius noster Fredericus, Romanorum imperator illustris semper augustus et rex Sicilie, necnon venerabilis frater noster patriarcha Ierosolimitanus et dilecti filii, Hospitalis et domus militie Templi Ierosolimitani magistri, suis nobis litteris intimarunt: quod iam sibi civitatibus et locis aliis inexpugnabilibus subiugatis nullum inveniens repagulum vel obstaculum, pro modico reputat occupare terras cultui Christiano relictas, et Christicolas, tam religiosos quam alios, in gladii occisione delere, credens fore, diabolo mendaciter suggerente, quod populus Christianus fatigatus laboribus et sumptibus infinitis potius elegerit causam Christi deserere trepidanter, quam illuc auxiliis succurrere iteratis. Quid ad hec igitur, quid ad hec? Numquid abbreviata est manus Domini, ut salvare nequeat, vel Es. 59,1. auris eius, ut non exaudiat, aggravata? An fideles suos tentat, ut probet, utrum iniuriam suam inultam vel terram predictam velint relinquere indefensam? Absit ut obliviscatur homo pacti Domini dei sui, sed memor se ad illius divitis mensam sedisse, qui est dives super filios hominum, que sibi fuerunt apposita, studeat et eadem apponere ipse illi, non trepidans pro eo calicem salutaris accipere, quem idem pro Ps. 115,13. nostra salute gustavit, quia non sunt condigne passiones huius temporis ad futuram gloriam Christi fidelibus revelandam. Ut itaque diabolo propria iniquitas mentiatur, dum unde animarum machinatur excidium, inde salutem eis doleat pervenisse, universitatem vestram monemus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta firmiter precipiendo mandantes, quatenus exhibentes vos fideles Christi ministros, singuli subditos vestros crucesignatos et alios secundum datam vobis a Domino gratiam sedulis exhortationibus excitetis, ut ad succurrendum terre predicte in personis et rebus taliter se studeant preparare, quod cum iterato fuerint requisiti, impendant succursum et subsidium opportunum; aliasque operari et cooperari cause Christi taliter studeatis, quod affectum et effectum vestrum retributiva gratia prosequens, gloriam vobis retribuat sempiternam, nosque diligentiam vestram dignis debeamus in Domino laudibus commendare.

Dat. Later. II Kal. Martii, pontificatus nostri anno IV.

434.

Gregorius IX papa Friderico Romanorum imperatori scribens conqueritur, quod iustitiarii eius ecclesiae fidelibus Esculani districtus graves iniurias irrogent, eumque monet, ut haec emendet, cum ipse quoque [Miloni] episcopo Belvacensi, Marchiae et Ducatus rectori, mandaverit, ut quaecumque in praeiudicium eius praesumpta sint, emendari faciat. *1231, Mart. 8.*

Greg. IX Reg. Vol. II, 56; Lib. IV, 126.
Potthast, Reg. 8677.

Frederico, illustri Romanorum imperatori semper augusto, regi Sicilie.

Serenitatis tue litteras solita benignitate recepimus, et que continebantur in eis notavimus diligenter. Nam sicut ex tenore collegimus earundem, referentibus tibi quibusdam iustitiariis tuis circa partes Aprutii constitutis te asseris accepisse, quod commune Esculanum, fideles nostri, quedam feuda regni tui detinere contendunt, nec permittunt etiam servitia curie tue debita eisdem iustitiariis exhiberi, nichilominus alia quedam feuda ad regnum ipsum spectantia destruentes, propter quod iura et servitia tibi debita subtrahuntur. Quare a nobis imperialis excellentia postulabat, ut insolentiam huiusmodi cohibentes, faceremus tibi congrue satisfieri de subtractis, et eisdem fidelibus nostris firmiter inhiberi, ut de cetero similia non presumant. Verum predicti iustitiarii tui talia ecclesiis et personis ecclesiasticis et aliis fidelibus nostris Esculani districtus irrogare dicuntur, que cum graviter oculos divine maiestatis offendant, non decet imperialem mansuetudinem sustinere, nec nos possumus in patientia tolerare. Depredantur enim ecclesias, capiunt clericos, captos ausu sacrilego carceribus tradunt, et adhuc Bertoldum clericum detinent carcerali custodie mancipatum; homines spoliant, et tot et tanta ibi committunt enormia, quod iidem fideles nostri vix possunt etiam respirare; et ut dicti iustitiarii excusationem habeant in peccatis, cum offendant tam graviter, se fingunt offensos, ut te si possunt provocent ad offensam. Licet autem a fidelibus nostris tibi ac tuis premissa fieri non credamus, quia tamen non est intentionis nostre iuri et honori tuo in aliquo derogari, per venerabilem fratrem nostrum . . episcopum Belvacensem [1], marchie Anconitane ac ducatus Spoletani rectorem, quecumque in preiudicium tuum presumpta sunt ab eisdem, plenarie precipimus emendari. Tu vero, fili karissime, sic emendari facias que a premissis iustitiariis sunt presumpta, quod divinam evites offensam, et illi tam voluntate quam actione satagens complacere, qui exaltat sibi [a] placidos in salutem, unicam sponsam eius sacrosanctam ecclesiam videaris sincero animo venerari, et per hoc gratiam in presenti et gloriam tibi compares in futuro, nosque devotionem tuam possimus merito commendare.

Data Lateran. VIII Idus Martii, pontificatus nostri anno quarto.

435.

Gregorius IX papa [Hugoni] Vercellensi et [Gualae] Brixiensi episcopis mandat, ut ad requisitionem iudicis T[addaei] de Suessa ab imperatore in Lombardiam transmissi iuxta formam cautionis homines de Lombardia iurare faciant. *1231, Mart. 25.*

Greg. IX Reg. Vol. II, 65; Lib. V, 2.
Potthast, Reg. 8685.

Vercellensi et Brixiensi episcopis.

Cum formam cautionis secundum quam iurare debent homines Lombardie vobis duxerimus transmittendam, et karissimus in Christo filius noster F., Romanorum imperator semper augustus et rex Sicilie, dilectum filium T. iudicem Suessanum.

a) sibi *abundare videtur; cf. Ps. 149, 4.*

1) *Milonem, qui a. 1230, Sept. 25 rector harum terrarum constitutus est; Baluze, Miscell. ed. Mansi t. III. p. 393.*

familiarem suum, virum providum et discretum, propter hoc ad partes Lombardie transmittat, fidelitati[a] vestre per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatinus cum a dicto iudice fueritis requisiti, ad negotium vobis iniunctum fideliter exequendum procedatis omni mora postposita cum eodem, adhibentes sollicitudinem et operam diligenter, ut iuxta eandem formam prestentur huiusmodi iuramenta; attentius provisuri ut sic caute et circumspecte in commisso vobis negotio procedatis, quod nichil de contingentibus omittatur, et nos studium et diligentiam vestram possimus merito commendare. Quod si non ambo —, alter vestrum etc.

Data Laterani, VIII Kal. Aprilis[b], pontificatus nostri anno quinto.

436.

Gregorius IX papa Constantiam reginam Bohemiae cum omnibus bonis et specialiter iis, quae ad eam ratione dotalicii pertineant, sub protectione sua suscipit.

1231, April. 10.

Greg. IX Reg. Vol. II, 71; Lib. V, 18.
Potthast, Reg. 8705.

Constantie illustri regine Boemie.

Etsi sedes apostolica, cui licet immeriti presidemus, tanquam universalis mater omnibus aperiat viscera pietatis, non tamen omnes equali affectu prosequitur, sed maiori prerogativa personas illas diligit et honorat, quas in devotione repperit promptiores. Inde est, quod nos attendentes devotionem, quam ad sacrosanctam Romanam ecclesiam matrem tuam et personam nostram dinosceris habere sinceram, et preter comune debitum pastoralis officii, quo curam et sollicitudinem tenemur gerere singulorum, specialem serenitati tue gratiam exhibentes, personam tuam cum omnibus bonis, que impresentiarum rationabiliter possides aut in futurum iustis modis prestante Domino poteris adipisci, sub protectione suscipimus apostolice sedis et nostra, specialiter autem Brecyzlaviensem, Pribizlavensem, Conowizensem, Godeninensem, Bisenzensem et Budegewizensem provincias[1], quas ad te ratione dotalicii asseris pertinere, sicut eas iuste possides et quiete, auctoritate tibi apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre protectionis et confirmationis infringere. Si quis autem etc.

Datum Laterani, IV Idus Aprilis, pontificatus nostri anno quinto.

437.

Gregorius IX papa decano, cantori et scholastico maioris ecclesiae Trevernensis mandat, ut [Henricum II] episcopum Wormatiensem a molestatione fratrum Praedicatorum cessare faciant.

1231, April. 13.

Greg. IX Reg. Vol. II, 89, 90; Lib. V, 56.

a) *an* fraternitati? b) *ap. Savioli, Ann. Bologn. t. III, II, p. 109, n. 585:* IX Kal. Aprilis.

1) *in Moravia sitas.*

. . decano, . . cantori et . . scolastico maioris ecclesie Treverensis.

Tanto acerbius stuporem nobis ingerit et horrorem quorundam nimis obstinata perversitas, quanto eosdem in altiori gradu specule Domini constitutos, maioris perfectionis attendimus artiorisque iustitie debitores. Etenim, quod non sine dolore referimus, optimates gregis et capita populorum, qui viam Domini et iudicium dei [Ierem. 5,5.] sui amplius pre ceteris cognovisse debuerant, ecce magis hii simul confregerunt iugum, vincula dirruperunt. Et qui in defensionem positi sunt et refugium subditorum, ipsi [Es. 3,14] periculosius vineam Domini depascentes, sanctitatem impugnant, novercantur iustitie, obviant pietati, eoque inexorabilius suo redemptori in membris ipsius recalcitrant, quo [Psal. 72,7.] minus de pretio redemptionis anime sue sese incrassatos attendunt. Prodit namque ex adipe ipsorum iniquitas, cuius clamor iam in tantum ascendit, quod contra se apostolicam provocat equitatem. Dilectorum siquidem filiorum, provincialis et aliorum priorum nec non et fratrum ordinis Predicatorum in Theutonia, iam crebra nobis est conquestione monstratum, quod cum olim . . Warmatiensi episcopo[1] primo, secundo et tertio firmiter nostris dederimus litteris in preceptis, ut a molestatione ipsorum, quos multis et variis vexationibus et gravaminibus fatigabat et adhuc fatigare non desinit, omnino cessaret, sibi super hoc pluries executoribus deputatis, eisdem executoribus deferentibus homini plus quam Deo et mandatum nostrum exequi non curantibus, dictus episcopus malitie sue adhibens incrementa, non solum non destitit ab ipsorum molestiis et pressuris, sed in cumulum afflictionis eorum post appellationem ad nos interpositam ipsorum operarios ab eorum hedificiis expulit violenter, et quod horribilius est auditu, corpus cuiusdam fratris eorum defuncti exhumari ab ipsorum oratorio et ad suam fecit ecclesiam deportari. Insuper dum quidam ex ipsis fratribus fuisset a quodam non absque ipsius notitia verberatus, excomunicatum nuntiari ipsum sacrilegum non permisit. Et quasi propria malitia ad persequendos predictos fratres non sibi sufficeret, nisus est et alios sui sibi erroris procurare fautores, ut assensu plurium et auxilio constipatus ipsorum innocentiam validius possit et multiplicius impugnare. Hiis quoque minime contentus et impetu suo motum sui animi non refrenans, in eosdem fratres Warmacie commorantes suspensionis sententiam promulgavit. Quia igitur ad hoc sumus in beatorum apostolorum principis cathedra Domino disponente licet immeriti constituti, ut plantare debeamus que ad divinum spectant decorem, et evellere atque eradicare que sunt obvia rationi et salutis videntur impedire profectum, iudicare etiam in iustitia pauperes et in equitate pro mansuetis arguere, discretioni vestre per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatinus, si est ita, cum nolimus dictorum priorum et fratrum molestias et iacturas conniventibus oculis pertransire, quos ob vite sanctioris meritum et utilioris prerogativam officii singulari iam dudum favore fovemus et speciali amplectimur caritate, predicta suspensionis sententia lata in ipsos nulla penitus nuntiata, dictum episcopum et alios quoscumque, quod ab ipsorum molestiis et pressuris penitus conquiescant, et quod eos occasione quarundam arearum, quas emptionis titulo sunt adepti, ulterius non molestent, modo predicto sub apostolica obedientia per ecclesiasticam censuram cogatis. Dicto vero episcopo nec non Warmaciensi capitulo, ut infra quindecim dies post monitionem vestram corpus prefati fratris defuncti, quod in ipsorum fratrum preiudicium et gravamen, apostolice quoque sedis opprobrium et contemptum, per

1) *Cf. Annal. Wormat. a. 1226, SS. t. XVII, p. 38 et Winkelmann, Acta Imp. ined. p. 495, n. 616, et p. 498, n. 621.*

ipsum episcopum exhumatum apud suam ecclesiam tumularunt, ad claustrum ipsorum cum debito honore tumulandum reducant, sicut est eis ab apostolica sede concessum, firmiter iniungatis, eos ad id censura simili compellentes; mandatum nostrum taliter impleturi, ut tante religionis atque iustitie vos experiamur existere zelatores et vestram sollertiam possimus merito commendare. Quod si dictus episcopus nostris adhuc mandatis contrarius invenitur, quia omnino suas immanitates relinqui nolumus incorrectas, eum, ut infra mensem post commonitionem vestram nostro se conspectui representet, nobis de tanto contemptu et iniuria responsurus, per censuram eandem appellatione postposita compellatis. Nam dante Domino adversus auctoritatis ecclesiastice firmitatem porte inferi tandem minime prevalebunt. Testes etc. Quod si non omnes —, duo vestrum etc.: constitutione de duabus dietis in generali concilio edita non obstante. Matth. 16,18.

Data Laterani, Idus Aprilis, pontificatus nostri anno quinto.

438.

Gregorius IX papa [Henricum III] regem Angliae monet, ut cum [Ludovico IX] rege Francorum pacem reformet vel saltem treugas firmet, ne turbetur negotium Terrae Sanctae, in cuius exterminium rex Persarum succensus anhelet. 1231, April. 25.

Greg. IX Reg. Lib. V, 37. Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1231, § 52. Potthast, Reg. 8724.

Illustri regi Anglie.

Licet guerrarum strepitus omni tempore multiplici subsit discrimini rerum, corporum et quod est gravius animarum, quia tamen eo nunc Deo et hominibus gravius displiceret, quo in dispendium Terre Sancte, ac per consequens in confusionem vergeret totius populi Christiani, cum rex Persarum stipatus multitudine numerosa in exterminium terre predicte succensus anhelans, sibi iam civitatibus et locis aliis inexpugnabilibus subiugatis, nullum se credat repagulum invenire, quin terras cultui Christiano relictas invadat et Christicolas in gladii occisione disperdat, sicut nuper nobis est a plurimis intimatum, celsitudinem regiam rogamus, monemus et hortamur in Domino, quatenus saluti proprie nec non tue ac tuorum quieti provide consulens, seposito guerrarum proposito ad pacis federa inter te ac carissimum in Christo filium nostrum regem Francorum illustrem, si datum est desuper, reformanda vel saltem treugas firmandas animum tuum prudenter inclines, sciens nos regi predicto simile consilium destinasse. Ut autem concordia perfectius pertractetur et felicius impleatur, venerabilem fratrem nostrum Wintoniensem episcopum[1] ex parte tua, quem erga te fidei et devotionis gerere novimus puritatem, et venerabilem fratrem nostrum archiepiscopum Senonensem[2] ex altera propter hoc providimus destinandos, quorum monitis et exhortationibus credere te volumus incunctanter[3].

Dat. Later. VII Kal. Maii, pontificatus nostri anno V.

[In eundem modum scriptum est illustri regi Francorum][a].

---

a) *ad verbum haec non dat Rayn.*

1) *Petrum.* 2) *Walterum.* 3) *De re cf. Tillemont, Vie de St. Louis, ed. de Gaulle, t. II, p. 101 et sequ.*

439.

Gregorius IX papa Fridericum Romanorum imperatorem hortatur, ut Hospitalariis et Templariis ablata restitui faciat universa, eique nuntiat, illos esse paratos ad ponenda feudalia, quae ab aliis quam a curia habeant, in manus [Hermanni] magistri Teutonicorum, ita ut proventus eorum conservet, quousque quid ad quem pertineat per arbitros declaretur. *1231, April. 29.*

Greg. IX Reg. Vol. II, 87; Lib. V, 51.
Potthast, Reg. 8731.

Friderico, Romanorum imperatori semper augusto et illustri regi Sicilie.

Quanto plenius excellentia tua novit per Hospitalarios et Templarios Terram Sanctam olim inter multas angustias gubernatam, et a pluribus creditur sine ipsis vix posse utiliter gubernari, cum pro magna parte per eos subsistere videatur, tanto est tue serenitati decentius, ut nulla eos molestia inquietes, quos ut non turbetur illius terre negotium set potius dirigatur, specialis favoris debes presidio confovere, sic agens commune ac proprium interesse, ut apud Deum incomparabile tibi meritum compares et apud homines nomen bonum. Denique, ut taceamus ad presens quod nobis a pluribus exprobratur, videlicet quasi momentanea fuerit eorum possessio, que per nos illis restituta fuit, iteratam nunc et amaritudine plenam audivimus predictorum querelam, graviter lamentantium quod vix adhuc restituti denuo sint et aliis spoliati: ex quo utique gravia exinde dispendia imminent terre prefate, cum iidem fratres indigentia laborantes non habeant, unde illam possint more defendere consueto. Quia vero universa, que habent, pro conservatione sunt et subsidio terre predicte, cuius defensio ad te principaliter dinoscitur pertinere, imperialem celsitudinem monemus, rogamus et hortamur in Domino, quatinus conscientie proprie ac tam fame nostre quam tue provide consulens, et eligens potius superari misericordia, cui cetere virtutes minime cedere dedignantur, quam asperitate notari, dictis Hospitalariis ablata restitui facias universa, ita quod mansuetudinem tuam possimus merito commendare, cum alias patientiam nostram variis detractionibus exponere videreris, qui non ignoras, quod ad malum sunt homines proniores et levi occasione sinistra multotiens suspicantur. Porro ad consilium nostrum dicti fratres, ut tuum valeant obtinere favorem, feudalia, que a tempore clare memorie . . matris tue[1] ab aliis quam a curia habuerunt, sine utriusque partis super possessione ac proprietate preiudicio in manus dilecti filii . . magistri Theutonicorum restitutione obtenta ponere sunt parati, ita quod ipse proventus eorum teneat et conservet, quousque quid ad quem pertineat declaretur per arbitros, quorum per te eligatur unus, alius per Hospitalarios, tertius vero ab hiis duobus vel a nobis, si in eo ipsi non convenerint, assumatur. Predicti quoque arbitri infra certum terminum, a partibus vel a nobis si partes in illo dissenserint prefigendum, negotium terminabunt, et idem magister predicta secundum eorum arbitrium resignabit. Super aliis autem, que non sunt feudalia, coram nobis vel delegatis nostris iuri parebunt, cum volueris de ipsis iustitiam obtinere. Quare super premissis tuam nobis per litteras voluntatem exponas.

Data Laterani, III Kalendas Maii, pontificatus nostri anno quinto.

1) *Constantiae.*

440.

Gregorius IX papa Friderico Romanorum imperatori scribens conqueritur, quod contra Lombardos non iuris ordine sed virium potestate procedat, eumque monet, ut cum ad reconciliationem partes suas interponere intendat, consiliis suis acquiescat.

1231. Mai. 18.

Greg. IX Reg. Vol. II, 99; Lib. V, 76.

Friderico, illustri Romanorum imperatori semper augusto et regi Sicilie.

Non est abigendum consilium nec de ipso ullatenus ambigendum, quod fida benivolentia prevenit et circumspecta ratio comitatur, nec est minus fiducialiter acceptandum, quod offertur ultroneum non exactum, ubi sincerus consulentis affectus consulti seu consulendi profectum perspicaciter previdens non quiescit set estuat, vere caritatis placidis stimulis excitatus. Novit siquidem ille, qui fingens corda hominum [Psal. 32,15] singillatim, cogitationes eorum conspicit universas, quod statum imperii, tue sublimitatis honorem et quietem populi cui prees intimo zelantes affectu, dum continuam temporum tempestatem, dum malitiam hominum excrescentem et alias rerum inexplicabiles circumstantias provide cogitamus, saluti, honorificentie ac quieti tue credimus expedire, ut ad eum habens in omni devotione respectum, cui cum placuerint vie [Prov. 16,7.] hominis, etiam inimicos eius convertit ad pacem, in mansuetudine opera tua facias, ut super hominum gloriam ab eo dirigi merearis, qui diligens mansuetos ipsos provehit [Psal. 149,4.] in salute, nec longanimitatem tuam, que debet semper in pectore principis principari, seduci permittas, ut iustitiam exacerbans et preiudicans equitati, contra Lombardos non iuris ordine set virium potestate procedas, quia facile crederetur, quod ad id non sine nostri offensa ex precedentis indignationis amaritudine movereris, et sic in suggillationem tuam et nostram linguas acueres detractorum, nec non heretici, qui videntes et dolentes ecclesiasticum et imperialem zelum contra se iuste succensum, proprium exterminium reformidant, intermissionem possent sperare quietis, fidelium desidiis[a] delectati, ut taceamus alia, que inevitabiliter imminentia plenius ipse nosti. Ut igitur imperialis serenitas eo gratiori quo clariori luce prefulgeat, nullum reprehensionis nubilum incursura, celsitudinem tuam rogamus, monemus et hortamur in Domino, quatinus memor quod maius imperio est legibus submittere principatum[b], cum ad reconciliationem intendamus auctore Domino efficaciter interponere partes nostras, nostris consiliis aquiescas, rescripturus nobis plene ac plane tue super hoc arbitrium voluntatis, ut ex tuo responso sciamus, qualiter nobis sit in negotio procedendum.

Data Laterani, XV Kal. Iunii, pontificatus nostri anno quinto.

441.

Gregorius IX papa Fridericum Romanorum imperatorem rogat, ut Raynaldo, nato quondam Conradi ducis Spoletani, licet immerito ianuam misericordiae aperiat.

1231, Iun. 7.

Greg. IX Reg. Lib. V, 80. Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1231, § 5. Potthast. Reg. 8749.

a) *i. e.* disciidiis. b) principatu *E.*

Friderico, illustri Romanorum imperatori semper augusto et regi Sicilie.

Non ignorat imperialis excellentia, quod nobilis vir Raynaldus[1], natus clare memorie Conradi ducis Spoletani, nos ex industria multipliciter provocavit, inestimabilia damna et atrocissimas iniurias ecclesie Romane audaci superbia inferendo, et multos non sine manifesta contumelia Creatoris immaniter tribulando. Unde si secundum iniquitates ipsius retribuere vellemus eidem, nequaquam in angustia sibi compassionis exhiberemus affectum intercedendo pro eo, sed illius penas conniventi oculo transiremus. Verum quia illius sumus licet indigne vicarii constituti, qui verbo docuit et instruxit exemplo, ut pro persequentibus et calumniantibus nos oremus, et misericordia plurimum indigentes frustra peteremus nobis Dominum misereri, nisi miseraremur miserias miserorum: ecce remisso illi rancore, salvis tamen omnibus in quibus ecclesie Romane tenetur, cuius iura nequaquam negligere nos oportet, ne a Domino negligi mereamur, celsitudinem tuam rogamus, monemus et hortamur in Domino, quatenus
Matth. 5,7. memor quod misericordes misericordiam consequentur, et quo quisque est maior magis est placabilis ira[2], illius obtentu, qui prefert misericordiam holocaustis, nostri quoque interventu, qui et honori tuo et illius statui salubriter consulere affectamus, David exemplo, qui quanto apud homines maior erat, tanto se propensius humilians apud Deum misericordie operibus assuevit, elementie tue ianuam ei aperire digneris, ut parcendo maxime ac miserando tuam potentiam manifestans, mansuetudinem tuam Deo gratam et hominibus reddas acceptam, nosque serenitatem tuam dignis debeamus prosequi actionibus gratiarum.

Datum Reate, VII Id. Iun. pontificatus nostri anno quinto.

442.

Gregorius IX papa Fridericum Romanorum imperatorem iterum attentius rogat, ut Templariis et Hospitalariis ablata restitui faciat, mittitque ad eum de hac re [Wilhelmum] episcopum Mutinensem. *1231, Iun. 13.*

Greg. IX Reg. Vol. II, 101, 102; Lib. V, 82.

Friderico, illustri Romanorum imperatori semper augusto et regi Sicilie.

Mansuetudo, pietas et clementia veluti tres sorores decore, nobiles et insignes, dilectores suos feliciter dirigentes, eos Deo placitos et hominibus efficiunt gratiosos, quas utique principes eo debent sectari libentius, amplexari desiderabilius et instantius venerari, quo materia oportunior, facultas commodior et paratior potentia ipsis est presto dictis sororibus efficaciter obsequendi. Unde quod ad earum amorem te precibus, monitis et exhortationibus invitamus, novit Altissimus! ex fide pura, conscientia bona et caritate sincera procedit, qua cupimus ut secundum utrumque hominem in Domino prospereris. Sane iam pluries imperiali sublimitati pro dilectis filiis,

1) Mense Maii Raynaldus dictus dux Spoleti, cum non posset imperatori sufficientem ponere rationem aut fideiussoriam cautionem prestare, apud Fogiam iussu imperatoris captus est et custodie traditus ac bonorum omnium amissione mulctatus. *Rycc. de S. Germ. a. 1231, SS. t. XIX, p. 364.*
2) *Ovid. III Trist. el. 5,31.*

magistris et fratribus domorum militie Templi et Hospitalis Ierosolimitani, affectuosas preces, monitiones attentas et inductiones rationabiles nos meminimus destinasse, ut eis faceres ablata restitui, que proienitores tui sibi pia contulerant largitate, cum ea ipsis invitis vix contrectari valeant sine iniuria Iesu Christi, cui devote noscuntur oblata. Nunc autem lacrimas, gemitus et singultus eorum ultra omnem credulitatem multiplicari videntes, gravi sumus dolore, stupore ac horrore perculsi, cum in ipsos adeo manus diceris ingravasse, quod eis de regno reiectis nichil vel modicum est relictum. Quia vero id saluti tue non expedit nec honori, cum servos prosequens Crucifixi, cum in ipsis persequi videaris, et bona usibus ascripta divinis nequeant in alios usus sine offensa divina transferri, nec possint homines non moveri, dum amaros eorum audiunt ululatus, admirantes ab eo talia evenire, a quo sperantur profecta[a] opera pietatis: imperialem celsitudinem sicut iterum sic attentius rogamus, monemus et obsecramus in Christo Iesu, qui redemit sanguine proprio peccatores, quatinus[b] anime tue parcens et nobis indulgens, qui propter hoc detractiones et subsannationes patimur toto die, dictos[c] magistros et fratres in gratiam revocans, eis ablata restitui facias universa, ut placatus eisdem te placitum Deo reddas, et nos tibi propter hoc constituas in Domino merito debitores. Ut autem vive vocis adiectio serenitati tue plenius aperiat nostre intentionis affectum, ecce venerabilem fratrem nostrum . . Mutinensem episcopum[1], virum utique religione probatum, honestate conspicuum et scientia redimitum, quem nos et fratres nostri sincera in Domino diligimus caritate, ad presentiam tuam propter hoc specialiter duximus destinandum, cui que tibi super hiis et aliis ex parte nostra proponet, credere petimus incunctanter.

Data Reate, Idibus Iunii, anno quinto.

443.

Gregorius IX papa Fridericum Romanorum imperatorem monet, ne novas constitutiones edere intendat, unde ecclesiae persecutor et obrutor publicae libertatis dici possit.
1231, Iul. 5.

Greg. IX Reg. Lib. V, 91. Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1231, § 9. Potthast, Reg. 8760.

Friderico, illustri Romanorum imperatori semper augusto et regi Sicilie.

Intelleximus siquidem, quod vel proprio motu vel seductus inconsultis consiliis perversorum, novas edere constitutiones[2] intendis, ex quibus necessario sequitur, ut dicaris ecclesie persecutor et obrutor publice libertatis, sicque tibi contrarius contra te tuis viribus moliaris . . . . . .[d] Sane si ad id ex te forte moveris, timemus multum Dei gratiam tibi esse subtractam, dum sic patenter famam propriam negligis et salutem; si vero impulsus ab aliis, miramur quod talibus consiliariis acquiescis, qui spiritu vexati nequitie te intendunt Deo et hominibus constituere inimicum, ut tace-

[a]) *aut* perfecta *aut* profectura *legendum.* [b]) peccatores, cuius anime *R.* [c]) die, quatinus dictos *R.* [d]) *deest aliquid ap. Rayn.*

1) *Wilhelmum; cf. Rycc. de S. Germ. a. 1231, SS. t. XIX, p. 364.* 2) *De his cf. Winkelmann, l. c. p. 347 et sequ.*

amus alia, potius silentio intelligenda quam verbo: que utinam a te tacite intellecta fortius in auribus cordis sonent, quatinus quieti tue ac fame nostre provide consulens,
Psal. 71,3. utrumque ab increpationibus populi serves immunem! Cum enim montes pacem susceperint, cur pauperes populi debent esse pacis expertes, ut in pace amaritudo amarissima sit eorum? Aut quis posset indurato corde ululatus, quos quodammodo previdemus, tot flentium obaudire? *etc.*[1].

Dat. Reate, III Non. Iulii, pontificatus nostri anno V.

444.

Gregorius IX papa Christi fideles per Pomezaniam et Pozolucensem provincias laudat, quod fratres Praedicatorum devote susceperint, eosque monet, ne deficiant ipsorum doctrinam desiderabiliter amplexari. *1231, Iul. 9.*

Greg. IX Reg. Vol. II, 109: Lib. V, 97. Edimus hanc epistolam ex Rayn. Ann. eccl. a. 1231. § 42, suppletam ex Theiner, Mon. Pol. t. I, p. 21. n. 43 [T.].
Potthast, Reg. 8763.

Universis Christi fidelibus per Pomezaniam[a] et Pozolucensem[2] provincias constitutis.

Gratias agimus gratiarum omnium largitori, qui de tenebris errorum vos eruens, veritatis sue vobis lumen ostendit, in agnitionem domini nostri Iesu Christi vos misericorditer perducendo, quem, sicut in ipso confidimus, agnitum diligitis et perfectius diligetis, cum[b], sicut accepimus et utique acceptamus, dilectos filios fratres ordinis Predicatorum vobis salubriter evangelizantes eundem, suscipientes humiliter et devote ac benigne tractantes, ipsorum monitis et exhortationibus, qui vestrarum salutem sitiunt animarum, intimis affectibus intendatis, quod est utique salutis vestre optimum argumentum, quia sacre predicationis alimento sepe refecti, nequaquam
Ioh. 6,63 potestis eterne vite formidare defectum, cum illorum verba divinitus inspirata spiritus sint et vita. Quia vero[c] Christi vicarii licet insufficientibus meritis constituti, fideles eius sincera complectimur caritate, universitatem vestram rogamus, monemus, hortamur et obsecramus in domino Iesu, per apostolica vobis scripta in remissionem peccaminum iniungentes, quatinus, sicut laudabiliter inchoastis, sequentes gratiam preeuntem studeatis Christo inflexibiliter adherere, irreprehensibilem legem eius animas convertentem satagendo fideliter custodire. Dictos quoque fratres, inconfusibiles Domini operarios et cooperatores vestre salutis, pio amore venerabiliter amplectentes, non deficiatis ipsorum sanam doctrinam desiderabiliter amplexari, eorum monitis efficaciter obsequendo. Ut autem gratiam nostram erga vos efficacius sentiatis, personas et alia bona vestra sub beati Petri et nostra protectione suscipimus speciali et[d] presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre protectionis infringere. Si quis autem etc.

Dat. Reate, VII Idus Iulii, pontificatus nostri anno V.

a) *ita T.*: Pomeraniam *Rayn.* b) cum — vita *ex T.* c) vero *deest ap. Rayn.* d) et — autem etc. *ex T.*

1) *Eodem die Iacobo archiepiscopo Capuano mandat, ne imperatori abusivas constitutiones edenti neque in dictando neque in scribendo obsequatur. Hofler, Kaiser Fried. II, p. 333, append. doc. n. 7.*
2) *Hodie Preuss. Holland.*

445.

Gregorius IX papa Fridericum Romanorum imperatorem rogat, ut Raynaldo, nato quondam C[onradi] ducis Spoletani, veniam largiatur, salvo tamen iure sedis apostolicae. Cf. n. 441. *1231, Iul. 11.*

Greg. IX Reg. Vol. II, 108; Lib. V, 95.
Potthast, Reg. 8764.

Friderico, illustri Romanorum imperatori semper augusto et regi Sicilie.

Cum sacerdotium et imperium duo sint luminaria in ecclesie firmamento, quibus mundus in spiritualibus et temporalibus veluti die ac nocte clarescat, interest utique utriusque nostrum, ut lucentes nobis per vite meritum et aliis per exemplum, subtrahamus detractoribus de nobis materiam obloquendi, qui dum cor obscuratum habentes, libentius lucem ex fumo suggillant, quam ex fulgore commendent, dici etiam maledicunt, occasiones frivolas mendicando, quibus opera nostra quantumcumque clara valeant obfuscare, prout plus experiri cogimur quam exprimere valeamus. Sane notum est et notorium, quod nobilis vir Raynaldus, natus quondam C. ducis Spoletani, atroces iniurias, enormes iacturas et multimodas molestias ecclesie Romane superba nequitia et nequam superbia irrogavit, ita quod si, quod absit, secundum nequitiam studiorum ipsius vellemus iusta vicissitudine respondere, nequaquam eidem in calamitate compati deberemus, sed in eius potius interitu subsannare. Avertat autem Dominus, ut umquam cor nostrum rancor subeat contra quemquam, quin condoleamus dolentibus et patientibus debito compatiamur affectu. Scientes enim evangelica veritate docente, quod eadem mensura, qua mensi fuerimus aliis, remetietur et nobis, necesse habemus nos proximo Luc. 6, 38
exhibere propitios, si Deum nobis volumus propitium invenire. Unde cum teneamur pro persequentibus et calumpniantibus nos orare, satis affectuose te nuper nostris litteris rogavimus et monuimus confidenter, ut predicto Raynaldo veniam largireris, iure tamen apostolice sedis salvo, quod sine periculo negligere non possemus. Verum quia possent homines cogitare, quia ideo motus es principaliter contra eum, quia nos taliter provocarat, possentque aliqui opinari, quod ipsius afflictio beneplacita nobis esset, et sic primum tacito murmure ac deinde clamoso tumulto inveherentur contra nos facile detractores, quod causam dederimus eius pene: nos iam quasi prosequentes quasi proprium interesse, cum si quod absit corporaliter lederetur, maius nobis improperium immineret, quam quod idem nobis intulit ecclesiam persequendo, imperialem celsitudinem rogamus affectuosius et monemus attentius, pro speciali gratia postulantes, quatinus ei ne amplius irascaris, set in ira misericordie recordatus, nobis et tibi parcens miserearis ipsius, ita quod ex hoc propitiationem divinam uberius merearis, et nos mansuetudinem tuam dignis debeamus prosequi actionibus gratiarum.

Data Reate, V Idus Iulii, pontificatus nostri anno quinto.

446.

Gregorius IX papa rectoribus Urbis mandat, ut A[nnibaldum] senatorem Urbis aliosque excommunicatos promulgent, si de cetero ad effodiendos muros ecclesiarum et domorum suarum curatores mittant. *1231, Iul. 23.*

Greg. IX Reg. Vol. II, 128; Lib. V, 154.

Rectoribus Urbis.

Cupientes abolere de Urbe inolitam et presumptam contra libertatem ecclesiasticam corruptelam, dilectum filium nobilem virum A. senatorem Urbis, senescalcum nostrum, rogavimus et monuimus diligenter, nostrisque sibi dedimus litteris in mandatis, ut Deo et nobis deferens reverentur, ad effodiendos muros ecclesiarum seu domorum suarum non mittat de cetero cavatores, confidentes quod ipse tanquam vir catholicus Deum timens, mandatis nostris pareat humiliter et devote. Si vero contigerit divinam super hoc et apostolice sedis reverentiam amodo vilipendi, ne tam obprobriosa confusio libertatis ecclesiastice dissimulari ulterius videatur, tam in eos, qui ex nunc temerariam manum ad ecclesiarum vel domorum suarum parietes apponere presumpserint fodiendos, quam in illos, qui direxerint ad hoc tales, excommunicacionis sententiam intrepide promulgetis.

Data Reate, X Kal. Aug. pontificatus nostri anno quinto.

447.

Gregorius IX papa Fridericum Romanorum imperatorem rogat, ut cum aspera sua increpatio non fuerit publica sed privata, omnem suspicionem deponat, quod id processerit nisi ex merae spiritu caritatis. Cf. n. 443.

1231, Iul. 27.

Greg. IX Reg. Lib. V, 100. Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1231, § 10. Potthast, Reg. 8775.

Friderico, illustri Romanorum imperatori semper augusto et regi Sicilie.

Intelleximus, quod ex litteris, quas nuper imperiali celsitudini destinavimus,
motus utcumque fuisti, quia plus amaritudinis quam dulcedinis sapere videbantur.
Eccli. 20,1 Ceterum cum iuxta sapientis edictum melius sit arguere quam irasci, eo quod via vite
sit increpatio discipline, de paterne dilectionis sincero processit affectu, quod horri-
bilium, ut a plurimis dicebantur, subito auditu perculsi filium minus leniter duximus
Levit. 2,11. arguendum, ne mel videremur in sacrificio adolere. Sed nec filio fuit egre ferendum,
Prov. 3,12. quia pater filium quem diligit corripit, et Dominus quos amat arguit et castigat, eo
Prov. 27,6. quod meliora sunt diligentis verbera quam oscula odientis. Et si quidem extiterit
aspera increpatio, non fuit publica sed privata, non clamosis vocibus sed litteris expressa secretis, que vix unquam ad scribentis affectum sufficiunt exprimendum. Ut igitur omnia inter nos fiant in omnimoda puritate, serenitatem tuam rogamus et monemus in Domino, quatenus omni omnino suspicione deposita, quod id processerit nisi de mere spiritu caritatis, de nobis in veritate confidens, voluntatem tuam nobis incunctanter exponas, quoties videris expedire, qui ad profectus tuos irrequisiti etiam libenter intendimus cum effectu[a].

Dat. Reate, VI Kal. Aug. pontificatus nostri anno V.

[a]) *ita R., ut Pertzius annotavit; ap. Rayn.* affectu.

448.

Gregorius IX papa rectoribus, militibus et populo Anagninis confirmat concordiam inter ipsos per Landonem archiepiscopum Reginum et Raynaldum electum Ostiensem Iul. 22 factam, instrumenti tenore inserto. *1231, Aug. 11.*

Greg. IX Reg. Vol. II, 114, 115; Lib. V, 112.
Potthast, Reg. 8783.

Rectoribus, militibus et populo Anagninis.

Ea que iudicio vel concordia etc. usque: communiri. Cum itaque venerabilis frater noster . . archiepiscopus Reginus et dilectus filius R. Ostiensis electus pro sedandis discordiis inter vos diabolo instigante subortis de mandato nostro Anagniam accedentes, certam super hiis ordinationem, iuxta quod a nobis in mandatis receperant, duxerint faciendam, prout in instrumento publico exinde confecto plenius continetur, nos que per eos acta sunt grata et rata habentes, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Ad maiorem autem rei evidentiam tenorem ipsius instrumenti de verbo ad verbum presentibus duximus inserendum. Qui est talis:

In nomine domini nostri Iesu Christi amen. Nos Lando Dei gratia Reginus archiepiscopus et Raynaldus Ostiensis et Velletrensis electus, de speciali mandato domini pape pro sedandis discordiis, inter milites et populares Anagninos humani generis inimico cooperante subortis, Anagniam accedentes, taliter duximus ordinandum. In primis igitur volumus et mandamus, ut unus de militibus ab eis et unus de popularibus ab ipsis omni anno, quando rector vel potestas seu consules eorum eligentur, electi fructus molendinorum communium teneant, et faciant de ipsis quod convenerint ambe partes. Item volumus et mandamus, ut dicti duo electi teneant proventus macelli civitatis eorum, quod militibus et popularibus communiter, salvis bandis rectoris, potestatis seu consulum qui pro tempore fuerint, de gratia dominus papa concedit, ita quidem ut si contigerit eos exercitum vel masnadam facere ultra Urbem, proventus illo anno de macello perceptos pro exercitus et masnade expensis expendant: qui si non sufficerint, populares de propriis teneantur militibus in exercitu vel masnada commorantibus reliquas expensas necessarias ministrare. Et si quid de proventibus macelli tunc superesse contigerit, vel exercitum vel masnadam illo anno non fecerint ultra Urbem, medietas eorum, que proveniunt de macello, post completum annum militibus et reliqua medietas popularibus assignetur. Si vero contigerit vel solos milites vel solos pedites aut aliquos milites cum aliquibus peditibus, dummodo non vadat tota communitas, alias pro communi utilitate transmitti, populares dent eis omnes expensas, et in ipsis expensis nullus miles, uxor aut filius militis teneatur quicquam conferre. Et rector vel potestas aut consules provideant ipsis militibus de scutiferis massariorum et equis, sicut rectori vel potestati aut consulibus, qui pro tempore fuerint, videbitur expedire. Rector, qui pro tempore fuerit, teneatur ad faciendum expensas militibus fidelem aliquem destinare, qui iuratus expensas utiles et necessarias et non alias facere teneatur, et post reditum de ipsis expensis in manibus rectoris fidelem reddere rationem. Milites vero et filii militum iam adulti, qui possunt tenere equos, a rectore cogantur ad equos tenendos. Si vero milites vel filii militum ad inopiam devenerint, in nullo graventur, nisi ad fortunam venerint pinguiorem, et ex tunc ad retinendum equos per rectores, qui fuerint pro tempore, compellantur. Item volumus et mandamus, ut in collectis, in quibus milites dare tenentur, tantum det unus bonus miles, quantum unus bonus massarius, et sic de

gradu in gradum fiat solutio collectarum. Insuper volumus et districte precipimus, ut debita pro quacumque causa contracta a militibus et popularibus infra quatuor menses communiter persolvantur, ita quod tantum unus bonus miles quantum unus bonus massarius conferat in solutione huiusmodi debitorum, et sic de gradu in gradum solutio ista fiat. Item mandamus, quod massarii, qui a collectis aliquo tempore sunt exempti, exemptione huiusmodi non obstante, aut in collectis solvant sicut massarii, aut sicut milites serviant civitati. Hec omnia, que superius sunt expressa, sub pena excommunicacionis et sub debito sacramenti noviter prestiti et sub pena ...[a] marcarum domini pape camere applicanda districte precipimus observari.

Prolatum fuit mandatum hoc in ecclesia Anagnina, et tam a militibus quam a populo pulsante campana ibidem collecto sponte receptum, anno Domini M°CC°XXX°I°, pontificatus domini Gregorii IX pape anno quinto, indictione IIII[a], mense Iulii, die XXII; in presentia domini Alberti Anagnini episcopi, domini Gregorii de Romania, domini pape subdiaconi et capellani, Campanie Maritimeque rectoris, domini Andree de Francia presbyteri, Iohannis, magistri Nicolai, capellanorum[b] domini Ostiensis et Velletrensis electi, et multorum aliorum ibidem astantium.

Ego Iohannes Mel scriniarius civitatis Anagnie prolationi huius mandati presens interfui, et ipsum de mandato supradictorum dominorum Regini archiepiscopi et Ostiensis et Velletrensis electi in publicam formam redegi et solito signo signavi.

Nulli ergo etc. nostre confirmationis infringere etc. Si quis autem etc.

Data Reate, III Idus Augusti, pontificatus nostri anno quinto.

449.

Gregorius IX papa [El-Kamil] soldanum Babyloniae rogat, ut mercatores Anconitanos, quos apud Alexandriam capi fecerat, cum omnibus bonis libertati restituat.

1231. Aug. 11.

Greg. IX Reg. Lib. V, 113. Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1231, § 56. Potthast, Reg. 8784.

Soldano Babylonie.

Rem novam et insolitam, rem detestabilem et horrendam rumore audivimus obstupendo, quod videlicet mercatores Anconitanos, fideles nostros, apud Alexandriam sub tue securitatis solita fiducia commorantes, capi fecisti detinesque captivos, bonis omnibus spoliatos, quod est utique contra fidem et pacem, quarum predicabaris hactenus inviolabilis custoditor; est etiam contra honorem et profectum tuum, quibus ex hoc plurimum derogasti, quia ex parte tua fide taliter violata, hinc de te confidere quis audebit? Quia vero remediabile bonum est in excessibus accelerata correctio, magnificentiam tuam affectuose rogamus et monemus attente, quatenus conscientie ac fame tue salubriter consulens, predictos mercatores ob reverentiam divinam et nostram cum omnibus bonis suis liberaliter restituas libertati, ita quod exinde Dei et hominum evites offensam, et nos te debeamus in maioribus exaudire.

Dat. Reate. III Id. Aug. pontificatus nostri anno V.

---

a) *deest numerus.* b) capellani *ap. Theiner, Cod. dipl. t. I, p. 95, n. 161.*

450.

Gregorius IX papa Friderico Romanorum imperatori, cui in scribendo titulum regis Hierosolymitani nondum dederat, eum nunc primum attribuit; laudat, quod Riccardum Filangerium marescalcum suum ultra mare direxerit, eumque monet, ut Hospitalariis et Templariis ablata restituat. *1231, Aug. 12.*

Greg. IX Reg. Lib. V, 114. Pertzii exemplar supplevimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1231. § 11—12. Potthast, Reg. 8785.

Friderico, illustri Romanorum imperatori semper augusto, Ierusalem et Sicilie regi.

Quod de tribus insignibus titulis, quibus te Dominus insignivit, in litteris, quas imperiali celsitudini destinavimus, medius hactenus non est scriptus[1], nequaquam ex minori affectione processit, quia nec ex hoc derogare tuo intendebamus honori, cui deferre potius affectamus, sed cause rationabiles affuere, quas venerabilis frater noster Rheginus archiepiscopus et dilectus filius magister domus sancte Marie Theutonicorum Ierosolimitane[2] tibi depromere potuerunt. Verum sperantes in illo, qui dans virtutes premia elargitur, sua tantum dona in homine coronando, ut quo pluribus dignitatum nominibus fueris appellatus, eo te studeas his reddere digniorem, ecce tacitum hactenus Ierosolimitanum titulum, clarum utique ac decorum, hilari scribimus novitate.

Ut igitur aucta munera gratiarum tibi augeant gloriam premiorum, serenitatem tuam affectuose rogamus et monemus attente, obsecrantes per dominum Iesum Christum, quatenus potentiam et sapientiam a Domino recognoscens, benignitati sedulus assuescas, ut secutus indivise opera Trinitatis, per potentiam conterens molas iniqui, auferas de Job. 29,17.
faucibus eius predam, subiciendo tibi barbaras nationes, per quas humani generis inimicus impugnans hactenus immaniter Terram Sanctam, predatus est multipliciter ecclesiam generalem, hereticosque disperdas, qui velut venenata reptilia insidiantur animabus simplicium incessanter, ut fortitudinem tuam Deo reddas et hominibus commendandam. Per sapientiam quoque te cupimus subiectos tibi populos prospere gubernare, ut nullo errore deceptus iustitiam diligas, que se dirigens diligentes, directos provehit in salutem. Per benignitatem vero det tibi Dominus, ut sis merentium consolator, et specialiter regnum Sicilie habitantium, qui longis temporibus valde tribulati, nisi spe rediviva respirent, fere coguntur pre angustia desperare. Ut autem signatum in idem conveniat cum signante, cum Ierusalem visio pacis dicatur, pacis haberi te volumus sectatorem, ut fideles tui sedeant in pulchritudine pacis et requie Es. 32,18.
opulenta, nec non ecclesia et persone ecclesiastice plena libertate gavise tranquilla securitate letentur[a].

Preterea quia beneplacitum nobis est, quod sicut per tuas nobis litteras intimasti, dilectum filium nobilem virum Riccardum Filangerium marescalcum tuum dirigis ultra mare, prelatis ecclesiarum et aliis litteras dirigimus quas petisti. Verumtamen ipsum non imperii vel imperialem legatum vel baiulum, sed tuum vel imperatoris dicimus appellandum, quod et te in tuis litteris volumus observare diligenter, cum exinde posset heredibus tuis preiudicium generari, quasi regnum Ierosolimitanum imperiali

---

a) *hucusque ex Rayn.*

1) *Minus recte: cf. n. 313.* 2) *Lando archiepiscopus Reginus mense Maio, Hermannus magister cum Marino archiepiscopo Barensi mense Iunio ab imperatore ad papam missi erant. Rycc. de S. Germ. a. 1231, SS. t. XIX, p. 364.*

dicioni subesset. Ad hec petimus et postulamus instanter, ut erga domos Hospitalis et Templi Ierosolimitani propitia clementia serenatus, eis et ablata restituas et alias ipsas prosequaris continua pietate, ita quod Deo gratum et nobis esse possit acceptum.

Data Reate, II Idus August. pontificatus nostri anno quinto.

451.

Gregorius IX papa Ezelino firmiter praecipit, ut a terra sua haereticis profligatis ad gremium ecclesiae redeat, et infra duos menses ad apostolicam sedem accedat, paratus eius mandatis praecise parere. *1231, Sept. 1.*

Greg. IX Reg. Lib. V, 120. Edimus hanc epistolam ex Rayn. Ann. eccl. a. 1231, § 20—21, exordium, quod omisit, addentes ex Cod. Vallicell. I. 54 ap. Winkelmann. Acta Imp. ined. p. 499, n. 623.

Potthast, Reg. 8792.

Nobili viro Ezelino[1] spiritum consilii sanioris.

Utinam inspiceres nec despiceres, quam graviter tuo displiceas creatori, qui cum tibi dederit inter homines potentatum, ut in iustitia regens eos tibi et illis studio proficeres recte vie[a], aliasque te bonis temporalibus ampliarit, ut exinde tibi comparares eterna, ecce iamdiu te suum sensit et sustinuit inimicum perfidum et rebellem. Tu enim excusso a te timore divino, in quo tenere debueras te instanter, et humano pudore reiecto, quem te decuerat sollicite custodire, irritare gestiens Christiane fidei veritatem, Christum contra te patenter irritas, inimicorum suorum hereticorum scilicet effectus publicus receptator, eos in heresi hereticos confirmando, dum illos non solum foves favorabiliter et defendis, verum etiam in eis ratione similitudinis damnabiliter delectaris in enorme scandalum ecclesie generalis, que quanto te hactenus patientius supportavit in spiritu lenitatis, tanto nunc nequiorem adversarium experitur. Ceterum licet adeo te credamus in tua perfidia duravisse, ut iam totus stupidus nil sentias de salute, quia tamen non est diffidendum de misericordia Redemptoris, qui potens est
Matth. 3.9. Abrahe filios de lapidibus suscitare, adhuc in te[b] temptare volumus varias medicinas, si forte medico acquiescens saluti restitui merearis, salvos te ac alios quos perdidisse nosceris faciendo. Dic ergo, que est ista vesania qua vexaris, ut secutus deceptricis fallacie documenta, errorum spiritibus acquiescens eligas non consentire fidei veritati? Nunquid sapientior es doctoribus ecclesie universis, quibus sue merito sanctitatis revelata est orthodoxe fidei certitudo et multorum miraculorum signis roborata? An
Iob. 21.15. forsan, etsi non voce, quod est nequius, in facto dicis: 'Quis est omnipotens, ut ei
Eccl. 5.4. serviam, et quid mihi prodest, si eum fuero deprecatus? peccavi, et quid accidit mihi
Es. 29.16. triste?' Certe perversa est hec cogitatio, quasi lutum contra figulum cogitet, et contra
Es. 10.15. levantem eam virgula elevetur. Ut quid divitias bonitatis Christi contemnis? Patientia eius ad penitentiam te adducit, tu autem cur secundum duritiam tui cordis iram in die ire tibi damnabiliter thesaurizas? Nonne cum adhuc in minori officio constituti in partibus Lombardie legationis officio fungeremur, conversionis signa pretendens cum effusione plurima lacrimarum suppliciter flagitabas, nostris et ecclesie et speci-

a) rectorie *Cod.* b) *huiusque ex Cod.*

1) *De eo cf. Winkelmann, Fried. II, p. 387 et sequ.*

aliter sanctarum ancillarum Christi orationibus commendari, detestando patenter hereticam pravitatem?[1] Sic nobis, immo Domino illudere intendebas? An nescis quod illusores ipse deludit, et Spiritus sanctus fictum effugit discipline? Redi ergo, (Sap. 1.5) redi prevaricator ad cor, ut ad Dominum per penitentiam convertaris, et ipse ad te per misericordiam convertatur. Desine pro verbis penitentie verbis superbie blasphemare, quia cunctis diebus superbit impius et numerus dierum ipsius tyrannidis est (Iob. 15.20.) incertus. Ut igitur vel sic fosso pariete mentis tue aliquem introrsus admittas radium rationis, nobilitatem tuam monemus et hortamur attente, per apostolica scripta sub obtestatione divini iudicii firmiter precipiendo mandantes, quatenus culpas tuas humiliter recognoscens, eum, qui multus est ad ignoscendum, tibi studeas complacare, (Es. 55.7.) relictis erroribus et a terra tua hereticis profligatis ad gremium matris ecclesie corde puro humiliter redeundo, infra duos menses post susceptionem presentium ad nostram presentiam personaliter accessurus, paratus precise parere nostris beneplacitis et mandatis. Alioquin, ut ex qualitate penarum tuarum iniquitatum enormitas seculis innotescat, contra te celum invocamus et terram ad te ac alios hostes fidei disperdendum, terras et omnia bona tua occupantibus exponendo, ut qui multis es in scandalum et horrorem, fias in opprobrium sempiternum *etc.*

Dat. Reate, Kal. Sept. pontificatus nostri anno V.

452.

Gregorius IX papa [Nicolao] Regino, [Wilhelmo] Mutinensi, [Gualae] Brixiensi episcopis et [Guidotto] electo Mantuano significat, se cum consensu Friderici Romanorum imperatoris ad omnem suspitionem inter ipsum et Lombardos amovendam partes suas interposuisse, eosque monet, ut cum imperator pacifice cum [Henrico] filio et principibus suis colloquium celebrare intendat, rectores societatis ad reconciliationem inducant.

1231, Sept. 1.

Greg. IX Reg. Vol. II, 120; Lib. V, 122.
Potthast, Reg. 8796.

. . Regino, . . Mutinensi et . . Brixiensi episcopis et . . electo Mantuano.

Ex iniuncte nobis servitutis officio hiis qui prope ac hiis qui longe sunt pacis consilia cogitantes, ad sopiendam dissidiorum materiam libenter, quantum dat Dominus, intendimus cum effectu, dissidentium voluntates pro posse ad concordiam revocando, ut quo gratius acceptatur, eo fortius convalescat. Hinc est, quod quieti societatis Lombardie tanto studiosius providere volentes, quanto ipsam sue fidei et devotionis meritis exigentibus dilectionis affectu complectimur puriori, ad omnem suspicionis scrupulum inter carissimum in Christo filium nostrum Fridericum, Romanorum imperatorem illustrem semper augustum, Ierusalem et Sicilie regem, et societatem eandem penitus amovendum interponentes ex animo partes nostras, preces, monita et consilia eidem imperatori direximus, ut nostris beneplacitis acquiescens, se nostre super hoc exponeret arbitrio voluntatis, nobis plene ac plane quid inde intenderet responsurus. Unde ipse nostris consiliis obsecundans, arbitrio nostro fiducialiter se commisit, sicut ex litteris eius aurea bulla munitis, quarum tenorem vobis sub bulla

1) *Cf. Rayn. a. 1221, § 50.*

nostra transmittimus, potestis plenius intueri. Cum igitur imperator pacifice, cuiuslibet violentie suspicione summota, cum filio et principibus suis intendat colloquium celebrare[1], ut reconciliatio plena fiat, ne tantum bonum aliquo valeat obice prepediri, discretionem vestram rogamus et monemus attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus dilectis filiis rectoribus societatis eiusdem hec omnia exponentes, et enumerantes pericula que inevitabiliter imminerent, ipsos moneatis prudenter et efficaciter inducatis, ut saluti et quieti sue studeant providere. Que autem vobis duxerint respondenda, nobis celeriter per vestras litteras intimare curetis. Quod si non omnes etc. duo vestrum etc.

Data Reate, II Non. Sept. pontificatus nostri anno quinto.

453.

Gregorius IX papa iisdem mandat, ut contra Ezelinum, nisi infra terminum praefixum ad mandatum ecclesiae redierit, procedant et terram eius occupantibus exponant.
1231, Sept. 4.

Greg. IX Reg. Vol. II, 120; Lib. V, 123.

Eisdem.

In hiis que ad Deum pertinent vos fiducialiter invitamus, ut in eius vos beneplacitis exercentes, divine gratie reddamini apertiores, quam semper gloria comitatur. Sane nostis sicut credimus detestandam insaniam Ezelini etc., ut in quinto folio huius quaterni scriptum est super hoc . . potestati, consilio et populo Paduano[2]. Quocirca discretionem vestram affectuose rogamus et monemus attente, per apostolica scripta mandantes, quatinus suscipientes hilariter causam Christi et ex animo prosequentes, commoneatis fideles et commonefieri faciatis, prenotatam eis indulgentiam[3] predicando, ut contra dictum perfidum et eius complices procedant in nomine Iesu Christi, et nisi infra terminum sibi prefixum ad mandatum ecclesie sine aliqua simulatione redierit, terras eius et complicum ac adiutorum ipsius occupantibus exponatis, ut sic mulctato pestilente, sequaces eius in suis pravitatibus confundantur, et alii reddantur in similibus cautiores. Quod si non omnes etc. quilibet vestrum etc.

Data Reate, II Non. Sept. pontificatus nostri anno quinto.

454.

Gregorius IX papa [Nicolao] Regino et [Gualae] Brixiensi episcopis et [Guidotto] electo Mantuano mandat, ut cum Fridericus Romanorum imperator cum [Henrico] filio suo et aliis principibus Alamanniae in partibus Lombardiae colloquium celebrare intendat, rectores societatis moneant, ne eis ad hoc impedimentum aliquod patiantur opponi. Cf. n. 452.
1231, Sept. 27.

Greg. IX Reg. Vol. II, 128; Lib. V, 137.
Potthast, Reg. 8812.

1) *Ravennae, Nov. 1; cf. imperatoris epistolam ad Ianuenses, LL. t. II, p. 570.* 2) *Hanc epistolam Pertzius non descripsit, legitur apud Ughelli, Ital. sacra, t. V, p. 415, sub dato:* Reate, IV Nonas Septembr. anno V.; *cf. n. 451.* 3) *scilicet trium annorum.*

. . Regino[a] et . . Brixiensi episcopis et . . electo Mantuano.

Cum societas Lombardie nobis et ecclesie Romane tempore necessitatis adheserit, et in pacis federe inter nos et carissimum in Christo filium nostrum Fridericum, Romanorum imperatorem illustrem semper augustum, Ierusalem et Sicilie regem, reformate sint ipsius societatis homines taliter comprehensi, ut qui eos pro eo quod nobis adheserunt offenderit, offendere Romanam ecclesiam reputetur: sicut optamus ea que ad firmamentum pacis pertineant agi, sic illa quibus pacem longa deliberatione completam, quod Deus avertat, violari contingeret, volumus declinari. Ex parte siquidem imperatoris eiusdem nostris est nuper auribus intimatum, quod idem intendit habere generale colloquium cum nobili viro . . nato suo aliisque principibus Alamannie in partibus Lombardie, promittens nostro consilio se usurum, nichilque facturum quod in derogationem pacis existat, ecclesiam vel eiusdem societatis homines offendendo, exhibiturus possibilem et honestam de securitate hominibus societatis predicte prestanda, quam eidem consuluerimus, cautionem. Nolentes igitur ullam dari cuiquam materiam malignandi, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus convenientes in unum dilectos filios rectores societatis ipsius, super cautione predicta et aliis tractatu cum eis prehabito diligenti, monere ac inducere procuretis, ne quod eidem ad hoc impedimentum patiantur opponi, sed dictum nobilem et alios, ad eius propter hoc presentiam venientes, libere ac tanquam viros pacificos per Lombardiam transire tam eundo quam redeundo permittant, ita quod nullam sustineant iniuriam vel offensam; proviso ne si eius colloquium per ipsos contra nostrum consilium contingeret minus provide impediri, pacis negotium videatur per eos et quoad eos quasi studiose dissolvi. Quia vero dictus imperator proponit accelerare colloquium, mandatum nostrum curetis adimplere celeriter, tamen caute, cum hec omnia velimus esse secreta, nobis cito et fideliter rescripturi, quicquid super hoc inveneritis apud eos, ut insinuatione vestra suscepta possimus negocio providere, sicut fuerit providendum.

Data Reate, V Kal. Octob. pontificatus nostri anno quinto.

455.

Gregorius IX papa rectoribus societatis Lombardiae mandat, ut audiant, quae Reginus, Mutinensis et Brixiensis episcopi et electus Mantuanus iis proponant, et celeriter responsum dent, quo iis salubriter possit provideri. Cf. n. 452 et 454.

1231, Sept. 27.

Greg. IX Reg. Vol. II, 129; Lib. V, 138.

Rectoribus societatis Lombardie.

Devotionem vestram duximus attente rogandam, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus convenientes in unum locum, diligenter auditis que venerabiles fratres nostri . . Mutinensis, . . Reginus et . . Brixiensis episcopi ac dilectus filius . . Mantuanus electus vel eorum duo vobis ex parte nostra duxerint proponenda, tale detis eis matura consilii deliberatione responsum, quo dante Domino paci vestre possit salubriter provideri, et nos, qui vestram quietem omnimodis affectamus, prudentiam vestram possimus merito commendare.

Data ut supra.

a) Vercellensi *Rayn. a. 1231, § 3*

456.

Gregorius IX papa [Nicolao] Regino, [Willhelmo] Mutinensi episcopis et [Guidotto] electo Mantuano mandat, ut [Hermanno] magistro Teutonicorum ab imperatore ad partes Lombardiae pro pace reformanda transmisso diligenter assistant. Cf. n. 452 et 454.

1231, Sept. 27.

Greg. IX Reg. Vol. II, 129; Lib. V, 139.
Potthast, Reg. 8813.

. . Regino, . . Mutinensi episcopis et . . electo Mantuano.

Intellecto quod carissimus in Christo filius noster Fridericus, Romanorum imperator illustris semper augustus, Ierusalem et Sicilie rex, cum nobili viro . . nato suo et principibus imperii disponebat generale colloquium celebrare, meminimus vobis per nostras litteras iniunxisse, ut cum dilectis filiis rectoribus societatis Lombardorum, quos ecclesia Romana tanquam filios speciales intendit multipliciter honorare ac eorum indempnitati diligentius precavere, super hoc diligentem curaretis habere tractatum, ne posset materia scandali suboriri et impediri profectus, qui provenire speratur ex colloquio memorato, quodam transscripto litterarum imperialium ad vos directo per te, frater episcope Mutinensis. Ut autem dubitationis scrupulus de vacillantium cordibus melius auferatur, probate fidei virum, dilectum filium . . magistrum domus hospitalis sancte Marie Theutonicorum, cuius circumspectionis industria reddit ipsum merito gratiosum, ad partes Lombardie imperator ipse transmittit, per quem ea tractari speramus, que ad pacis pertinent firmamentum. Ideoque fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus in hiis, que idem magister ex parte ipsius imperatoris rectoribus prefatis exponet, sibi taliter assistatis, quod per eius et vestre discretionis studium, quod de colloquio premissum est, ad honorem Dei et ecclesie ac imperatoris eiusdem, necnon pacem et tranquillitatem provincie Lombardie, debitum consequatur effectum. Ceterum, ut liqueat vobis, qualiter eidem imperatori scripserimus in hac parte, transscriptum litterarum nostrarum ecce vobis sub bulla nostra duximus transmittendum.

Data ut supra.

457.

Gregorius IX papa rectoribus societatis Lombardiae nuntiat, imperatorem [Hermannum] magistrum Teutonicorum ad eos pro pace reformanda transmisisse, eosque monet, ut eius verbis intendant. Cf. n. 455 et 456. 1231, Sept. 27.

Greg. IX Reg. Vol. II, 129; Lib. V, 140.
Potthast, Reg. 8814.

Rectoribus societatis Lombardie.

Intellecto etc. usque: celebrare, meminimus dedisse vobis per litteras in mandatis, ut convenientes in unum locum, diligenter auditis que venerabiles fratres nostri . . Reginus, . . Mutinensis et . . Brixiensis episcopi ac dilectus filius . . Mantuanus electus vel eorum duo vobis ex parte nostra proponerent, tale daretis eis matura consilii deliberatione responsum, quo paci vestre posset salubriter provideri. Ut

autem dubitationis scrupulus etc. usque: firmamentum. Ideoque universitatem vestram rogandam duximus et monendam, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus in hiis, que idem magister ex parte ipsius imperatoris vobis exponet, taliter intendatis, quod colloquium ipsum ad honorem Dei et ecclesie etc. ut supra.

458.

Gregorius IX papa [Sigefridum] episcopum Ratisponensem, imperialis aulae cancellarium, de rebus in praecedentibus epistolis contentis certiorem facit, eique mandat, ut super cautione iuxta consilium [Hermanni] magistri Lombardis danda operam efficacem adhibeat. *1231, Sept. 27.*

Greg. IX Reg. Vol. II, 129; Lib. V, 111

. . Ratisponensi episcopo, imperialis aule cancellario.

Intellecto etc. usque: celebrare, venerabilibus fratribus nostris . . Regino. . . Mutinensi et . . Brixiensi episcopis ac dilecto filio Mantuano electo dedimus per nostras litteras in mandatis, ut cum rectoribus societatis Lombardie super hoc diligenter curarent haberi tractatum, ne posset impediri profectus, qui provenire speratur ex colloquio memorato, eisdem rectoribus nichilominus nostris litteris iniungendo, ut convenientes in unum locum, diligenter auditis etc. usque: firmamentum, verbis competenter mutatis. Ideoque fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus super danda cautione securitatis Lombardis iuxta consilium eiusdem magistri des opem et operam efficacem, ita quod dictum colloquium ad honorem Dei etc. usque: effectum.

Data ut supra.

459.

Gregorius IX papa [Henricum] archiepiscopum Coloniensem de ipsius excessibus graviter reprehendit. *1231, Dec. 12.*

Greg. IX Reg. Vol. II, 143—144; Lib. V, 162.

. . Coloniensi archiepiscopo.

Speravimus ut sublimatus dignitatis honore oneris agnosceres gravitatem, sciensque te familie Domini preditum[a], subditos tuos verbo pasceres et exemplo. Sed quod non sine amaritudine multa referimus, tu proprium ministerium inhonorans te dignitate reddis indignum, dum carni spiritum et rationem sensualitati subiciens, noxiis vanitatibus ventilaris et eneeas filios quos susceperas educandos[1], ut taceamus turpitudines criminosas, que pudori relatui et auditui sunt horrori, licet eas fama immo infamia publica non desinat divulgare, faciens patientiam nostram a multis multipliciter ex-

a) *id est* praelatum, *qua significatione apud antiquiores ecclesiae auctores interdum legitur.*

1) *Dissensionem inter archiepiscopum et capitulum suum innuit. Chron. reg. a. 1231 ed. Waitz, p. 263; cf. etiam Lacomblet, Niederrhein. U.B. II, 92, n. 180, et infra n. 472.*

probrari, quasi culparum tuarum nos participes per diutinam tollerantiam faciamus, Iob. 16,4 nisi horrendum scandalum de te ortum debita castigatione sedemus. Ne igitur anima Es. 22, 16–17. nostra pro anima tua fiat, et tibi iuste dicatur: 'Quid tu hic, aut quasi quis hic, sicut . . . . .[a] gallus gallinaceus asportandus?' fraternitatem tuam monemus et hortamur attentius, dantes tibi consilium in animi puritate, quatinus anime tue saluti provide consulens, preoccupes tibi celeris remedium cessionis, ut exinde ad uberioris provisionis tibi gratiam impendendam misericordius inclinemur. Alioquin, nolentes sicuti nec debemus de te tam validos obaudire clamores, venerabili fratri nostro episcopo Lausanensi[1] et dilectis filiis magistris W. archidiacono Cameracensi et T. decano Sancti Iohannis Leodiensis nostris damus litteris in mandatis, ut super excessibus tuis inquirentes diligentissime veritatem, que invenerint per suas nobis litteras studeant fideliter intimare, ut ex eorum relatione sufficienter instructi procedamus exinde, prout secundum Deum viderimus procedendum.

Data Reate, II Idus Decembris, pontificatus nostri anno quinto.

460.

Gregorius IX papa fratribus ordinis Praedicatorum in Bohemia constitutis narrat, quomodo pagani Pruteni contra Christianos saeviant, iisque mandat, ut contra eos praedicationis officium assumant et pauperum crucesignatorum Bohemiae vota peregrinationis in succursum praedictorum fidelium commutent. *1232, Ian. 23.*

Greg. IX Reg. Lib. V, 168. Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1232, § 6–7. Potthast, Reg. 8818.

Ministris et fratribus ordinis Predicatorum in regno Bohemie constitutis[b].

Ex litteris venerabilium fratrum nostrorum, Mazoviensis, Wratislaviensis[c] episcoporum et capitulorum suorum necnon prudentium virorum relatu percepimus, quod pagani Pruteni verum Deum et dominum Iesum Christum agnoscere respuentes, ultra decem milia villarum in Prussie confinio positarum, claustra et ecclesias plurimas combusserunt. Quare ad cultum divini nominis preterquam in silvis, in quibus multi de fidelibus latitant, locus hodie non habetur. Ipsi etiam plusquam viginti milia Christianorum in occisione gladii posuerunt et ignominiosa morte damnarunt, et adhuc de fidelibus ultra quinque milia detinentes in compede servitutis, reliquos habitatores Mazovie, Cuiavie et Pomeranie[d] instanter perdere moliuntur, iuvenes quos capiunt continuis et horrendis laboribus consumendo, virgines pro ridiculo floribus coronatas in ignem demoniis immolant, senes occidunt, pueros necant, quosdam infigendo verubus, quosdam ad arbores allidendo. Quid ultra? Ipsi ferarum more humanum sanguinem sitientes in contumeliam Creatoris, quem multi eorum post receptam

[a]) *lacuna in copia nostra; fortasse in originali versus prophetae in extenso leguntur.* [b]) *hanc inscriptionem, quae deest ap. Raynaldum, supplerit Palacky, Reise nach Ital. p. 25, n. 110.* [c]) *ita Rayn.;* Wladislaviensis, *i. e.* Cuiaviensis, *quod rebus melius convenit, coniecit Grünhagen, Reg. I, 160, n. 376, in Cod. dipl. Siles. t. VII.* [d]) Pomesanie *vel scriptum erat in originali, vel certissima emendatione restituendum est.*

1) *Bonifacio.*

baptismi gratiam reliquerunt, luci tenebras preferendo, illa fidelibus infligunt iacula tormentorum, que stuporem afferunt cogitata et potius fletus materiam offerunt quam relatus. Et licet dilecti filii, fratres hospitalis sancte Marie Theutonicorum Ierosolimitani, pro reverentia Iesu Christi, cuius se obsequio devoverunt, assumpserint in Prussie partibus negotium fidei ex animo prosequendum, cum quibus Deus misericorditer operatur, reprimendo per eos impetum barbare feritatis: quia tamen ad tam arduum negotium sufficere per se nequeunt et egent fidelium subsidiis adiuvari, universitatem vestram monemus et obsecramus in Domino, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus assumpto sancte predicationis officio propter Deum, pauperum et debilium crucesignatorum in regno Bohemie, cum quibus duximus dispensandum, vota peregrinationis in succursum predictorum fidelium commutetis, et tam eos quam alios fideles in regno constitutos eodem ad nimiam caritatem, qua Christus nos dilexit et diligit, respectum habere et ei retribuere aliquid pro omnibus, que tribuit ipse illis, monitis et exhortationibus vestris secundum datam vobis a Deo prudentiam informetis diligenter et sollicite; postulantes ut ipsi redempti pretio glorioso, in quos tanquam viros Christianos et catholicos cadere opprobria exprobrantium Christo debent, se viriliter et potenter accingant, tanquam zelum Dei habentes, ad vindicandam iniuriam Crucifixi et ad liberandum proximos de manibus paganorum, profecturi et acturi secundum fratrum consilia predictorum, ita quod et ipsis premium debeatur eternum, et infideles non possint, quod impune Christi nomen impugnaverunt, gloriari, *etc.*[1].

Dat. Reate, X Kal. Febr. pontificatus nostri anno V.

461.

Gregorius IX papa [Balduino] episcopo Semigalliensi in Livonia, Gothlandia, Finnlandia, Estonia, Semigallia et Curlandia et ceteris neophytorum et paganorum provinciis et insulis circumpositis legationis officium concedit. ,1232, Ian. 28.

Greg. IX Reg. Lib. V, 172. Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1232, § 1–2. Potthast, Reg. 8852.

Episcopo Semigalliensi.

Cum in minori adhuc officio constitutus de credito tibi talento fructum acceptabilem et de labore tuo benedictionis manipulos reportaris[a], digne velut fidelis servus et prudens super familiam Domini, cui cibum debeas in tempore ministrare, constitui meruisti, qui utique de gratia in gratiam et de virtute proficiens in virtutem, mundi desideria abnuens, studuisti spiritu ambulare. Olim siquidem memor existens, quod 2 Cor. 12,18. nullum Deo sacrificium est acceptius quam lucrum querere animarum, fervore devotionis accensus ad mandatum dilecti filii nostri Othonis, Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconi cardinalis, tunc apostolice sedis legati, in laboribus et periculis multis, quasi Iordanem cum Iacob in baculo, pro gentium conversione maria transiens, non solum Gen. 32,10 cum duabus turmis ovium, verum etiam cum diversis provinciis paganorum in Christo credentium remeasti, ad arcam sicut columba deferens ramum virentis olive in recon- Gen. 8,11 ciliatione non pauce barbare nationis. Eo igitur in gratia collata tibi a Domino suavius

[a]) reportans *Rayn.*

1) '*Correpturis arma in tam iusta causa indulgentiarum praemia pollicetur.*' *Rayn.*

Matth. 5.15. delectati, quo exinde flores et fructus proveniunt gratiores, cum non esset lucerna ponenda sub modio sed supra candelabrum, ut tenebras multorum illuminet, collocanda, te in Semigalliensem episcopum manibus nostris duximus consecrandum; indubitatam quoque de te gerentes fiduciam, utpote non tam argumentis quam evidentibus experimentis instructi, quod animarum salutem et Christiani cultus sitias incrementum, ad que potens es in opere ac sermone, concesso tibi in Livonia, Gothlandia, Vinlandia, Hestonia, Semigallia, Curlandia et ceteris neophytorum et paganorum provinciis et insulis circumpositis legationis officio pro fidei finibus dilatandis: fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus in locis eisdem libere Christum annunties, corrigendo personas ecclesiasticas et ecclesias reformando; instituas quoque in eis et inde amoveas, cum opus fuerit, abbates, priores aliosque subditos et personatus habentes, promovens ad ordines clericos, electionem episcoporum confirmans, eisque consecrationis et abbatibus benedictionis munus impendens, cum expedierit et videris
Luc. 24.49. opportunum. Virtute igitur spiritus indutus ex alto, commissam tibi sollicitudinem tam laudabiliter studeas exercere, ut per ministerium tuum in partibus illis fide catholica propagata, ei placeas qui sibi placitos provehit in salutem, paratus quod supererogaveris compensare. Ne autem tibi desit potestatis auctoritas, cui adest conscientie puritas et presto esse creditur iudicium rationis, presentium tibi auctoritate concedimus, ut contradictores et rebelles excommunicationis, suspensionis et interdicti censura percellas, quia et nos sententiam, quam in tales rite protuleris, ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Dat. Reate, V Kalend. Febr. pontificatus nostri anno V.

462.

Gregorius IX papa [Nicolao] Rigensi et [Hermanno] Lealensi episcopis, fratribus militiae Templi de Livonia, et universis civibus Rigensibus mandat, ut Wironiam, Gerram et Maritimam aliasque provincias [Balduino] episcopo Semigalliensi, cui in partibus illis legationis officium commissum sit, restituant. *1232, Ian. 30.*

Greg. IX Reg. Vol. II, 151–152; Lib. V, 167.
Potthast, Reg. 8857.

. . Rigensi et . . Lealensi
episcopis et fratribus militie Templi de Livonia et universis civibus Rigensibus.

Ad nostram noveritis audientiam pervenisse, quod cum super Wironie[1], Gerve[2] et Maritime[3] ac aliis provinciis inter Teutonicos et Danos olim questio verteretur, venerabilis frater noster . . Mutinensis episcopus[4], tunc apostolice sedis legatus, assensu partium eas ad manus nostras recipiens, illas in reditu suo magistro I. cappellano eius nomine nostro tenendas, et postmodum magister predictus easdem vobis sub certa forma commisit, sicut in litteris inde confectis plenius continetur. Cum igitur venerabili fratri nostro Semigalliensi episcopo legationis officium in illis partibus duxerimus committendum, presentium vobis auctoritate mandamus, quatinus sublato

1) *Wirland inter lacum Peipus et sinum Fennicum.* 2) *Jerven ex occidente Wironiae.* 3) *Wiek, occidentalis ora Estoniae.* 4) *Wilhelmus.*

cuiuslibet difficultatis et appellationis obstaculo easdem provincias cum omnibus pertinentiis et iuribus suis restituatis nomine Romane ecclesie tenendas episcopo memorato, non obstantibus litteris a sede apostolica vel carissimo in Christo filio nostro Friderico, illustri Romanorum imperatore semper augusto, Ierusalem et Sicilie rege, seu .. nato ipsius[1] ad vos vel alios impetratis. Alioquin eidem episcopo nostris damus litteris in mandatis, ut vos ad hec auctoritate nostra cessante appellatione compellat.

Data Reate, III Kal. Februarii, pontificatus nostri anno V.

463.

Gregorius IX papa neophytis de Curonia libertates, quas B[alduinus] episcopus Semigalliensis, cum in minori officio constitutus vices O[ttonis] diaconi cardinalis, apostolicae sedis legati, gereret, iis concesserit, confirmat, tenore litterarum adiecto.

1232, Febr. 11.

Greg. IX Reg. Lib. V. 185.
Potthast, Reg. 8875.

Neophitis de Curonia.

Solet annuere etc. usque: impertiri. Cum igitur ex parte vestra fuerit a nobis humiliter postulatum, ut libertates et immunitates, a venerabili fratre nostro B. Semigalliensi episcopo, apostolice sedis legato, tunc in minori officio constituto, vices dilecti filii nostri O. Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconi cardinalis, dum in illis partibus legationis officium exerceret, ibidem gerente, universitati vestre pia et provida deliberatione concessas, apostolico dignaremur munimine roborare: nos devotion vestre specialem gratiam impertiri volentes, quod ab eo super hoc provide factum esse dinoscitur et in eiusdem litteris exinde confectis plenius continetur, quarum tenorem de verbo ad verbum presentibus iussimus annotari, auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Tenor autem litterarum ipsarum est talis:

Frater B. monacus Alvensis[a][2], domini O. cardinalis sedis apostolice legati penitentiarius ac nuntius, omnibus Christi fidelibus in perpetuum. Cum inspirante gratia Spiritus sancti, ubi, quando atque quantum vult spirantis, Lammekinus rex et pagani de Curonia, de terris Esestua scilicet, Durpis et Saggara et Kiligundis, quarum hec sunt nomina: Thargole, Osua, Langis, Venetis, Normis, Kiemala, Pygawas Sarnitus, Riwa, Saceze, Edualia, Aliswanges, Ardus, Alostanotachos, et de aliis Kiligundis villis ex utraque parte Winda sitis, offerrent se ad fidem Christi suscipiendam, terras suas, se et obsides suos per manum nostram ad manus domini pape conferentes, omnimode eiusdem ordinationi stare perpetuo promiserunt. Nos vero domini pape vices in hac parte agentes, de comuni consilio ecclesie Rigensis, abbatis de Dunemunde[3], mercatorum omnium, militum Christi, peregrinorum ac civium Rigensium, tale cum eis pactum inivimus et firmavimus conditionem: videlicet quod incontinenti sacerdotes recipient auctoritate nostra sibi destinandos; honeste in necessariis procurabunt eos, et eisdem tamquam veri Christiani in omnibus obedient, et eorundem per omnia salutaribus monitis acquiescent; ab hostibus eos sicut seipsos defendent:

a) *ita R.; lege* Alnensis.

1) *Cf. Henrici regis diploma 1228, Iul. 1 datum, ap. Bunge, Livl. U.B. t. 1, p. 118, n. 100.*
2) *Alnensis sive Alna mon. Cist. ord. Leodiensis dioc. prope Sabim.* 3) *Theoderici II.*

ab eisdem omnes tam viri quam mulieres et infantes sacri regenerationem baptismatis indilate recipient, et aliorum ritus Christianorum observabunt. Episcopum autem domini pape auctoritate instituendum eisdem cum reverentia ac devotione tamquam patrem suum ac dominum recipient, et in omnibus tamquam domino suo et episcopo aliorum more debito Christianorum perfectissime obedientes eidem obtemperabunt, ipsi reverentiam ac subiectionem domino et episcopo suo debitam impendentes. Ad ea vero iura, que persolvere tenentur indigene de Gothlandia, per omnia perpetuo tenebuntur episcopo suo suisque prelatis annuatim persolvenda, ita quod nec regno Dacie nec Suescie subicientur: perpetuam enim eis indulsimus libertatem, quamdiu eos apostatare non contigerit. Pacto tamen inito et in cartula presenti conscripto robur perpetuum obtinente, expeditiones super paganos, tam pro terre Christianorum defensione quam pro fidei dilatatione faciendas, frequentabunt. Infra biennium domino pape se presentabunt, et secundum eiusdem arbitrium per omnia perpetuo se habebunt et ordinationem. Medio autem tempore instituta nostra perfecte servantes ac precepta, nobis obedient in omnibus et per omnia obtemperabunt, salva in omnibus auctoritate domini pape. Quod ut perpetuam obtineat firmitatem, presentem cartam exinde conscriptam sigilli nostri, domini H[ermanni] Lealensis episcopi et aliorum supra denominatorum munivimus appensione.

Actum anno Domini MCCXXX, in die Innocentum[1].

Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Si quis autem etc.

Data Reate, III Idus Februarii, pontificatus nostri anno quinto.

464.

Gregorius IX papa neophytis de Bandewe, Wanneman et de Winda, partibus Curoniae, easdem libertates ab eodem episcopo concessas confirmat, tenore litterarum adiecto; cf. n. 463. *1232. Febr. 11.*

Greg. IX Reg. Vol. II, 155; Lib. V, 186.
Potthast, Reg. 8876.

De Bandewe, de Wanneman et de Winda neophitis.

Solet annuere etc. ut in alia usque: communimus. Tenor autem litterarum ipsarum est talis.

Frater B. monachus Alensis[a] Cisterciensis ordinis, domini O. Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconi cardinalis, sedis apostolice legati, penitentiarius et nuntius in Livoniam, omnibus, ad quos presens scriptum pervenerit, in perpetuum. Cum inspirante gratia Spiritus sancti, ubi, quando atque quantum vult spirantis, nobis quamlibet indignis amministrantibus atque procurantibus, pagani de Curonia, scilicet de Bandowe, de Wanneman, de citra Winda, de villis quarum nomina sunt hee: Rende, Wasa, Galle, Matiebule, Wanne, Pyrre, Ugenesse, Cadowe, Anzes, Talse, Arowelle, Prope, et pluribus aliis fidem susceperint Christianam, ad hoc ipsum obsides suos dederunt et sacri regenerationem baptismatis receperunt. Nos vero de communi consilio et consensu ecclesie Rigensis, militum Christi, universorum peregrinorum, omnium

[a]) *ita R.; lege* Alnensis.

1) *Dec. 28, scil. anni 1229, ut nos annos computamus. Recte etiam Bunge, Livl. Reg. I, 28, n. 117 chartam ad. a. 1229 refert.*

civium Rigensium et mercatorum, tale cum eisdem pactum inivimus ac firmavimus conditionem: videlicet quod episcopum auctoritate domini pape instituendum recipient, et debito more Christianorum eidem in omnibus et per omnia obedient, et eadem iura, ad que tenentur veri Christiani, ipsi episcopo suo suisque prelatis perpetuo per omnia persolvent; incontinenti sacerdotes recipient auctoritate nostra sibi destinandos, honeste eos in necessariis procurabunt, et eisdem tanquam veri Christiani in omnibus obedient, et eorundem salutaribus monitis per omnia acquiescent; ab hostibus eos sicut seipsos defendent, ab eisdem omnes tam viri quam mulieres et infantes sacri regenerationem baptismatis indilate recipient, et aliorum ritus Christianorum observabunt. Expeditiones super paganos, tam pro terre Christianorum defensione quam pro fidei dilatatione faciendas, frequentabunt, salva auctoritate domini pape in omnibus. Quod ut perpetuam obtineat firmitatem, cartam hanc exinde conscriptam sigilli venerabilium patrum, domini H[ermanni] Lealensis episcopi, Th[eoderici] abbatis de Dunemund, in quorum presentia facta sunt hec, sigilli nostri[a] et universitatis peregrinorum communivimus appensione.

Actum anno Domini MCCXXXI[b], XVI Kalendas Februarii.

Nulli ergo etc. ut supra.

Data Reate, III Idus Februarii, pontificatus nostri anno quinto.

465.

Gregorius IX papa [Iohanni] episcopo, [Iohanni] abbati Sancti Iohannis et [Nicolao] decano Lubicensi controversiam inter W[izeslaum] principem Rugianorum et [Nicolaum] episcopum Roschildensem de patronatu praeposliturae de Rugia exortam terminandam committit. *1232, Mart. 8.*

Greg. IX Reg. Vol. II, 158; Lib. V, 192.

. . episcopo, . . abbati Sancti Iohannis et . . decano Lubicensi.

Transmissa nobis dilectus filius, nobilis vir W. princeps Ruianorum[c], petitione monstravit, quod cum inter ipsum et venerabilem fratrem nostrum . . Roscildensem episcopum super iure patronatus preposilture de Ruia[d] coram venerabili fratre nostro . . Otiniensi[1] et bone memorie . . Arusiensi episcopis et E. quondam priore de Dalbui auctoritate dilecti filii nostri O[ttonis] Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconi cardinalis, tunc in illis partibus apostolice sedis legati, questio verteretur, partes ad habendum inter se communem de compositione tractatum certum terminum statuerunt. Demum vero idem ex eo se sentiens iniuste gravari, quod prefatus Arusiensis episcopus, cui supradictus Otiniensis causam totaliter subdelegaverat memoratam, . . archidiacono Arusiensi vices suas illicite committebat, cum subdelegatus alii causam de iure subdelegare non possit, nostram audientiam appellavit. Ideoque mandamus, quatinus si est ita, revocato etc. usque: fine debito terminetis, facientes etc. Alioquin partes ad sepedictum Otiniensem et E. quondam priorem remittatis examen[e], appellantem etc. Testes autem etc. Quod si non omnes etc.

Data Reate, VIII Idus Martii, anno quinto.

a) vestri *R.* b) MCCXXX *legit Turgenevius, Russ. Monim. t. I, p. 30.* c) Rivanorum *in apographo nostro.* d) Riva *ibidem.* e) *ita ibidem.*

1) *Logo.*

466.

Summaria trium instrumentorum, quibus de controversiis inter Fridericum Romanorum imperatorem et quasdam civitates Lombardiae terminandis ab utraque parte in Iacobum, Praenestinum electum, et Ottonem, Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconum cardinalem, apostolicae sedis legatos, compromittitur. Instrumenta illa a Iacobino rectorum societatis Lombardiae notario, praesentibus testibus rogatis, in civitate Padua 1232, Mai. 13 publicata sunt.

Greg. IX Reg. Vol. III, 83—85; Lib. VI, 280.
Ed. Pertz, LL. t. II, p. 294—298.

III.

Fridericus Romanorum imperator omnibus notum facit, se Hermannum, magistrum Teutonicorum, procuratorem suum in omnibus controversiis inter ipsum et Mediolanum, Placentiam, Brixiam, Mantuam, Ferrariam, Bononiam, Faventiam et complices earum constituisse, eique potestatem dedisse compromittendi in Iacobum, Praenestinum electum, et Ottonem, Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconum cardinalem, apostolicae sedis legatos. 1232, Mai. 10.

I.

Hermannus, magister Teutonicorum, pro Friderico Romanorum imperatore, et rectores et ambaxatores societatis Lombardiae, Marchiae et Romaniolae, qui enumerantur, in Iacobum, Praenestinum electum, et Ottonem, Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconum cardinalem, apostolicae sedis legatos, compromittunt de hac re, quod imperator se offensum asserat, pro eo quod Lombardi curiam Ravennatem impedierint, non permittendo filium suum et principes Alemanniae ad se venire, Lombardi e contrario dicant se id pro defensione sua fecisse, timentes ne gravamen super se induceretur: tractetur igitur per legatos de idonea satisfactione imperatori praestanda et de securitate ab eodem societati firmanda; si alii articuli appareant, ex quibus discordia possit generari, eodem modo sopiantur. Utraque pars legatis poenam viginti milium marcarum argenti promittit, si contra haec faciat. 1232, Mai. 13.

II.

Praecedenti formae compromissi ad postulationem legatorum papae additur, quod ab iis de aliis articulis, ex quibus discordia possit generari quique eodem modo sopiri debeant, nihil possit definiri vel terminari, nisi de consensu utriusque partis, scilicet imperatoris et societatis Lombardiae, Marchiae et Romaniolae. 1232, Mai. 13.

467.

Gregorius IX papa [Geroldum] patriarcham Hierosolymitanum, apostolicae sedis legatum, reprehendit, quod contra monitionem suam rebellibus et hostibus Friderici Romanorum imperatoris assistat. 1232, Iun. 17.

Greg. IX Reg. Vol. III, 19—20; Lib. VI, 39.

. . patriarche Ierosolimitano, apostolice sedis legato.

Matth. 13 25 Etsi olim inimico homine superseminante zizania inter ecclesiam et carissimum in Christo filium nostrum Fridericum, Romanorum imperatorem illustrem semper augustum, Ierusalem et Sicilie regem, fuerit exorta discordia, quia tamen illo misericorditer operante, qui destruxit inimicitiarum macerias et concurrentes parietes in se Ephes. 2 14 et sequ.

angulari lapide copulavit, fragor horride tempestatis, que multis excidium minabatur, arridente serenitatis gaudio conquievit, nos pacis consilia cogitantes, tibi si bene meminimus nostris dedimus litteris in mandatis, ut eiusdem imperatoris iura et honores in regno Ierosolimitano sollicite promoveres[1]. Nuper autem, sicut nostris fuit auribus intimatum, quod grave gerimus et indignum, non solum nullus fructus ex nostris litteris est secutus, verum etiam rebellibus et hostibus suis assistis, favorem eis, consilium et auxilium impendendo. Quare dolemus non modicum et turbamur, nonnullis opinantibus quod ecclesia transeat conniventibus oculis talia que tu facis, cum verisimile non existat, quod contra mandatum nostrum ad predicta extenderes manus tuas, quamquam puritas conscientie, quam videt qui inspector est cordium, opinionem (Prov. 24 12.) contrariam non admittat. Egisses enim prudenter, si circumspecte pensasses, quod iam pace per Dei gratiam reformata videtur, quod non obsequendi necessitas set aliqua causa latens ad huiusmodi executionem propositi te impellit. Melius autem poteras et debebas utilius terre statui ac Ierosolimitane ecclesie providisse, si eundem imperatorem et ipsi terre affabilem et devotam redderes terram sibi, cum ex dissensione huiusmodi et scissura sequi posset eiusdem terre gravis iactura et irreparabile detrimentum. Quia vero iura imperatoris ipsius sic cupimus per nos et nostros intacta servari, sicut nostra per eum illibata[a] custodiri, districte precipimus mandantes, quatinus circa premissa taliter studeas te habere, quod nulla super hiis querela de te ad nos de cetero perferatur. Alioquin, quantumcumque te tamquam honorabile membrum ecclesie sincera diligamus in Domino caritate, cum culpam tuam nolimus in nostram infamiam redundare, id[b] nulla ratione ulterius poterimus in patientia sustinere.

Data Spoleti, XV Kal. Iulii, anno sexto.

468.

Gregorius IX papa [Geroldum] patriarcham Hierosolymitanum in passagio praesenti vel in proximo ad se accedere iubet, ut eius relatione instructus de quiete Terrae Sanctae providere valeat. Cf. n. 467. *1232, Iul. 7.*

Greg. IX Reg. Vol. III, 18; Lib. VI, 31.

Patriarche Ierosolimitano, apostolice sedis legato.

Pacem diebus nostris fieri cupientes, per quam Deo placitam licet transitoriam fideles perveniunt ad eternam, cordis dolore tangimur et gravamur, cum aliquam contingit suboriri discordiam, per quam illius profectus tollitur et ampliatio fidei prepeditur. Sane audivimus et audientes ammirationem concepimus vehementem, quod in Terra Sancta, que fidei existit initium et ex qua pacis deliciosa fluenta derivari deberent in mundi latitudinem effundenda, dissensionis perniciose discrimina, quod gementes referimus, sunt exorta, quibus pietas Redemptoris, qui terram ipsam suo pretioso sanguine consecravit, offenditur et Christiane fidei professorum fovenda devotio minoratur, eo quod illa regalis regio, pro qua innumeri potentes et nobiles, divites et pauperes de singulis mundi partibus venientes se celorum regi viventem hostiam ob-

---

a) per eum *hoc loco in R. repetitum.* b) in *R.*

1) *De rebus regni Hierosolymitani post reditum imperatoris cf. Winkelmann, l. c. p. 491 et sequ.*

tulerunt, quasi serio[a] perditioni committitur, cui tamquam pupille oculi custodia diligens deberetur, cum si recte perspicitur et prudenter attenditur, nil habendum vel reputandum sit carius, quam quod omnibus Deum visibilem prebuit et ipsos ad obtentum sue glorie fide previa dirigit et perducit. Huius igitur consideratione gratie preminentis prefatam terram, filii patris eterni patriam, debiti favore patrocinii prosequi iugiter affectantes, ne, quod absit, eius contingat perdi residuum effusione cruoris inexplicabili conquisitum, ut etiam bona pro eliminandis paganorum spurcitiis exponenda in exterminium fidelium de partibus illis ad invicem dissidentium minime convertantur, decet nos celeri remedio providere. Verum quia presentiam tuam super hiis nobis credimus oportunam, ne status terre, quod avertat Dominus, in immane precipitium corruat, a quo facile postmodum non resurgat, petitioni tue quandoque nobis exhibite favore benivolo concurrentes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus in passagio presenti, si poteris, vel in proximo subsequenti ad nos accedere non postponas, ut te cum aliquibus fratribus Templi et Hospitalis, quos per magistros ipsorum ad nos mandavimus destinari, veritatem de statu terre, cuius te plenam credimus habere notitiam, referente, de regno Ierosolimitano scandala corrigantur, et sibi de obtate quietis et tranquillitatis gratia valeat provideri, ut in eo celebre sit nomen Altissimi et populus constitutus ibidem ac frequens concurrentium multitudo auctore Domino tam fide quam meritis augeantur.

Data Spoleti, Nonis Iulii, anno sexto.

469.

Gregorius IX papa Friderico Romanorum imperatori scribit, se [Geroldum] patriarcham Hierosolymitanum et nuntios magistrorum Templi et Hospitalis ad se accedere iussisse, ut ab iis instructus de pace Terrae Sanctae provideat. Addit se in affectu gerere, ut res Gaietana feliciter expleatur. Cf. n. 467 et 468. *1232, Iul. 12.*

Greg. IX Reg. Vol. III, 17—18; Lib. VI, 30.

Friderico, Romanorum imperatori semper augusto, Ierusalem et Sicilie regi.

Affectus interni sinceritas, quo patris diligentia filium prosequitur predilectum, nos de tue prosperitatis augmento sollicitos efficiens et attentos, ut te votivis successibus affluente dignitas matris ecclesie incrementis gratuitis amplietur, ad tua desideria prosequenda potenter sollicitat et inducit. Ecce quidem, ut tua serenitas devote suis litteris postulavit, ne, sicut dolentes audivimus, Terra Sancta in dissentionis discrimine constituta proruentibus periculorum incursibus obruatur, sed ad obtate quietis reducatur effectum, venerabili fratri nostro . . patriarche Ierosolimitano, apostolice sedis legato, ut ad presentiam nostram accedere, ac dilectis filiis . . domus militie Templi et . . Hospitalis Ierosolimitani magistris et fratribus, ut in passagio presenti, si poterunt, vel in proximo subsequenti providos et prudentes viros de ipsorum collegio, per quos de statu regni Ierosolimitani possimus utiliter instrui ac eius paci et profectui providere, mittere non postponant, apostolicas litteras destinamus, mandantes ut pro statu terre pacifico et sui favore ordinis devote tuis beneplacitis obsequantur. Quocirca celsitudinem tuam rogamus, monemus et hortamur attente, quatinus spiritu pietatis et

a) *ita R.*

tranquillitatis assumpto, ut eo facilius vota tua fine prospero terminentur, quo nullius obiectu turbinis fuerint impedita, prefatos magistros et fratres in aliquo non conturbes, set si propter ipsos aliquando turbatio mentis irruat, sic efficere studeas, ut obice virtute quiescat; eos ad te ita prudenter revocans per exhibitionem clementie consolantis, quod eosdem tibi statuas tui favoris munere gratiosos: super hoc et aliis excellentie tue negotiis nostris salutaribus monitis et consiliis aquiescens, ut ad perceptionem felicitatis continue celsitudinis tue potentia processu libero dirigatur. Ad hec, ut predicti patriarcha et alii, qui vocantur ad apostolicam sedem, transitum habeant liberum et accessum, eis de securo conductu per patentes imperiales litteras sublimitas tua provideat et iter efficiat expeditum quia sine nostro tuoque robore[a] non fieret, si, quod absit, eorum fidos[b] adventus aliquod obstaculum inveniret. Ceterum super facto Gaiete[1] plena sollicitudine non carentes in affectu gerimus et effectu prosequimur, ut illud ad honorem ecclesie ac tuum et salutem eorum, qui ecclesie adheserunt, auctore Domino feliciter expleatur.

Data Spoleti, IV Idus Iulii, anno sexto.

470.

Gregorius IX papa rectoribus societatis Lombardiae nuntiat, se terminum de tractanda pace in festo beati Michaelis [Sept. 29] praefixum ad festum Omnium Sanctorum [Nov. 1] prorogasse, eosque monet, ut procuratores sufficienter instructos ad se mittant.

1232, Iul. 12.

Greg. IX Reg. Vol. III, 17; Lab. VI, 28.

Rectoribus societatis Lombardie.

Sinceritatem devotionis et fidei puritatem, quam erga Romanam ecclesiam, matrem vestram, gratuitis actibus exhibetis, dignis prosequimur actionibus gratiarum, diligentiam vestram ex hoc precipue in Domino commendantes, quod sicut dilectus filius noster . . Penestrinus electus[2] et O[tto] Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis, apostolice sedis legati, nobis suis litteris retulerunt, pacis negotium sollicitudini vestre commissum in manibus ecclesie posuistis. Verum quia in festo beati Michaelis ad comparendum coram nobis pro ipso negotio auctore Domino feliciter terminando[c] mittendis ex parte vestra[d] procuratoribus terminus est prefixus, quia venit in dubium, si tunc fratres nostros contingat simul in curia reperiri, usque ad festum Omnium Sanctorum proximo venturum eundem terminum providimus prorogandum, in quo volumus et mandamus, ut per procuratores idoneos sufficienter instructos et sufficiens mandatum habentes vos nostro conspectui presentetis. Interim autem volentes ut secundum statuti formam editi super negotio memorato[3], que in tractatu pacis expressa noscuntur, illibata maneant et quieta, prudentiam vestram rogamus, monemus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus ad pacis observantiam diligentem curam et efficacem sollicitudinem apponatis, predictorum cardinalium beneplacitis devote ac humiliter intendentes, ut ex hoc divine benedictionis gratiam et apostolice sedis favorem possitis uberius promereri.

Data Spoleti, IV Idus Iulii, anno sexto.

a) *id est* rubore. b) *ita R.* c) terminandum *R.* d) nostra *R.*

1) *Cf. n. 415, III: civitas imperatori se nondum subiecerat.* 2) *Iacobus.* 3) *Cf. n. 466.*

471.

Gregorius IX papa Friderico Romanorum imperatori significat, se, cum Geblardus [de Arnstein], eius legatus in Tuscia, colloquio quod Lombardi apud Laudam celebraverint non interfuerit, terminum de tractanda pace festum Omnium Sanctorum [Nov. 1] praefixisse. *1232, Iul. 12.*

Greg. IX Reg. Vol. III, 17; Lib. VI, 29.
Potthast, Reg. 8966.

Friderico, Romanorum imperatori semper augusto, Ierusalem et Sicilie regi.

Cum pacis negotium dilecti filii nostri . . Penestrinus electus[1] et O[tto] Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis, apostolice sedis legati, iuxta mandatum nostrum plena sollicitudine prosequentes, cum rectoribus et nuntiis Lombardorum apud Laudam colloquium celebrarent, quia nobilis vir Gebardus, tuus legatus in Tuscia, qui pro parte tua[a] ipsi colloquio non interfuit, ut debebat, quamquam super hoc se per litteras et nuntium excusaret, rectoribus predictis causantibus plurimum eius absentiam et nitentibus a proposito resilire, prefati cardinales iniunxerunt eisdem, ut in festo beati Michaelis per procuratores idoneos et sufficienter instructos se nostro conspectui representent. Verum quia nobis venit in dubium, si tunc fratres nostros contingat simul in curia reperiri, usque ad festum Omnium Sanctorum proximo venturum eundem terminum providimus prorogandum, mandantes rectoribus supradictis ut per iam dictos procuratores sufficiens mandatum habentes, sicut predictum est, coram nobis in termino prefixo compareant, et secundum statuti formam editi super negotio memorato, que in tractatu pacis expressa noscuntur, illibata manere faciant et quieta. Volumus igitur, ut prudentes viros ad hoc sufficiens mandatum habentes in prefato termino ad nostram presentiam destinare procures.

Data Spoleti, IV Idus Iulii, anno sexto.

472.

Gregorius IX papa universis fidelibus ecclesiae Coloniensis mandat, ut licet contra [Henricum] archiepiscopum inquisitio fiat, tamen ecclesiam Coloniensem contra molestatores defensent. *1232, Iul. 12.*

Greg. IX Reg. Vol. III, 20; Lib. VI, 44.
Potthast, Reg. 8971.

Nobilibus viris baronibus, militibus, civibus Coloniensibus, ministerialibus et universis fidelibus ecclesie Coloniensis.

Licet contra venerabilem fratrem nostrum . . Coloniensem archiepiscopum inquisitionem duxerimus comittendam[2], volentes tamen indempnitati Coloniensis ecclesie

---

a) *hic verba aliquot excidisse patet.*

1) *Iacobus.* 2) *Cf. n. 459.*

paterna sollicitudine providere, universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus eandem ecclesiam contra molestatores suos pro viribus defensantes, nullam omnino alienationem rerum ipsius fieri permittatis.

Data Spoleti, IV Idus Iulii[1], anno sexto.

473.

Gregorius IX papa Fridericum Romanorum imperatorem rogat, ut in succursum ecclesiae contra rebelles Romanos exurgat; mittit ad eum de hac re et de facto Gaietae magistrum I. notarium suum. *1232, Iul. 24.*

Greg. IX Reg. Vol. III, 21—22; Lib. VI, 18.
Potthast, Reg. 8978.

Friderico, illustri Romanorum imperatori semper augusto, Ierusalem et Sicilie regi.

Serenitatis tue petitionibus receptis favorabiliter et promotis, per venerabilem fratrem nostrum . . Idrontinum archiepiscopum tibi postulatas litteras transmittemus. Interim autem, quia se tempus obtulit, quo per triumphantem sublimitatis tue dexteram, elisa protervorum superbia Romanorum[2] et sui furoris impetu refrenato, status ecclesie ac imperii, Deo propitio instanter et iugiter ampliandus, potest votive magnitudinis et obtate prosperitatis bravium[a] adipisci, celsitudinem tuam rogamus, monemus et hortamur attentius, quatinus in succursum matris ecclesie velut benedictionis filius, te superne lucis lumine precedente, ad fugandas catervas demonum et frangenda cornua (Psal. 74, 11) impiorum tam propere quam potenter exurgas, ut rebelles intelligant et cognoscant, quia tibi nomen 'invictus et excelsus' pre terre regibus, elatorum in perditionem deponens insaniam et erigens humilium gratiam in salutem, ut etiam deiectis persequentibus sponsam Christi, sponsi delicias merearis, et tue virtutis insignia sere posteritatis notitiam habeant non caducam, ac favor sedis apostolice, devotorum promotor assiduus, circa tui promotionem nominis augmentis continuis augeatur. Ad hec autem efficaciter et magnifice prosequenda, negotio transmarino feliciter terminando mentem propriam et efficacem operam apponemus, ita quod auctore Domino tuis iuribus et tuorum prosperitati fidelium nullum detrimentum adesse senties sed augmentum. Ceterum quia pro hiis fideliter enarrandis dilectum filium magistrum I. notarium nostrum, devotum tuum, quem fidei et probitatis sue meritis nos et fratres nostri carum habemus et tibi reputamus acceptum, ad presentiam tuam duximus destinandum, volumus ut ei fidem plenam prestes in omnibus, que super premissis et eorum circumstantiis ac super facto Gaiete[3] ex parte nostra tue celsitudini reserabit.

Data Reate, VIIII Kalendas Augusti, anno sexto.

---

a) brachium *R.*

1) *Ap. Lacomblet, Niederrhein. UB. t. II, p. 93, n. 181 ex autographo, ut videtur, edita legitur, sed data* XVII Kal. Aug. *(Iul. 16).* 2) *De rebellione Romanorum cf. Rycc. de S. Germ. a. 1232, SS. XIX, p. 368—369.* 3) *Cf. n. 469.*

474.

Gregorius IX papa [Geroldum] patriarcham Hierosolymitanum sine mora ad se accedere iubet, ut per eum et quosdam fratres Templi et Hospitalis instructus Terrae Sanctae provideat. Cf. n. 467 et 468.

1232, Iul. 25.

Greg. IX Reg. Vol. III, 23—24; Lib. VI, 51.

Patriarche Ierosolimitano, apostolice sedis legato.

Ierusalem rex supremus et inclitus, Salomon ecclesiastes et Idida[a] verus, in (Psal. 101,11.) terra, que funiculus est hereditatis eius, quinimmo conquisitio commercii singularis, nobis pacificus contionator, diligens et dilectus advenit, in nativitate pacificus, contionator in vita, diligens et dilectus in morte. Dum etenim nasceretur, vox angelica pacis ymnum, fedus reconciliationis Dei et hominis, attulit. Dum vixit, rudes erudivit doctrina et informavit exemplo. Dum pateretur, canticum decantavit amoris, quia dilectionis vinculo tractus ad crucem omnia ad se traxit, cum vitam mortis invite vite voluntaria mors peremit. Hoc quidem in terra illa tamquam in agro precipuo Deus et homo, Dei et hominis filius, seminavit, et utique semen bonum. Sed superveniens (Matth. 13,25 et sequ.) inimicus in medio tritici superseminasse zizania dicitur, pro pace discordia, pro reformatione discidio, pro dilectione odio succrescente. Habet utique iniuriarum prosecutionem atrocium pater familias contra illos, quorum malitia semen bonum zizania suffocatur, et in via meditor, quid illis in patria recompenset, cum tempore messium alligabit fasciculos comburendos, in orreum tritico congregato. Sane miramur, quod sicut asseritur pro regno Domini noluisti te murum opponere ascendentibus ex adverso, ut te contra turbatores illius vero Salomoni pacificum exhibens, contra iniuriantes erudito concionatori iustitie prolocutorem offerres, et adversus odientes intime diligenti dilectionis pretendens[b] argumentum. Quid ergo dominorum domino respondebis, si terra gloriosi sanguinis pretio comparata et multorum milium recuperata cruore, tua negligentia periculo pateat? Non enim dies[c] culpe negligentia comparatur? Ne igitur in casu tam dubio Christi causam negligere videamur et conscientiam mora remordeat, fraternitati tue per apostolica scripta districte precipimus, quatinus sublato dilationis dispendio nostro te conspectui representes, ut per te ac quosdam de fratribus Templi et Hospitalis, sicut per alias litteras misimus, de statu terre sufficienter instructi, et declinemus pericula que imminere videntur, et procuremus subsidia que (Tob. 3,22.) expedire noscuntur, et sic eo faciente, qui post nubilum dat serenum et post tempestatem tranquillum, orta turbatio maioris quietis faciet adesse remedium, et pleniorem inposterum urgentioris sollicitudinis studium poterit procurare cautelam. Illud autem a memoria nostra non excidit, quod pro licentia veniendi quandoque ad nos speciali petitione pulsasti. Sed quod tunc gratia non indulsit, necessitas nunc extorquet. Ceterum, ut sit tuus ad nos securus accessus, carissimo in Christo filio nostro Friderico, Romanorum imperatori semper augusto, Ierusalem et Sicilie regi illustri, scripta nostra direximus, ut tibi ac tuis de plena securitate studeat providere.

Data Reate, VIII Kal. Aug. anno sexto.

a) *ita R. Idithun intelligendus esse videtur, qui tamquam psalmodiae auctor celebrabatur.* b) *an* pretenderes? c) *ita R.*

475.

Gregorius IX papa [Geroldum] patriarcham Hierosolymitanum monet, ut a novandis rebus in Fridericum Romanorum imperatorem absistat, eique mandat, ut si in passagio proximo venire non possit, legationis officio non utatur; cf. n. 467, 468 et 474.

1232, Iul. 26.

Greg. IX Reg. Vol III, 25; Lib. VI, 56.
Potthast, Reg. 8980.

. . patriarche Ierosolimitano.

Palam aliquis loquitur et publice quidam clamant, quod carissimo in Christo filio nostro Friderico, Romanorum imperatori semper augusto, Ierusalem et Sicilie regi illustri, regnum Ierosolimitanum tuo studio sit turbatum, manu tua in turbatorum manibus existente. Est autem qui contra nos extorquens super hoc de tuis actibus coniecturam, preteriti scandali inter ecclesiam et imperatorem predictum reliquias aliquas superesse presumit. Est qui de temporis huius molestia ad factum preteriti eliciens argumentum, asserit quod olim te illi non devotio ad sedem apostolicam habita, sed odium aliunde conceptum obiecit. Primum procul dubio nos non decet, quod ecclesie Romane sinceritas non admittit, secundum tibi non licet, quod religionis reverentia renuit et dignitatis auctoritas dedignatur. Ex hiis quidem, ut credimus, satis intelligis, quid non solum contra te set etiam contra nos aliqui loquerentur, si terra multorum sanguine conquisita occasione orte discordie exponeretur periculo, iacture pateret. Quia vero nonnumquam mittens in misso notatur, nos nolentes ecclesiam alicuius facto confundi, presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus si ad nos in passagio proximo venire non poteris, iniuncto tibi legationis officio non utaris.

Data Reate, VII Kal. Augusti, anno sexto.

476.

Gregorius IX papa [Alberto] patriarchae Antiocheno mandat, ut habito consilio cum magistris Templi et Hospitalis nobiles regni Hierosolymitani, cives Acconenses et alios ad devotionem Friderico Romanorum imperatori eiusque filio [Conrado] exhibendam inducant. *1232, Iul. 26.*

Greg. IX Reg. Vol. III, 24; Lib. VI, 52.
Potthast, Reg. 8982.

. . patriarche Antiocheno, apostolice sedis legato.

Regi, filio summi regis, regni Ierosolimitani singulari privilegio dediti quandam particulam, Christi signum insigne sub Christiano nomine preferentem[a], sicut audivimus, quidam scindere moliuntur, qui sic ad terreni domini iura iniuriose prosiliunt, quod ad celestis iniuriam presumptuose prorumpunt, eo quod dum terrenum quibusdam coniurationibus provocant, celestem sub dubia sorte lacessiunt, cum fortuitis

a) perferentem *R.*

casibus et suspectis eventibus terram videantur exponere, quam certis laboribus et necessariis sumptibus ad Christum Christicole reduxerunt. Sane nondum defuit Agarenus, ut Christianus converteret in se manum, nondum sic est adversarii attrita potentia, ut pusillus grex Domini mutua se disceptatione disrumpat, nondum sic ibi
Es. 54.2. sunt nostra dilatata tentoria, ut in pacis fastidium libeat et liceat sub guerra voluntaria lascivire. Porro multorum est aquisitum laboribus, quod hii tenent, seminaverunt plurimi, quod hii metunt. Unde nec licet offerri iacture multi sanguinis conquisitum, nec expedit dari periculo id ad quod non absque periculis Christiane sollicitudinis studium vix pervenit. Miramur autem, quid homines illius regionis induxerit, ut contra carissimum in Christo filium nostrum Fridericum, Romanorum imperatorem semper augustum, Ierusalem et Sicilie regem illustrem, rebellionis ut fertur pretenderint coniecturam, qui contra eos ut dicitur nullius exhibuit gravaminis argumentum. Sed dato quod appareret gravamen in patre: filius, heres regni legittimus, in quo tenera etas affectum iniuriandi non patitur, quid peccavit? Quod si patris et filii dextera fuisset adversus illos plena molestiis, poterat et debebat apostolice sedis auxilium invocari, que pro illius terre subsidio plus ceteris laboravit. Cum igitur nos eius scandalum urat et in ipsius infirmitatibus infirmemur, volentes vulnerato principio festinato remedio subveniri, ne sero medicina paretur, si mala per longas contingeret invalescere moras[1], fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus habito consilio magistrorum Templi et Hospitalis nec non et aliorum, prout videris expedire negotio, nobiles regni predicti, cives Acconenses et alios, ut ad fidelitatem et devotionem imperatoris prefati sublato cuiuslibet difficultatis obstaculo redeant, inducere non postponas, contradicentes siqui fuerint etc. usque: compescendo. Intelleximus siquidem, quod voluntas est imperatoris eiusdem, et nos libenter operam dabimus, ut hominibus regionis integre sua iura serventur. Sic ergo prudenter ad illius provincie
Es. 42.3. pacem intendas, ut calamum quassatum bellorum pressura non conterat et lignum fumigans turbationum inundatio non extinguat, quin immo patria in silentio pacis exultet et populus in requie opulenta quiescat.

Data Reate, VII Kal. Aug. anno VI.

477.

Gregorius IX papa magistro et fratribus Hospitalis mandat, ut assistant iis, qui in regno Hierosolymitano iura imperatoris contra rebelles tueantur.

1232, Iul. 26.

Greg. IX Reg. Lib. VI, 53.
Potthast, Reg. 8983.

. . magistro et fratribus Hospitalis Ierosolimitani.

Plenis est votis appetenda concordia, cuius integritas etiam parvis aliquando ad grandia prestat ascensum, et totis est nisibus vitanda discordia, cuius scissura summa multotiens detrahit ad ruinam. Sane audivimus, quod regni Ierosolimitani turbatus est status, ordo confusus, cum quidam ad carissimi in Christo filii nostri Friderici, Romanorum imperatoris semper augusti, Ierusalem et Sicilie regis illustris, prosilientes iniuriam, iam publice sicut fertur signa rebellionis ostendunt; dumque hii a cepta

1) *Ex Ovidii Remedio amoris v. 91.*

molestia non desistunt et alii regalia iura defendunt. in Christianos manus Christiana reflectitur, que in Christi blasfemos bellis non fatigata civilibus deberet extendi. et sumptus in subiectorum dispendium convertuntur, in dampnum hostium deputati. Porro in talibus satis est dubia sors, nimis suspectus eventus, cum exorte discordie scandalo hostibus inique machinationis ianua pateat et nostris via subsidii precludatur. Verum cum ante languorem preparanda sit medicina, deferenda[a] non creditur in languore. Unde mali principio celeri volentes remedio subveniri, ne cure dilatio curationis perdat effectum, universitati vestre per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatinus, sicut divinam et nostram gratiam caram habetis, ad reformationem regni predicti venerabili fratri nostro . . patriarche Antiocheno[1], apostolice sedis legato, prudenter et viriliter assistentes, hiis qui prefati imperatoris iustitiam prosequuntur, impendatis et consilium et auxilium oportunum et[b] operam efficacem.

Data ut supra.

In eundem modum scriptum est . . magistro et fratribus militie Templi.

In eundem modum scriptum est . . magistro[2] et fratribus domus sancte Marie Teutonicorum Ierosolimitane.

In eundem modum scriptum est universis ecclesiarum prelatis per regnum Ierosolimitanum constitutis.

478.

Gregorius IX papa praelatis regni Hierosolymitani mandat, ut [Albertum] patriarcham Antiochenum pro reformatione pacis ad regnum accedentem benigne recipiant.

1232, Iul. 29.

Greg. IX Reg. Lib. VI, 51.

Archiepiscopis et episcopis, abatibus, prioribus et aliis ecclesiarum prelatis per regnum Ierosolimitanum constitutis.

Cum venerabilem fratrem nostrum . . patriarcham Ierosolimitanum[3] pro ipsius terre negotiis et aliis cum quibusdam fratribus Templi et Hospitalis ad nostram presentiam duxerimus advocandum, per apostolica vobis scripta precipiendo mandamus, quatinus venerabilem fratrem nostrum . . patriarcham Antiochenum, apostolice sedis legatum, ad regnum ipsum pro reformatione pacis in suborta discordia accedentem, benigne recipiatis et honeste tractetis, ita quod devotionem vestram possimus exinde merito commendare.

Data Reate, IV Kalendas Augusti, anno sexto.

479.

Gregorius IX papa [Alberto] patriarchae Antiocheno concedit, ut excommunicatos et peregrinos post terminum iis iniunctum absolvere valeat. *1232, Iul. 29.*

Greg. IX Reg. Lib. IV, 55.

a) *i. e.* differenda. b) et *deest in R.*

1) *Alberto.* 2) *Hermanno.* 3) *Geroldum.*

. . patriarche Antiocheno, apostolice sedis legato.

Cum venerabilem fratrem nostrum . . patriarcham Ierosolimitanum pro ipsius terre negotiis et aliis cum quibusdam fratribus Templi et Hospitalis ad nostram presentiam duxerimus advocandum, ut post terminum sibi iniunctum excommunicatos et peregrinos absolvere valeas, liberam tibi de speciali gratia concedimus facultatem. Nulli ergo nostre concessionis etc. Si quis autem etc.

Data Reate, IV Kal. Augusti, anno sexto.

480.

Quattuor epistolae Gregorii IX papae ad resignationem G[ebehardi] episcopi Pataviensis pertinentes, quibus de electione successoris, de custodia quorundam castrorum et horcmarchiarum ecclesiae Pataviensis et de provisione dicti G[ebehardi] ordinatur.

1232, Aug. 30, 29, 21.

Greg. IX Reg. Lib. VI. 72, 73, 74, 75.

I.

Capitulo Pataviensi.

Menses vacuos et noctes laboriosas enumerans venerabilis frater noster G. quondam episcopus vester, quibus, ut in nostra proposuit presentia, circa eandem ecclesiam laboravit, cum multorum fatigatus molestiis a sue promotionis principio turbationum inundationibus quateretur, se querebatur in vacuum cucurrisse, eo quod nec per se ipsi ecclesie nec sibi per ipsam fructus provenire potuit qui debebat. Cum igitur videretur spes esse precisa profectus, ne defectu mutuo sterilis remaneret, uterque humiliter postulavit utrique çessionis remedio subveniri, cedens in nostra et fratrum nostrorum presentia loco et amministrationi in spiritualibus et temporalibus, quam in ipsa ecclesia hactenus dinoscitur habuisse[1]. Nos autem utriusque utilitate pensata, quia cessionem ipsius benigne duximus admittendam, ne ipsa ecclesia diutius pastoris solacio destituta dispendia maiora susciperet, si per prelatum celeriter non subveniatur eidem, presentium vobis auctoritate firmiter precipiendo mandamus, quatinus infra mensem post receptionem presentium tres vel quatuor de canonicis habentes vicem omnium ad nostram presentiam destinetis, qui coram nobis ipsi ecclesie vel per canonicam et concordem electionem de idonea persona provideant, vel benigne recipiant quem vobis et ipsi ecclesie preficiendum duxerimus in pastorem.

Data Anagnie, III Kal. Sept. anno sexto.

II.

. . archiepiscopo Salzburgensi[2] et . . episcopo Chimensi[3].

Cum venerabilis frater noster G. quondam Pataviensis episcopus loco et amministrationi in spiritualibus et temporalibus, que in Pataviensi ecclesia hactenus habuisse dinoscitur, in nostra et fratrum nostrorum presentia cesserit, et eius cessi-

1) *De re cf. Hansiz. Germ. sacra t. I, p. 373—374.* 2) *Eberhardo II.* 3) *Rudigero, qui Gebehardi successor factus est.*

onem benigne duxerimus admittendam, ne castra et hovemarchias[a] eiusdem ecclesie lapsu temporis in successoris preiudicium variari contingat, presentium vobis auctoritate mandamus, quatinus Greifestein, Gleuz, Ebelsperge, Vihtenstein, Obernberch, Rotemberch, Matse, Ellenbrehschirchen, Vinberch, Mons Sancti Georgii, Ort, Vurstenek, Aichembach, Morspac et Chirchperge castra, ad quorum custodiam dictus episcopus familiam . . nepotis sui dimisisse asseritur, faciatis per personas fide dignas usque ad successoris adventum fideliter custodiri; contradictores etc. Quod si non ambo etc.

Dat. Anagnie, III Kal. Sept. anno sexto.

III.

G. episcopo quondam Pataviensi.

Menses vacuos et noctes laboriosas enumerans, quibus, ut in nostra proposuisti presentia, circa[b] Pataviensem ecclesiam laborasti, cum etc. . . . . . benigne cessionem admisimus, et integritati fame tue per ea, que contra te acta sunt coram nobis, alicuius note dispendium nolumus generari.

Dat. Anagnie, IIII Kal. Sept. anno sexto.

IV.

. . episcopo Frisingensi[1] et . . Frisingensi et . . Ratisponensi decanis.

Cum venerabilis frater noster G. etc. cesserit . . . . .[c] ad sustentationem ipsius centum marcarum redditus annuatim . . . . . in bonis, que ad mensam episcopalem spectare noscuntur, et totidem in beneficiis ecclesiasticis . . . . . faciatis eidem . . . . . assignari etc.

Dat. Anagnie, XII Kal. Sept. anno sexto.

481.

Gregorius IX papa episcopo et clero Tiburtino scribit, quibus conditionibus pacem inter ipsos et Matthaeum Rubeum comitem et populum Tiburtinum reformaverit.

1232, Sept. 1.

Greg. IX Reg. Vol. III, 31; Lib. VI, 76.

. . episcopo et universo clero Tiburtino.

Intellectis que tu, frater episcope, pro te ac vobis[d], filii clerici, necnon ecclesiis Tiburtine civitatis, et nobilis vir Matheus Rubeus, comes Tiburtinus, pro se ac populo civitatis eiusdem in nostra proposuistis presentia constituti, finem litigiis imponere cupientes et scandali materiam amputare, de utriusque consensu taliter duximus providendum, videlicet ut omnes officiales et consiliarii civitatis predicte anni preteriti necnon fossores domorum vestrarum et ecclesiarum iurent, se mandatis

a) Hovemarchie *R.* b) citra *R.* c) *non integram hanc epistolam Pertzius descripsit.* d) ac a vobis *R.*

1) *Conrado.*

ecclesie et tuis, frater episcope, humiliter parituros. Unus quoque civis Tyburtinus in animabus predicti populi mandatis ecclesie stare iurabit. Tu vero, frater episcope, hiis omnibus rite perfectis, et illis que vobis et ecclesiis ablata sunt plenarie restitutis, ac prestita vobis congrua satisfactione dampnorum, interdicti sententiam a te in civitate predicta promulgatam occasione huiusmodi relaxabis, excommunicatos iuxta ecclesie formam absolves, et revocabis clericos qui de mandato tuo eandem exierant civitatem. De gratia quoque ac speciali mandato nostro vos, filii clerici, exsolvetis sextam partem illorum tantummodo debitorum, que contracta fuerunt per priores et vestararios, qui a vobis fuerant constituti. Qua parte soluta, volumus ut vos et ecclesie illa libertate in posterum gaudeatis, que in statutis exprimitur concilii generalis. Ut igitur que a nobis provisa sunt, debitum sortiantur effectum, universitatem vestram monemus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta firmiter precipiendo mandantes, quatinus premissa omnia unanimiter acceptantes, que a vobis prestanda sunt, studeatis sine difficultate qualibet exhibere. In virtute quoque obedientie ac sub pena suspensionis vobis districtius inhibemus, ne de cetero in talliis et collectis contribuere presumatis absque sedis apostolice licentia speciali.

Data Anagnie, Kal. Sept. anno sexto.

482.

Gregorius IX papa priori et fratribus Praedicatorum Austriae mandat, ut eos, qui innaturali vitio Deo suisque fidelibus inimico maculati sint, comminationibus terreant, ut resipiscant. *1232. Sept. 3.*

Greg. IX Reg. Vol. III, 33; Lib. VI, 78.
Potthast, Reg. 8995.

. . priori et fratribus ordinis Predicatorum in Austria constitutis.

Regio Theutonie in virtutum preminentia olim extimata regina, quia incedendo via regia et religionis opus ac rectitudinis amplexando regem regum, dominum Iesum Christum, puritate fidei et sancte caritatis operibus multipliciter honorabat, nunc, sicut dolentes audivimus et gementes referimus, innaturali vitio Deo suisque fidelibus ineffabiliter inimico peccatis exigentibus ita in quibusdam partibus, et Austria precipue, maculata dicitur, quod quasi lepre perfusa turpitudine reputatur. Verum quia sorde[a] tam horribili vestri virtute sermonis auctore Deo sagaciter expianda vobis scripta nostra direximus confidenter, universitatem vestram rogamus et obsecramus in domino Iesu Christo, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus illos, qui noxa[b] labis
Es. 3, 9. tam pestifere laborantes, ut Sodoma peccata sua predicent nec abscondant[c], quasi viam vite non videant, nec verbum salutis audiant obvoluti tenebris peccatorum, nisi vestris salutaribus monitis eruditi resipiscere curaverint, ab huiusmodi perpetratione facinoris omnino detestabilis et iniqui ipsos comminationibus asperis nostro nomine terreatis, viva voce dicentes quod nobis de mandato nostro in scriptis eorum expressa nomina transmittetis, ut in ipsos velut in Crucifixi perfidos inimicos et Christiane fidei contemptores ultionis ecclesiastice gladium exeramus, et faciamus eosdem ab

a) *an* pro sorde? b) noxe *R.* c) abscondunt *R.*

omnibus sicut hereticos evitari. Taliter autem quod in istis et aliis litteris duximus exprimendum vestra diligentia prosequatur, quod inde sit vobis felicitatis eterne perceptio, et devotionem vestram sedes apostolica favore continuo prosequatur.

Data Anagnie. III Non. Sept. anno sexto.

483.

Gregorius IX papa decano Atrebatensi mandat, ut maiorem, scabinos et iuratos Peronenses a molestatione decani et capituli Sancti Fursaei et clericorum Peronensium cessare faciat. *1232. Sept. 15.*

Greg. IX Reg. Vol. III, 33; Lib. VI. 84.

. . decano Atrebatensi.

Dilectorum filiorum . . decani et capituli Sancti Fursei ac clericorum Peronensium accepimus questionem, quod cum ipsi in villa Peronensi a laicis aliquam domum emunt, . . maior, scabini et iurati eiusdem ville Noviomensis diocesis super hoc eis, quatenus possunt, iniuriosi existentes et graves, laicos ipsos propter hoc multipliciter inquietant, banno suo supponentes eosdem et indebitis exactionibus aggravantes, ad excusationem suam, quod hac de causa non videantur ipsos laicos molestare, occasiones frivolas mendicantes. Sicque fit quod nullus metu pene invenitur ibidem, qui pro aliquo pretio eis domum aliquam vendere audeat, in ipsorum non modicum detrimentum, qui quantum ad hoc deterioris quam laici condicionis existunt. Quare nobis humiliter supplicarunt, ut super hoc eis providere paterna sollicitudine dignaremur. Nolentes igitur indebitum dictorum decani et capituli ac clericorum sustinere gravamen, districte tibi per apostolica scripta mandamus, quatinus prefatos maiorem, scabinos et iuratos, ut super hoc ab eorum indebita molestatione penitus conquiescant, modo predicto per censuram ecclesiasticam appellatione postposita previa ratione compellas.

Dat. Anagnie. XVII Kal. Octob. pontificatus nostri anno sexto.

484.

Gregorius IX papa magistro Conrado de Marburg mandat, ut hospitale in Marburg manuteneat et defendat. *1232. Oct. 11.*

Greg. IX Reg. Vol. III, 12—13; Lib. VI, 125.
Potthast, Reg. 9017.

Magistro Conrado de Marburc, predicatori verbi Dei in Alamannia.

Hospitale in Marburch favore benivolo quantum cum Deo possumus prosequentes, ac ad defensionem ipsius intendentes sollicite, ut valeat a malefactorum oppressionibus respirare, districte tibi, de quo[a] plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica

[a]) qua R.

scripta mandamus, quatinus hospitale ipsum manuteneas, protegas et defendas, non permittens illud et degentes in ipso ab aliquibus indebite molestari, molestatores huiusmodi per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo.

Data Anagnie, II Idus Octob. anno sexto.

485.

Gregorius IX papa [Berchtoldo] episcopo Argentinensi mandat, ut cum ad degradandum sacerdotem vel diaconum haereticum statutus episcoporum numerus convenire non possit, ipse cum abbatibus aliisque ad degradationem procedat. 1232, Oct. 19.

Greg. IX Reg. Vol. III, 46; Lib. VI, 144.

. . episcopo Argentinensi.

Etsi contra hereticam pravitatem ab apostolica sede diversa diversis temporibus manaverint instituta, quia tamen novis periculis est promptis remediis occurrendum, eo quod recentia soleant perdi facilius quam vetusta, libenter adicimus per que pestis tanti discriminis deleatur. Accepimus siquidem, quod cum aliqui laici in partibus Teutonie infecti heretica macula comprobantur, statim de ipsis vindicta sumitur que debetur. Cum vero inde clerici convincuntur, reservantur in posterum iudicandi occasione sollempnitatis, que secundum iura canonica debet in ipsorum degradatione servari, sicque contingit quod aliqui clericorum heretica labe respersi aliquando ultionem effugiunt vel in carcere moriuntur, quare laicis exinde grave scandalum generatur. Attendentes igitur quod super hoc clericorum excessus eo sunt gravius et citius puniendi, quo magis debent invigilare virtutibus et a vitiis abstinere, volentes etiam precavere ne quia differtur sententia, mala securius audeant perpetrare, in hoc necessitatis articulo tibi auctoritate presentium duximus indulgendum, ut cum ad unum sacerdotem vel diaconum degradandum statutus episcoporum numerus secundum canonicas sanctiones non possit sine difficultate nimia convenire, tu, cum aliquis clericus in tuis partibus fuerit hereticus legittimo comprobatus, convocatis abbatibus et aliis prelatis ac religiosis personis et litteratis tue diocesis, ad ipsorum clericorum degradationem auctoritate nostra procedas, ipsos postmodum relicturus[a] seculari iudicio animadversione debita puniendos[1].

Data Anagnie, XIV Kal. Novembris, anno sexto.

486.

Gregorius IX papa Fridericum Romanorum imperatorem rogat, ut potestati et populo Viterbiensi iniungat, ut T[homae] presbytero cardinali et R[aynaldo] electo Ostiensi, quos ad eos pro pace cum Romanis facienda miserit, diligenter pareant. 1232, Oct. 21.

Greg. IX Reg. Vol. III, 44—45; Lib. VI, 135.
Potthast, Reg. 9022.

[a]) relicturos *R.*

1) *In eundem modum scriptum est archiepiscopo Salisburgensi, 1232, Nov. 22, ap. Winkelmann, Acta Imp. ined. p. 504, n. 628.*

Friderico, Romanorum imperatori semper augusto, Ierusalem et Sicilie regi illustri.

Cogitantibus nobis cogitationes pacis et non afflictionis, eo quod nubilo pulchrius (Ierem. 29, 11) sit serenum, prosperitas adversitate gratior et merore letitia dulcior censeatur, tanto illorum, qui sunt pre foribus ecclesie constituti, displicet dissidium et discrimen, quanto sollicitudini nostre ipsorum cura specialis imminet, licet fidelium populorum nobis sit dilectio generalis. Sane quid periculi, quid doloris de Romanorum et Viterbiensium discordia sit exortum, quid per illam destructionis etiam fere toti ecclesie patrimonio sit illatum, existit multis liquidum, set nobis multipliciter est molestum, tum quia multi ad interitum deducuntur, plures anime pereunt, fides preclara minuitur et heretica perversitas dampnabiliter adaugetur, qua quedam civitates perditionis procurante ministro taliter sunt infecte, ut habitatores ipsarum sentina possint corruptionis exprimi et habitaculum perfidie reputari. Verum quia bonis lente crescentibus mala celeriter inolescunt, et eo firmiora persistunt, quo magis illis nequitie spatium indulgetur: ad tranquillam devotionem ecclesie obtinendam, et ut fidei negotium cum aliis imminentibus prospere dirigatur, quod tunc augmenta potiora suscipit cum dissensionis materia delitescit, in desideriis gerimus et habemus, ut tua diligentia procurante, per quam indomita mansueta constitui et in plana debent aspera commutari, tanti tollatur causa discriminis et afflictorum dispositio miseranda in statum prosperum reducatur. Quocirca serenitatem tuam rogamus, monemus et hortamur attente, quatinus . . potestati et populo Viterbiensi per imperiales litteras suadeas et iniungas, ut dilectis filiis nostris T. tituli Sancte Sabine presbytero cardinali et R. Ostiensi electo, quos ad eos pro ipsorum tractanda salute duximus destinandos, super pacis negocio pareant diligenter, presertim cum illud omitti vel prorogari nequeat sine ipsorum et aliorum multiplici detrimento, quod tanto tuo studio debet libentius evitari, quanto dat officium concesse tibi celitus potestatis, dare pacem gentibus et auctore Deo salvum reddere populum Salvatoris.

Data Anagnie, XII Kal. Novemb. anno sexto.

487.

Gregorius IX papa rectoribus fraternitatis Urbis mandat, ut fraternitates, quas quidam laici temere adinvenerint, penitus non servandas nuntient. 1232, Oct. 26.

Greg. IX Reg. Vol. III, 47—48; Lib. VI, 148.
Potthast, Reg. 9026.

Rectoribus fraternitatis Urbis.

Ad nostram noveritis audientiam pervenisse, quod laici quidam de Urbe, habentes, (Rom. 10, 2.) sed non secundum scientiam, zelum Dei, sine apostolice sedis licentia quasdam fraternitates adinvenire sibi temeritate propria presumpserunt, quarum occasione sollempnitates quasdam circa corpora defunctorum preter generalem consuetudinem hactenus in talibus observatam pro sua faciunt voluntate, propriis rectoribus et thesaurariis sibi creatis quibus obediunt, frequenter convenientes ut statuta servent eorum, convivia certis temporibus celebrando in derogationem fraternitatis clericorum Urbis a longis retro temporibus approbate. Quia vero propter fraternitates huiusmodi laicorum, licet superficialem apparenciam habeant honestatis, est merito dubitandum,

ne sub earum pretextu simplices protrahi valeant ad errorem, universitati vestre per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatinus fraternitates huiusmodi denuntietis penitus non servandas, clero Urbis, ne de cetero in suis ecclesiis easdem admittant neque sepeliant corpora mortuorum cum sollempnitatibus, que introducte sunt occasione ipsarum, districtius inhibentes. Statuimus etiam, ut nulla alia preter memoratam fraternitatem clericorum de cetero fiat in Urbe fraternitas sine licentia sedis apostolice speciali. Clericos vero, qui secus presumpserint, et ecclesias, in quibus huiusmodi fraternitates laicorum fuerint celebrate, supponatis sententie interdicti, que sine speciali mandato sedis apostolice nullatenus valeat relaxari.

Data Anagnie, VII Kal. Novemb. anno sexto.

488.

Gregorius IX papa Friderico Romanorum imperatori gratias agit, quod referentibus nuntiis eius, [Landone] archiepiscopo Messanensi et P[etro de Vinea] imperialis aulae iudice, pium propositum conceperit, eique promittit, ecclesiam in negotio fidei et ecclesiae et imperii iurium restauratione ei nunquam defuturam esse. *1232, Oct. 27.*

Greg. IX Reg. Vol. III. 48; Lib. VI, 149. Pertzii exemplar supplevimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1232, § 42.

Potthast, Reg. 9028.

Friderico, illustri Romanorum imperatori semper augusto, Ierusalem et Sicilie regi.

Lacrimosa sanctorum oratio, continuata pro filio utique singulari et electo unico matris sue, iocunditatem desiderate letitie et gaudia nobis festive hilaritatis exhibuit, dum paulatim cum fiducia ad thronum altissime maiestatis et sacrarium exauditionis ascendens obtinuit, ut descendens a patre luminum candor lucis eterne et speculum sine macula, splendor patris et figura substantie eius, imperialis culminis animum radio superne claritatis illuminet, que adeo in cordis tui habitaculo iam refulsit, ut ruptis catenarum vinculis, quibus multis et intolerabilibus occupationibus premebaris, angelum tibi missum a Domino, qui te dormientem inter quaterniones [1], insidiatores anime tue, misericorditer excitavit, sequi ceperis usque ad portam ferream et induratam malitia impiorum, que ultro tibi aperietur aut conteretur gladio triumphali, quem de corpore beatissimi Petri sumptum et de manu susceptum vicarii Iesu Christi imperialis vibravit dextera ad vindictam malefactorum, qui ascendentes super altitudinem nubium resistere potentie divine nituntur et gladios tuos, ad munimen pacis et fidei datos a Domino, dampnabili superstitione contempnunt.

Referentibus siquidem venerabili fratre nostro . . [2] archiepiscopo Messanensi et dilecto filio P. [3] imperialis aule iudice, nuntiis tuis, pium propositum et sanctum desiderium, consilium rectum divina inspiratione conceptum [a], nos et fratres nostri gavisi sumus in Domino et in potentia maiestatis ipsius, qui sic matri filium et filio matrem spiritu suo caritatis univit, ut affectuum unitas et identitas animorum nobis onustis leviget

---

a) *quae sequuntur usque ad finem ex Rayn.*

1) *Cf. Act. 12,4 et sequ.* 2) N. *Rayn. male;* Mense Aprilis — Landus Reginus archiepiscopus in Messanensem eligitur. *Rycc. de S. Germ. a. 1232; SS. t. XIX, p. 368.* 3) *Hunc esse Petrum de Vinea testatur imperatoris responsio Dec. 3 data, n. 495.*

onera honoris et oneris, alias sacerdotio et imperio multipliciter onerosa. Quis unquam nova posset temeritate presumere, ut in negotio fidei, libertatis ecclesiastice, ecclesie et imperii iurium restauratione, quod de consilio nostro prosequeretur imperialis sublimitas, in principio, medio et fine filio mater deesset aut filius matri deficeret?[1] Ratio non patitur, natura renititur, ut individuum recipiat sectionem. Alioquin posset inferri, quod se ipsum posset homo relinquere, et idem esset secundum idem relinquens pariter et relictum, agens et patiens in eodem. Absit, carissime fili, quem gestamus in visceribus caritatis, quem teste Deo in omni puritate diligimus, cuius incrementum commune commodum reputamus, ut aliquis sue mentis oblitus hec vel leviter suspicetur. Immo si secretarium cordis scrutinio recte inquisitionis exquiritur, si veritas infallibilis diligenti meditatione pensatur, hortus clavigeri regni celestis rationalis et floridus, apostolica manu consitus, paradisi fluminibus irrigatus, non invenitur pro uvis spinas, pro ficu tribulos germinare, cum eius cultor et dominus pro (Matth. 7.16) pane lapidem, pro ovo filiis suis non consueverit porrigere scorpionem. Facile qui- (Matth. 7.9) dem tollitur suspicandi facilitas, si incerti iudicii attenditur difficultas, maxime ubi experta sinceritas operis destruit imaginariam opinionem erroris. Et licet intra virtutum germina lolium quandoque improbe se pravitatis immisceat, nunquam tamen in colonia apostolorum principis de puritate duplicitas, de veritate simultas, de innocentia iniquitas nociva colligitur, a qua scandalorum huiusmodi zizania relegatur. Quocirca imperialem mansuetudinem rogamus, monemus, per aspersionem sanguinis Iesu Christi obsecrantes et in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatenus thesaurum desideriorum celestium, sacrario tui cordis manu filii Altissimi commendatum, aperiens et effundens ad conterendos iniquos, liberandos oppressos et miseros consolandos, cum absondita sapientia et thesaurus invisus, nulla sit utilitas in utris- (Eccl. 20.32) que, virile propositum prepotente potentia totis viribus prosequaris, animo manus sit proxima, affectum effectus aperiat, ut consilium, auxilium et favorem ecclesie sollicitudo imperialis obtineat, que presto tibi sunt educenti de foramine obstetricante manu (Iob. 26.13.) imperii colubros tortuosos.

Data Anagnie, VI Kalendas Novembris, anno sexto.

489.

Gregorius IX papa [Conrado] Mindensi, [Iohanni] Lubicensi et [Gotescalco] Raceburgensi episcopis mandat, ut contra Stedingos, cultores daemonum, fidelibus in Paderburnensi, Hildeshemensi, Verdensi, Monasteriensi, Osnaburgensi, Mindensi et Bremensi diocesibus constitutis crucem praedicent. *1232. Oct. 29.*

Greg. IX Reg. Vol. III, 19: Lib. VI, 151.
Potthast, Reg. 9030.

. . Mindensi, . . Lubicensi et . . Racemburgensi episcopis.

Lucis eterne lumine destitutus Lucifer, caduca superbia procurante celo contineri nequiens, eo quod perpetue cecitatis tenebras incurrisset, cum sit perditus et minister perditionis effectus, ne ademptas sibi delicias sempiternas possit conditionis humane dignitas adipisci, quia solent miseri prosperitate felicium cruciari, illam in profundum perfidie ab altitudine fidei deicere nititur, ut in lacum sue miserie deducatur, existi-

1) *Alludit ad defensionem Patrimonii, pro qua iam Iul. 24 [n. 473] eius auxilium requisiverat.*

mans per hoc sue dampnationis cumulum minorari, cum soleat afflictis quoddam afferre solatium grata miseris societas miserorum. Sane intenta fallaciis Sathane malitia, reperiri nesciens in periculis otiosa, quosdam, qui Stedinchi vocantur, in Bremensi provincia constitutos, sicut dolentes audivimus et referimus cum merore, a notitia Creatoris ita reddidit alienos, ut amentes effecti et quadam insania ventilati, relicta semita veritatis in invium adeo sint deducti, quod nec Deum nec hominem reverentes doctrinam sancte matris ecclesie vilipendunt, eius libertatem impugnant, et dediti crudelitatis officio, quasi de ferinis uberibus fuerint enutriti, nulli parcunt sexui vel etati. Quid ultra? Effundentes sanguinem sicut aquam, clericos et religiosos ferali morte lacerant, et quosdam ad instar crucis affigunt parieti in obprobrium Crucifixi. Ipsi etiam, ut expressione maiori se perfidos indicent et divine potentie contemptores, salutis nostre viaticum, quo vita tribuitur et mors tollitur peccatorum, horribilius quam deceat exprimi pertractantes, querunt responsa demonum, simulchra cerea faciunt, et in suis spurcitiis erroneas consulunt phitonissas, alia perversitatis opera perpetrantes, que stuporem inferunt meditata et fletus materiam potius offerunt quam relatus. Verum quia huiusmodi excessibus tam iniquis potenti dextera fidelium est celeriter obviandum, ut illorum horrenda sevitia per obiecte virtutis instantiam deiectionis sentiat detrimenta, fraternitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attentius, per apostolica vobis scripta mandantes et in remissionem peccatorum iniungentes, quatinus assumpto sancte predicationis officio pro divine reverentia maiestatis, fideles in Padeburnensi, Hildesemensi, Verdensi, Monasteriensi, Honasburgensi, Mindensi, et Bremensi diocesibus constitutos ad exterminium illius reprobe sationis diligenter et efficaciter inducatis, ut signo crucis assumpto fideles in partibus eidem nationi conterminis habitantes, adiuti de vite retributione proficiant, et adiutores ipsorum felicitatis eterne gaudia mereantur. Nos enim, ut eo libentius Christi negotium a fidelibus assumatur, quo donum potioris gratie consequuntur, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus qui ad sollempnem predicationem vestram accesserint, viginti dies, et aliis qui laborem istum in propriis personis subierint et expensis, nec non et illis qui in expensis illic accesserint alienis, triennium, ibi vero iuxta exigentiam negotii et vestram providentiam moraturis quinquennium de iniuncta sibi penitentia relaxamus. Aliis autem, qui de suis facultatibus ad subventionem fidelium ministrabunt, iuxta quantitatem subsidii et devotionis affectum remissionem suorum peccaminum indulgemus; universis qui decesserint in huius prosecutione negotii, omnium peccatorum, de quibus vere contriti et confessi fuerint, veniam concedentes. Ceterum, ut commissum vobis salutis negotium possitis liberius exercere, in contradictores et rebelles ecclesiasticam proferendi censuram tenore presentium liberam vobis concedimus facultatem. Volumus etiam ut aliquos de ordine fratrum Predicatorum, quos videbitis expedire, in partem sollicitudinis assumatis, indulgentia sedis apostolice, si quam exhibuerint, non obstante. Quod si non omnes etc.

Data Anagnie, IV Kalendas Novembris, anno sexto.

490.

Gregorius IX papa [Sigefrido III] archiepiscopo Moguntino mandat, ut viros religiosos ad omnes partes dioecesis suae mittat, qui de haereticis perquirant, et si quos culpabiles invenerint, contra eos iuxta statuta noviter promulgata procedat. 1232, Oct. 29.

Greg. IX Reg. Vol. III, 47; Lib. VI, 117.
Potthast, Reg. 9031.

. . archiepiscopo Maguntino.

Ille humani generis pervicax inimicus, omnium malorum incentor, quem de supremis ad ima superbia sua prostravit, non contentus quod sue fraudis nequitia hominem perduxit ad casum erumpnis et miseriis applicandum, callide eum nititur pestiferis retibus irretire, astute sibi parans insidias, ne resurgat, locum a quo ceciderat obtempturus. Novissime autem diebus istis fidem nisus perfidia depravare, per ministros suos iniquitatis operarios venena sparsit mortifera, seditiose considerans quod familiaris hostis sit efficax ad nocendum, qui quasi dulcia premittentes cauda pungunt ut scorpio, in aureo tandem calice Babilonis virus pestilentie infusuri. Licet (Ierem. 51,7) enim heretici hactenus diutius latitantes sicut cancer serperent in occulto, et velut vulpes latenter niterentur vineam Domini Sabaoth demoliri, iam tamen peccatis exi- (Cant. 2,15) gentibus in aperto quasi equi parati ad prelium presumunt manifeste insurgere contra eam, in quibusdam locis publice predicando, querentes in cibum simplices et in predam indoctos, ac illaqueare nichilominus fideles quoslibet suis circumventionibus cupientes, facti magistri erroris, qui numquam fuerant discipuli veritatis. Unde expedit quod insurgatur viriliter contra eos, ut eorum omnino heresi confutata per totum vigeat fides Christi; nam corona sequetur premii temptationibus resistentes. Cum igitur in partibus sit Alamanie, quod dolentes referimus, rara fides, ac per hoc formidemus ibi potius animalia venenosa, nos, qui circa horam undecimam inter operarios, immo verius super operarios vinee Domini sumus a patre familias evangelico deputati[1], moniti voce sponsi capere vulpes parvulas, que demoliri vineam Domini (Cant. 2,15) moliuntur, et tacti dolore cordis intrinsecus, non valentes substinere tantam contumeliam Creatoris, ac volentes tot animarum periculis obviare, fraternitatem tuam rogamus, monemus et hortamur attentius, per apostolica tibi scripta sub divini obtestatione iudicii districte precipiendo mandantes, quatinus tam per te quam per aliquos de subditis tuis viros religiosos et in lege Domini eruditos, quos ad hoc idoneos esse noveris, ad omnes partes diocesis tue transmittas, qui diligenti perquirant sollicitudine de hereticis et etiam infamatis, et si quos culpabiles vel infamatos invenerint, nisi examinati velint absolute mandatis ecclesie obedire, procedas contra eos iuxta statuta nostra contra hereticos noviter promulgata[2], in receptatores, defensores et fautores hereticorum secundum eadem statuta nichilominus processurus. Si vero aliqui heretica labe penitus abiurata ad ecclesiasticam redire voluerint unitatem, ipsis iuxta formam ecclesie beneficium absolutionis impendas, et iniungas eis quod talibus consuevit iniungi; attentius provisurus ne qui videntur reverti, sub palliata specie pietatis impietatem commutent, et angelus Sathane in lucis angelum se transformet, propter quod statuta, que super hoc duximus promulganda, inspicere poteris et ab eorum insidiis secundum discretionem tibi datam a Domino precavere. Ad hec, ut super premissis omnibus officium tibi commissum liberius possis et efficacius exercere, omnibus qui ad predicationem eorum, quos ad hoc provideris eligendos, accesserint in singulis stationibus viginti dies, illis vero qui ad impugnandum hereticos, fautores, receptatores et defensores eorum in munitionibus et castellis vel alias contra ecclesiam rebellantes ipsis ex animo auxilium, consilium prestiterint vel favorem, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, tres annos de iniuncta sibi penitentia relaxamus, et si qui ex hiis in prosecutione huiusmodi negotii forte decesserint, eis omnium peccatorum, de

1) *Cf. Matth. 20,1 et sequ.* 2) *Haec statuta leguntur post papae epistolam 1231, Iun. 25 ad archiepiscopum Treverensem directam; Böhmer, Acta Imp. p. 665. n. 959; partem edidit Rayn. a. 1231, § 14.*

quibus corde contriti ac ore confessi sunt, plenam veniam indulgemus. Ne vero desit aliquid hiis, quos ad hoc destinaveris, ad predictum negotium prosequendum, in contradictores et rebelles ecclesiasticam proferendi censuram tenore presentium liberam tibi concedimus facultatem. Predicatores quoque questuarios, quorum interest caritativa tantum subsidia simpliciter petere ac indulgentiam, si quam forsan habent, exponere, a predicationis officio, quod ad ipsos nullatenus pertinet, compescendi censura simili tibi nichilominus licentiam indulgemus[1].

Dat. Anagnie, IV Kalendas Novembris, anno sexto.

491.

Gregorius IX papa [Sigefrido III] archiepiscopo Moguntino concedit facultatem compellendi archidiaconos ecclesiae suae ad debitam in eadem residentiam.

1232, Oct. 30.

Greg. IX Reg. Vol. III, 49; Lib. VI, 154.
Potthast, Reg. 9032.

. . archiepiscopo Maguntino.

Tuis devotis precibus inclinati, compellendi archidiaconos ecclesie Maguntine ad debitam in eadem ecclesia residentiam faciendam et assignandi eis stalla in choro et loca in capitulo, secundum quod eorum exigunt dignitates, prout ad te pertinet, nec non et extirpandi pravas consuetudines ab eadem et instituendi honestas in ipsa, auctoritate presentium liberam tibi concedimus facultatem. Nulli ergo — nostre concessionis etc. Si quis autem etc.

Data Anagnie, III Kal. Novembris, anno VI.

492.

Gregorius IX papa [Gualae] episcopo Brixiensi et Alberico fratri ordinis Praedicatorum mandat, ut sententias a G[aufredo] tituli Sancti Marci presbytero cardinali, apostolicae sedis legato, in Bergamenses promulgatas, postquam iidem satisfecerint, relaxent.

1232, Nov. 3.

Greg. IX Reg. Vol. III, 50—51; Lib. VI, 157.
Potthast, Reg. 9041.

. . episcopo Brixiensi et fratri Alberico de ordine Predicatorum.

Olim dilectus filius noster G. tituli Sancti Marci presbyter cardinalis, fungens tunc legationis officio in partibus Lombardie, propter intestina bella civitatis Bergamensis personaliter accedens ad ipsam, sollicite laboravit ad pacem reducere discordantes, cuius exhortationes et monita partes acceptantes humiliter et devote, sub iuratoria cautione de parendo mandatis suis super omnibus discordiis in eum compromittere curaverunt. Cumque cardinalis predictus secundum formam in compromisso expressam pro tranquillitate civitatis eiusdem nobilem virum P. de Turre, civem

---

1) *In eundem fere modum Praedicatoribus Frisacensibus 1231, Nov. 27 ap. Winkelmann, Act. Imp. ined. p. 199, n. 621; et Praedicatoribus Argentinensibus 1232, Dec. 2 in Strassb. U.B. t. I, 179.*

Mediolanensem, ad ipsius regimen duxerit providendum, demum faciente incentore malorum et dissentionis actore, homines de Rivola et de Suardis religione iurisiurandi contempta in eiusdem cardinalis iniuriam et contemptum, non admisso predicto nobile, R. de Madello, Mediolanensem civem, in potestatem sibi eligere attemptarunt, et quod est dampnabilius, quosdam hereticos de carcere civitatis eductos abire libere permiserunt, propter quod prefatus cardinalis in ipsos et eorum fautores ac sequaces excommunicationis sententiam promulgavit, matricem ecclesiam et eorum parrochias interdicto ecclesiastico supponendo. Nunc autem ex parte predictorum hominum nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum nostris se offerant precise obedire mandatis, parati Deo et ecclesiis satisfacere competenter, relaxari predictas sententias misericorditer mandaremus. Quia vero redeuntibus ad ecclesie gremium aperienda sunt viscera pietatis, nos illius vestigia in hac parte imitari volentes, qui oves perditas (Matth. 15,24) venit querere ac salvare, districte vobis per apostolica scripta mandamus, quatinus si homines illi memorato nobili pro iniuriis, iustis dampnis ac moderatis expensis ipsius satisfactionem curaverint exhibere, ac sufficientem cautionem prestiterint, quod pro posse suo exterminabunt hereticos et conservabunt ecclesie libertatem, auctoritate nostra iuxta formam ecclesie relaxare curetis sententias supradictas.

Dat. Anagnie, III Non. Novembr. anno sexto.

493.

Gregorius IX papa consulibus et populo Perusinis districte praecipit, ne cum iis, qui de patrimonio non existant, vel quibuslibet aliis foedera ad invadendas terras imperii ineant. *1232, Nov. 20.*

Greg. IX Reg. Vol. III, 52; Lib. VI, 168.
Potthast. Reg. 9044.

Consulibus et populo Perusino spiritum consilii sanioris.

Cum per Dei gratiam pace inter ecclesiam et carissimum in Christo filium nostrum Fridericum, Romanorum imperatorem illustrem semper augustum, regem Ierusalem et Sicilie, reformata, nos non solum ab offensa terrarum imperii abstinere, verum etiam terras ipsas defendere, quantum permittit officii nostri debitum, debeamus, vos, sicut accepimus, set non utique acceptamus immo grave gerimus et indignum, cum quibusdam, qui non sunt de patrimonio, quod vix credimus, confederari ac societatem contrahere attemptatis in earundem terrarum et imperii detrimentum, prout convenit, quasi obtenebrati caligine minime attendentes, quod ex hoc in illius possetis articulum difficultatis incidere, de quo non valeretis facile liberari. Ut igitur presens monitio vos premuniat et a pena preservet immunes, universitati vestre sub debito fidelitatis per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatinus nullam societatem, nulla federa nullaque iuramenta cum hiis, qui de patrimonio non existunt, vel quibuslibet aliis in preiudicium terrarum ipsarum ac contra iura et honorem imperii inire aliquatenus presumatis, que omnia, sive hactenus sunt presumpta sive in posterum, quod non credimus, presumantur, decernimus penitus non valere, cum sit valde indecens, ut per nostros fideles imperii offendantur, ne per hoc venire contra pacis federa videamur, ac facere irrita, que de nostris labiis processerunt. Alioquin venerabili fratri nostro . . episcopo Spoletano[1] damus nostris litteris in mandatis, ut

1) *Nicolao.*

vos a presumptione huiusmodi per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescat. Quod si nec sic preceptis nostris curaveritis obedire, contra vos spiritualiter et temporaliter gravabimus taliter manus nostras, quod pena docente scietis, quam temerarium sit mandatis apostolicis contraire.

Dat. Anagnie, XII Kal. Decembr. anno sexto.

Scriptum est in eundem modum . . potestati et populo Tudertino et . . episcopo Spoletano executorie contra utrosque.

494.

Gregorius IX papa Friderico Romanorum imperatori scribens conqueritur, quod Sarraceni in Apulia constituti ecclesiam sancti Petri in Bangio Foietano diruerint et lapides Nuceriam [id est Luceriam] pro suis aedificiis construendis deportaverint; rogat, ut ecclesiam reparari et bona ablata restitui iubeat.

1232, Dec. 3.

Greg. IX Reg. Vol. III, 56; Lib. VI, 184. Pertzii exemplar supplevimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1232, § 43.

Potthast, Reg. 9052.

Frederico, Romanorum imperatori semper augusto, Ierusalem et Sicilie regi illustri.

Ubique nobis impietates et flagitia displicent iniquorum, sed illa, eo quod per evolantia iacula de vicino lesio profundior inferatur, nos doloris duriori pungunt aculeo, si fiant in proximo quam remoto. Sane[a] mirantes accepimus et turbati, quod perditionis filii, Sarraceni videlicet in Apulie partibus constituti, cui favoris accedente consensu, quod credibile non videtur, ecclesiam sancti Petri in Bangio Foietano[1], pleno iure spectantem ad monasterium sancti Laurentii de Aversa, vertentes in locum subiugalium que prius fuerat habitaculum angelorum, ipsam funditus diruerunt, lapides et lignamina eius deportando Nuceriam[2] pro suis edificiis construendis. Verum quia tam iniqua presumptio non absque contumelia Creatoris, apostolice sedis iniuria, tanquam nota nominis noscitur attentata, serenitatem tuam rogamus, monemus et hortamur attente, quatenus prudenter attendens, si ecclesiarum aliqua et precipue in regni ambitu contentarum, que tua debent protectione gaudere, eo quod illarum et aliarum defensor sis a Domino constitutus, sacrilegis infidelium manibus debeat demoliri, qua debet potius virtus Altissimi a fidelibus exaltari, pro divina reverentia et tue celsitudinis incremento prefatam ecclesiam reparari iubeas et ei bona sublata restitui, que integritatis sue tempore obtinebat. Ceterum quia nimietas libertatis, quam Sarracenis eisdem diceris indulsisse, damnosa Christianis de vicinia perhibetur et venit pluribus audientibus in horrorem, sublimitati tue placeat taliter ipsorum presumptiones elidere, quod vel in pauco non audeant tuorum corda fidelium pertur-

[a]) *quae sequuntur ex Rayn.*

1) *Ut videtur, Foiano in Capitanata, viginti milibus Luceria distans.* 2) *Id est Luceriam, ubi imperator subiectis in Sicilia Sarracenis sedes ad habitandum assignaverat. Ea cum in eius aevi monumentis subinde Nuceria vocatur.*

bare, presertim cum redemptori nostro quedam iniuria fieri videretur, si Belial filii, servitutis perpetue compede comprimendi, filios lucis in finibus nostris impeterent vel libertate pares se damnabiliter estimarent.

Data Anagnie, III Nonas Decembris, anno VI.

495.

Fridericus Romanorum imperator Gregorii IX litteris per Petrum de Vinea allatis[1] *respondens scribit, sacerdotii et imperii unionem semper individuam esse debere, ut unanimiter gladios sibi commissos in perversores fidei et rebelles imperii acuant; mittit ad eum Henricum de Morra et praefatum Petrum de Vinea*[2], *qui una cum [Landone] archiepiscopo Messanensi et episcopo Troiano voluntatem suam ei aperiant.*

1232, Dec. 3.

Greg. IX Reg. Vol. III, 78–79; Lib. VI, 268.
Ed. Huillard-Bréholles, Hist. dipl. Frid. II, t. IV, p. 408.

496.

Gregorius IX papa [Conrado II] episcopo Hildeshemensi mandat, ut de scriptura Herbipoli contra O[ttonem] diaconum cardinalem lecta in [Engelhardum] episcopum Nuemburgensem inquirat, et aut eius purgationem iuxta formam transmissam recipiat, aut suspensionis sententiam in eum a cardinali prolatam observari faciat. — Sequitur forma protestationis. *1232, Dec. 6.*

Greg. IX Reg. Vol. III, 56; Lib. VI, 182 et 183.
Potthast, Reg. 9055.

. . episcopo Ildesemensi.

Cum venerabilis frater noster . . Nuemburgensis episcopus de scriptura illa, que publice lecta fuit Erbipoli[3], unde contra dilectum filium nostrum O. Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconum cardinalem, tunc in partibus illis apostolice sedis legatum, scandalum fuit grave subortum, sit, sicut accepimus, graviter infamatus: nos, volentes et patris servare rigorem et matris non deserere lenitatem, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus inquisita super hiis diligentius veritate, si eum super hoc culpabilem non inveneris, eidem propter infamiam ob hoc contra ipsum exortam purgationem prestito corporaliter iuramento indicas, et indictam, si eam prestare poterit, iuxta formam, quam tibi mittimus presentibus interclusam, recipias publice coram multis. Et quia cronica infirmitate seu morbo sontico dicitur laborare, ipsum sententiis latis in eum a prefato legato, si ad apostolicam sedem in termino sibi prefixo legitimo impedimento detentus propter hoc venire nequivit, denunties non

---

1) *n. 488.* 2) *Apud Rycc. de S. Germ. a. 1232, SS. t. XIX, p. 369 legimus:* Mense Decembris pro facto Lombardorum Henricus de Morra magister iustitiarius ab imperatore ad papam nuntius mittitur, cum quo vadunt magister Petrus de Vinea, magister Petrus de Sancto Germano et magister Benedictus de Sernia, ut cum magistro iustitiario coram papa pro parte imperatoris ius ipsius ostenderent. 3) *Scil. litterae Alberti ducis Saxoniae et fratris eius Henrici comitis Ascaniae ap. Albericum Triumfontium a. 1231; SS. t. XXIII, p. 928. — De tempore huius concilii, a. 1231, Ian., cf. Schirrmacher in Forsch. z. deutsch. Gesch. t. VIII, p. 56.*

teneri. Si vero culpabilem in premissis eundem inveneris, vel indictam sibi purgationem iamdictam prestare non poterit, sententiam suspensionis, quam idem cardinalis in dictum episcopum et quosdam alios occasione huiusmodi promulgavit, faciens inviolabiliter observari, nobis quicquid super hoc factum fuerit, tuis litteris studeas fideliter intimare, ut procedamus exinde, prout secundum Deum viderimus procedendum.

Dat. Anagnie, VIII Idus Decembr. anno sexto.

Forma protestationis eiusdem iuramento firmate.

Ego . . Nuemburgensis episcopus protestor et assero, quod non fui in consilio neque in facto nec in consensu, quod littere ille, que lecte fuerunt in conventu apud Erbipolim, ubi dominus archiepiscopus Magdeburgensis[1] et ego cum quibusdam episcopis et aliis prelatis et clericis de mandato domini Ottonis Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconi cardinalis, tunc apostolice sedis legati, conveneramus, fierent vel legerentur ibidem, nec antea aliquid inde scivi: et hec assero et iuro esse vera. Sic me Deus adiuvet et hec sancta evangelia. Super culpa vero, quia post ea non contradixi, et aliis omnibus misericordiam vestram imploro et iuro stare mandatis vestris.

497.

Gregorius IX papa Friderico Romanorum imperatori gratias agit pro iis, quae [Lando] Messanensis archiepiscopus, episcopus Troianus et magister Petrus de Vinea sibi proposuerint, eumque rogat, ut abdicato spatio tarditatis quod conceperit ita prosequatur, ut viam rectitudinis abhorrentes ad gratiam conversionis accelerent. 1232, Dec. 7.

Greg. IX Reg. Vol. III, 55: Lib. VI, 180.

Friderico, Romanorum imperatori semper augusto, Ierusalem et Sicilie regi.

Ex hiis que in ore venerabilium fratrum nostrorum . . archiepiscopi Messanensis et . . episcopi Troiani ac dilecti filii magistri Petri de Vinea[2] nobis et nostris fratribus referenda imperialis posuit celsitudo, exultationis multitudinem colligentes, celorum regi ad gratiarum assurgimus actiones, quod pro eius honore, qui te in populo principem constituit precellentem, magnitudinem virtutis tue in hiis exercere desideras, per que Altissimi gloria, dignitas ecclesie et imperii sublimitas amplientur, per que fides catholica vigeat et heretica pravitas evanescat. Verum quia super hoc sancto et salutari proposito, necnon super aliis que beneplacito consonant Creatoris, mater ecclesia circa te, filium predilectum, intendit effundere gratie plenitudinem et favoris, ut eo facilius possis ad alta provehi, quo pleniori robore te perspexeris prefulciri, serenitatem tuam rogamus et obsecramus in Domino, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatinus abdicato spatio tarditatis deducere procurans in actum, que inspirante Domino laudabiliter concepisti, illa ita potenter et magnifice prosequaris,

1) *Albertus, qui interim, 1232, Oct. 15, mortuus erat.* 2) *Imperatoris epistola data Precinae Dec. 3 [n. 495] Dec. 7 Anagniae esse vix potuit; loquitur papa de legatione n. 488 commemorata et de alia mense Nov. missa, de qua Rycc. de S. Germ. a. 1232, SS. t. XIX, p. 369. — Propter negotium Romanorum preces suas urgentius innovat.*

quod viam rectitudinis abhorrentes ad gratiam conversionis accelerent vel in confusionis foveam deducantur, quod universa familia Redemptoris prosperitatis incrementa percipiat, et tam ecclesiastica quam imperatoria dignitas honore votivo proficiat et fulgescat. Ceterum alia per que predictum negotium prospere procuretur, memoratis archiepiscopo et episcopo excellentie tue commisimus reseranda, quibus fidem propitiam tribuas, et auctore Deo illa efficaciter exequi non postponas, presertim cum tibi super premissis principio, medio et fine secundum ecclesie consilium procedenti proposuerimus de fratrum nostrorum consilio prebere consilium, auxilium et favorem.

Dat. Anagnie, VII Idus Decemb. anno sexto.

498.

Gregorius IX papa I[uttae] marchionissae Misnensi indulget, ut si terra viri sui B[opponis] comitis de Henneberg et burcgravii Wirceburgensis interdicto supponatur, ei liceat summissa voce divina audire. *1232, Dec. 8.*

Greg. IX Reg. Vol. III, 58; Lib. VI, 194.

Nobili mulieri I. marchionisse Misnensi[1].

Devotionis tue precibus inclinati, ut si terram nobilis viri B. burcravii viri tui ob culpam ipsius supponi contigerit ecclesiastico interdicto, liceat tibi per clericos locorum ad te dotis ratione spectantium interdicto durante summissa voce, excommunicatis et interdictis exclusis, audire divina, dum tamen causam interdicto non dederis, auctoritate tibi presentium indulgemus. Nulli ergo nostre concessionis etc. Si quis autem etc.

Dat. Anagnie, VI Idus Decemb. anno sexto.

499.

Gregorius IX papa [Guidotto] episcopo Mantuano et priori de Marcaria mandat, ut excommunicationis sententiam a S[inibaldo] presbytero cardinali in homines castri de Leno pro eo promulgatam, quod monasterium de Leno gravaverint, per Brixiensem diocesim publicari faciant. *1232, Dec. 16.*

Greg. IX Reg. Vol. III, 65; Lib. VI, 224.

. . episcopo Mantuano et . . priori de Marcaria[a2] Mantuane diocesis.

Conquerente olim nobis dilecto filio . . abbate monasterii de Leno[3] ad nos nullo medio pertinentis nobis innotuit, quod homines castri de Leno Brixiensis diocesis in prefati monasterii preiudicium et gravamen presumunt in eodem castro auctoritate propria consules, consilium et officiales alios eligere, edere statuta sua, convocare

a) Marcar̄ *R.*

1) *Iutta, vidua Theoderici marchionis Misnensis, a. 1224 Bopponi comiti de Henneberg nupserat.* 2) *Ex occidente civ. Mantuae.* 3) *E meridie civ. Brixiae.*

contionem, campanas ad arengam habere, exercere temporalem iurisdictionem, ibidem possessiones quasdam in castro et extra ad monasterium ipsum spectantes communitatis nomine occupare, et in aquis et territorio monasterii construere molendina. Unde nos venerabili fratri nostro . . Parmensi episcopo[1] dedimus in mandatis, ut eisdem hominibus iniungeret, quod super premissis usque ad octavas sancti Michaelis[2] proximo preteritas, quas utrique parti pro peremptorio termino assignavimus, cum omnibus rationibus suis comparerent per procuratores idoneos coram nobis. Quo mandatum nostrum fideliter exequente, et dicto abbate per se ac conventu prefati monasterii per procuratorem legittimum comparentibus coram dilecto filio nostro S. tituli Sancti Laurentii in Lucina presbytero cardinali, quem super hoc dedimus partibus auditorem, Belmos.[a] filius Dominici Sartoris et Iohannes Bonus de Foiata, comparentes pro parte altera et mandatum sufficiens non habentes, se ad exceptiones frustratorias converterunt; quas cum idem cardinalis sicut nec debuit non duxerit admittendas, ipsi temere discesserunt, non obtenta eius licentia vel petita. Propter quod prefatus cardinalis in eosdem homines, consules, consiliarios et officiales eorum excommunicationis sententiam promulgavit. Quocirca mandamus, quatinus sententiam ipsam ab eodem cardinali rationabiliter promulgatam usque ad satisfactionem congruam publicetis singulis diebus dominicis et festivis, et faciatis eam per Brixiensem civitatem et diocesim publicari.

Dat. Anagnie, XVII Kal. Ianuar. anno sexto.

500.

Gregorius IX papa consulibus et populo Terracinensi notum facit, se domos, quas in monte Spineti aliisque locis extra muros civitatis suae facturi sint, in ecclesiae demanio retinendas duxisse. *1233, Ian. 4.*

Greg. IX Reg. Vol. III, 63; Lib. VI, 220.
Potthast, Reg. 9065.

Consulibus et populo Terracinensi.

Fidei vestre constantiam et fervorem frequenter experti, ad exaudiendas petitiones vestras, in hiis presertim que ad honorem et utilitatem ecclesie Romane pertinere noscuntur, esse volumus et debemus favorabiles et benigni. Vestris itaque supplicationibus inclinati habitationes, quas in monte qui vocatur Spinetum aliisque locis extra muros civitatis vestre proponitis vos facturos, et personas habitaturas in ipsis in ecclesie Romane demanium[b] duximus retinendas, ita quidem quod super temporalibus nemini penitus teneantur nisi Romano pontifici respondere.

Dat. Anagnie, II Non. Ianuar. anno sexto.

501.

Gregorius IX papa iisdem concedit, ut roccam Circeii reaedificent. *1233, Ian. 4.*

Greg. IX Reg. Vol. III, 63; Lib. VI, 221.
Potthast, Reg. 9066.

a) Belmos *R.* b) *ita R.* 1) *Graziae.* 2) *Oct. 6.*

Eisdem.

Fidei vestre etc. usque: inclinati, licentiam reedificandi roccam Circegii presentium vobis auctoritate concedimus eiusque custodiam Romane ecclesie nomine committimus confidenter, ita tamen quod per eam facietis guerram et pacem ad mandatum ipsius ecclesie Romane contra omnes homines, quotiens fueritis requisiti, et eidem ecclesie, ipsam roccam ad manus suas retinere volenti, sine difficultate aliqua resignabitis eam, quando fuerit vobis ab apostolica sede mandatum.

Data ut supra.

502.

Gregorius IX papa [Mauritium] archiepiscopum Rotomagensem et [Wilhelmum] episcopum Lexoviensem inhibere iubet, ne H. cancellarius Baiocensis pro litteris sigillatis byzantium exigat. *1233, Ian. 6.*

Greg. IX Reg. Vol. III, 65; Lib. VI, 255[a].

. . Rothomagensi archiepiscopo et episcopo Lexoviensi.

Ex parte venerabilis fratris nostri Baiocensis episcopi[1] fuit propositum coram nobis, quod H. cancellarius Baiocensis, qui sigillum tenet ipsius, prout ad se pertinere proponit, pro singulis patentibus litteris sigillo munitis eodem bizantium unum perperam exigere non veretur, in grave dispendium honestatis ipsius episcopi et salutis proprie detrimentum. Et licet ratione cancellarie competentes sint ei redditus assignati, necessaria tamen ab ipso pro se ac tribus hominibus et quatuor equitaturis et duo paria vestium pro ipso et singulis predictorum hominum contra iustitiam exigit annuatim. Unde humiliter petiit, ut eundem cancellarium cessare ab exactione huiusmodi mandaremus, presertim cum in aliis cathedralibus ecclesiis Rothomagensis provincie id cancellarii non presumant. Quocirca mandamus, quatinus si vobis de huiusmodi bizantii extorsione constiterit, dictum cancellarium ab exactione predicta auctoritate nostra sub apostolica obedientia[b] compescatis, super aliis vero vocatis, qui fuerint evocandi, et auditis etc. Testes autem etc.

Data Anagnie, VIII Idus Ianuarii, anno sexto.

503.

Gregorius IX papa Hartmannum comitem de Kiburg propter eius sollicitudinem extirpandi pravitatem haereticam cum bonis suis sub protectione sua suscipit. *1233, Ian. 8.*

Greg. IX Reg. Vol. III, 67; Lib. VI, 236.

Nobili viro Hartmanno comiti de Kiburch.

Solet annuere etc. usque: impertiri. Hinc est, quod nos sollicitudinem et diligentiam, quam, sicut ex insinuatione plurium nostro est apostolatui reseratum, circa

---

a) *ita apographum nostrum; male, cf. n. 501; legas* 225. b) *an* sublato appellationis obstaculo *legendum?*

1) *Thomae.*

negotium catholice fidei in illis partibus promovendum et extirpandam hereticam pravitatem habuisse et adhuc habere dinosceris, attendentes, preter commune debitum pastoralis officii, quo curam gerere cogimur singulorum, specialem tibi gratiam exhibendo, personam tuam, iuxta quod a nobis devotius postulasti, cum omnibus bonis tuis sub beati Petri etc. usque: communimus. Nulli ergo nostre protectionis etc. Si quis autem etc.

Dat. Anagnie, VI Idus Ianuar. anno sexto.

504.

Gregorius IX papa abbatem de Ile et archidiaconos Astringiae et Herlingiae monet, ut inter Frisones pacem reforment. *1233, Ian. 19.*

Greg. IX Reg. Vol. III, 74: Lib. VI, 255.
Potthast, Reg. 9077: sub Ian. 29.

. . abbati de Ile[1] Cisterciensis ordinis et . . Astringie[2] . . et Herlingie[a3] archidiaconis Bremensis diocesis.

Cogitans pacis consilia Dominus, cuius spiritus non nisi super quietum et humilem requiescit, detestatur dissentiones et prelia, que pericula pariunt animarum, propter quod gratum Deo prestant obsequium, qui ut discordantes ad concordiam redeant, diligentiam et sollicitudinem interponunt. Significantibus sane dilectis filiis . . decano[4] et . . scolastico Bremensi nobis innotuit, quod in archidiaconatibus officiis eorum annexis populi, qui Frisones vulgariter appellantur, tanquam odientes requiem continuo adinvicem preliantur, ad mutuum exterminium toto conamine molientes, ad quos regione turbata accedere aliquis non presumit, qui ad faciendum pacem vel treuguam inducat eosdem, nec ipsi etiam pati volunt, ut per alios quam per magnos principes vel eorum nuntios ad hoc destinatos ab ipsis ad concordiam invitentur, cum ad hoc induci per alios indecens reputent et indignum. Cupientes igitur, cum simus illius vicarii, qui est pacis amator et auctor, ut predicti populi ad vinculum redeant caritatis, monemus, quatinus ad eos ex parte nostra personaliter accedentes, studeatis inter ipsos pacis federa reformare, illos ad hoc sollicitis monitis et exhortationibus inducendo, ita quod per diligentiam vestram inter ipsos interveniat fedus pacis, et vos possitis ex hoc felicitatis eterne gaudia promereri. Quod si non omnes etc.

Dat. Anagnie, XIIII Kal. Februar. anno sexto.

505.

Gregorius IX papa Friderico Romanorum imperatori sub poena trium milium marcarum argenti mandat, ut usque ad quindecim dies post festum resurrectionis [April. 17] procuratores sufficienter instructos pro pace cum Lombardis tractanda ad sedem apostolicam mittat. *1233, Ian. 26.*

Greg. IX Reg. Vol. III, 75; Lib. VI, 258.

---

a) H'lingie *R.*

1) *Ihlo in Frisia orient. prope Aurich.* 2) *territorium Oestringen ibidem.* 3) *Harlingerland ibidem, ora maritima.* 4) *Gernando.*

Friderico, Romanorum imperatori semper augusto, Ierusalem et Sicilie regi illustri.

Dilectis filiis magistris Benedicto et Petro de Sancto Germano[1] imperialis aule iudicibus, quorum diligentiam et sollicitudinem possumus merito commendare, pro tractanda concordia, quam inter tuam excellentiam et Lombardos auctore Deo faciendam assumpsimus, in nostra presentia constitutis, licet ex parte tua venirent in medium sufficientia munimenta, quia tamen Lombardorum nuntii ad nostram presentiam destinati ad tractandum de pace iuxta compromissi formam[2] mandatum sufficiens non habebant, nos, super illa procedere nequeuntes, procuratores eosdem ad illos sub certa mandati forma duximus remittendos, sicut per scripti tenorem, quem tibi latores presentium assignabunt, poterit eliquere. Quocirca excellentie tue sub pena trium milium marcarum argenti mandamus, quatinus ad tractandum de ipso negotio, et specialiter super articulis in compromisso contentis, necnon ad audiendum, recipiendum et faciendum quicquid pro eodem negotio duxerimus ordinandum, sive ad complendum omnia tam generaliter quam specialiter, que compromissi forma requiret et per procurationis officium legitime poterunt expediri, usque ad quindecim dies post festum resurrectionis Dominice proximo venturum procuratores sollempnes sufficienter instructos et sufficiens mandatum habentes ad nostram procures presentiam destinare. Ceterum sub pena sex milium marcarum argenti celsitudini tue districtius inhibemus, ne aliquid interim facias vel procures effici, per quod contingat pacis negotium impediri. Alioquin, si contra feceris, preter congruam satisfactionem dampnorum penam iamdictam te noveris incursurum.

Dat. Anagnie, VII Kal. Februar. anno sexto.

506.

Gregorius IX papa Lombardis idem mandat verbis mutatis. *1233, Ian. 26.*

Greg. IX Reg. Vol. III, 75; Lab. VI, 259.

Rectoribus societatis Lombardie, potestatibus et consiliis civitatum eiusdem.

Dare pacem gentibus et salvum reddere Salvatoris populum cupientes, eo quod nostri sit officii illam quibusque fidelibus procurare, in voluntate gessimus concordiam, quam inter carissimum in Christo filium nostrum Fridericum, Romanorum imperatorem etc., ac vos auctore Domino faciendam assumpsimus, abdicato spatio tarditatis ad finem deducere salutarem. Sed quia procuratores vestri in nostra presentia constituti pro singulis civitatibus societatis vestre ad tractandum de ipsa iuxta compromissi formam mandatum sufficiens non habebant, nos, super illa procedere nequeuntes, procuratores ad vos duximus remittendos. Verum ne huiusmodi negotium, ex quo multa possent evenire pericula, nimis maneat in suspenso, universitati vestre sub pena trium milium marcarum etc. ut supra usque: proximo venturum pro singulis civitatibus societatis Lombardie, Marchie et Romaniole procuratores sollempnes etc. usque: destinetis. Ad hec sub pena sex milium marcarum argenti etc. usque: incursuros.

Dat. ut supra.

1) *Cf. p. 399, not. 2.* 2) *Cf. n. 466.*

507.

Gregorius IX papa [Ottoni III] archiepiscopo, archidiacono et magistro scholarum Ianuensibus mandat, ut excommunicationis et interdicti sententias a [Petro] episcopo Tortonensi in cives Tortonenses pro eo promulgatas, quod iniqua statuta ediderint, inviolabiliter observari faciant.

1233, Ian. 28.

Greg. IX Reg. Vol. III, 82—83; Lib. VI, 279.

. . archiepiscopo, archidiacono et magistro scolarum Ianuensibus.

Ad audientiam nostram venerabili fratre nostro Terdonensi episcopo referente pervenit, quod H. Granon.[a] et quidam alii statutarii et comune Terdonense enervare libertatem ecclesiasticam satagentes, statuta quedam, immo verius destitutiva salutis, in nostram et apostolice sedis iniuriam et contemptum in civitate sua temeritate propria ediderunt, videlicet quod nullus extra districtus eorum presumat apostolicas litteras impetrare, et quod pena decem librarum Papiensis monete, quotienscumque quis contra fecerit, puniatur, alienandi feuda episcopi preter ipsius assensum ac in omnibus causis appellandi ab ipsius sententia ad Terdonensem curiam tradita cuilibet libera potestate. Si vero laicus in clericum manus iniecerit vel alias ipsum offenderit, non magis quam clericus ab episcopo, si forte laicum percuteret, puniatur, clericorum contractibus, si maior pars ipsorum consenserit, in suo robore permansuris, aliquo privilegio ecclesiastico non obstante. Alias quoque terram eiusdem episcopi et ecclesie sue bannis et aliis statutis nequiter supponentes, iurisdictionem et iura ipsius contendunt dampnabiliter annullare. Cumque iidem statutarii et comune ab eodem episcopo moniti diligenter, ut statuta huiusmodi de suis capitularibus abolerent, id facere penitus recusarent, ipse[b] hoc nolens sicut nec debebat equanimiter comportare, in eos et fautores eorum excommunicationis et in terram interdicti sententias tam sua quam auctoritate metropolitica promulgavit, privatis nichilominus filiis et nepotibus eorundem omni loco et beneficio ecclesiasticis, que in civitate vel diocesi obtinent Terdonensi. Sed ipsi tamquam in sua malitia obstinati, sententiis huiusmodi vilipensis, nuper cum O. cive Papiensi ad regimen eorum assumpto se ad observationem statutorum predictorum iuramento interposito dampnabiliter obligarunt: super quo idem episcopus apostolice sedis remedium, que scit et potest temeritates elidere presumptorum, humiliter imploravit. Ne igitur prefati statutarii et comune de sua possint malitia gloriari, mandamus, quatinus sententias ipsas singulis diebus dominicis et festivis pulsatis campanis et candelis accensis sollempniter innovantes, faciatis easdem, sicut rationabiliter sunt prolate, auctoritate nostra usque ad satisfactionem condignam sub apostolica obedientia[c] inviolabiliter observari, civitatibus illis et aliis locis adiacentibus firmiter iniungentes, ut aliquem de civitate predicta in potestatem seu rectorem assumere non presumant, donec ab eis statuta huiusmodi et quidquid ex hiis vel ob ipsa secutum esse dinoscitur revocentur, et predicte sententie fuerint relaxate. Quod si non omnes —, tu, frater etc.

Dat. Anagnie, V Kal. Februarii, anno sexto.

a) Granoñ *R.* b) ipsi *R.* c) *an* sublato appellationis obstaculo *legendum?*

508.

Gregorius IX papa Fridericum Romanorum imperatorem monet, ut ad deponendam superbiam protervorum, qui ecclesiae et imperii dignitatem impetant, ad loca sibi vicina sine mora se conferat et impiis resistat. Cf. n. 488. *1233, Febr. 3.*

Greg. IX Reg. Vol. III, 79; Lib. VI, 269.
Potthast, Reg. 9082.

Friderico, Romanorum imperatori semper augusto, Ierusalem et Sicilie regi illustri.

Qua fide, qua devotione matri ecclesie debeas, fili karissime, complacere, censemus indignum explicare litteris, cum tibi sit evidens multiplicibus argumentis. Recursum igitur ad exprimendam instantiam necessitatis habentes, cum spem firmam et securam fiduciam habeamus, quod tua[a] reputes que contingunt ecclesie, sive sinistra vel prospera videantur, celsitudinem tuam rogamus, monemus et hortamur attentius, quatinus prudenter attendens quod sine iniuria filii mater nequeat improborum nequitia lacessiri, presertim cum ad instar lampadis contento lumine relucentis illi honore mutuo debeant radiare, ad deponendam superbiam protervorum, qui velut amentes effecti tam ecclesie quam imperii dignitatem et conantur impetere et dampnabiliter cogitant conculcare, spe sibi proposita quod celesti virtute vel humana potentia eorum nequeat elatio deici vel protervia vacuari, ad loca nostre vicina presentie te conferas sine mora, ut resistens impiis dextera triumphanti fatuorum faciem ignominia repleas, et tu in extremis terre prepotentie titulo ad tuam et matris gloriam refulgescas. Verum quia huiusmodi negotii qualitas alicuius exceptionis obstaculum non admittit, volumus ut illam, etiam si ex imminentibus tibi negotiis consurgere videatur, in medium non producas, set nostram et tuam exurgas iniuriam vindicare, sciturus quod si divina potentia in virtute tua cornua confregerit huiusmodi Psal. 74, 11 superborum, satis sunt expediri facilia que tuis apparent beneplacitis aliena.

Dat. Anagnie, III Non. Febr. anno sexto.

509.

Gregorius IX papa compositionem inter [Sigefridum III] archiepiscopum Moguntinum et Conradum lantgravium Thuringiae iuniorem super castro de Hilebere [Heiligenberg], villis et aliis rebus mediante magistro Conrado de Marburg amicabiliter initam confirmat. *1233, Febr. 4.*

Greg. IX Reg. Vol. III, 86; Lib. VI, 286.
Potthast, Reg. 9084.

. . archiepiscopo Maguntino.

Ea que iudicio vel concordia etc. usque: communiri. Presentate siquidem nobis tue fraternitatis littere continebant, quod cum dudum inter te ac nobilem virum Conradum langravium Thuringie iuniorem super castro de Hilebere, villis, possessionibus et rebus aliis gravis discordia instigante humani generis inimico suborta fuisset, ita

---

[a]) tue *R.*

quod dictus langravius et sui in castrum Fislariense[1], quod ecclesie Maguntine specialis iuris existit, hostiliter irruentes, illud incendio devastassent et alia multa perpetrassent ibidem, tandem mediante dilecto filio magistro Conrado de Marburc, predicatore verbi Dei in Alamania, inter vos amicabilis compositio intercessit, quam ut apostolico dignaremur munimine roborare, a nobis humiliter postulabas. Nos igitur tuis devotis postulationibus grato concurrentes assensu, compositionem iam dictam, sicut sine pravitate provide facta est et ab utraque parte sponte recepta et hactenus pacifice observata, auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Nulli ergo nostre confirmationis etc. Si quis autem etc.

Dat. Anagnie, II Nonas Februarii, anno sexto.

510.

Gregorius IX papa Friderico Romanorum imperatori conqueritur, quod licet [Lando] archiepiscopus Messanensis et Henricus de Morra et P[etrus] de Vinea, eius nuntii, eum ad defensionem fidei paratum ostenderint, nunc ad partes Siciliae se convertat; iterum festinatum eius auxilium requirit. Cf. n. 508. *1233, Febr. 10.*

Greg. IX Reg. Vol. III, 86—87; Lib. VI, 289.
Potthast, Reg. 9088.

Frederico, Romanorum imperatori semper augusto, Ierusalem et Sicilie regi illustri.

Nuper audito per relationem venerabilis fratris nostri . . archiepiscopi Messanensis et dilectorum filiorum nobilium virorum Henrici de Murra imperialis iustitiarii ac P. de Vineis imperialis aule iudicis, nuntiorum tuorum[2], quod ad defensionem fidei et conservationem ecclesiastice libertatis ac tuitionem patrimonii beati Petri viriliter te parabas, exultavimus pro te in Domino et ei gratiarum retulimus actiones. Set quanto maius attulerant gaudium huiusmodi letus rumor[a] et fama iocunda, tanto maiori sumus dolore turbati, quod, sicut audivimus, premissis defensione ac tuitione postpositis et omissis imperii negotiis, quibus te oportuerat imminere, ad partes Sicilie te convertis[3]. Utrum autem in hoc imperialis discretio discrete provideat, tua circumspectio equo libramine moderetur. Cum itaque ad te tamquam principalem defensorem ecclesie, tum ratione regni quod obtines ab eadem, tum etiam imperii propter quod eiusdem ecclesie defensor existis, ac specialis affectionis quam ad personam tuam habere dinoscitur, ipsius defensio pertinere noscatur, te sicut carissimum in Christo filium ac defensorem eiusdem in hoc necessitatis articulo duximus requirendum. Ideoque celsitudinem tuam rogamus, monemus et obsecramus in domino Iesu Christo, ac in remissionem tibi iniungimus peccatorum, quatinus ad defensionem predicti patrimonii, si fieri poterit, per te ipsum, alioquin per tuos, potenter et viriliter te accingens, in manu potenti et extento brachio matri tue studeas subvenire, et cum apostolica sedes auxilio indigeat festinato, nullius occasionis dilatio Prov. 31,19. intercedat. Mitte igitur, fili karissime, ad fortia manum tuam et milita in obsequium Iesu Christi, ac vota tibi eius preeunte gratia inspirata ipso adiuvante gratuito pro-

a) humor *R.*

1) *i. e. Frizlariense.* 2) *Cf. n. 495.* 3) *Praecipue propter Messanensium rebellionem; cf. Annal. Sic. a. 1231 et 1232, SS. t. XIX, p. 497; et Breve Chron. de reb. Sic. ap. Huillard-Bréholles, l. c. t. I, p. 904 et 905.*

sequaris, ut tue devotionis sinceritas clarius eniteseat, et nos tuis profectibus et honori, quantum cum Deo poterimus, spiritualiter et temporaliter intendamus. Ut ergo tue devotionis zelum, quem ad eandem ecclesiam habere te asseris, operum exhibitione demonstres, circa hoc animi tui motum nobis potius factis quam litteris studeas intimare.

Dat. Anagnie, IV Idus Februarii, pontificatus nostri anno VI.

511.

Gregorius IX papa compositionem inter priorem et fratres Praedicatorum Wormatiensium ex parte una et [Henricum II] episcopum Wormatiensem ex altera super quibusdam areis civitatis illius initam confirmat. Cf. n. 157.

1233, Febr. 10.

Greg. IX Reg. Vol. III, 87; Lib. VI, 290.
Potthast, Reg. 9087.

. . priori et fratribus ordinis fratrum Predicatorum Warmaciensium.

Ad tollendas lites, quas fraternum plerumque odium comitatur, per quas etiam quies profectusque regularium impeditur, speciali sollicitudine intendere nos oportet, quamquam generaliter omnium fidelium amplecti pacem et querere ex iniuncte nobis amministrationis officio teneamur. Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis, quod olim inter vos ex parte una et venerabilem fratrem nostrum episcopum et dilectos filios capitulum Warmaciense ex altera super quibusdam areis, quas in civitate Warmaciensi ad edificandum et habitandum emistis, questione suborta, post compositionem quandam inter vos factam per dilectum filium nostrum O[ttonem] Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconum cardinalem, tunc apostolice sedis legatum, et ordinationem, quam . . decanus Treverensis et coniudices sui delegati a nobis fecerunt, tandem talis inter vos et eundem episcopum amicabilis compositio intervenit, videlicet quod prefatus episcopus vobis et successoribus vestris emendi aream sive locum ad ecclesiam construendam et claustrum et inhabitandi, ubicumque volueritis infra muros civitatis eiusdem, excepto illo loco dumtaxat ubi priores habueratis areas, salva in aliis ordinatione predicta, auctoritatem tribuit et assensum, censu sibi debito in eodem loco quem emendum et construendum duxeritis reservato, prout in litteris confectis exinde plenius continetur. Quare nobis humiliter supplicastis, ut compositionem ipsam apostolico dignaremur munimine roborare. Nos igitur vestris devotis precibus inclinati, supplentes si quis est ex eo defectus, quod consensus predicti capituli in premissa compositione ultima non accessit, de nostre plenitudine potestatis compositionem eandem, sicut sine pravitate provide facta est et sponte ab utraque parte recepta, auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Nulli ergo nostre — confirmationis etc. Si quis autem etc.

Dat. Anagnie, IV Idus Februarii, anno sexto.

512.

Gregorius IX papa [El-Aschraf] soldanum Damasci hortatur, ut fratres ordinis Minorum ad ipsum pro sua et suorum salute directos libenter suscipiat et diligenter audiat.
1233, Febr. 15.

Greg. IX Reg. Lib. VI, 295. Edimus hanc epistolam ex Rayn. Ann. eccl. a. 1233, § 16—22, partem extremam, quam omisit, addentes ex Wadding, Ann. Min. t. II, p. 314 [W.].
Potthast, Reg. 9093.

Soldano Damasci viam agnoscere veritatis.

Celestis altitudo consilii et immensa benignitas Dei excelsi hoc inter universa, que condidit, rationali tantum creature concessit, ut sapientie oculus per opus Opificem, per creaturam agnosceret Creatorem; et ad totius ignorantie tenebras expellendas tres ordines electorum velut tria candelabra per quedam sibi succedentium spatia temporum, patriarchas primo, secundo prophetas, apostolos tertio direxit in via. Patriarchas a [1 Cor. 13 12.] ceca multitudine separatos, iustitia insignes, angelorum susceptores, Deum facie ad faciem intuentes, in fundamento fidei posuit, scriptura dicente: 'Credidit Abraham [Gen. 15,6.] Deo, et fuit ei ad iustitiam reputatum'; et vere credidit, qui cum tres viros cerneret, unam divinam in eis substantiam adoravit, iuxta quod Isaias audivit Cherubin in celo [Es. 6,3.] clamantia: 'Sanctus, sanctus, sanctus, dominus Deus Sabaoth', dicente David: [Psal. 66,8.] 'Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, et metuant eum omnes fines terre', cum ter sanctus et ter Deus sit pro personarum numero positum, 'dominus Deus Sabaoth', et 'metuant eum omnes fines terre' pro essentie unitate subiunctum, attribuente scriptura Patri potentiam, sapientiam Filio, et Spiritui sancto benignitatem, proprietate mysterii, cum sit potentia, sapientia et benignitas una trium, sicut ipsi sunt unum. Deinde prophetas ex Hebreorum populo, qui credebat, electos, fide summos, sanctitate pollentes, claudentes et reserantes orationibus celum, curantes infirmitates hominum et suscitantes corpora mortuorum, post legem, quam per[a] Moysen edidit, velut parietes edificii consurgentis erexit. Apostolorum vero sacrum perfectumque numerum superduxit in operis complementum.

Et primum quidem luminare talium promissionum sponsione succendit. Ad Abraham, magnum patrem multitudinis gentium, in cuius carne fecit consistere testa- [Gen. 12,3.] mentum: 'In te', inquit, 'benedicentur universe cognationes terre'. Ad Isaac: [Gen. 22,18.] 'Benedicentur in semine tuo gentes'. Ad Iacob vero, qui per duodecim filios tribus [Gen. 28 13 et 14.] totidem et populum magnitudinis innumere propagavit: 'Ego sum', ait Dominus, 'Deus Abraham patris tui et Deus Isaac'; et post pauca: 'Dilataberis ad orientem et occidentem, septentrionem et meridiem, et cuncta benedicentur in te, in tuo semine tribus terre'. Iacob vero filiis suis per singulos benedicens, presentia tangens, futura prospiciens, ait de Iuda, ex cuius erant stirpe descensuri reges Ierusalem et tandem [Gen. 49,10.] Dei filius, homo Christus Iesus, per uterum intacte virginis nasciturus: 'Non auferetur sceptrum de Iuda et dux de femore eius, donec veniat, qui venturus est, et ipse erit expectatio gentium'.

Luminare quoque secundum talibus testimoniorum fulgoribus illustravit. Ait [Es. 7 14.] prophetarum precipuus Isaias: 'Ecce virgo concipiet et pariet filium et vocabitur [Es. 9,6.] nomen eius Emanuel'. Item: 'Parvulus natus est nobis et filius datus est nobis et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps [Ier. 31,32.] pacis'. Et Ieremias, sacerdos ex sacerdotibus et in matris utero consecratus: 'Novum',

a) per *deest ap. Rayn.*

inquit, 'faciet Dominus super terram, femina circumdabit virum'. Item Baruch: 'Deus Bar. 3,36-38. noster est, et non estimabitur alius adversus eum. hic adinvenit omnem viam discipline et tradidit illam Iacob puero suo et Israel dilecto suo: post hec in terris vixit et cum hominibus conversatus est'. Et Dominus per Osee: 'Ex Egypto', inquit, 'vocavi Os. 11,1. filium meum'. Et per Micheam: 'Et tu Bethleem Ephrata parvula es in milibus Mich. 5,1 Iuda: ex te enim[a] egredietur, qui sit dominator in Israel, et egressus eius ab initio, a diebus eternitatis'.

Denique illud semen benedictionis et gratie, quod promissum fuerat patriarchis, de quo cecinit Isaias dicens: 'Nisi Dominus reliquisset nobis semen, quasi Sodoma Es. 1,9. fuissemus et quasi Gomorrha', civitates videlicet, quas subvertit Dominus in momento. Et item: 'Rorate celi desuper et nubes pluant iustum, aperiatur terra et germinet Es. 45,8. Salvatorem et iustitia oriatur simul. Ego Dominus creavi eum'. Et David: 'Veritas Psal. 84,12. de celo orta est et terra nostra dedit fructum suum'. Et cum de morte ac remuneratione fidelium loqueretur: 'Hec est', inquit, 'hereditas Dei domini filii merces, qui Psal. 126,3 fructus est ventris'[1]; per operationem sancti Spiritus in intacte virginis utero seminatus, cibus hominum et salus fieri voluit penitentium. Poterat autem nos absque sua humiliatione redimere, qui cum Deo patre et Spiritu sancto potuit omnia sine aliqua difficultate creare: sed sapientia sapienter cuncta disponens, attulit illud genus remedii, quo solo[b] dilectioni fierent obnoxii liberati, sicut prophetaverat Isaias: 'Disciplina pacis Es. 53,5 et 7 nostre super eum et livore eius sanati sumus'. Et iterum: 'Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum. Sicut ovis ad occisionem ducetur'. Et post pauca: 'De angustia et de iudicio liberatus est, generationem eius quis enarrabit'? Et iterum: Ibid. 8. 'Tradidit in mortem animam suam et cum sceleratis deputatus est, et ipse tulit pec- Ibid. 12. cata multorum'.

Hic in fine temporum, iuxta quod prophetarum vaticinio fuerat presignatum, angelo nunciante conceptus est. Nascentem stella nove lucis apparens nuntiavit regibus Orientis et angelus in Iudea pastoribus ovium, quorum simplicitas verbum non perverteret nec mutaret auditum, cum quo facta est subito celestis militie multitudo laudantium Deum et dicentium: 'Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus Luc. 2,14 bone voluntatis'. Ipse dedit regibus intellectum, qui dederat signum, et quod fecit intelligi, fecit inquiri: ac per ducatum novi sideris venerunt ad adorandum in pannis infantie dominum maiestatis. Iohannes, quo maior inter mulierum natos nemo surrexit, et qui tantus habebatur, ut Christus a populo crederetur, eum mox, ut vidit, digito demonstravit, dicens: 'Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi'. Post hec Ioh. 1,29 curavit ab omni morbo languentes et mortuos suscitavit. Illum quoque omnia elementa suum cognoverunt auctorem: sub plantis eius mare se calcabile prebuit et ad ipsius imperium fluctus et equora siluerunt; voluntas eius aquas transmutavit[c] in vinum, et ipsius benedictio pane modico multa hominum milia satiavit. Quo moriente terra contremuit, sol lucis sue radios occultavit, velum templi et petre scisse, ac aperta sunt monumenta, et cum surgente apparentia multa corpora mortuorum multis in civitate testibus surrexerunt. Ad extremum, temporali quam pro totius mundi salute pati dignatus est morte calcata, vicarios operis sui reliquit apostolos, et concedens eis eadem faciendi miracula potestatem, ipsis cernentibus est elevatus in celum, et iudicaturus vivos et mortuos expectatur. Ipsi etiam, quos reliquit in tertium luminare, nichil minus miraculorum, que Deum fecisse viderant, effecerunt; et quotidie tam per venerabiles ipsorum reliquias quam per eos, qui fidem et opera sectantur eorum,

---

a) *lege* mihi. b) *an* soli? c) *ita correxit Rayn. pro* transuberavit; *W. legit:* transsubstantiavit.

1) *Sed hoc verba psalmistae non significant.*

catholica mater ecclesia miraculis illustratur, dum ceci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, liberantur energumeni, mortui suscitantur, quod in alia religione non contigit nec continget.

Quia igitur debitores sumus omnium salutem querere, servus servorum illius, qui neminem vult perire, non immerito circa te et subditos tuos misericordie visceribus [Rom. 2,11.] affluentes, affectum Pauli gentium doctoris induimus, qui sciens creatorem omnium acceptionem non facere personarum, conformatus infirmis et omnibus omnia factus est, ut omnes Domino lucraretur. Scientes insuper instare tempus correctionis errantium animarum et gentes ante conversionem Israelis, qui adversus est, ad fidem per gratiam intraturas, vobis, qui hucusque resistitis, et evangelii Iesu Christi, filii Dei, boni videlicet nuntii, quod per se ipsum attulit et transmisit, notitiam non habentes, sicut abyssus instabilis sensu carnis contra catholice navem ecclesie fluctuatis[a], verbum Christi et celatum a seculis Christiane fidei sacramentum, non simul omnibus sed, sicut ab eterno sapientia divina disposuit, aliis post alios revelatum, eterne videlicet mysterium salutis et pacis, annuntiare decrevimus: Iesum Christum, verum Deum, veri Dei filium, tibi et tuis per epistolam nostram et per viros virtutis eius, ministros [Rom. 4,17.] gratie, predicamus, si forte Deus omnipotens, qui vocat ea, que non sunt, sicut ea que sunt, illud lumen infundat cordibus vestris, quod vocationem omnium gentium [Ioh. 1,11.] prefigurans trium in Oriente quondam magorum cordibus aspiravit, quod in propria [1 Ioh. 1,6.] veniens susceptum non fuit a suis, quod per evangelium Pauli populus, qui ambulabat in tenebris, apprehendit, quod nunc quoque lucet in tenebris nec videtur ab eis, quia venire nequit ad veritatis indaginem, qui non reliquit errorem. Unde celestem curiam et celum et terram in testimonium invocamus: si enim, quod absit, fidem tot argumentis, talibus testimoniis, tantis signis et miraculis iugiter approbatam suscipere ac tenere negligitis, nullam penitus de peccato pretendere, nullam in eius conspectu, qui seculum iudicare per ignem in potestate ac maiestate venturus est, poteritis excusationem habere.

Ceterum vos, non vestra requirimus, animarum vestrarum cum Iesu Christo lucra sitimus, nichil de facultate subtrahere querimus vel minuere de honore; sed provehere vos et ampliare potius affectamus. Erit proinde dante Christo Iesu nostris affectibus incrementum, ut tu, qui et caput et princeps es populi tui, per gratiam intellectus, quo a multitudine subiecta discerneris, si proposita tibi per pacis nuntios audieris patienter, per cognitionem fidei efficiaris Christo primitie populi credituri, sicut de quarundam principibus nationum factum est, qui soli data sibi desuper significatione credentes, multorum et precipue subiectorum causa salutis effecti, temporali gloria non amissa sed aucta, celeste regnum, quod nunquam finitur, a Deo percipere meruerunt[b]. Quapropter tuam exhortamur industriam et tibi per eum qui cuncta creavit iniungimus, quatinus dilectos[c] filios . . et . . fratres ordinis fratrum Minorum, ad te pro tua et tuorum salute directos, libenter suscipere debeas et diligenter audire, non reputans otiosum, quod a nobis in hac parte diebus novissimis inspiratione divina de fratrum nostrorum consilio, sitientium illuminationem omnium populorum, non sine sacrarum scripturarum est auctoritate provisum.

Dat. Anagn. XV Kal. Mart. pontificatus nostri anno VI.

513.

Gregorius IX papa [Fulconi] archiepiscopo Gneznensi et [Wizeslao] episcopo Cracoviensi et abbati de Andreor mandat, ut principes Poloniae, qui pauperibus custodiam

---

a) fluctuantis *Rayn.* b) *que sequuntur usque ad finem ex W.* c) diligenter W.

castorum et falconum committant, et si quae horum animalium effugiant vel deperduntur, ipsos pauperes in poena septuaginta marcarum condemnent, ad desistendum ab hac vexatione compellant. *1233, Febr. 25.*

Greg. IX Reg. Vol. III, 97; Lib. VI, 337.
Potthast, Reg. 9107.

. . archiepiscopo Gueznensi, . . episcopo Cracoviensi et . . abbati de Andreov[1] Cracoviensis diocesis.

Novum genus molestie dicuntur circa pauperes Polonie principes invenisse, videlicet quod ipsorum custodie committunt castores et falcones, qui si solita nidorum loca reliquerint, sequentes native spiritum libertatis, vel aliquis de pullis perditur eorundem, pauperes in septuaginta marcharum pena condempnant, pluribus illorum ex hoc, quod gementes referimus, dampnationis eterne materiam ingerendo. Nam cum tam iniquam et inauditam pati non valeant servitutem, ad perfidiam Rutenorum et Prutenorum transeunt, cohabitatione fidelium derelicta. Verum quia huiusmodi modus iniurie prorsus ad metam iustitie non accedit, eo quod domestice aves aliquando de clausuris et sepe de manibus detentorum . . .[a], et quia falcones huiusmodi seu queque rationali sensu carentia scientiam vel posse non habeant ad plenum humane dispositionis arbitria subeundi aut a custodibus deputatis, ut ita loquamur, de volatu licentiam postulandi, cum illuc alas explicando se dirigant, quo ipsas pertrahit aeree conditio qualitatis, quia etiam fidelium animas, quas Deus, Dei filius, redemit sui sanguinis pretio glorioso, avium intuitu vel ferarum Sathane predam effici detestabile decernimus et iniquum, presertim cum pro salute illarum exponendum sit potius quidquid in facultatibus hominum continetur: precipiendo mandamus, quatinus memoratis principibus suadentes, quod in consuetudine tam perversa Deo et hominibus offense nimietas inferatur, et id pati aliquando non possimus, eo quod super afflictione pauperum affligamur et cura nobis illorum immineat specialis, ipsos ab eorum huiusmodi vexatione desistere modo predicto per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellatis, proviso ne in terram dictorum principum excommunicationis etc. Quod si non omnes etc.

Data Anagnie, V Kalendas Martii, anno sexto.

514.

Gregorius IX papa archiepiscopis et episcopis Alamanniae mandat, ut haereticos et eos, qui postquam hanc pravitatem abiuraverint, ad eam revertantur, perpetuo carceri mancipent. *1233, Febr. 26.*

Greg. IX Reg. Vol. III, 101–102; Lib. VI, 355.

Archiepiscopis et episcopis per Alamaniam constitutis.

Ad capiendas vulpes parvulas, hereticos videlicet, qui moliuntur in partibus Cant. 2, 15
Alamanie tortuosis anfractibus vineam Domini demoliri, et penitus eliminandos ab ipsa suscepti cura regiminis nos hortatur. Ad nostram siquidem audientiam noveritis

[a]) *deest verbum.*

1) *Hodie Ondrejov sive Andrichau, ab oppido Cracoviensi inter meridiem et occidentem.*

pervenisse, quod quidam heretici in vestris diocesibus constituti, metu[a] mortis falso ad catholicam ecclesiam revertentes, nec non et plures alii de heretica pravitate convicti, ad errorem pravitatis eiusdem, quem a se abdicasse penitus videbantur, ut gravius scindere valeant catholicam unitatem, sepius revertuntur. Ne igitur per tales sub false conversionis specie catholice fidei professores perniciosius corrumpi contingat, mandamus, quatinus huiusmodi pestilentes, postquam de pravitate fuerint iamdicta convincti, si aliter puniti non fuerint, eos ita . . . .[b], quod quilibet vestrum in sua diocesi, ut ipsis det vexatio intellectum, in perpetuo carcere retrudatis.

Data Anagnie, IV Kalendas Martii, anno sexto.

515.

Gregorius IX papa archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis per Teutoniam constitutis mandat, ut Iudaeorum excessus, qui enumerantur, reprimant.

1233, Mart. 4.

Greg. IX Reg. Vol. III, 101; Lib. VI, 353.
Potthast, Reg. 9112.

Archiepiscopis et episcopis et aliis ecclesiarum prelatis per Teutoniam constitutis.

Sufficere debuerat perfidie Iudeorum, quod eos pietas Christiana solius humanitatis intuitu receptat et sustinet, quos hii, qui fidem catholicam persequuntur et nomen Domini non noverunt, in suam cohabitationem et consortium non admittunt. Ipsi enim ingrati gratie ac beneficiorum obliti nobis pro gratia contumeliam exhibent et de benignitate impia retributione contemptum, qui ex sola misericordia in nostram familiaritatem admissi sue deberent agnoscere iugum ex culpa propria perpetue servitutis. Accepimu siquidem, quod non sine dolore narramus et scribimus cum pudore, quod Iudei per Teutoniam constituti facti sunt adeo insolentes, ut illos excessus committere in contumeliam Christiane fidei non paveseant, quod non solum dicere sed etiam est nepharium cogitare. Habent etenim mancipia Christiana et circumcidi faciunt et iudaizare compellunt. Nonnulli etiam, non re sed solo nomine Christiani, sponte se transferentes ad ipsos et eorum ritum sectantes circumcidi permittunt et Iudeos se publice profitentur. Et cum in Toletano concilio[1] sit statutum et in generali[2] nichilominus innovatum, ne Christi blasphemus publicis preferatur officiis[c], cum nimium sit absurdum, ut talis in Christianos vim exerceat potestatis, nichilominus eis dignitates seculares et publica officia committuntur, quorum occasione in Christianos seviunt et nonnullos servare faciunt ritum suum. Habent preterea nutrices et famulas in domibus propriis Christianas, que apud eos illa committunt enormia, quod abominationi sunt audientibus et horrori. Et licet in eodem generali concilio caveatur, ut Iudei utriusque sexus in omni Christianorum provincia et omni tempore qualitate habitus ab aliis distinguantur, sic in quibusdam Teutonie partibus inolevit confusio, quod nulla differentia discernuntur. Cum igitur nephas sit, ut sacri baptismatis unda renatus infidelium ritu vel conversatione fedetur, ac religio Christiana

---

a) constituti qui metu *R.* b) *deest aliquid in R.* c) officiis *deest in R.*

1) *Primum in tertio a. 589 celebrato, ap. Mansi, Concil. Collect. t. IX, p. 996. In conciliis postea Toleti habitis hoc statutum saepius innovatum vel confirmatum est.* 2) *Lateranensi a. 1215, ap. Mansi l. c. t. XXII, p. 1058.*

perfidorum prematur dominio, si blasphemus sanguine Christi redemptum obnoxium detineat servituti, universitati vestre precipiendo mandamus, quatinus singuli vestrum in dioeesibus, ecclesiis et parrochiis suis premissos et consimiles Iudeorum excessus omnino reprimi faciatis, ne cervicem perpetue servitutis iugo submissam presumant erigere in contumeliam Redemptoris; districtius inhibentes ne de fide vel de ritu suo cum Christianis presumant aliquatenus disputare, ne sub pretextu disputationis huiusmodi in erroris laqueum quod absit simplices delabantur, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis; contradictores, Christianos videlicet, per censuram ecclesiasticam, Iudeos vero per subventionem comunem fidelium appellatione postposita compescendo.

Dat. Anagnie, IV Nonas Martii, anno VI.

516.

Gregorius IX papa Fridericum Romanorum imperatorem rogat, ut e privilegio Gaietanis concedendo illam clausulam: 'salvo servitio quod a Conrado rege curiae imperiali debetur', amoveat, et ut terras Gaietanorum usque ad quintum decimum annum filii sui [Landoni] archiepiscopo Messanensi et [Hermanno] magistro Teutonicorum administrandas committat. Mittit ad eum de hac re Iohannem de Capua, notarium suum.

1233, Mart. 21.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 3; Lib. VII, 11.

Friderico, Romanorum imperatori semper augusto, Ierusalem et Sicilie regi illustri.

Illum sinceritatis fervorem ad personam nostram credimus te habere, illoque circumspectionis vigere munere comprobaris, ut tacentibus nobis et aliis studiose cavere debeas, ne malivolis estuantibus libidine detrahendi occasionem prebeas, ut contra nos vel te ipsum linguas maliloquas acuant et relaxent, qui semper in suggillationem nostram et tuam recta quoque depravare nequiter moliuntur. Denique pro Gaietanorum oppressione ac aliorum, qui tempore discordie sedi apostolice adheserunt, tot contra nos submurmurant et in aperto nobis etiam imprecantur, ut quasi iam in scandalum, quod cum rubore referimus, pluribus facti simus, subsannantibus super eo quod plene provisum speravimus et speramus de concordia, que inter te et ecclesiam extitit reformata. Licet autem nullis dolosis suggestionibus vel subdolis argumentis a credulitate, quam de puritate tua habuimus et habemus, averti potuerimus ullo modo, quin potius adeo in hoc immobiliter perstiterimus, quod etiam apud bonos et graves non levem suspitionem noscimur incurrisse: considerantes tamen nonnullas inde posse difficultates emergere, quas non expedit litteris explicari, et credentes[a] firmiter, ut quod nobis iniuriosum existit, tibi debeas reputare probrosum, imperialem mansuetudinem iteratis monitis et precibus requirimus et pulsamus, obsecrantes per Patrem et Filium et Spiritum sanctum et bona fide nichilominus consulentes, quatinus nobis et tibi parcens provide in hac parte, cum dissimulationi[b] locus ulterius non supersit, huiusmodi negotio hac vice finem imponas, et maioris dilationis obstaculum non annectas, privilegium, amota ex eo illa clausula: 'salvo mandato et expresso in alia', videlicet salvo servitio quod a carissimo in Christo filio nostro Conrado, nato tuo,

---

[a]) credimus R. [b]) dissimulatione R.

curie tue inde debetur. concedens Gaietanis[1] et aliis supradictis, remittens eis omnem offensam, et in gratiam tuam ipsos restituens, ac securitatem eisdem tribuens et plenariam libertatem ad exercenda omnia negotia per regnum, imperium et ubique, patentes super hoc sibi litteras concedendo[2]. Venerabili quoque fratri nostro .. Messanensi archiepiscopo et dilecto filio .. magistro domus sancte Marie Teutonicorum usque ad quintum decimum annum eiusdem nati tui, cui supradicti fidelitatem iurabunt, committas eius nomine per alias litteras tuas liberam amministrationem terrarum hominum eorundem et omnium pertinentium ad easdem, ita quod si ambo vel alter decesserint, alii vel alius de consilio ecclesie loco subrogentur eorum, et si prefatus filius tuus cederet vel quod absit decederet, nichilominus premissa serventur usque ad terminum pretaxatum, que per litteras tuas promittas te nullatenus revocare. Pro hiis igitur expeditius apud tuam excellentiam promovendis dilectum filium magistrum Iohannem de Capua, notarium nostrum, virum providum et discretum, de cuius fide ac industria indubitatam fiduciam gerimus et tu plene potes confidere, cum honoris et exaltationis tue zeletur et cupiat incrementum, serenitati tue fiducialiter duximus transmittendum, quem sicut celsitudinem tuam decet benignitate recipiens et audiens consueta, super hiis, que tibi ex parte nostra duxerit proponenda, ei tanquam nobis fidem adhibeas et ad effectum ipsa deducere non postponas, ita quod obstruas amodo ora iniqua loquentium, sinceritatis tue titulus eniteseat, et ex filiali devotione nos ipsos ab inquietudine liberes, quam tam gravem pro hiis continuo sustinemus, ut a nobis et aliis intolerabilis merito reputetur.

Dat. Lateran. VIIII Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno septimo.

517.

Gregorius IX papa Fridericum Romanorum imperatorem monet, ut si ea, quae ei per I[ohannem] de Capua notarium et litteras suas proponat, non acceptet, formam pacis sibi ab eodem nuntio praesentatam observet, donec negotium per arbitros finiatur. Cf. n. 516. *1233, Mart. 24.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 4; Lib. VII, 12.

Eidem.

Si, quod absit, ea que per dilectum filium magistrum I. de Capua, notarium nostrum, ac per litteras celsitudini tue mittimus, non duxeris forsitan acceptanda, serenitatem tuam monemus et ab ipsa requirimus, quatinus observes formam pacis, quam tibi per ipsum facimus presentari, et emendatis dampnis amotisque violentiis arbitros, qui cum aliis ab ecclesia sunt electi, ut[a] secundum formam pacis predicte procedant, dirigere non postponas, non offensurus per te vel per alios in personis vel rebus eos, qui tempore discordie sedi apostolice adheserunt, donec negotium per arbitros finiatur.

Dat. ut supra[b].

a) ut *deest in R.* b) (III Kal. April. anno septimo) *a Pertzio apographo suo additum est, cuius auctoritate nescio.*

1) *Hoc privilegium non superest; sed id, quo imperator filio suo civitatem tradit, sub duplici forma adhuc extat: altera, ap. Böhmer, Acta Imp. p. 265, n. 301, data est a. 1233, Mart., altera, ab illa in nonnullis discrepans, quam papa 1233, Iun. 21 Gaietanis misit, nota chronologica caret: cum invenis infra sub n. 542.* 2) *Cf. n. 542 III et IV.*

518.

Gregorius IX papa [Eberhardo II] archiepiscopo Salisburgensi mandat, ut ad liberationem [Egberti] episcopi Babenbergensis, qui ab Henrico de Finkenstein dolo captus sit, libenter intendat. 1233, Mart. 26.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 2; Lib. VII, 6.

. . archiepiscopo Salzburgensi.

Nefande presumptionis auditus nunc graviter perculit aures nostras, quod nobilis vir Henricus de Vinkenstein, familiaris, consiliarius et iuratus venerabilis fratris nostri . . Bambebergensis episcopi, eum proditorie cum complicibus suis capiens[1], in quodam castro suo arte ipsum detinet custodie mancipatum. Ecce detestande culpe flagitium immensique doloris acerbitas, cum dictus nobilis de amico persecutor et de fido factus infidus contra eundem episcopum supplantationem eius presumpserit ampliare. Denique a tanta iniquitate illum saltem revocare debuerat reverentia universalis ecclesie, quam in persona ipsius episcopi enormiter offendere non veretur, tremendique formido iudicii, quod non poterit evitare. Sed forte Altissimo etiam filius ire et indignationis alumpnus rebellare disponit, qui eiectus ab eius facie culpis suis consilium cogitat, quod stabilire non valet, ut videlicet ab ipso recedens locum sibi refugii preparet preter ipsum, qui profecto si in celum ascenderet illic est, et si in Psal. 138,8. infernum descenderit ibi adest. Cum igitur in facto huiusmodi universalis ecclesie res agatur, preter quod decet te veluti magnum membrum ecclesie id prosequi tamquam proprium interesse, mandamus, quatinus ex compassionis affectu habens episcopi memorati personam in eo quod poteris commendatam, libenter et potenter intendas ad liberationem ipsius, et terram Bambebergensis ecclesie custodias interim, protegas et defendas, donec dictus episcopus pristine libertati fuerit restitutus, ita quod devotionem tuam benedictione apostolica congruisque favoribus prosequi debeamus.

Dat. Laterani, VII Kalendas Aprilis, anno septimo.

Scriptum est in eundem modum nobili viro . . duci Austrie.

519.

Gregorius IX papa abbati Rosacensi, decano maioris ecclesiae et praeposito Sancti Stephani Aquilegiensis mandat, ut in Henricum de Finkenstein, qui [Egbertum] episcopum Babenbergensem dolo ceperit, excommunicationis et interdicti sententias promulgent. 1233, Mart. 26.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 2; Lib. VII, 7.

. . abbati Rosacensi[2] Aquilegensis diocesis, . . decano maioris ecclesie et . . preposito Sancti Stephani Aquilegensis.

Nephande presumptionis auditus etc. usque: ibi adest. Cum igitur vires suas metiri nescierit et noluerit enumerare virtutes, ut videret, si tantum scelus committere

1) *Egbertus, e familia comitum de Andechs et ducum Meraniae, postquam bellando devicit Karinthiam, initio a. 1233 a dicto Henrico dolo capitur, per totam quadragesimam in captivitate tenetur et per Fridericum II ducem Austriae liberatur, Annal. Austriae, SS. IX, p. 626, 628 et 785.* 2) *Hodie Rosazzo, non multum ab oppido Cividale ad meridiem situm.*

posset impune totumque corpus ecclesie conculcare, districte precipiendo mandamus, quatinus predictum nobilem et omnes eius fautores singulis diebus dominicis et festivis pulsatis campanis et candelis accensis excommunicatos publice nuntietis et faciatis artius evitari, supponentes totam terram ipsorum districtissimo interdicto, ita quod preter baptismata parvulorum et penitentias morientium nulla in ea sacramenta ecclesiastica conferantur. In omnibus locis etiam, ad que accesserit dictus nobilis, quam diu ibi fuerit, divina interdicatis officia celebrari, donec eodem episcopo libertati plenarie restituto Deo et ecclesie dignam satisfactionem impendant[a], et cum vestrarum testimonio litterarum nostro se conspectui personaliter representent. Quod si non omnes etc.

Data ut supra.

520.

Gregorius IX papa [Theoderico II] archiepiscopo Treverensi nuntiat, se [Henrico] archiepiscopo Coloniensi inhibuisse, ne pendente inquisitione aliquid de bonis ecclesiae suae alienet, eique mandat, ut hoc publicari faciat. Cf. n. 459. 1233, Mart. 30.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 5; Lib. VII, 19.

. . archiepiscopo Treverensi.

Volentes indempnitati Coloniensis ecclesie paterna sollicitudine providere, venerabili fratri nostro archiepiscopo Coloniensi fecimus firmiter inhiberi, ne absque tua conniventia et assensu pendente inquisitionis negotio mutuum contrahat nec aliqua de bonis immobilibus ipsius ecclesie alienare audeat vel infeudare seu pignori obligare, ac eundem archiepiscopum, si contra fecerit, ipso facto a temporalium mandavimus amministratione suspendi. Quocirca mandamus, quatinus predictas inhibitionem et suspensionem per universas nundinas et loca, in quibus videris expedire, facias solempniter publicari, et ecclesiam ipsam, si archiepiscopus ipse contra presumpserit, ad solutionem alicuius pecunie propter hoc aliquatenus non teneri et contractum huiusmodi non valere.

Dat. Laterani, III Kalendas April. anno septimo.

521.

Gregorius IX papa communitatibus comitatus Lunensis mandat, ut coniurationes suas solvant et [Withelmo] episcopo Lunensi reverentiam exhibeant. 1233, April. 7.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 6; Lib. VII, 23.

Communitatibus comitatus Lunensis.

L. 58 6 Cum saluti expediat animarum et corporum, ut colligationes impietatis solvantur et fasciculi deprimentes, presentium vobis auctoritate precipiendo mandamus, quatinus destructis coniurationibus, quas in preiudicium Lunensis ecclesie audivimus vos fecisse,

a) *ita R.*

venerabili fratri nostro . . Lunensi episcopo cum nostra gratia redeunti de omnibus iuribus suis plenarie intendatis, reverentiam ei devotam et debitam exhibentes, ita quod ipsum favorabilem et nos in oportunitatibus vestris propitios sentiatis.

Dat. Lateran. VII Idus Aprilis, anno septimo.

522.

Gregorius IX papa rectoribus Urbis nuntiat, se fraternitates, quas laici in derogationem clericorum fraternitatis Urbis adinvenerint, penitus revocare. Cf. n. 487.

1233, April. 8.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 8; Lib. VII. 30.

Rectoribus Urbis.

Dudum nobis suggesto quod laici quidam de Urbe, habentes sed non secundum Rom. 10 2.
scientiam zelum Dei, sine apostolice sedis licentia quasdam fraternitates adinvenire sibi propria temeritate presumpserant, preter generalem consuetudinem hactenus observatam quasdam facientes solempnitates circa corpora defunctorum, creatis sibi thesaurariis et rectoribus propriis quibus super huiusmodi intendebant, et frequenter convenientes ut statuta servarent eorum, convivia certis temporibus celebrando in derogationem clericorum fraternitatis Urbis a longis retro temporibus approbate: nos, dubitantes ne sub eorum pretextu pertrahi valerent simplices in errorem, fraternitates ipsas mandavimus non servari, donec negotii circumstantiis indagatis super hoc duceremus aliter disponendum. Ceterum dilecto filio nobili viro Pand.[1] de Subura et quibusdam aliis civibus Romanis multa pro iamdictis fraternitatibus observandis in nostra proponentibus presentia constitutis, nos, volentes in negotio ipso cum maturitate procedere, dilectis filiis . . primicerio Urbis et collegis suis nostris dedimus litteris in mandatis, ut inspectis instrumentis coram nobis exhibitis, que ipsis sub bulla misimus interclusa, auditis etiam propositis coram eis et inquisita super totius negotii circumstantiis veritate, que invenirent studerent nobis suis litteris intimare. Ipsi vero vocatis propter hoc evocandis, receptis instrumentis coram eis exhibitis, auditis quoque super hoc consiliis diversorum, negotium ipsum sufficienter instructum ad examen nostrum cum relatione sua fideliter transmiserunt. Nos itaque scripta nobis exhibita et scripturas quasdam, quas ipsi regulam nominabant, nec non et litteras fere omnium prelatorum et capitulorum Urbis super hoc nobis transmissas diligenter inspici facientes, ac verentes ne fermentum quod absit pravitatis cuiuslibet sinceritatis azima fermentaret, cum fratribus nostris deliberatione habita diligente, de ipsorum consilio fraternitates easdem penitus irritamus et eas precipimus deinceps aliquatenus non servari, clericorum fraternitate in suo robore duratura; statuentes ut nulla preter predictam clericorum fraternitatem alia in Urbe de cetero presumatur: clericis qui contra presumpserint, et ecclesiis in quibus sepulta fuerint huiusmodi corpora defunctorum, suppositis ipso facto sententie interdicti, que sine speciali mandato Romani pontificis nullatenus valeat relaxari. Nulli ergo etc. Si quis autem etc.

Dat. Lateran. VI Idus Aprilis, anno septimo.

---

1) *Pandulfo?*

523.

Gregorius IX papa Hugoni Remensi et I[ohanni] Barat Catalaunensi archidiaconis et G. Goin canonico Remensi mandat, ut [Henricum] archiepiscopum Coloniensem ad cessionem inducant. Cf. n. 520. *1233, April. 19.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 9; Lib. VII, 38.

Magistris Hugoni Remensi et I. Barat Cathaulonensi archidiaconis et G. Goin canonico Remensi.

Cum negotium inquisitionis contra venerabilem fratrem nostrum . . archiepiscopum Coloniensem vobis sub certa forma duxerimus committendum, mandamus, quatinus eundem archiepiscopum ante omnia monere ac inducere sollicite procuretis, ut saluti sue ac fame provide consulens, per remedium sibi provideat cessionis, quam si faciendam duxerit, ipsam studeatis recipere vice nostra; proviso ne per monitionem huiusmodi prosecutio negotii differatur. Quod si non omnes etc.

Dat. Lateran. XIII Kal. Maii, anno septimo.

524.

Gregorius IX papa preposito Tilensi et scholastico et thesaurario Sancti Severini Coloniensis mandat, ut si [Balduinus] episcopus Semigalliensis in praepositos Sanctorum Apostolorum et Sancti Georgii Coloniensis excommunicationis sententiam promulgaverit, eam nullam esse denuntient. *1233, April. 22.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 9; Lib. VII, 37.

. . preposito Tilensi[1] Traiectensis diocesis, . . scolastico et . . thesaurario Sancti Severini Coloniensis.

Dilecti filii . . Sanctorum Apostolorum et . . Sancti Georgii ecclesiarum Coloniensium prepositi sua nobis insinuatione innotuerunt, quod cum venerabilis frater noster . . Semigalliensis episcopus ad partes Livonie legatus a sede apostolica mitteretur, et[a] per civitatem Coloniensem transitum faciens pro duobus diebus procurationem tredecim marcarum recepisset ibidem, postmodum per quendam clericum suum eis pro sua voluntate mandavit, ut in bono sibi palafrido et somario providentes, illos . . abbati Veteris Montis[2] Coloniensis diocesis suo nomine destinarent, alioquin in vigilia festivitatis beate Marie Magdalene[3] proximo tunc futura in eius curarent presentia comparere. Cumque iidem prepositi dicto abbati ad opus ipsius episcopi tam palafridum quam somarium transmisissent, abbas ipse pro suo velle remisit eosdem. Et quamvis memorati prepositi, dubitantes ne dictus episcopus occasione huiusmodi procederet in aliquo contra ipsos, ad sedem apostolicam appellarint, postmodum tamen ad eos rediens clericus ante dictus asseruit, quod sepefatus episcopus in ipsos, pro eo quod statuto termino in eius non curarant presentia comparere, sententiam excommunicationis protulerat, et mandabat excommunicatos publice

---

a) *et deest in R.*

1) *Hodie Tiel in prov. Geldern, ad Waal flumen.* 2) *Aldenberg prope Coloniam.* 3) *Iul. 21.*

nuntiari, nisi novem marcas pro summario et sex pro palafrido sibi nomine ipsius episcopi solvere procurarent, quod efficere denegarunt, cum etiam verbis eiusdem clerici fides adhibenda non esset, quia nullum exhibebat ex ipsius episcopi parte mandatum et olim furtive a sede apostolica recessisset propter vitium quod commiserat falsitatis. Quare nobis fuit humiliter supplicatum, ut si forte hac de causa iamdictus episcopus aliquid statuit contra ipsos, illud faceremus de benignitate sedis apostolice revocari. Cum igitur idem episcopus nullam in eosdem prepositos iurisdictionem recepisset a nobis, mandamus, quatinus, si est ita, sententias excommunicationis, si quas prefatus episcopus tulit in eos, nullas esse penitus nuntietis. Quod si non omnes etc.

Dat. Lateran. X Kal. Maii. anno septimo.

525.

Gregorius IX papa abbati et decano Sancti Gregorii Basiliensis diocesis mandat, ut excommunicationis et interdicti sententias in comitem Montis Belligardis pro eo promulgatas, quod abbatem et conventum Lutrensem e monasterio suo eiecerit eorumque mobilia devastaverit, inviolabiliter observari faciant. *1233, April. 28.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 17; Lib. VII, 76.
Potthast, Reg. 9169.

. . abbati et . . decano Sancti Gregorii
Basiliensis diocesis.

Dilecti filii . . abbas et conventus Lutrensis[2] monasterii, ad nos ut dicitur nullo medio pertinentis, sua nobis insinuatione innotuerunt, quod cum nobilis vir . . comes Montis Belligardis[3] Bisuntine diocesis monasterium ipsum cum omnibus bonis suis monachorum usibus deputatis detineat occupatum, devastatis et asportatis universis mobilibus ibidem inventis ac ipsis eiectis exinde violenter, venerabilis frater noster Bisuntinus archiepiscopus[4], loci diocesanus, in ipsum excommunicationis et in terram eius interdicti sententias auctoritate propria promulgavit, quas . . prior Sancti Pauli et . . thesaurarius Bisuntinus observari usque ad satisfactionem congruam auctoritate apostolica mandaverunt. Set cum, excecante malitia cor illius, induci ad Sap. 2.21
satisfactionem nullatenus potuisset, . . prior et . . cantor Sancte Marie Magdalene Bisuntine, recepto mandato a nobis ut, non obstante indulgentia per quam canonici ecclesie castri Montis Belligardis dicunt se non debere cessare a divinis officiis pro culpa comitis nisi eo in eodem castro presente, easdem sententias publicarent, ipsas per partes vicinas maxime apud castrum predictum solempniter innovarunt, et eas insuper prout in mandatis acceperant aggravantes, in tota terra eius interdixerunt ecclesiasticam sepulturam et in locis, ad que comes diverteret, quam diu ibi esset et per quinque dies post recessum ipsius, divina officia celebrari, ne quis ad mercata terre sue accederet, in ipsius molendinis moleret et furnis coqueret interdicto. Cum autem nec sic converti voluerit, ut faciem Domini quereret et salutis remedia imploraret, dicti abbas et conventus humiliter supplicarunt, ut predictorum prioris et

1) *In oppido Munster in Alsatia, ex occidente oppidi Colmar.* 2) *Lure ex oriente oppidi Vésoul.* 3) *De Montbéliard.* 4) *Nicolaus.*

cantoris processum robur faceremus firmitatis habere. Quocirca mandamus, quatinus, si est ita, faciatis illum, sicut est legittimus, usque ad satisfactionem condignam sub apostolica obedientia[a] inviolabiliter observari.

Dat. Lateran. IV Kal. Maii, anno VII.

526.

Gregorius IX papa potestati et populo Perusino sub poena mille marcarum mandat, ne contra civitatem Clusinam procedant nece in praeiudicium imperatoris aliquid attemptent. Cf. n. 193. *1233, Mai. 15.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 24; Lib. VII, 101
Potthast, Reg. 9193.

. . potestati et populo Perusino spiritum consilii sanioris.

Pati nolumus nec debemus, ut a nobis vel a nostris aliis inferatur, quod nobis vel nostris iure nollemus inferri, quia sicut iura nostra volumus illibata servari, sic ab aliorum debemus per nos vel nostros iniuriis abstinere, ne quod absit inde sumatur materia scandali, unde provida debet consideratione sedari. Accepimus siquidem et non utique acceptamus, immo grave gerimus et molestum, quod vos ad iura imperii manus temerarias extendentes, contra civitatem Clusinam in iniuriam carissimi in Christo filii nostri Friderici, Romanorum imperatoris semper augusti, Ierusalem et Sicilie regis illustris, nequiter vos armatis, non considerantes, quasi passi mentis exilium, quantum ex hoc civitatis vestre dispendium quantaque iactura vel lesio subsequatur. Nolentes igitur quod occasione vestri inter ecclesiam et imperium scandalum aliquod oriatur, universitati vestre per apostolica scripta sub debito fidelitatis et pena mille marcarum districte precipiendo mandamus, quatinus prudenter, prout convenit, attendentes quod ex hoc in illius possitis incidere difficultatis articulum, de quo liberari vix facile valeretis, tam ab ipsius civitatis quam aliorum locorum imperii iniuriis temperantes, contra eam nullatenus procedatis nec in eiusdem imperatoris preiudicium aliquid attemptetis; scituri quod si secus egeritis, quod non credimus, et penam eandem usque ad ultimum quadrantem a vobis exigi faciemus, et contra vos gravabimus spiritualiter et temporaliter nichilominus taliter manus nostras, quod pena docente scietis, quam malum sit et amarum mandatis apostolicis contraire.

Dat. Laterani, Idibus Maii, anno VII.

527.

Gregorius IX papa caliphae de Bagdad in eundem modum atque soldano Damasci scribit. Cf. n. 512.

1233, Mai. 26.

Greg. IX Reg. Lib. VII, 129.

a) *an* sublato appellationis obstaculo *legendum?*

Calippo de Ballach viam agnoscere veritatis.

Celestis altitudo consilii et immensa benignitas Dei excelsi etc. ut in litteris, que diriguntur . . soldano Damasci, quas require in undecimo quaterno sexti anni, usque in finem.

In eundem modum scriptum est . . miramamolino[1].

Dat. Lateran. VII Kal. Iunii, anno septimo.

528.

Gregorius IX papa [soldano Maroccano] A. episcopum Fecensem et alios fratres ordinis Minorum pro eius conversione missos commendat. *1233, Mai. 27.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 36—37: Lib. VII, 135.
Potthast, Reg. 9207.

Nobili viro miramamolino viam agnoscere veritatis et in ea fideliter permanere.

In aliis litteris nostris, quas per dilectos filios fratres de ordine Minorum magnitudini tue dirigimus, veritatem tibi ostendentes fidei Christiane, patri luminum sicut possumus supplicamus, ut pietate sua respiciens nostre intentionis affectum, precibus nostris clemens assistat, benignus aspiret, ianuamque misericordie sue reserare dignetur. Adaperiat, queso, aures precordiorum tuorum, ut nobis, sitientibus tibi gratiam in presenti et gloriam in futuro, in devotione cordis et humilitate spiritus acquiescas. Desideramus siquidem et ardenter deposcimus, ut tibi, qui in tenebris (1 Ioh. 1, 6) ambulas, unicum filium suum, verum lumen, ostendat teque ad fidem Christiane veritatis misericorditer advocet in agnitione eiusdem filii sui, domini Iesu Christi, ut per lavacrum regenerationis ablutus Domino in novitate vite tamquam filius adoptionis ipsius valeas complacere, qui fideles suos sibi vult in regnis celestibus conregnare. Et utinam fiducia quam concepimus non fallamur, de tua conversione[a] sperantes pro eo, quod religiosis viris fidei nostre et specialiter venerabili fratri nostro A.[2] Fecensi[3] episcopo et aliis fratribus de ordine Minorum te mansuetum exhibes et benignum et eos in quibus decet habes propensius commendatos, quod ad salvationem tuam perspicuum indicium divine miserationis existit. Unde episcopus et fratres predicti, te in Christo sincerius diligentes, temporale et eternum comodum tuum apud Deum et sedem apostolicam indefesso pietatis studio et amore satagunt promovere. Denique cum ineffabiles sint bonitatis Christi divitie, firmam spem debes habere plenamque fiduciam, quod si mutatio dextere Excelsi in te facta fuerit, quod cupimus et optamus, ipse tui principatus honorem augebit, qui dilectoribus suis in via centuplum et vitam (Matth. 19, 29) eternam in patria pollicetur, nosque tibi maiora et digniora ad ampliorem tui laudem et magnificentiam committemus. Alioquin, si forte Christi hostis esse malueris quam amicus, nullatenus patiemur, sicut nec pati debemus, quod tibi a suis fidelibus serviatur.

Dat. Lateran. sexto Kalendas Iunii, anno septimo.

---

a) conversatione *R.*

1) *Scil. soldano Maroccano, cui prae ceteris Muhamedanorum regibus a Christianis hoc cognomen attributur. Cf. n. 528.* 2) *Secundum Sbaraleam, Bull. Franc. t. I, p. 107, not. a, eius nomen Agnellus erat.* 3) *De Fez.*

529.

Gregorius IX papa Hugoni Maiori Remensi et I[ohanni] Barat Cathalaunensi archidiaconis et G. Goin canonico Remensi mandat, ut de causa [Henrici] archiepiscopi Coloniensis inquirant, eosque docet, quomodo procedere debeant. *1233, Mai. 28.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 37—38; Lib. VII, 138.

Magistris Hugoni Maiori Remensi et I. Barat Cathalaunensi archidiaconis et G. Goin canonico Remensi.

Cum olim in tantum iam clamor ad nos contra venerabilem fratrem nostrum Coloniensem archiepiscopum ascendisset, quod ulterius sine scandalo dissimulari non poterat nec sine periculo tolerari, nos illius sequentes exemplum, qui etsi nichil (Gen. 18, 21) ignoret descendere tamen voluit et videre, utrum hii, qui incolebant Sodomam et Gomorram, clamorem qui ad eum ascenderat opere complevissent, ad iteratum sepe clamorem inquisitionem ipsius archiepiscopi venerabili fratri nostro . . episcopo Lausanensi et collegis suis sub certa forma duximus committendam[1]. Prefati vero inquisitores, prout ex litteris ipsorum accepimus, in commisso sibi negotio cum omni diligentia procedentes, receptis nonnullis testibus nominatis eisdem, negotium ipsum sicut potuerunt instructum, inclusum sub sigillis suis, ad nos fideliter transmiserunt, prefixo eidem archiepiscopo, licet absenti, termino peremptorio competenti, quo nostro se conspectui presentaret. Magister vero G. clericus, procurator eiusdem archiepiscopi, constitutus coram dilecto filio nostro E[gidio] Sanctorum Cosme et Damiani diacono cardinali, a nobis auditore concesso, proposuit, quod cum ab eisdem inquisitoribus multis gravaminum et suspicionis probabilibus causis expositis, quas coram cardinali predicto procurator idem expressit, fuerit ex parte dicti archiepiscopi legittime provocatum, eorum processus penitus nullus erat, ac per hoc petebat ipsum irritum nuntiari. Cum autem idem cardinalis ea, que fuere proposita coram ipso, nobis et fratribus nostris prudenter et fideliter retulisset, nos causas easdem, ex quibus exstitit appellatum[2], quas vobis cum dictorum inquisitorum processu sub bulla nostra mittimus interclusas, diligenter inspici facientes, discretioni vestre in virtute obedientie sub obtestatione divini iudicii per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatinus si dictus archiepiscopus infra duos menses a receptione presentium poterit facere plenam fidem, quod premisse cause gravaminum coram prefatis inquisitoribus fuerint proposite nec admisse, ac ipsas causas esse veras se obtulerit[a] probaturum, et expressis causis suspitionis petiti arbitri et negati, ac propter hoc ad sedem apostolicam appellatum, et coram vobis easdem causas vel earum aliquas probaverit esse veras, vos processum eundem nullum esse penitus nuntietis, et de novo tam super hiis, de quibus per iamdictos inquisitores exstitit inquisitum, quam super aliis excessibus suis in prioribus nostris litteris comprehensis sollicite inquirentes, negotium sufficienter instructum ad nos sub sigillis vestris fideliter transmittatis, prefigentes ipsi archiepiscopo terminum peremptorium competentem, quo compareat coram nobis, quod iustum fuerit recepturus. Denique, prenominato archiepiscopo in probatione deficienti huiusmodi, infra alios duos menses nominum testium receptorum, ante publicationem tamen ipsorum, copia fiat ei, ut liceat sibi obicere rationabiliter ac probare obiecta si voluerit in personas, ita quod post publicationem ipsorum testium

a) obtulit *R.*

1) *Cf. n. 459.* 2) *Cf. n. 530.*

contra personas easdem nullatenus audiatur; ac deinde dictis testium publicatis, infra idem tempus fiat ei dictorum copia, suppressis nominibus eorundem, ut possit si voluerit in dicta ipsorum opponere, quidquid rationabiliter duxerit opponendum; et ex tunc auditis coram vobis propositis, negotium sufficienter instructum ad examen apostolicum remittatis, prefixo eidem archiepiscopo termino peremptorio competenti, quo nostro se conspectui representet. Ceterum, cum ipse decanus[1] de mandato nostro inquisitionis negotium prosequatur et nemo cogatur propriis stipendiis laborare, volumus et mandamus, ut tam eidem decano quam vobis in moderatis expensis ad prosecutionem negotii necessariis faciatis de bonis ecclesie provideri. Ad hec volentes indempnitati Coloniensis ecclesie paterna sollicitudine providere, districte precipimus, ut archiepiscopo firmiter inhibeatis eidem, ne absque coniventia et assensu venerabilis fratris nostri archiepiscopi Treverensis[2] pendente inquisitionis negotio mutuum contrahat nec aliqua de bonis immobilibus alienare audeat vel infeudare seu pignori obligare, eundem archiepiscopum, si contra fecerit, ipso facto ab amministratione temporalium denuntiantes auctoritate nostra suspensum et contractum huiusmodi non tenere. Et cum sepe dictus archiepiscopus negotio ipso pendente in quosdam excommunicationis et in quosdam suspensionis seu etiam interdicti sententias promulgasse dicatur, quosdam vero beneficiis ac rebus suis post appellationem ad nos interpositam spoliasse, si vobis constiterit eundem archiepiscopum post appellationem legitimam contra eos taliter processisse, processum ipsius et quicquid ex eo secutum est nullum esse penitus nuntietis. Alioquin recepta ab hiis, in quos eedem sententie sunt prolate, idonea cautione, quod super hiis, pro quibus sententie ipse rationabiliter late fuerunt, ad mandatum vestrum satisfactionem congruam exhibebunt, illas ad cautelam iuxta formam ecclesie relaxetis; eidem archiepiscopo districtius inhibentes, ne pendente ipso negotio procedat taliter contra eos. Super aliis vero par. con.[a] etc., facientes etc. Testes autem, qui fuerint nominati, preter quam in criminalibus, si se gratia etc. Verum quia idem archiepiscopus in decanum ipsum et quosdam alios, qui ad nostram presentiam accesserunt, quedam dicitur attemptasse, inquisita super hoc diligentius veritate, quicquid post iter arreptum inveneritis in eorum preiudicium temere attemptatum, in statum debitum revocetis; contradictores etc.; non obstante constitutione de duabus dietis etc. et indulgentia, quam a nobis idem archiepiscopus dicitur impetrasse, ut nullus in ipsum preter legatum a nostro latere destinatum suspensionis vel excommunicationis sententiam sine speciali mandato sedis apostolice audeat promulgare, ac eo quod vos, filii archidiacone Remensis et magister G., concanonici estis decani ecclesie sancti Iohannis Leodiensis[3], a quo in eodem negotio dicitur appellatum. Quod si non omnes etc.

Dat. Lateran. V Kal. Iunii, anno septimo.

530.

Causae, propter quas [Henricus] archiepiscopus Coloniensis ad sedem apostolicam appellavit.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 41; Lib. VII. 145.

a) *fortasse* pariter contingentibus negotium memoratum *etc.*

1) *Scil. Coloniensis, Goswinus nomine: cf. n. 535.* 2) *Theoderici II: cf. n. 520.* 3) *Conradi*? *iudicis episcopi Lausanensis; cf. n. 459.*

Cause appellationis . . archiepiscopi Coloniensis.

Una causa est, quia eidem archiepiscopo noluerunt exhibere authenticum litterarum, ut collatio fieret cum transcripto et manifestius iniquitas appareret, nec exprimere capitula super quibus fuerat inquirendum, que in genere, non in specie in apostolicis litteris fuerant tunc inserta. Alia est, quia contra episcopum Lausanensem[1] fuit excommunicatio opposita, videlicet canonis quam incurrit, ante et postquam nuper rediit a curia[2], propter iniectionem manuum in clericos violentam. Alia est suspicionis causa, quia induxit adfines et cognatos interfectoris archiepiscopi Enkelberti[3], de quo fecit vindictam iste archiepiscopus, ad persequendum ipsum archiepiscopum et offendendum eundem. Alia est, quia scripsit quibusdam adversariis ecclesie Coloniensis et amicis interfectoris, quod securi essent de remotione archiepiscopi. Contra . . decanum Leodiensem oppositum fuit, quod propter inobedientiam et scisma, quod movit in ecclesia sua, et propter alios excessus suos fuit excommunicatus ab . . episcopo Leodiensi[4]. Alia est, quod ipse decanus conspiravit cum aliis amicis interfectoris archiepiscopi Enkelberti contra Coloniensem archiepiscopum, ut vel per inquisitionem vel quocumque modo removeretur ab ecclesia Coloniensi. Contra . . archidiaconum vero Cameracensem fuit obiecta excommunicatio ab episcopo suo[5].

531.

Gregorius IX papa Friderico Romanorum imperatori mittit arbitrium suum de discordia inter ipsum et societatem Lombardiae, Marchiae et Romaniolae orta, quo sic duxerit ordinandum, ut imperator societati omnem rancorem et iniurias remittat eamque in gratiae suae plenitudinem recipiat, societas autem det pro subsidio Terrae Sanctae per biennium quingentos milites in expensis propriis, ituros in termino quem ecclesia Romana praefigat. *1233, Iun. 5.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 12—13; Lib. VII, 146.
Potthast, Reg. 9219.

Carissimo in Christo filio Friderico, illustri Romanorum imperatori etc.

Cum iamdudum inter te ex parte una et societatem Lombardie, Marchie et Romaniole ex altera super quibusdam articulis exprimendis inferius, inimico homine Matth. 13,25. superseminante zizania, gravis discordia orta esset, nos attendentes animarum pericula, strages corporum, dampna rerum et ecclesiarum ac religiosorum locorum exitia, que possent ex huiusmodi discordia obvenire, et quod res, nisi obsisteretur principiis, multum esset allatura discriminis et in malum altius progressura, cepimus inter te et eandem societatem pacis consilia cogitare. Quapropter futuris obviare periculis cupientes, dilectos filios nostros I[acobum] Penestrinum electum et O[ttonem] Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconum cardinalem ad partes Lombardie, commisso eis plene legationis officio, propter hoc providimus destinandos; quibus ad bonum pacis interponentibus efficaciter partes suas, post labores multiplices utraque pars in cardi-

1) *Bonifacium; cf. n. 159.* 2) *Ravennae, a. 1231, Dec., Huillard-Bréholles, l. c. t. IV, p. 275.* 3) *Friderici de Isenburg.* 4) *Iohanne II.* 5) *Godefredo.*

nales eosdem ecclesie Romane nomine sollempniter compromisit. Forma vero compromissi hec est.

In nomine Domini amen. etc. sicut scripta est in undecimo quaterno sexti anni usque: in sua semper maneant firmitate[1]. Et nota quod cum superioribus testibus interfuit dominus Nicolaus episcopus Reginus[2]. Ego magister Rolandinus de Padua imperialis maiestatis notarius predicto commisso et compromisso aliisque omnibus suprascriptis interfui mandatoque ipsorum dominorum cardinalium et voluntate magistri domus Teutonicorum scripsi et publicavi.

Procuratoribus igitur partium propter hoc in nostra presentia constitutis, ex parte tua extitit propositum coram nobis, quod te societas Lombardie, Marchie ac Romaniole gravissime offendisset, pro eo videlicet quod curiam tuam, quam Ravenne indixeras[3] pro Terre Sancte succursu, dispositione imperii et quibusdam necessariis et honestis aliis, impedivit, non permittendo ad te filium tuum[4] et principes Alamannie per vias seu stratas imperiales venire: procuratoribus societatis eiusdem e contrario proponentibus, societatem ipsam nullas tibi offensas nullasque iniurias intulisse, set si qua fecerunt dicebant ea ob propriam defensionem fecisse. Nos itaque hiis et aliis, que fuerunt hinc inde proposita, plenius intellectis, communicato fratrum nostrorum consilio de providentia sic duximus ordinandum, ut videlicet tu tuo et filii tui ac imperii nomine hiis, qui sunt de societate predicta, et universaliter singulis et singulariter universis civitatum et locorum, quorum nomina in compromisso specialiter sunt expressa et qui postea infra tempus ibidem provisum se per simile compromissum nostro arbitrio commiserunt, remittas omnem rancorem, malivolentiam, iniurias et offensas, omnia quoque banna, constitutiones, sententias et ordinamenta, que occasione huius discordie fecisti vel imposuisti per te vel per alium, aliusve pro te societati vel alicui de societate iamdicta, civitatibus, locis et personis de ipsa societate, et quecumque ex eis vel ob ea secuta sunt, penitus revoces, universos et singulos, qui occasione alicuius predictorum lesi videntur, restituens in integrum in omnibus et per omnia suo statui atque fame, remittendo nichilominus infamiam omnem et penam, que secute sunt ex aliquo premissorum, ita quod ea, que medio tempore per eos acta sunt, non obstantibus supradictis, robur obtineant, quod alias debuerant obtinere. Ad hec civitates, loca et personas de ipsa societate in compromisso contentas in plenitudinem gratie tue recipias et eis facias firmam pacem, specialiter nobili viro . . marchioni Montisferrati, Mediolano, Brixie, Bononie, Placentie, Padue, Cumis, Mantue, Ferrarie, Faventie, aliisque locis et personis quibuslibet societatis eiusdem. Facias etiam fieri patentes litteras ex parte filii tui, quod pacem et concordiam istam ratam habebit et firmam et remittet illis de societate omnem rancorem, malivolentiam, iniurias et offensas. Hii autem, qui sunt de societate prefata, ad honorem Dei omnipotentis et ecclesie sue ac tuum dent pro subsidio Terre Sancte in expensis societatis predicte per biennium milites quingentos, ituros in termino quem Romana ecclesia duxerit prefigendum, quos in eundo, morando et redeundo ecclesia Romana sub speciali protectione suscipiet cum omnibus bonis suis: ac civitatibus, locis et personis imperiali excellentie adherentibus, tam ecclesiasticis quam mundanis, firmam pacem inviolabiliter servent, remittentes eis omnem rancorem, malivolentiam, iniurias et offensas, ac revocent omnia banna, constitutiones, sententias et ordinamenta, que discordie occasione[a]

---

[a]) occasionem *R.*

1) *Vide n. 466, I et LL. t. II p. 294—297.* 2) *Hic in exemplari illo [LL. t. II, p. 295, lin. 1] inter alios testes enumeratur; videtur igitur in authentico huius epistolae eius nomen suo loco errore quodam omissum.* 3) *Ad primum diem Nov. a. 1231 indicta et a mense Dec. usque ad initium Martii a. 1232 celebrata est.* 4) *Henricum regem.*

premisse fecerunt vel imposuerunt civitatibus, locis et personis imperiali celsitudini adherentibus, et quecumque ex eis secuta sunt vel ob ipsa. Ceterum alia, que in eiusdem compromissi serie continentur, nostre providentie reservamus. Ideoque serenitatem tuam rogamus et hortamur attentius, ac sub predicta pena[1] mandamus, quatinus predicta omnia pro parte tua serves sicut imperialem decet constantiam inconcussa, et super hoc nobis iuxta tenorem, quem tibi transmittimus, tuas et filii tui cures usque ad festum beati Michaelis proximo futurum[2] patentes mittere litteras excellentie tue ac suo typario insignitas[3].

Dat. Lateran. Non. Iunii, anno septimo.

In eundem modum scriptum est rectoribus societatis Lombardie et Romaniole verbis competenter mutatis[4].

532.

Gregorius IX papa Hugoni Remensi et Iohanni Barat Catalaunensi archidiaconis et G. Goin canonico Remensi mandat, ut Ottonis diaconi cardinalis sententiam de causa inter [Henricum] archiepiscopum et [Goswinum] decanum Coloniensem latam exequi procurent. *1233, Iun. 6.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 43; Lib. VII, 151.

Magistris Hugoni Remensi et Iohanni Barat Cathalaunensi archidiaconis et G. Goin canonico Remensi.

Coram dilecto filio nostro Ottone Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diacono cardinali, partibus auditore concesso, dilectus filius . . decanus Coloniensis proposuit conquerendo, quod venerabilis frater noster Coloniensis archiepiscopus in eum post appellationem ad nos legitime interiectam et iter arreptum ad sedem apostolicam veniendi, et post causam inter . . prepositum et cantorem ecclesie Coloniensis ex parte una et eundem decanum ex altera super detentione sigilli eiusdem ecclesie, ab apostolica sede commissam in eum, pro ipsius detentione sigilli, nulla competenti monitione premissa, excommunicationis sententiam promulgavit, quam nullam petebat penitus nuntiari, magistro G. clerico procuratore ipsius archiepiscopi respondente id fieri non debere. Lite vero super premissis per eundem procuratorem legitime contestata, et tam super hiis quam quibusdam aliis excommunicationum sententiis, que in prefatum decanum late dicebantur, coram eodem cardinali aliquamdiu litigato, predictus cardinalis sic volens ipsi decano consulere, ne alterius iustitia ledatur, ei de mandato nostro fecit impendi absolutionis beneficium ad cautelam, ita videlicet ut, si constiterit ipsum premissis sententiis rationabiliter fuisse ligatum, super hiis pro quibus ligatus fuerat satisfaciet[a] competenter, alioquin nulle predicte sententie habeantur. Nos igitur, quod ab ipso cardinali factum est ratum habentes, mandamus, quatinus id sub apostolica obedientia exequi procuretis; contradictores etc.; non obstantibus constitutione de duabus dietis edita in concilio generali, et indulgentia quam a nobis idem

a) *ita R.*

1) *scil. viginti milium marcarum* argenti. 2) *Sept. 29.* 3) *Idem fere arbitrium ab Honorio III papa a. 1227, Ian. 5 prolatum fuerat; cf. n. 327 et 329.* 4) *Edidit Muratori, Antiqu. Ital. t. IV, p. 325 ex copia Archivi Estensis, quam notarius quidam adhuc a. 1233 ab authentico sumpserat, sub dato:* septimo Idus Iunii.

archiepiscopus dicitur impetrasse, ut nullus in ipsum preter legatum a nostro latere destinatum suspensionis vel excommunicationis sententiam sine speciali mandato sedis apostolice audeat promulgare. Quod si non omnes etc.

Dat. Laterani, VIII Idus Iunii, anno septimo.

533.

Gregorius IX papa Conrado de Marburg scribit, quomodo ex [Sigefridi III] archiepiscopi Moguntini et [Conradi II] episcopi Hildeshemensis et ipsius litteris de haereticorum abhominationibus turbatus sit, eique mandat, ut contra eos spiritualis et materialis gladii potestatem advocet. *1233, Iun. 10.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 51—52; Lib. VII, 173.
Potthast, Reg. 9226.

Magistro Conrado de Marbuch, predicatori verbi Dei.

O altitudo divitiarum sapientie et scientie Dei, quam incomprehensibilia sunt Rom. 11, 33 et 34.
iudicia eius et investigabiles vie eius! Quis enim cognovit sensum Domini aut quis consiliarius eius fuit? ut cum iam in conspectu eius nostre computruerint cicatrices, cum iniquitates nostre nostra sint capita supergresse, cum refrigescente caritate multorum iniquitas iam habundet, humane conditionis miseriam tot errorum laqueis patitur[a] irretiri, tot adversionum contagiis maculari, quod multi despectis[b] Syon finibus excelsa Samarie conscendentes, suos liniant parietes bitumine dogmatum heretice pravitatis, non verentes illud incurrere maledictum: 'Ve, qui despiciunt Syon et confidunt Amos 6,1.
in excelsis Samarie', dicentes: 'Non est nobis pars in domo David nec hereditas in 2. Reg. 20,1.
filio Ysai'. Verum bonorum actor et dator omnium, sciens quod diligentibus se omnia cooperantur in bonum, non ut scientiam sibi per experientiam compararet, cum universa noverit et previderit ab eterno, sed ut nos de nostra virtute vel infirmitate redderet certiores et daret intelligi plenius, qui sunt eius, pseudochristos et pseudo- Matth. 24,24.
prophetas circa mundi vesperam et temporis senescentis occasum futuros esse predixit, et doctor egregius profitetur: 'Oportet esse hereses, ut qui probati sunt fiant 1. Cor. 11,19.
nichilominus manifesti'. Sane venerabilium fratrum nostrorum . . archiepiscopi Maguntini et . . Hildesemensis episcopi ac tuis litteris, grandi merore plenis et immenso dolore non vacuis, super abominationibus quorundam hereticorum nobis exhibitis solita benignitate receptis, cor nostrum elanguit pre stupore, turbata est anima nostra valde, inebriati sumus absinthio et mens nostra amaritudinibus est repleta, quoniam hostis misit ad desiderabilia manum suam et ad illam infelices homines ignominiam passionis adduxit, ut talia dampnabili presumptione committant, que dicere pudet, et utinam eos pudeat commisisse! O quanto dolore turbamur, o quanta turbatione dolemus, cum sanguine Christi redemptos audimus a diabolo teneri captivos! Quis de tanta contumelia Creatoris poterit non irasci? Quis de tanta iniuria Redemptoris poterit non accendi? Que ultio de huiusmodi pestilentibus posset sumi sufficiens sive digna? Ceterum, licet magna sit eorum contritio velut mare, scientes tamen quod non est Thren. 2,13.
abreviata manus Domini, ut salvare non posset et excoquere ad purum scoriam eorun- Es. 59,1.
dem et omne stagnum[c] auferre, compatiendo ex intimo cordis super contritione ipso- Es. 1,25.
rum prevalida, ne nobis valeat imputari, quod eam circumligare correctionum fasciis Es. 1,6.

[a]) *ita R.* [b]) despecti *R.* [c]) *i. e.* stannum.

neglexerimus et mansuetudinis oleo confovere, ac sperantes quoque ut ille, qui etiam iratus non desinit misereri, non semper continebit sue pietatis viscera super eos, sed de ipsorum manu transferet calicem ire sue, circa correctionem eorum providimus (2 Tim. 2.9.) laborandum. Quia vero in ore tuo non est verbum Domini alligatum, et linguam dedit tibi Dominus eruditam, qui, eo infundente gratie sue imbrem qui dat omnibus (1 Ioh. 2.27.) affluenter, potens es in opere ac sermone, quem unctio docuit et Spiritus qui a Patre Filioque procedit instruxit, pro quo gratiarum omnium largitori, quantas possumus etsi non quantas debemus, gratiarum exolvimus actiones, instantissime supplicando ut ille qui cepit in te perficiat opus bonum, discretionem tuam rogamus, monemus et (Ierem. 51.8.) hortamur in Domino, ac in remissionem tibi iniungimus peccatorum, quatinus sumas resinam ad mitigandum dolorem et vulnera ipsorum sananda. Accingere gladio tuo super femur potentissime, gladio scilicet spiritus quod est verbum Dei, ad exhibendum eorum plage medelam, et ad correctionem eorum diligenti sollicitudine et sollicita dili- (Prov. 20.27.) gentia studeas laborare. Quod si lucerna Domini, spiraculum hominis, que investigat secreta ventris, ad diligentem monitionem tuam corda predictorum pestilentum non dignabitur illustrare, set potius eos indurari permiserit, tamquam pro magnitudine culpe divino iudicio reprobatos, quia in tam grandi et gravi morbo recurrendum est ad validiora remedia, ubi medicamenta levia non proficiunt, et apponendum ferrum et ignis vulneribus, que fomentorum non sentiunt medicinam, putridis carnibus ne partem sinceram attrahant amputatis, advoces contra eos, receptatores, defensores et fautores ipsorum spiritualis et materialis gladii potestatem, universos Christi fideles monens attentius et inducens, ut exurgentes in adiutorium Christi sui contra eos viriliter se accingant. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia et beatorum apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, ex illa quam nobis licet indignis Deus ligandi atque solvendi contulit potestatem, omnibus vere penitentibus et confessis, qui crucis assumpto caractere ad eorundem hereticorum exterminium se accinxerint, illam indulgentiam idque privilegium elargimur, que accedentibus in Terre Sancte subsidium conceduntur. Ut ergo nichil omnino desit ad tam pium et sanctum negotium prosequendum, presentium tibi actoritate concedimus, ut hiis, qui pro iniectione manuum violenta et incendiis vinculo sunt excommunicationis adstricti, militantibus duntaxat in premisso negotio regi regum, iuxta formam ecclesie absolutionis beneficium valeas impertiri, iniuncto hiis quod talibus consuevit iniungi, nisi forsan eorum excessus adeo sit difficilis et enormis, quod propter hoc ad sedem apostolicam merito sint mittendi. Ceterum, ut commissum tibi negotium salubrius valeas et liberius exercere, proferendi censuram ecclesiasticam in rebelles auctoritate premissa facultatem tibi plenariam indulgemus.

Dat. Lateran. IV Idus Iunii, anno septimo.

534.

Gregorius IX papa [Alberto] patriarchae Antiocheno mandat, ut legationis officio in suo patriarchatu contentus sit. *1233, Iun. 10.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 51; Lib VII, 166.

. . patriarche Antiocheno, apostolice sedis legato.

Iamdudum, sicut recolimus, ut inter te ac venerabilem fratrem nostrum . . patriarcham Ierosolimitanum[1] tolleretur omnis contentionis materia et scandalum vita-

1) *Geroldum.*

retur, utrumque in patriarchatu suo legatione mandavimus esse contentum, regnum Cypri, quantum ad hoc, ab utrolibet eximentes. Quocirca mandamus, quatinus, sive ad te pervenerit sive non mandatum predictum, in patriarcatu tuo legationis officio contentus existas.

Dat. Lateran. quarto Idus Iunii, anno septimo.

535.

Gregorius IX papa praelatis aliisque per civitatem et diocesim Coloniensem constitutis mandat, ut [Goswino] decano Coloniensi pro expensis in inquisitione contra [Henricum] archiepiscopum factis usque ad trecentas marcas sterlingorum subsidium tribuant. *1233, Iun. 10.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 51; Lib. VII, 167.

Universis prelatis, capitulis, conventibus et rectoribus ecclesiarum per civitatem et diocesim Coloniensem constitutis.

Cum dilectus filius . . decanus Coloniensis in prosecutione negotii inquisitionis contra venerabilem fratrem nostrum . . Coloniensem archiepiscopum facte multa de suis expendisse dicatur, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attentius, per apostolica vobis scripta precipiendo mandantes, quatinus eidem decano in expensis huiusmodi usque ad trecentas marcas sterlinguorum subsidium tribuatis. Alioquin damus dilectis filiis magistris H. Sancti Gereonis Coloniensis et S. Xantensi Coloniensis diocesis scolasticis et Hartlivo canonico Sancti Gereonis Coloniensis nostris litteris in mandatis, ut vos ad id per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellant.

Dat. Lateran. IV Idus Iunii, anno septimo.

In eundem fere modum scriptum est eisdem iudicibus usque: impendant[a]. Quocirca mandamus, quatinus si mandatum nostrum ipsi neglexerint adimplere, vos singulos iuxta facultates proprias ad id per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogatis. Quod si non omnes etc.

Data ut supra.

536.

Gregorius IX papa H[ugoni] Remensi et I[ohanni] Barat Catalaunensi archidiaconis et G. Goin canonico Remensi mandat, ut si prosequentibus inquisitionem contra [Henricum] archiepiscopum Coloniensem aliqua excommunicationis sententia obiecta fuerit, cum cautione recepta relaxent. *1233, Iun. 11.*

Greg. IX Reg. Lib. VII, 170.

Magistro H. Remensi et I. Barat Cathalaunensi archidiaconis et G. Goin canonico Remensi.

Cum inquisitionis negotium contra venerabilem fratrem nostrum . . Coloniensem archiepiscopum facte vobis de fratrum nostrorum consilio duxerimus comittendum[1],

[a]) *scil. ubi in prima legitur:* subsidium tribuatis.

1) *Cf. n. 529.*

mandamus, quatinus si aliqua excommunicationis sententia obiecta fuerit prosequentibus ipsum negotium vel testibus propter hoc producendis vel alicui eorundem, ne contingat propter hoc negotium impediri, sufficienti ab hiis vel ab eo cautione recepta quod hiis, pro quibus constiterit eandem sententiam rationabiliter esse illatam, congrue satisfiet, et de manifestis prestita prius emenda, relaxetis predictam sententiam iuxta formam ecclesie ad cautelam. Quod si non omnes etc.

Dat. Lateran. III Idus Iunii, anno septimo.

537.

Quattuor epistolae Gregorii IX papae de haereticis Alamanniae extirpandis, 1) ad [Sigefridum III] archiepiscopum Moguntinum, [Conradum II] episcopum Hildeshemensem et Conradum de Marburg, 2) ad episcopos per Moguntinam provinciam constitutos, 3) ad Fridericum Romanorum imperatorem, 4) ad Henricum regem eius filium directae; describit ritus, quos quidam haeretici observent, hortaturque ut contra eosdem spiritualiter et temporaliter procedant. *1233, Iun. 13, 14 et 11.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 53—55; Lib. VII, 177, 178, 179, 180. Ad Lib. VII, 177 Pertzii exemplar supplevimus ex Rayn. a. 1233, § 42—45.
Potthast, Reg. 9230, 9231, 9229.

I.

. . archiepiscopo Maguntino, . . episcopo Hildesemensi et magistro Conrado de Marbuch, predicatori verbi Dei.

Matth. 2,18. Vox in Rama audita est, ploratus multus et ululatus, Rachel plorat, videlicet
pia mater ecclesia, filios, quos diabolus mactat et perdit, et quasi consolationem non
recipit, quia filii, more vipere matris viscera lacerantes, ipsam interimere moliuntur.
Nam multitudo dolorum urgentium, quibus ut parturiens mater ipsa circumdatur, voci-
Ier. 4,19. ferari eam et dicere: 'Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo', cum propheta
Rom. 8,22. compellit. Cum enim omnis creatura usque adhuc ingemiscat secundum apostolum et
parturiat, genitricis ecclesie sacer uterus viscerum suorum dolore turbatur, que fere
Iob. 26,13. singularis morsibus discerpuntur. Ille siquidem coluber tortuosus, quem obstetricante
manu Domini de cavernis propriis, carnalibus scilicet hominum cordibus, eductum
legimus, qui contra eos pugnat extrinsecus, in quibus intrinsecus iam non regnat et
quorum dominium intus perdidit, bella molitur foras, novam persecutionem ecclesie,
sponse Christi, immo verius sponso Christo, per ministros suos operarios iniquitatis
instaurat. Ipse enim, qui a principio in veritate non stetit set mutare nititur in
mendacium veritatem, ut latius sue fraudis virus effundat, perdere pregnantes animas
elaborat, ne fetus fidei, quem[a] ex amore divino conceperant, ad partum valeant con-
sumati operis pervenire. Unde nos, qui curam tenemur sue fecunditatis habere,
quasi secantis perfidie mucrone conscindimur, dum in suis visceribus hereticorum
scindentium eius uterum venenatis sagittis novi erroris et confusionis appetimur
Thren. 2,11. inaudite. Totus[b] namque in amaritudine funditur spiritus, effusum est in terra iecur
nostrum, turbata est anima nostra valde ac impletus doloribus venter noster, defecerunt
pre lacrimis oculi nostri et super tam nefandis abominationibus contremuerunt renes,
omnia viscera sunt commota, reprimere lacrimas et continere suspiria non valemus.
Sicut enim littere vestre grandi merore plene et immenso dolore non vacue nobis

---

a) *leg.* quos *vel infra* valeat. b) Totus — opus luxurie *ex Rayn.*

exhibite continebant, inter diversas heresum species, que peccatis exigentibus Alemanniam infecerunt, una, sicut detestabilior ceteris sic et generalior universis, que non solum referentibus sed etiam audientibus est horrori, in nobilibus membris ecclesie ac valde potentibus iam erupit. Hec enim omni est dissona rationi, omni pietati contraria, omni cordi odibilis, celestium omnium et terrestrium inimica, contra quam non solum homines ratione utentes verum etiam ratione carentia, cum hec pestis eorum excedat insaniam, immo ipsa etiam elementa debent insurgere et armari.

Huius pestis initia talia perferuntur: nam dum novitius in ea quisquam recipitur et perditorum primitus scholas intrat, apparet ei species quedam rane, quam bufonem consueverunt aliqui nominare. Hanc quidam a posterioribus et quidam in ore damnabiliter osculantes, linguam bestie intra ora sua recipiunt et salivam. Hec apparet interdum indebita quantitate, et quandoque in modum anseris vel anatis, plerumque furni etiam quantitatem assumit. Demum novitio procedenti occurrit miri palloris homo, nigerrimos habens oculos, adeo extenuatus et macer, quod consumptis carnibus sola cutis relicta videtur ossibus superducta; hunc novitius osculatur et sentit frigidum sicut glaciem, et post osculum catholice memoria fidei de ipsius corde totaliter evanescit. Ad convivium postmodum discumbentibus, et surgentibus completo ipso convivio, per quandam statuam, que in scholis huiusmodi esse solet, descendit retrorsum ad modum canis mediocris gattus niger retorta cauda, quem a posterioribus primo novitius, post magister, deinde singuli per ordinem osculantur, qui tamen digni sunt et perfecti; imperfecti vero, qui se dignos non reputant, pacem recipiunt a magistro, et tunc singulis per loca sua positis, dictisque quibusdam carminibus, ac versus gattum capitibus inclinatis: 'Parce nobis', dicit magister, et proximo cuique hoc precipit, respondente tertio ac dicente: 'Scimus magister'; quartus ait: 'Et nos obedire debemus'; et his ita peractis extinguuntur candele, et proceditur ad fetidissimum opus luxurie, nulla discretione habita inter extraneas et propinquas. Quod si forte virilis sexus supersunt aliqui ultra numerum mulierum, traditi in passiones ignominie, in desideriis suis invicem exardentes, masculi in masculos turpitudinem operantur, similiter et femine immutant naturalem usum in eum, qui est contra naturam, hoc ipsum inter se dampnabiliter facientes. Completo[a] vero tam nefandissimo scelere et candelis iterum reaccensis singulisque in suo ordine constitutis, de obscuro scholarum angulo, quo non carent perditissimi hominum, quidam homo procedit a renibus sursum fulgens et sole clarior, sicut dicunt, deorsum hispidus sicut gattus, cuius fulgor illuminat totum locum. Tunc magister excerpens aliquid de veste novitii, fulgido illi dicit: 'Magister, hoc mihi datum tibi do', illo fulgido respondente: 'Bene mihi servisti pluries et melius servies, tue committo custodie, quod dedisti', et his dictis protinus evanescit. Corpus etiam Domini singulis annis in pascha de manu recipiunt sacerdotis, et illud ad domus suas in ore portantes in latrinam proiciunt in contumeliam Redemptoris. Ad hec infelicissimi omnium miserorum gubernantem celestia pollutis labiis blasphemantes asserunt delirando, celorum dominum violenter contra iustitiam et dolose Luciferum in inferos detrusisse. In hunc etiam credunt miseri, et ipsum affirmant celestium conditorem, et adhuc ad suam gloriam precipitato Domino rediturum, per quem cum eodem et non ante ipsum se sperant eternam beatitudinem habituros. Omnia Deo placita non agenda fatentur, et potius agenda que odit.

Proh dolor! Quis unquam audivit talia? Quis tam nefaria potuit cogitare? Quis tantam poterit non abominari perfidiam? Quis tante nequitie poterit non irasci? Quis contra huiusmodi perditionis et proditionis filios poterit non accendi? Ubi est zelus Exod. 32,28.
Moysis, qui una die idololatrarum viginti tria milia interfecit? Ubi est zelus Phinees, Num. 25,8.

[a]) Completo — sive digna *ex Rayn.*

qui Iudeum cum Madianitide uno pugione confodit? Ubi est zelus Elie, qui quadrin-
3. Reg. 18,40. gentos et quinquaginta prophetas Baal ad torrentem Cison gladio interemit? Ubi est
Mathathie zelus, cuius furor secundum legis iudicium adeo est accensus, ut insiliens
1. Mac. 2,25. trucidaret Iudeum immolantem idolis super aram? Ubi est auctoritas Petri, qui in
Act. 5. Ananiam et Saphiram, pro eo quod Spiritui sancto mentiri non timuerunt, exarsit?
Certe, si contra tales terra consurgeret, et iniquitates ipsorum celi sidera revelarent
et manifestarent eorum scelera toti mundo, ut non solum homines sed etiam ipsa
elementa coniurarent in eorum excidium et ruinam ipsosque delerent de terre facie,
non parcentes sexui vel etati, ut essent cunctis gentibus in opprobrium sempiternum,
Threu. 2,13. ultio de ipsis sumi non posset sufficiens sive digna. Ceterum, licet magna sit horum
Es. 59,1. pestilentium contritio velut mare, scientes tamen quod non est abbreviata manus
Es. 1,25. Domini, ut salvare non possit et excoquere ad purum scoriam eorundem et omne
stannum auferre, compatiendo ex intimo cordis super contritione ipsorum prevalida,
Es. 1,6. ne nobis valeat imputari, quod eam circumligare correctionum fasciis neglexerimus et
mansuetudinis oleo confovere, ac sperantes quoque, ut ille, qui etiam iratus non desinit
misereri, non semper continebit sue pietatis viscera super eos, sed de illorum manu
transferet calicem ire sue, circa correctionem eorum providimus laborandum. Quia
2. Tim. 2,9. vero in ore vestro non est verbum Domini alligatum, qui, eo infundente gratie sue
imbrem qui dat omnibus affluenter, potentes estis in opere ac sermone, discretionem
vestram rogamus, monemus et hortamur in Domino, ac in remissionem vobis iniungi-
Ierem. 51,8. mus peccatorum, quatinus sumatis resinam ad mitigandum dolorem et vulnera ipsorum
sananda. Ite, angeli pacis, ad exhibendum eorum plage medelam, et ad correctionem
eorum diligenti sollicitudine ac sollicita diligentia laboretis. Quod si forte, ut ferrum
per monitionem vestram extrahatur de vulnere, non fuerit desuper eis datum, et
ipsorum computruerint adeo cicatrices, quod plaga ipsa quasi penitus desperata
noluerint ad sinum matris ecclesie prona mente redire, tantam et talem cautionem de
conversione sua et perseverantia exponentes, quod de recidivo ipsorum de cetero
nullatenus sit verendum, quia in tam grandi et gravi morbo recurrendum est ad
validiora remedia, ubi medicamenta levia non proficiunt, et apponendum ferrum et
ignis vulneribus, que fomentorum non sentiunt medicinam, putridis carnibus ne partem
sinceram attrahant amputatis, advocetis contra eos, receptatores, defensores et
fautores ipsorum spiritualis et materialis gladii potestatem, universos Christi fideles
monentes attentius et efficaciter inducentes, ut exurgentes in adiutorium Christi sui
contra eos viriliter se accingant. Nos enim de omnipotentis misericordia et beatorum
apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, ex illa quam nobis licet indignis Deus
ligandi atque solvendi contulit potestate, omnibus vere penitentibus et confessis, qui
crucis assumpto caractere ad eorundem hereticorum exterminium se accinxerint, illam
indulgentiam idque privilegium elargimur, que accedentibus in Terre Sancte subsidium
conceduntur. Quod si non omnes etc.

Dat. Lateran. Idibus Iunii, anno septimo.

II.

Episcopis per Maguntinam provinciam constitutis.

Vox in Rama etc. in eundem fere modum ut supra verbis competenter mutatis usque: mandamus[a], quatinus singuli vestrum per dioceses suas contra predictos

[a]) *hoc verbum in I non invenitur: neque ubi in I scriptum est:* hortamur in Domino *[supra lin. 20], verba huius epistolae adiungenda sunt, quia 'praemissa indulgentia', de qua infra dicitur, exposita non esset. Quam ob rem arbitramur papam, sicut in III et IV, post finem n. I ita perrexisse:* Ideoque fraternitati vestre mandamus, quatinus *etc.*

hereticos predicantes continue verbum crucis, subditos vestros, tam clericos quam laicos, crebris monitionibus et sedulis exhortationibus efficaciter inducatis, ut si quis Dei est, iungat se vobis et ponat gladium super femur ad ulciscendas Dei viventis Exod. 32,27. iniurias tam atroces, ut auxiliante Domino eliminentur de templo perfidi et fermentum I. Cor. 5,7. heretice pravitatis de massa conspersionis Dominice salubriter expurgetur, ita quod premisse indulgentie participes esse possint et in retributione iustorum salutis eterne consequantur augmentum.

Dat. Lateran. XVIII Kal. Iulii, anno septimo.

III.

Friderico, illustri Romanorum imperatori semper augusto, Ierusalem et Sicilie regi.

Vox in Rama etc. ut supra usque: in Terre Sancte subsidium conceduntur. Ideoque imperialem excellentiam affectuose rogamus et a te instanter exposcimus, obsecrantes per Patrem et Filium et Spiritum sanctum et per aspersionem sanguinis Crucifixi, ut, sicut reputari cupis et haberi fidelis, in defensione fidei et ulciscenda tanta iniuria Iesu Christi, qui pro te pati voluit et occidi, non dormias nec dormites, set exurgens ad internitionem nationis prave atque perverse, que multis insultat opprobriis Deo viventi, universis et singulis principibus et aliis fidelibus tuis per Alamaniam constitutis tam ferventer scribas et precipias tam ardenter, ut si quis Dei Exod. 32,27. est, ponat gladium super femur ad fermentum heretice pravitatis de massa con- I. Cor. 5,7. spersionis Dominice salubriter expurgandum, quod veri Dei cultorem et zelatorem catholice fidei te ostendas. Nonne illatas tibi offensas et tuis ulcisceris, et Dei tui sustinebis iniurias tam atroces? Nonne ad hereditates tuorum manum invasorum extendi non pateris, et hereditatem Christi, populum videlicet quem sanguine suo redemit, teneri captivum a diabolo patieris? Pungat cor tuum tui contumelia creatoris, accendat te zelus fidei Christiane, ut sic contra prefatos hereticos accendaris, quod premisse indulgentie particeps esse possis, et nos in tuis laudibus gloriantes, te fructuose ponamus exemplar ante faciem aliorum.

Dat. Laterani, III Idus Iunii, anno septimo.

IV.

Nobili viro Henrico, nato carissimi in Christo filii nostri Frederici, Romanorum imperatoris semper augusti, Ierusalem et Sicilie regis illustris.

Vox in Rama etc. ut supra usque: conceduntur. Ideoque nobilitatem tuam affectuose rogamus et a te instanter exposcimus, obsecrantes per Patrem et Filium et Spiritum sanctum et per aspersionem sanguinis Crucifixi etc. usque: nec dormites. Accingere, fili, gladio tuo circa femur potentissime, arripiat iudicium manus tua, et in potestate tibi tradita contere inimicos. Exurge ad internitionem nationis prave atque perverse, que multis insultat opprobriis Deo viventi. Nonne illatas tibi offensas etc. usque: ut sic contra prefatos hereticos in forti manu et brachio extento procedas, quod premisse indulgentie particeps esse possis, et nos in tuis laudibus gloriantes, sinceritatis tue zelum possimus in Domino merito commendare.

Data ut supra.

538.

Fridericus Romanorum imperator Gregorio IX papae nuntiat, se haereticos regni sui manifeste convictos incendio tradidisse et cuilibet iustitiario mandasse, ut cum uno praelato de statu regionum inquirat; rogat papam, ut suum contra ceteros haereticos Italiae et imperii propositum efficaciter adiuvet. *1233, Iun. 15.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 70; Lib. VII, 243.
Böhmer-Ficker, Reg. Frid. II. n. 2021.

539.

Gregorius IX papa [Conrado] Mindensi, [Iohanni] Lubicensi et [Gotescalco] Raceburgensi episcopis innovat mandatum crucis praedicandae contra haereticos Stedingos, qui civitatem Bremensem hostiliter adierint et ecclesias, monasteria et quoddam munitissimum castrum destruxerint; crucesignatis eandem indulgentiam concedit, qua in Terram Sanctam proficiscentes gaudeant. Cf. n. 489. *1233, Iun. 17.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 56—57; Lib. VII, 186.
Potthast, Reg. 9236.

. . Mindensi, . . Lubicensi et . . Racemburgensi episcopis.

Littere vestre nobis exhibite continebant, quod dudum voce multe lamentationis audita, quod quosdam violentos et impios, qui Scethinci vocantur, in Bremensi provincia diabolus suscitavit, qui veri luminis fulgore relicto detestande cecitatis obducti caligine, nec timentes Deum nec hominem reverentes, doctrina matris ecclesie penitus vilipensa, ipsius libertatem conculcant. et ferino more feris bestiis crudelius sevientes, nulli parcunt sexui vel etati, effundendo sanguinem sicut aquam, clericis et religiosis membratim impie laceratis et quibusdam in modum crucis affixis parieti in opprobrium Crucifixi. et ut singulorum excessus in excessibus suis excedant et perfidos sua vincant perfidia universos divine patientie abusores, salutis nostre viaticum, quo vita datur viventibus, horribilius quam exprimi deceat pertractantes, querunt responsa demonum, cerea simulacra faciunt et in suis spurcitiis erroneas consulunt phitonissas, alia multa committentes tenebrarum opera, que non solum referentibus set etiam stupori sunt audientibus et orrori, nos, attendentes quod tam nephandis initiis potenti erat dextera celeriter obviandum, vobis dedimus nostris litteris in mandatis ac in remissionem iniunximus peccatorum, ut assumpto sancte predicationis officio Christi fideles in Padeburnensi, Hildesemensi, Verdensi, Monasteriensi, Osnaburgensi, Mindensi et Bremensi diocesibus existentes[a] ad illius exterminium reprobe nationis diligenter et efficaciter inducere studeretis, concessa ipsis fidelibus indulgentia, quam in eisdem litteris nostris duximus exprimendam. Litteris autem nostris reverenter receptis ascitisque vobis viris religiosis de Predicatorum ordine nec non et clericis ac laicis fide dignis, ad prosecutionem commissi vobis negotii totis viribus laborantes fideles eosdem crebris monitionibus ac illectivis premiis, indulgentiis scilicet ac remissionibus, contra ipsos reprobos sollicite induxistis; et cum iam per Dei gratiam, predicatorum vocibus contra ipsorum perfidiam intonantibus, nonnulli divinitus inspirati catholice fidei tam potenter et viriliter subvenirent, quod timore ac tremore concussi locis suis relictis

---

[a]) existentibus R.

fuge presidium flagitarent, sperantes non posse resistere tante multitudini signatorum, quamquam terram fortissimam et fere inexpugnabilem habeant, que magnis fluminibus aquarumve decursibus est munita, dicti fideles postmodum intellecto, quod illa indulgentia non gaudebant, que datur euntibus in subsidium Terre Sancte, retro respicientes in executione votorum penitus tepuerunt. Quare impii memorati, effecti proterviores solito e protervis, ex hoc audaciam assumentes ac ponentes omnino sibi Deum contrarium et se Deo, adversus fidem catholicam calcaneum sevius erexerunt; ac civitatem Bremensem hostiliter adeuntes, ecclesias, monasteria et loca circumquaque vicina nec non et quoddam castrum munitissimum[1] Bremensis ecclesie funditus destruxerunt, propter quod tantum est in partibus Alamanie scandalum suscitatum, quod non solum illi, verum etiam aliarum sectarum heretici, qui prius latebant in angulis, de huiusmodi gloriantes contra Dei ecclesiam et fidem catholicam publice invalescunt, nomen domini Iesu, in quo flectitur omne genu, scelestis labiis turpiter Rom. 14,11. blasphemando. Iam enim eorum heresi dampnanda longe lateque diffusa miserabiliter et mirabiliter inficiunt Christianum populum et corrumpunt, capiunt clericos et per membra discerpunt, cruciantes eos omni genere tormentorum. Quare nobis fuit humiliter supplicatum, ut considerata qualitate negotii in tantis periculis salubre remedium apponere dignaremur. Licet igitur talia sunt premissa, quod dolorem afferunt et merorem et ploratus materiam potius offerunt quam relatus, quia tamen habet hoc proprium apostolica sedes, ut in hiis, in quibus est maius periculum, ad inquirendam plenissime veritatem, ne fucato decipiatur errore, cum gravitate procedat, fraternitati vestre per iterata scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatinus, si constiterit pestilentes ipsos in eucharistia, responsis demonum, cereis simulacris et detestandis phitonissarum consiliis, ut premissum est, tam graviter excessisse, et diligenter a vobis moniti in hac dampnabili pertinacia dampnabiliter perdurantes, acquiescere forte noluerint et ad sinum matris ecclesie prona mente redire, tantam et talem cautionem de conversione sua et perseverantia exponentes, ut de recidivo ipsorum nullatenus de cetero sit verendum, quia in tam grandi et gravi morbo recurrendum est ad validiora remedia, ubi medicamenta levia non proficiunt, et apponendum ferrum et ignis vulneribus, que fomenta non sentiunt, putridis carnibus ne partem sinceram attrahant amputatis, advocetis contra eos, receptatores, defensores et fautores ipsorum spiritualis et materialis gladii potestatem; universos Christi fideles monentes attentius et efficaciter inducentes, ut exurgentes in adiutorium Christi sui adversus eos viriliter se accingant. Catholici vero, qui crucis assumpto caractere ad eorundem hereticorum exterminium se accinxerint, illa gaudeant indulgentia illoque privilegio sint muniti, que accedentibus in Terre Sancte subsidium conceduntur. Alioquin pestilentes moneatis eosdem, ut de illatis dampnis et irrogatis iniuriis Bremensi et aliis ecclesiis et personis ecclesiasticis congruam satisfactionem impendant; illis vero monitis vestris acquiescere non curantibus, in commisso vobis negotio procedatis secundum priorum continentiam litterarum. Quod si non omnes etc.

Dat. Lateran. XV Kalendas Iulii, anno septimo.

540.

Gregorius IX papa [Conrado] episcopo Osnaburgensi et maioris ecclesiae et Sancti Gereonis Coloniensis praepositis mandat, ut filios quondam Friderici comitis de Isenburg

1) *Slutter nomine, prope Delmenhorst; Albert. Stad. a. 1232, SS. t. XVI, p. 361.*

et W[ilhelmum] fratrem eius et complices eorum, qui [Henricum] archiepiscopum et ecclesiam Coloniensem persequantur, ab excessibus suis compescant. 1233, Iun. 17.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 61; Lib. VII, 202.

Episcopo Osnaburgensi et . . maioris ecclesie et . . Sancti Gereonis Coloniensis prepositis.

Ad audientiam nostram noveritis pervenisse, quod filii nephandissimi quondam Friderici comitis de Isimburg Coloniensis diocesis, contra quem vox sanguinis pie (Gen. 4.10.) memorie . . Coloniensis archiepiscopi[1] ab eo crudeliter interfecti[2] de terra clamat ad (Es. 14,29.) Dominum, quasi de radice colubri egredientes reguli venenati, una cum W. fratre dicti comitis eiusdem diocesis in impietate successores eiusdem et illius nequitie sectatores, contempto timore divino et adiunctis sibi quibusdam complicibus ad malitiam liberius exercendam, Coloniensem ecclesiam et eius archiepiscopum immaniter persequuntur, opprimunt multipliciter et affligunt, quorum superbia mitescere nesciens gravius invalescit, donec illam iustitia ex alto preveniat et subvertat. Ne igitur ipsorum noxie voluntati detur set subtrahatur potius nocendi facultas, qui cor suum contra Dominum elevantes ipsum et ecclesiam, spiritu ad superbiam obfirmato, audaciter contra se provocare presumunt, mandamus, quatinus malefactores predictos et eorum complices et fautores a tante presumptionis excessu modo predicto per censuram ecclesiasticam compescatis, ita quod inquisitionis processus, quam fieri mandavimus de archiepiscopo memorato, propterea nullatenus retardetur. Quod si non omnes —, tu ea, frater episcope, etc.

Dat. Lateran. XV Kalendas Iulii, anno septimo.

541.

Gregorius IX papa fidelibus et vassallis ecclesiae Coloniensis idem scribit, mandans ut [Henrico] archiepiscopo et ecclesiae Coloniensi assistant. 1233, Iun. 17.

Greg. IX Reg. Lib. VII, 203.

Universis fidelibus et vassallis ecclesie Coloniensis.

Ad audientiam nostram etc. ut supra usque: presumunt, universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus cum ad defensionem Coloniensis ecclesie teneamini per vos ipsos et illius debeatis periculum proprium reputare, contra malefactores predictos ecclesie ac ipsi archiepiscopo potenter et fideliter assistatis, ita quod in defensionis auxilio sincere fidelitatis titulus enitescat et inde possitis laudem et gratiam promereri. Nolumus tamen, ut inquisitionis processus etc. usque: retardetur.

Dat. ut supra.

542.

Gregorius IX papa consulibus et populo Gaietano formam pacis, scil. cum imperatore ineundae, transmittit, eosque hortatur, ut si eam duxerint acceptandam, hoc sedi apostolicae per instrumentum publicum intiment et privilegium quondam indultum remittant. — Se-

1) *Engelberti.* 2) *a. 1225, Nov. 7.*

quuntur tres litterae Friderici Romanorum imperatoris de pace cum Gaietanis reformanda, quas ut videtur papa iisdem sub bulla sua transmisit: 1) privilegium, quo regi Conrado filio suo civitatem Gaietanam tradit, 2) privilegium, quo Gaietanis omnem offensam remittens plenam securitatem per imperium, regnum Siciliae et totum posse suum concedit, 3) epistola, qua fidelibus suis regni Siciliae mandat, ut hanc securitatem observent.

1233, Iun. 21.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 62–63; Lib. VII, 211–214. Litteras imperatoris, cum alibi typis descriptae non sint, in extenso hic proponimus. Ex his corrigas Böhmer-Ficker, Reg. Frid. II, n. 2023. Potthast, Reg. 9240.

I.

Consulibus et populo Gaietano.

Quietem et profectum civitatis vestre intimo zelantes affectu, que vobis profutura cognoscimus, qua possumus sollicitudine promovemus[1]. Hinc est quod vobis pacem procurare volentes, ipsius formam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam, quam si duxeritis acceptandam, nobis per instrumentum publicum intimantes, intendatis hiis, que vobis dilectus filius magister P.[2] scriptor noster, lator presentium, ex parte nostra duxerit proponenda, et indultum vobis ab apostolica sede privilegium[3] nobis per scriptorem remittatis eundem[4].

Dat. Lateran. XI Kal. Iulii, anno septimo.

II.

Concessio Friderici imperatoris de civitate Gaietana C. filio suo[5].

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Ierusalem et Sicilie rex. Cum inter cetera beneficia, que coniunctis sive benemeritis collocantur, illud redundet uberius in gratiam conferentis, quod pater elargitur filio, non indigne illos providimus beneficiorum primitiis honorare, quos etiam preter obsequii merita imperiali gratie gratos efficit favor nature. Inde est igitur, quod nos inspecto pure dilectionis obtentu, qua pater filium, sicut innate beneficio gratie una persona censetur, dignis tenetur premiis ampliare, de paterne benivolentie et provisionis affectu concedimus, damus et tradimus tibi regi Conrado, karissimo filio nostro, et heredibus tuis in perpetuum civitatem nostram Gaiete cum omnibus pertinentiis, iustitiis et rationibus suis, salvo[6] servitio quod exinde curie nostre debetur. Ad huius autem concessionis et donationis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum presens privilegium per manus ..[7] notarii et fidelis nostri scribi et bulla aurea tiparyo nostre maiestatis impressa iussimus communiri. anno etc.[8].

---

1) *Cf. n. 516 et 517.* 2) Petrus de Guartino *in charta not. 4 commemorata.* 3) *n. 394.* 4) *Iun. 30 Gaietani pacem acceptant; cf. chartam de hac re scriptam ap. Huillard-Bréholles, l. c. t. IV, p. 440. — Quo facto imperator per Hectorem de Monte Fuscolo iustitiarium Terrae Laboris civitatem consulatu privavit et dounam in ea instituit. Rycc. de S. Germ. a. 1233, SS. t. XIX, p. 370.* 5) *Innovat imperator privilegium a. 1233. Mart. datum, quod legitur ap. Böhmer, Acta Imp. p. 265, n. 301. In quibus id, quod nos hic proponimus, ab illo [B.] differt, infra annotamus.* 6) *Pro* salvo servitio — debetur *ap. B:* Concedimus etiam et damus tibi vasallos cum omnibus terris, villis et castris eorum, Rogerium de Gallutio, Raynonem de Prata, dominos Popleti, Theodinum de Amiterno, Conradum de Lucinardo et omnes alios barones, qui tempore turbationis inter nos et ecclesiam mote contra nos ipsi ecclesie adheserint et usque hodie sub forma pacis existunt, salvo servitio quod exinde curie nostre debent et salvo mandato et ordinatione nostra. 7) *ap. B:* Iacobi de Lintin. 8) *finis ap. B:* anno, mense et indictione subscriptis. Datum apud Policorum, anno Dominice incarnationis MCCXXXIII, mense Martii. — *Apparet April. — Iun. privilegium innovatum et eodem tempore III et IV scripta esse.*

III.

Remissio offensarum, quas commiserunt Gaietani ecclesie adherendo.

Fridericus etc. universo populo Gaietano etc. Noverit universitas vestra, quod nos ad preces et monita sanctissimi in Christo patris nostri summi pontificis, ob honorem ipsius et apostolice sedis reverentiam ex innata clementia, qua gloriosius ducimus parcere quam ulcisci, recepimus universitatem vestram et singulos vestrum in gratiam nostram, remittentes vobis omnibus et singulis omnem offensam et culpam, quam ecclesie adherendo contra nos occasione orte discordie commisistis. Concedimus insuper vobis plenam securitatem ubique per imperium, regnum nostrum Sicilie et totum posse nostrum, in eundo, morando et redeundo, cum mercimoniis et bonis vestris, in personis et rebus, et eam vobis per patentes litteras nostras observari mandamus. Quare mandamus et precipimus universitati vestre, quatinus in nostra devotione et fidelitate regis Conradi filii nostri, cui eandem concessimus civitatem, taliter vos gerere et persistere studeatis, ut per bonorum operum exhibitionem gratie nostre munificentiam de bono in melius obtinere possitis.

Dat. etc.

IV.

Ut nullus Gaietanos in personis vel rebus per imperium vel regnum offendat.

Fridericus etc. universis per regnum Sicilie constitutis, quibus presentes littere ostense fuerint, fidelibus suis gratiam suam et bonam voluntatem. Quia misericordia superexaltat iudicio, et nisi culpa precederet locum venia non haberet, nos gloriosiorem decernentes[a] vindictam clementer ignoscere quam iuste punire, universitati vestre duximus tenore presentium intimandum, quod precibus et monitis sanctissimi in Christo patris domini Gregorii summi pontificis ob honorem suum et apostolice sedis reverentiam pio condescendentes affectu, universitatem et singulos Gaietanorum in gratiam nostram recepimus, ex innata clementia remittentes eisdem omnem offensam et culpam, quam iidem Gaietani ecclesie adherendo contra nos occasione orte discordie commiserunt. Preterea plenam eis securitatem concedimus ubique per imperium, regnum et totum posse nostrum, in eundo, morando et redeundo et alias negotiationes et agenda quelibet exercendo, quemadmodum habent alii fideles nostri. Quare mandamus et precipimus fidelitati vestre, quatinus eisdem Gaietanis nostram gratiam assecutis sicut aliis fidelibus nostris pacem et securitatem, quocumque per vos cum mercimoniis et rebus eorum venire, morari et redire contigerit, firmiter observetis, et nullus sit qui eos in personis vel rebus temere impediat vel molestet. Quod qui presumpserit, indignationem nostri culminis se noverit incursurum tamquam mandati nostri temerarium transgressorem.

(Iac. 2,13.)

Dat. etc.

543.

Gregorius IX papa [Bertholdum] patriarcham Aquilegiensem a iuramentis absolvit, quae pro [Egberto] episcopo Babembergensi e captivitate Henrici de Finkenstein liberando praestiterit. Cf. n. 518. *1233, Iun. 25.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 64; Lib. VII 221.

[a]) decernetes *R.*

. . patriarche Aquilegensi.

Que fuerit insania quisve furor exstiterit iniquissimi Henrici de Winkenstein tue dioecesis, qui venerabilem fratrem nostrum . . Pabenbergensem episcopum proditorie capiens carcerali detinuit custodie[a] mancipatum, donec coactus diversis cautionibus pro solvenda sibi certa pecunie quantitate, diruto quodam castro Pabenbergensis ecclesie, sue nequitie satisfecit, non esset facile recensere; cuius enormitatem sceleris iam latius divulgatam tibi in vicino posito credimus esse notam. Nos autem indempnitati Pabenbergensis ecclesie, que sedis est apostolice specialis, quantum cum Deo possumus, precaventes, te ab omni vinculo iuramenti aliisque cautionibus prestitis flagitioso predicto, quatinus in hiis ecclesia ipsa leditur, nuntiamus auctoritate apostolica absolutum et ad earum observantiam non teneri.

Dat. Lateran. VII Kal. Iulii, anno septimo.

544.

Gregorius IX papa [Eberhardo II] archiepiscopo Salisburgensi mandat, ut [Rudigerum] episcopum Chiemensem ad Patariensem ecclesiam transferat. Cf. n. 480.

1233, Iun. 27.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 66; Lib. VII, 226.

. . archiepiscopo Salzburgensi.

Multe compassionis affectus, quam iuxta debitum officii pastoralis habemus ad Pataviensem ecclesiam, de innumeris tediis et angustiis ad nos sine intermissione clamantem, quo maiori necessitate constringitur, eo fortius cogitare nos compulit, de quo sibi possemus in pastorem utiliter providere, maxime cum canonici eiusdem, qui pro se ac aliis ad nostram presentiam fuerant destinati, in unam personam nequiverint convenire. Cumque nomen venerabilis fratris nostri . . episcopi Chiemensis favorabiliter venisset in medium, nosque odorati fuissemus suavem sue opinionis odorem, in eo nobis complacuit, quasi presto fuerit in persona sua ecclesie indigenti consilium salutare. De fratrum ergo nostrorum consilio ex officio nostro de dicto Kiemensi providentes in episcopum ecclesie memorate, ne ipsius[b] desolate videremur misericordiam denegare, mandamus, quatinus eum a cura Chimensis ecclesie absolutum ad ecclesiam transferas supradictam, spiritualia sibi eiusdem et temporalia committendo.

Dat. Lateran. V Kal. Iulii, anno septimo.

545.

Gregorius IX papa [Rudigero] episcopo Chiemensi idem scribit verbis competenter mutatis, mandans ut curam Patariensis ecclesiae suscipiat. *1233, Iun. 27.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 66; Lib. VII, 227.

[a]) custodia *R.* [b]) *leg.* ipsi.

. . episcopo Chiemensi.

Multe compassionis etc. in eundem fere modum ut supra usque: committendo. Quocirca mandamus, quatinus eidem archiepiscopo vel nobis verius parens humiliter in hac parte et submittens humeros ad portandum, regimen et sollicitudinem Pataviensis ecclesie, confisus de gratia Salvatoris et de favore nostro securus, suscipere non postponas.

Data ut supra.

546.

Gregorius IX papa [Bertholdo] patriarchae Aquilegiensi mandat, ut contra Henricum de Finkenstein, qui [Egbertum] episcopum Babembergensem proditorie ceperit et postea excessus excessibus cumularit, spiritualiter et temporaliter procedat. 1233, Iun. 28.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 64—65; Lib. VII, 223.

. . patriarche Aquilegensi.

Que fuerit insania quisve furor etc. ut supra in ducentesima vigesima prima littera[1] usque: credimus esse notam. Nos autem, ne tantam Dei et ecclesie iniuriam negligere videremur, medicinalem Petri gladium exeruimus in eundem, sperantes ut Ierem. 5,3. percussus doleret et attritus reciperet disciplinam, set ipse tamquam in rabiem con- Iob. 41 20. Es. 9 13. citatus, malleum velut stipulam reputans et ad percutientem converti recusans, excessus excessibus cumulavit, in christum Domini, videlicet episcopum supradictum, quecumque voluit exercendo, in atrocissimam contumeliam Iesu Christi et inextricabile opprobrium ecclesie sponse sue. Cum igitur flagitiosus predictus Dei timorem et reverentiam universalis ecclesie, quam enormiter in ipsius episcopi persona concussit, pro nichilo reputaret, fraternitati tue presentium auctoritate ex officio nostro in virtute obedientie precipiendo mandamus et in remissionem iniungimus peccatorum, quatinus cum consultius sit in fundo vicini inundationis impetum congruis obstaculis prepedire, ne propria sata rapido disperdantur incursu, et parieti propinquo ardenti succurrere, ut communia pericula evitentur, causam huiusmodi propter exempli perniciem non tam necessitate quam propria voluntate prosequens tamquam proprium interesse, ad reparationem castri predicti et recuperationem bonorum ecclesie, non obstante aliquo vinculo iuramenti vel cuiuslibet alterius cautionis, cum nobis in hoc apostolice sedis, ecclesie universalis negotium prosequentibus per nullas obligationes potuerit lex imponi, quin per te et alios tam piaculare flagitium persequi debeamus, et generaliter super aliis omnibus contra illum nephandissimum spiritualiter et temporaliter procedere non postponas, donec, si forte desuper datum fuerit, de sua salute recogitans super intollerabilibus dampnis, iniuriis et contumeliis prefati episcopi et ecclesie sibi commisse ad mandatum apostolicum humiliter revertatur; eum nichilominus et ministeriales nobilis viri . . ducis Carinthie[2], qui arma et victualia sibi ministrasse dicuntur, ac complices et fautores ipsius singulis diebus dominicis et festivis pulsatis campanis et accensis candelis excommunicatos publice nuntians et faciens usque ad satisfactionem condignam ab omnibus evitari.

Dat. Lateran. IV Kal. Iulii, anno septimo.

1) *n. 513.* 2) *Bernhardi II.*

547.

Gregorius IX papa H. praeposito Pataviensi indulget, ut ad solvenda debita redditus suos ecclesiasticos ad biennium obligare valeat.

1233, Iul. 1.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 66; Lib. VII, 228.

H. preposito Pataviensi.

Constitutus in presentia nostra nobis humiliter supplicasti, ut cum pro expensarum defectu, quibus fuisti ad sedem apostolicam veniendo ab Eberhardo de Porta milite et eius complicibus Frisingensis diocesis spoliatus, fueris debitum subire compulsus, tibi, ut ad huiusmodi debitum persolvendum redditus tuos ecclesiasticos usque ad biennium obligare valeas, indulgere misericorditer dignaremur. Tuis igitur devotis precibus inclinati, tibi auctoritate presentium concedimus postulata, ita tamen ut ob hoc ecclesia tuo debito in preposituree officio minime defraudetur. Nulli ergo nostre concessionis etc. Si quis autem etc.

Dat. Laterani, Kal. Iulii, anno septimo.

548.

Fridericus Romanorum imperator Gregorio IX papae nuntiat, se eius epistolam, in qua arbitrium de causa inter ipsum et Lombardos prolatum contineatur [1], *recepisse, sed antequam litteras patentes mittat, quas sedes apostolica suo et filii sui nomine usque ad festum beati Michaelis [Sept. 29] iuxta tenorem transmissum dirigi postulaverit, se [Hermanni] magistri Teutonicorum reditum* [2] *praestolaturum esse, qui ad singula eiusdem negotii plenius sit instructus.*

1233, Iul. 12.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 75; Lib. VII, 267.
Böhmer-Ficker, Reg. Frid. II, n. 2024.

549.

Fridericus Romanorum imperator R[aynaldo] Ostiensi et Velletrensi electo scribit, quid papae de eius arbitrio inter ipsum et Lombardos prolatum responderit [n. 548]; conqueritur quod pro tot iniuriis imperio illatis non aequa satisfactio subsecuta sit, addens si tenor huius provisionis ad publicam notitiam exierit, reges et principes arbitrale iudicium ecclesiae libenter non esse subituros.

1233, Iul. 12.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 75—76; Lib. VII, 268.
Böhmer-Ficker, l. c. n. 2025.

1) n. 531. 2) E Terra Sancta.

550.

Gregorius IX papa Fridericum Romanorum imperatorem rogat, ne sub praetextu haereticorum fideles, qui forte ipsum offenderint, perdat, id quod iam non sine multorum scandalo acciderit.

1233, Iul. 15.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 70—71; Lib. VII, 244. Pertzii exemplar supplevimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1233, § 34.

Potthast, Reg. 9261.

Friderico, Romanorum imperatori semper augusto, illustri Ierusalem et Sicilie regi.

Ad extirpandam hereticam de regno Sicilie pravitatem, ut abstersis perfidie maculis, quibus latenter eiusdem regni partes alique maculantur, in illo fidei Christiane puritas refulgescat, te opus novum assumpsisse retulit gratitudinis pagina quam misisti [1]. Verum cum pre cunctis operibus id gratum domino gratiarum et nobis etiam reputemus, cumque id ad tui nominis accedere gloriam multipliciter agnoscamus, gaudium ex hoc grande concipimus et tibi plenarie non inmerito congaudemus, parati ad pestis tam nocive contagium abolendum ubique tue celsitudini Christi virtute preambula prestare patrocinium oportunum. Evidens quidem ex hoc, fili karissime, signum elicitur, quod in divini exaltatione nominis tua sublimitas delectetur. Sed quia[a] ferventi desiderio multis temporibus expectamus[b], quod verborum pulchritudinem decor operum sequeretur, eo quod arbor ex fructibus formosa potius quam ex frondibus censeatur, excellentiam tuam rogamus et obsecramus in domino Iesu Christo, quatenus prudenter attendens, quod ex melle favus laudem dulcedinis et ex messe seges placente titulum sortiatur, devotionis verba, que sepe tuis litteris exponuntur, ita conformes operibus bonitatis, quod in actu fructificent et te celorum regi ac terre principibus cunctisque fidelibus, ut excelsum potentia principem, ita virtute constituant preminentem; alias autem parum arbitramur utile, quod studet litteris dictatoris facunditas explicare. Taliter igitur cordis adorna thalamum pietatis insignibus et meritis, illustra solium bone splendoribus voluntatis, ut te severitatem in abdito et in procinctu clementiam obtinente, letitie causam ex te subiecta populi multitudo concipiat et illa te propitio in prosperitatis gratia reflorescat. Sic enim, cum sit amor civium inexpugnabile munimentum, desiderium, quod adversus exterminium pravitatis heretice concepisti, processu prospero auctore Deo dirigi poterit et finiri. Veruntamen expedit, sicut divinam gratiam et favorem matris ecclesie vis uberius promereri, quod sub hereticorum pretextu, quorum dudum aliqui pro firmamento fidei, ut asseris, incendio sunt commissi, fideles, qui forte tuam celsitudinem offendendo non heretici sed errantes in aliquo, impatientia procurante gravaminum, sunt inventi, nullo modo pereant, ut pridem nobis dolentibus multisque merentibus non absque divine maiestatis offensa, scandalo fidelium populorum et imperialis detrimento nominis in tui presentia perierunt [2], que, si fas sit verbum proponere pietatis, debebat delendis perfidis, non perdendis fidelibus deputari, ut sic Christiani potius promotor imperii

a) quia ferventi — Sicilie diceceris *ex Rayn.* b) expectantes *Rayn.*

1) *n. 538.* 2) *Cf. Chron. Reg. Colon. a. 1233.* Eodem fere tempore et rebelles imperatori in Sicilia et in Germania infinitus numerus hominum et multa menia incendio perierunt.

quam depressor eiusdem occasione afflicti regni Sicilie dicereris. Quod ut tibi amodo pro divina et nostra reverentia commendatum existat, te per Dei filium adiurantes volumus, ut de favore nostro fiduciam plenam obtineas, dummodo intentus divinis beneplacitis exequendis ab eiusdem regni gravamine conquiescas.

Dat. Lateran. Id. Iulii, pontificatus nostri anno septimo.

551.

Gregorius IX papa rectoribus Urbis nuntiat, se omnes turbatores pacis inter Romanos et Viterbienses reformatae, et eos qui Castrum Monasterii reaedificare praesumpserint, excommunicare. *1233, Aug. 10.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 74; Lib. VII, 262.

Rectoribus Urbis.

Cum pro reformatione pacis inter Romanos et Viterbienses sit longo tempore laboratum, et nunc pace inter ipsos per Dei gratiam reformata[1], ne illo procurante, qui dissensionis est auctor, turbetur per aliquos perditionis filios, timeatur, nos, volentes animarum saluti consulere ac futuris periculis obviare, omnes turbatores pacis huiusmodi, et qui Castrum Monasterii rehedificare vel aliquod edificium ibidem facere presumpserint, auctoritate Dei omnipotentis et beatorum Petri et Pauli ac ea quam nobis ligandi et solvendi contulit potestate excommunicationis sententia innodamus.

Dat. Anagnie, IIII Id. Aug. anno septimo.

552.

Gregorius IX papa Friderici Romanorum imperatoris querelas reicit, qui per litteras cardinalibus directas nihil sibi de iniuriis a Lombardis illatis satisfactionis praestitum fuisse conquestus erat; qualiter in provisione sua secundum iustitiam et rationem processerit, exponit, nuntians negotium in statum pristinum reduci posse, iure utriusque partis integro remanente. *1233, Aug. 12.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 76–77; Lib. VII, 269. Pertzii exemplar supplevimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1233, § 29—31.

Potthast. Reg. 9271.

Friderico, Romanorum imperatori semper augusto, Ierusalem et Sicilie regi illustri.

Dum in conscientie secreto perquirimus, quanta dilectionis et sinceritatis preminentia te prosecuti fuerimus, in minori officio constituti et postquam ad apostolice dignitatis fastigium licet indigni disponente Deo fuimus evocati, si tua velit sublimitas in favorem veritatis exurgere et affectionis percepta munera recensere, breviter ex illa colligimus, quod super hiis alio quam tuo testimonio non egemus. Sed quia

1) *Mense Aprili; Rycc. de S. Germ. a. 1233, SS. t. XIX, p. 370.*

pluries sola dumtaxat iniuriarum suspitio menti magis infigitur, quam si numerosa beneficiorum affluentia conferatur. adest tibi vel alteri ex illo forte materia suspicandi, quod aliquorum presumptione temeraria procurante visi fuimus in tuitione libertatis ecclesiastice a te patris animum avertisse, licet illum in statu solito retinentes, eundem ostenderimus ex illa industria laudabiliter immutatum, ut in viam vite filium virga reduceret, cuius innuebant opera, quod in mortis invium tractus voluntatis impetu properaret. Ecce, quod videbatur odium, amorem intimum continebat, et quod amarum apparuit, tandem immensam dulcedinem propinavit, quia post infusam a nobis salutaris collirii punctionem, que obtuse mentis oculos illustravit, lucem vidit ambulans in tenebris, et in discrimine positus in salutem feliciter est resumptus. Quo volente? Cuius diligentia faciente? Porro virtus divina voluit et nos effecimus operante clementia Salvatoris, cuius imitari vestigia satagentes, quia filios fovere credimus, non delere, ad instar patris venientem de longinquo filium amplexantis, te ad mandatum ecclesie per Christi gratiam redeuntem brachiis paterne dilectionis excepimus, et multis pre dolore languentibus nec non quibusdam adeo vota formantibus in adversum, ut ne ad alta resurgeres repugnantie repagulum obiecerunt[a], diversis diversorum sententiis per virtutem constantie diffinitis, te in statum reduximus salutarem, excellentiam tuam nedum soliti set maioris favoris gratia prosequentes. Unde pro tue celsitudinis incremento, etsi ab aliquibus, qui scirent etiam de balsami murmurare flagrantia et in melle causari dulcedinis ubertatem, forte contrarium teneatur, duos ex fratribus nostris, quos laudabiles efficit multiplicis evidentia probitatis, Lombardis omnino renitentibus, pro te in Lombardiam misimus, quorum diligenti studio, quantum difficultas negotii concedebat, tuis accrevisse profectibus probabiliter extimamus[b] [1]. Ceterum, etsi bona referamus inviti, que de sedis apostolice benignitate procedunt, eo quod impensa beneficia non sint largitoris relatibus publicanda, tamen, ut innocenti maculam non impingas et scias te ad retributionis debitum, non ad querele convitium obligatum, reminisci te volumus, quod in pluribus, que tuorum prudentia nuntiorum seu multarum series litterarum a nobis tuo nomine diebus preteritis exposcerunt, faciendum semper assumpsimus, quod dignum et utile videbamus. Sed ecce, quasi arbor gratis onusta fructibus ex eo dicenda sit sterilis, si non per totum appareat uniformis, aut quasi defectus ascribi firmamento debeat, si equa stellarum claritas non existat, oblivioni commissa gratiarum congerie, quam suis temporibus circa te recolimus effudisse, innuis ex scripto lamentabili, quod non nobis sed nostris fratribus destinasti[2], nos taliter super Lombardie negotio providisse, ut de illatis iniuriis a Lombardis nichil sit tibi satisfactionis prestitum aut de tuo vel honore imperii cogitatum; immo, quod pro miro geritur, si processus huiusmodi cardinalium consilio fulciatur, quasi talibus inconsultis soliti simus efficere, que debemus et cupimus ipsorum consulta providentia diffinire.

Ad hec autem quid rescribentis innocentia respondebit? Unde presumptio, quod sequentes arbitrium proprie voluntatis, quasi rationis consilio non ducamur, qui licet immeriti locum superni iudicis obtinentes in terris, plenitudinem iustitie studemus omnibus exhibere, principi preminenti et ecclesie filio speciali Lombardos in aliquo, maxime ubi de iure agitur, relicto rectitudinis tramite preponamus[c]? Absit, absit a nobis, qui testem in celis et in excelsis conscium obtinemus, quod in iuris preiudicium nobis non sit acceptio personarum. Sed infers, quod[d] ex quingentis militibus, quos

a) *ita R.* b) *Quae sequuntur usque ad finem ex Rayn.* c) proponamus *Rayn.* d) quod *deest ap. Rayn.*

1) *Cf. n. 531.* 2) *n. 519; Raynaldi electi Ostiensis responsio imperatori missa ap. Huillard-Bréholles, l. c. t. IV, p. 119.*

quidem de fratrum nostrorum consilio in Terre Sancte subsidium a Lombardis providimus prefigendo ab ecclesia Romana termino destinandos, forte iniuriam tibi fecerimus evidentem. Unde locus a dampnis et iniuriis, que tibi Lombardorum temeritas irrogavit. Que sunt illa? Pone, quod plurima: tamen quia Lombardis paratis subire iudicium procuratores tui nichil sub figura iudicii proponere voluerunt, in favorem tui nominis ad provisionis remedium nos oportuit habere recursum: que qualiscunque tue magnitudini videatur, tamen ex illa Lombardi se gravatos intelligunt, eo quod super habitis contra te processibus se in modico culpabiles ex causis plurimis recognoscunt. Sed querelam querele adicis, et subiungis, quod in provisione predicta prior sit omissa conventio de militibus quadringentis. Ad hoc autem quam possumus breviter et lucide respondemus. Scis enim, nisi forte oblivioni commiseris aliis pluribus occupatus, quod secundum declarationem felicis recordationis Honorii pape, predecessoris nostri, quam sumptam ex regestis tibi presentibus mittimus interclusam[1], celsitudini tue predicti milites debebantur, si statuto a te passagio et per Romanam ecclesiam approbato in Terre Sancte subsidium transivisses. Igitur, quod non sine turbatione referimus, cum talem transitum feceris sicut scimus et nosti, tibi predicti milites non debentur. Si non debentur et in premissis nil de contingentibus est omissum, quare, vir provide, lamentaris? Verum si de provisione predicta te gravatum propriis vel alienis moribus arbitraris, super hoc nobis tuam precise resera voluntatem, quia credimus negotium in statum pristinum posse reducere, iure utriusque partis integro remanente.

Dat. Anagnie, II Idus Augusti, anno septimo[2].

553.

Gregorius IX papa Fridericum Romanorum imperatorem monet, ut Sarracenos Luceriae, qui Italicum idioma non mediocriter intelligant, hortetur ad recipiendos in pace fratres ordinis Praedicatorum, quos ad eos mittat. *1233, Aug. 27.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 89—90; Lib. VII, 310
Potthast, Reg. 9281.

Friderico, Romanorum imperatori semper augusto, Ierusalem et Sicilie regi.

Post vicarium Iesu Christi, Romanum pontificem, qui disponente Domino Christiani dux est et magister exercitus, fidem catholicam defendere ac tueri consuevit augustus, qui non inaniter accepisse nec sine causa portare gladium cernitur, si castra Dominica protegens contra cunctos hostes fidei prelietur. Unum igitur utriusque debet esse consilium, idem votum, ut vinea, quam tulit Dominus de Egypto, eversis gentibus (Psal. 79, 9) vel conversis producat in maria palmites et ultra Ethiopie flumina propagines fecundi- (Ibid. 12.) tatis extendat. Sic quondam Moyses, ad quem fiebat sermo Domini, qui est gladius (Exod. 17, 8 et sequ.) specialis, Amalech oratione, Iosue vero minister eius ut legitur ferro prostrabat, et non solum nichil sine oratione materialis gladius poterat, set desinente hac ille protinus succumbebat. Denique tantam hec inter se desiderant unitatem, ut cum fecisset de

1) *Cf. n. 327—330.* 2) *Imperator Aug. 11, antequam hanc epistolam recepit, papae scripsit se eius provisionem [n. 531] ratam habere. Bohmer, Acta Imp. p. 266, n. 302.*

uno Dominus acquirendo gladio mentionem, duo in eodem loco protinus sint ostensi, (Luc. 22,38.) respondentibus hiis quibus de mistica mercatione fuerat imperatum: 'Ecce gladii duo hic', id est, non hic unus et alius alibi sunt, set hic in uno loco, videlicet propter (Luc. 10,42.) unum quod est necessarium, ad totum hominem, qui ex duabus constans substantiis ad duo diversa nititur, corrigendum. Nam rectum Deus hominem condidit, set innumeris ipse se questionibus implicavit, et dum uni per unius interdicti custodiam parere voluit[a], cum subiectis omnibus nunc pari, nunc impari, superiori rarius, sepius inferiori marte contendit, set si ad hominem Deum vel sero convertitur, per eum, qui mundum vicit, omnium dominatur. Propterea vera lux que erat apparuit, ut omnem illuminet hominem voluntarium et humiliter penitentem, et plus in divitias[b] sue que ipsa est bonitatis habundans, cum nesciret homo quid peteret, misit spiritum sanctum suum, qui pro gemitibus inenarrabilibus imploraret. Hoc edocta catholica mater ecclesia gestit adhuc, ut pariat in deserto gentilium sola conceptum gratia pietatis maxime (1. Tim. 3,16.) sacramentum, quod manifestatum carne, iustificatum spiritu, apparens angelis, gentibus predicatum, mundo creditum, in gloria est assumptum. In celo iam sedet, qui de conversione nos ammonet, cuius gerentes in terris vicem licet immeriti, cum simus (Rom. 1,14.) sapientibus et insipientibus debitores, sicut iam pridem eis, qui tam distantia cordium quam locorum longe sunt, pacem evangelizare curavimus, sic et hiis, qui prope, verbum Domini, quod non est aliquatenus alligatum, subtrahere non debemus. Quocirca de serenitate tua in hac parte potissimum confidentes, imperialem mansuetudinem rogandam duximus et hortandam, quatinus Sarracenis, qui Capitinate Luceriam incolunt et Italicum ydioma non mediocriter ut fertur intelligunt, per tuas litteras firmiter dare debeas in mandatis, ut fratres ordinis Predicatorum, pacis angelos, quos ad eos cum exhortationis verbo dirigimus, in pace suscipiant, patienter audiant et prudenter hiis, que pro sua salute proponuntur, intendant. Si forte pater luminum nostre misereatur (1. Ioh. 1,6.) aspiciens intentionis affectum, populo, qui in tenebris ambulat, verum lumen ostendat, et si quod a nobis in benedictione plantabitur, potentie tue favoribus irrigetur: ad (1. Cor. 3, 7. 8.) unum ex hoc nobiscum proficias meritum apud eum, qui solus tribuit incrementum, quia qui plantat et qui rigat, unum sunt in unius intentionis affectu. Cum igitur quod ab evangelizante plantatur, ille riget proprie, qui baptizat, et hoc ultimum in carnali adhuc multitudine consummari sine gladii materialis adiectione vix valeat, te per eum, qui Ionam indicti casus oneris fugientem per elementum, quo se putabat evadere, terruit, ac velut ergastulo carceris ita piscis ventre conclusit, et innumeram multitudinem Niniven exterminii denuntiatione convertit, hortantes imperialem excellentiam imploramus, quatinus in ea, quam tibi rex regum et dominus dominantium contulit, potestate predictum tue ditionis populum, aperte perditionis errore deceptum, ad regenerationis et renovationis lavacrum exhortationibus attrahas et terrore compellas, quia[c] tunc erit eorum fructuosior servitus, cum tibi et eis fuerit Deus unus.

Dat. Anagnie, VI Kal. Sept. [anno VII][d].

554.

Gregorius IX papa [Burcardo] praeposito Sancti Blasii in Brunswic, cum in archiepiscopum Magdeburgensem electus sit, dispensative administrationem huius ecclesiae concedit. *1233, Sept. 22.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 84; Lib. VII, 289.

a) *an* noluit? b) *ita R; an* divitiis? c) quam *R.* d) anno VII *deest in R.*

Preposito Sancti Blasii in Brunswich.

Cum in archiepiscopum Magdeburgensem a dilectis filiis capitulo Magdeburgensis ecclesie canonice ac concorditer dicaris electus [1], presentium tibi auctoritate dispensative concedimus, quatinus, si est ita, liceat tibi iuxta generalis statuta concilii in temporalibus et spiritualibus ministrare, donec electio de te facta, si confirmanda fuerit, per sedem apostolicam confirmetur.

Dat. Anagnie, X Kal. Oct. anno septimo.

555.

Gregorius IX papa decano, cantori et thesaurario Sanctae Crucis Cameracensis mandat, ut scabinos civitatis Atrebatensis a prava exactione, quae malatolta nuncupetur, desistere faciant. *1233, Oct. 11.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 86; Lib. VII, 303.

. . decano, . . cantori et . . thesaurario Sancte Crucis Cameracensis.

Ad audientiam nostram significantibus venerabili fratre nostro episcopo [2] et dilectis filiis . . preposito, . . decano et capitulo Atrebatensi noveritis pervenisse, quod cum olim scabini civitatis Atrebatensis quandam pravam exactionem, que malatolta vulgariter nuncupatur, in eadem civitate in ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum dispendium ac animarum suarum periculum de novo imponere niterentur, bone memorie P. Atrebatensis episcopus, volens indempnitati ecclesiastice providere et obviare periculis animarum, lata propter hoc in eos excommunicationis sententia, et demum ipsis ad mandatum ecclesie redeuntibus, ne hoc ulterius attemptarent, sub pena inhibuit prestiti iuramenti. Sed licet illi ad mandatum dicti episcopi duxerint desistendum, scabini tamen, qui nunc civitati presunt eidem, in ipsa exactionem eandem imponere non verentur in eorum preiudicium et enervationem ecclesiastice libertatis. Ideoque mandamus, quatinus, si est ita, dictos scabinos, ut ab huiusmodi presumptione desistant, monitione previa per censuram ecclesiasticam appellatione remota sicut iustum fuerit compellatis: proviso ne in unversitatem etc. Testes autem etc. Quod si non omnes etc.

Dat. Anagnie, V Idus Octob. anno septimo.

556.

Gregorius IX papa [Vicedomino] episcopo Placentino mandat, ut [Lantelmum Magnerium] potestatem et alios Placentinos, qui R[ollandum] fratrem ordinis Praedicatorum vulneraverint et ob hoc postea a civibus suis capti sint, tam diu custodiri faciat, donec sedes apostolica ei rescribat quid sibi super hoc placeat. *1233, Oct. 15.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 92; Lib. VII, 328.

1) *Ut videtur sub finem anni 1232; cf. v. Mülverstedt, Zur Chronol. d. Magdeb. Erzbisch. Albrecht II und Burchard I. in Magdeb. Gesch. Bl. II, p. 72 et sequ.* 2) *Assone.*

. . episcopo Placentino.

Doluit et dolet ecclesia, quod inconsutilis vestis Christi, cui manus crucifigentium pepercerunt, per eos rumpitur, qui eum in membris suis iterum crucifigunt. Ecce (Psal. 103.25.) reptilia, quorum non est numerus, que olim in pulvere latitabant, nunc insurgunt in facie et catholice fidei apertas insidias moliuntur. Animalia quoque pusilla, que (Cant. 2.15. Iud. 15.4.) latenter vineam Domini consueverant demoliri, nunc messem Dei facibus ad caudas (Psal. 16.12.) ligatis patenter excurrunt; et non sicut catulus leonis in abditis habitant, set sicut (Iob. 40.18.) leo paratus ad predam querunt quos devorent, concepta fiducia quod Iordanis in os influat eorundem. Sane ex tuarum litterarum tenore nobis innotuit, quod cum frater R. ordinis fratrum Predicatorum ad conterendum caput reptilium, vulpes parvulas (Psal. 31.9.) capiendas et rugientis leonis maxillas in freno cohibendas et camo, ne lacerarent ulterius vestem Christi, personaliter Placentiam accessisset, et universo populo loci eiusdem communiter advocato ac verbo Dei ad edificationem animarum proposito inter eos, quedam . . potestati Placentino super profligandis hereticis iniunxisset, de ipsius potestatis conniventia ut dicitur et favore heretici et fautores ipsorum in te, clerum Placentinum et dictum fratrem R. et alios religiosos viros crudeliter irruentes, eundem (Iob. 15.35.) fratrem et quosdam alios religiosos gladiis et lapidibus vulnerarunt, et prout dolorem conceperant, iniquitatem protinus pepererunt. Quare tu tamquam zelator catholice fidei civitatem Placentinam interdicto ecclesiastico subiecisti, et ex ea dicti fratres Predicatores protinus exeuntes memoratum fratrem R. semivivum exinde deportarunt. Super quo universi cives loci eiusdem dolore commoti nominatis fratri R. et aliis fratribus humiliter supplicarunt, ut nequaquam exinde recederent et satisfactionem super excessu premisso reciperent congruentem. Verum dictus magister R., qui ad redditum inclinari non potuit, antedictum potestatem et alios huius sceleris commissores capi et detineri precepit usque ad nostre beneplacitum voluntatis: cuius mandato dicti cives humiliter obsequentes, potestatem et alios viginti quatuor huius reos sceleris capientes, tue interventu sollicitudinis captivos carcerali custodie tradiderunt. Nos igitur fidei tue zelum dignis in Domino laudibus commendantes mandamus, quatinus dictos captivos faciens sub exacta cura servari, ne evasionis surripiant facultatem, eos, donec tibi quid super hoc nobis placeat rescribamus, custodiri facias diligenter, et nichilominus vigilans sic prudenter, sic sollicite plebem tibi commissam custodias, ne, dum qui oves putantur convertantur in lupos, oves tuas rapiant et dispergant[1].

Dat. Anagnie, Idibus Octobris, anno septimo.

557.

Duae epistolae Gregorii IX papae 1) ad C[onradum] lantgravium Thuringiae, quem propter eius devotionem erga sedem apostolicam sub protectione sua suscipit, 2) ad [Conradum II] episcopum Hildeshemensem, cui hoc nuntiat, mandans ne eum molestari permittat.

1233, Oct. 20 et 23.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 92; Lib. VII, 324 et 326.

1) *De hac re cf. etiam Ioh. de Mussis SS. XVIII, p. 454 not. **, et Winkelmann, Acta Imp. ined. p. 513—516, n. 635—639.*

I.

Nobili viro C. lantegravio Turingie.

Dignum est et consonum rationi, ut apostolice sedis benignitas, sicut ad omnes fideles generaliter affectum caritatis extendit, sic eos, quos circa servitium suum et defensionem catholice fidei presertim hoc tempore, in quo labes heretica peccatis exigentibus latius est diffusa, devotiores invenerit, speciali studeat patrocinio confovere. Hinc est, quod fidem ac devotionem recolende memorie progenitorum tuorum, quam incessanter ad Deum et sedem apostolicam habuerunt et tu non minus habere dinosceris, attendentes, personam tuam et terram cum omnibus bonis etc. usque: communimus, statuentes ut te in devotione ecclesie persistente, ea omnia secura consistant et permaneant illibata. Nulli ergo — nostre protectionis et constitutionis etc. Si quis autem etc.

Dat. Anagnie. XIII Kal. Novembris. anno septimo.

II.

. . episcopo Ildesemensi.

Dignum est etc. ut supra in trecentesima vigesima quarta usque: illibata. Quocirca mandamus, quatinus predictum nobilem contra nostre protectionis et constitutionis tenorem ab aliquibus non permittas indebite molestari. molestatores huiusmodi etc.[1].

Dat. Anagnie. X Kal. Novembris. anno septimo.

558.

Gregorius IX papa [Sigefrido III] archiepiscopo Moguntino, [Conrado II] episcopo Hildeshemensi et Conrado, ordinis Praedicatorum provinciali priori in Teutonia, mandat, ut contra haereticos Teutoniae iuxta formam concilii generalis et statuta nuper edita procedant. *1233, Oct. 21.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 89; Lib. VII, 311
Potthast, Reg. 9314.

. . archiepiscopo Maguntino, . . episcopo Ildesemensi et fratri Conrado, ordinis Predicatorum provinciali priori in Teutonia.

Dolemus et vehementi commotione turbamur, quod Teutonia, que sicut ortus Ioel. 2,3.
specialium voluptatum catholice viriditate fidei et operum pietate redolere consuevit
hactenus et vigere, nunc apparet plena sentibus heresum et fedata sordibus vitiorum.
et nisi Dominus reliquisset in ea benedictionis semen, viros sinceros, fidei zelatores, Es. 1,9.
negotium correctionis ipsius esset ambiguum et forsitan desperandum. Nunc vero,
sicut in veritate comperimus, vos et alii ecclesiarum prelati ac persone, fratres quoque
ordinis Predicatorum, tollentes resinam ad dolorem eius et cauterium ad tumorem ac Ierem. 51,8.
cum evangelico Samaritano vinum et oleum vulneribus infundentes, vigilanter instatis, Luc. 10,34
si forte sit sanitas, nec non viri nobiles vere fortes veri lectulum Salomonis gladiis Cant. 3,7

1) *Cf. n. 572 et 573.*

ambiunt, dum vobis efficaciter assistentes opus Dei et utilitatem publicam operantur. Unde non immerito prosperari iam in talium manu fidei negotium credimus, qui pro immanitate scelerum et multitudine perversorum timere contrarium poteramus. Quocirca mandamus, quatinus assumptis vobiscum viris religiosis et Deum timentibus ac in iure peritis, in examinatione, condempnatione et reconciliatione secundum formam concilii generalis[1] et statuta nuper a nobis edita[2] procedatis, attentius provisuri ut puniatur sic temeritas perversorum, quod innocentie puritas non ledatur, universis auctoritate nostra mandantes, quibus hoc negotium fidei est commissum, ut secundum formam ac statuta prescripta procedere non postponant: contradictores etc. Quod si non omnes etc. duo vestrum etc.

Dat. Anagnie, XII Kal. Novembris, anno septimo.

559.

Gregorius IX papa archidiacono Novariensi narrat excessus in Rollandum fratrem ordinis Praedicatorum Placentiae perpetratos, et quomodo postea L[antelmus Magnerius] potestas et alii a civibus suis ob haec capti sint; mandat ei, ut civitati de alio rectore provideat et L. potestatem sufficientibus obsidibus receptis liberari faciat. Cf. n. 556.

1233, Oct. 22.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 94—95; Lib. VII, 335.
Winkelmann, Act. Imp. ined. p. 513, n. 635.

. . archidiacono Novariensi.

Ex tenore litterarum venerabilis fratris nostri . . Placentini episcopi nobis innotuit, quod cum frater Rollandus ordinis fratrum Predicatorum ad conterendum caput
Psal. 31,9 reptilium, vulpes parvulas capiendas et rugientis leonis maxillas in freno cohibendas et camo, ne lacerarent ulterius vestem Christi, personaliter Placentiam accessisset, et populo communiter advocato ac verbo Dei ad edificationem animarum inter eos proposito, quedam L. potestati ipsorum super profligandis hereticis iniunxisset, de ipsius potestatis conniventia ut dicitur et favore heretici et fautores ipsorum in dictum episcopum et clerum civitatis Placentine et dictum fratrem R. ac alios religiosos viros crudeliter irruentes, quodam monacho Sancti Savini nequiter trucidato, eundem
Iob. 15,35 fratrem et quosdam alios religiosos gladiis et lapidibus vulnerarunt, et prout dolorem conceperant, iniquitatem protinus pepererunt. Quare idem episcopus civitatem eandem ecclesiastico supposuit interdicto, et ex ea dicti fratres Predicatores protinus exeuntes memoratum fratrem R. semivivum exinde deportarunt. Super quo populus Placentinus dolore commotus nominatis fratri R. et aliis fratribus humiliter supplicarunt, ut nequaquam exinde recederent et satisfactionem super excessu premisso reciperent congruentem. Verum dictus frater R., qui ad redditum inclinari non potuit, potestatem prefatum et viginti quatuor alios, sicut dicitur huiusmodi sceleris commissores, capi et detineri precepit usque ad nostre beneplacitum voluntatis. Cuius mandato predictus populus humiliter obsequentes, potestatem ac alios antedictos ceperunt ipsius episcopi sollicitudinis interventu et captivos carcerali custodie tradiderunt. Sicque civitate illa sine rectore manente ac consequenter silente iustitia, maleficia, que ibidem libere perpetrantur, remanent impunita: cui nisi fuerit celeri provisione succur-

1) *Ap. Mansi, Concil. Collect. t. XXII, p. 986.* 2) *Cf. p. 395, not. 2.*

sum, potest de graviori scandalo formidari. Unde ipsis nostris dedimus litteris in preceptis, ut dictos captivos sub exacta cura servarent et ipsos, ne evasionis surriperent facultatem, donec eis quid super hoc nobis placeret scriberemus, custodiri facerent diligenter. Nos itaque gerentes de tua circumspectione fiduciam, ac cupientes potius in tempore occurrere quam remedium post causam querere vulneratam, mandamus, quatinus personaliter ad civitatem predictam accedens, inquiras super premissis omnibus una cum venerabili fratre nostro . . episcopo Placentino[1] diligentius veritatem, nobis quod inveneris fideliter rescripturus, et ne in civitate iam dicta vel in provincia Lombardie scissura vel scandalum aliquod generetur, dare studeas operam efficacem, quod provideatur civitati predicte de rectore idoneo et ecclesie Romane fideli, per cuius sollicitudinem et prudentiam ipsa civitas ab hereticorum fraudibus et perversorum astutiis defendatur, et recipiens a sepefato L. sufficientes obsides, quod super premissis nostris debeat obedire mandatis, ipsum et familiam habito super hoc consilio cum memorato episcopo facias liberari.

Dat. Anagnie, XI Kal. Novembris, pontificatus nostri anno septimo.

560.

Gregorius IX papa archiepiscopis, episcopis, abbatibus et aliis ecclesiarum praelatis per Teutoniam constitutis mandat, ut eos, qui magistrum Conradum de Marburg, praeconem fidei Christianae, ferina mente perimere praesumpserint, excommunicatos publice nuntient. *1233, Oct. 23.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 95–96; Lib. VII, 357. Apographi nostri, librarii manu confecti, errores manifestos correximus ope Bullarii Praedicatorum, Tom. I, p. 63, n. 102.

Potthast, Reg. 9316; sub Oct. 21.

Archiepiscopis et episcopis, abbatibus et aliis ecclesiarum prelatis per Teutoniam constitutis.

Vox in Rama, id est tonitruo, nuper intonuit, que Christiane sanctificationis [Matth. 2,18.] concusso pariete velut fulgur reverberavit intuitum fortium et tamquam fulmen auditum perculit infirmorum, quia licet sanctorum mors sit in conspectu Domini pretiosa, tamen catholica mater ecclesia de illorum filiorum subtractione magis dolore afficitur, de quorum preliis et triumphis amplius letabatur. Nec mirum, si Rachel, ovis verum [Ibid.] videns mansueta principium, de illorum nece condoluit. quos ipsa doloris sui, Pater dextere filios nuncupavit, cum Egyptus, que sedet in tenebris et celestis panis affligitur egestate. septuaginta diebus defunctum Iacob patrem fleverit accrescentis sui [Gen. 50,3.] famis tempore salvatoris. Sed et Israeliticus populus triginta diebus Aaron et totidem [Deut. 34,8.] Moysi luxit occubitum, per quos se de temporali servitute noverat liberatum. Habitatores Iabes Galaath viri fortissimi, audito quod coram Philistim rex Saul et eius [1. Reg. 31, 11–13.] filii cecidissent. tota nocte per gentes tulerunt mortuorum cadavera de civitate victorum. et in exequiis sepolture dierum ebdomada ieiunantes a David benedici et [2. Reg. 1,11 et sequ.] diligi meruerunt. qui scissis vestibus cum omnibus viris suis lugens similiter super eum et ieiunans usque ad vesperam, etiam filios Isdrael provocavit ad luctum, non

1) *Vicedomino.*

alias proponens causas fletuum, nisi quod eis ille quedam pretiosa prebuerat ad [2. Reg. 3, 31. 34.] delicias et ornatum. Idem quoque multum placuisse legitur populo, dum Abner ducis sequens feretrum, plangens ad tumulum coram iniquitatis eum cecidisse filiis, et non [Act. 8,2.] sicut ignavi mori solent, mortuum lamentatur. In novo denique testamento viros timoratos, qui sepelierunt Stephanum, fecisse planctum magnum legimus super eum, qui licet esset ad opus comunis ministerii deputatus, tamen per unctionem spiritus plenus fortitudine paucitatem nascentis ecclesie tuebatur adversus multitudinem synagoge. Quid est igitur, o prelati, quod velut si commissorum dampna gregum minime curaretis, magistrum Conradum de Marburch, ecclesie paraninphum, ministrum luminis, interemptum crudeliter[1] a tenebrarum filiis non defletis? Cuius Dominici canis lingua maiori latratu terruit lupos graves? Quis hodie plus zelatus est libertatem [Num. 25,8.] ecclesiasticam et utriusque hominis puritatem, ut Israelitam vel cum Madianitide perfoderet pugione vel immolantem ydolis trucidaret? Annon ipse minister veri Moysi [Ios. 6,20.] malitiam mundialem velut alteram Iericho tubis sacerdotalibus evertebat, ut quilibet vir cordatus, agnitis huius lune menstruis et defectu, perpetuitatem potius iustitie veri solis quereret et haberet? Numquid non exhibuit nobis alterum Mardocheum, qui vertitur in amare contempnens, quia multam de contemptu Aman amaritudinem reportavit, Hester neptem, hoc est ecclesiam per Christi dignatione fratris evangelium generatam, gestiens Assuero, id est beatitudini, copulare, constanter accusavit eunuchos, in longam securamque nocendi libidinem superficialiter exsertos hereticos, qui et in excidium regis glorie fuerant machinati, quos fecit suspendi patibulo, cum patenter de pravitate convictos solempni voluit interire tormento, et sic se pro liberatione sue gentis exposuit, quod Aman, qui interpretatur iniquitas, nec in articulo discriminis in- [Is. 57,1.] clinavit? Quocirca ne, scriptura dicente viros misericordie, pro eo quod non est qui recogitet, de medio tolli, vobis non persequentibus ex animo tantum scelus simile [2. Maccab. 4,37.] quicquam valeat imputari, cum et Antiochus alias iniquus et impius de Onie viri sobrii et modesti morte usque ad lacrimas contristatus et accensus animo omicidam purpura fecerit exui et circumductum vita privari, vos, filii Isdrael, sacerdotes Domini et reges fidelium animarum, pro vindicta mortis ipsius et relevatione negotii, ad exstirpandum hereses, roborandam fidem catholicam et ecclesiasticas sanctiones decebat accingi Symeonis et Levi gladiis, concrepare bucinis, cum vasis procedere bellicis vel cum Machabeo duce divine legis perfugas, canes reversos ad vomitum, sues in volutabro luti lotas, per omnes perversitatis et confidentie sue latebras perscrutantes, deiectionem populi fidelis erigere; et debito iudicio condempnare impios deberetis. Quia igitur, licet contra viros sanguinum memoratos, rebelles luminis, filios desertores, qui, quod relatu horrendum fuerat et stupendum auditu, predictum magistrum Conradum, virum consumate virtutis et preconem fidei Christiane, sacrilegis tenere manibus et ferina mente perimere presumpserunt, ac contra eorum complices severitate condigna procedere nequeamus, cum vix excogitari pena valeat temporalis, que digne sufficeret ad tam immanis facinoris ultionem, ne tamen Petri gladius, cuius sumus immeriti successores, in manu nostra videatur omnino torpere, vel illi iniquitate potentes de sua valeant malitia gloriari, universitatem vestram rogandam duximus attentius et hortandam, per apostolica vobis scripta firmiter precipiendo mandantes, quatinus eos ac ipsorum defensores, complices et fautores singulis diebus dominicis et festivis pulsatis campanis et candelis accensis tamdiu excommunicatos publice nuntietis et per vestras dioceses nuntiari singuli faciatis ac ab omnibus artius evitari, castra, villas et alia loca, in quibus receptati fuerint, supponentes nichilominus ecclesiastico interdicto, donec de tanto excessu satisfaciant competenter et cum vestrarum testi-

1) *Iuli 30 prope Marburg una cum Gerhardo fratre ordinis Minorum.*

monio litterarum ad sedem veniant apostolicam absolvendi; eos quoque, qui excommunicatos ipsos receptare vel manu tenere presumpserint, ut eosdem abiciant, diligenter modo predicto per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellatis.

Dat. Anagnie, X Kal. Novembris, anno septimo.

561.

Gregorius IX papa [Sigefrido III] archiepiscopo Moguntino, [Conrado II] episcopo Hildeshemensi et [Conrado], priori provinciali fratrum ordinis Praedicatorum in Teutonia, de nefanda caede Conradi de Marburg et fratris Gerardi scribit, iisque mandat, ut contra haereticos crucem praedicent; crucesignatis eandem indulgentiam quam Ierusalem euntibus concedit. Cf. n. 560. *1233, Oct. 31.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 99; Lib. VII, 317.
Potthast, Reg. 9322.

. . archiepiscopo Maguntino,
. . episcopo Ildesemensi et . . priori provinciali fratrum ordinis Predicatorum in Teutonia.

Querit assidue perfidia proditorum singulis, quos odio persequuntur, per illorum domesticos et dilectos procurare discrimina, eo quod pre cunctis pestibus familiaris inimici iacula sint nociva. Sane humani generis inimicus, continue perversitatis officio deputatus, per plures de gentis collegio gratiose in partibus Teutonie constitute, quam inter ceteras fidelium nationes reputavit et reputat mater ecclesia specialem, Christiane fidei professores atterere nititur, et illius prorsus evacuare gloriam multipliciter experitur. Ipse quidem, sicut dolentes audivimus et referimus conturbati, pridem bone memorie magistrum Conradum de Marbuch, preconem precipuum summi regis, et fratrem Gerardum, quos eadem fides et passio vere fecit esse germanos, suorum manibus ministrorum extinxit, et ex hoc iniquitatis sue participes ad perditionis opera solito fortius instigavit. Quid ad ista? Nonne satis evidenter innuitur, quod ille actor perfidie, perditionis filius, Sathan tumidus et elatus, qui sedem ad aquilonem ponere voluit, et Altissimi similitudinem obtinere velit et nunc sapientie Dei Patris obsistere, ac ne possit electorum restaurari numerus impedire? Quid est enim fideles a cultu seducere Conditoris, nisi quod celi atrium careat futura presentia beatorum? Quid est sancte doctores ecclesie et alios in gentibus nomen Domini nuntiantes mortis dolere suppliciis, nisi quod fidelibus via vite non pateat eorum salubribus documentis? Ergo, fratres, quibus consiliis quibusve remediis huiusmodi perversoris periculis obsistetur? Porro non est abbreviata manus Domini, quin sue sponse studio, E. 591
quam virtutum insignibus redimitam triumphanti fortitudine communivit, fraudibus principis superborum, quem de summis ad ima propulit et inferorum miserie deputavit, possit potenter occurrere ac perfidie tenebris involutos de collegio fidelium abolere. Vobis igitur, quos virtus divina constituit exaltare in populis sue magnitudinem maiestatis, per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus ac in remissionem iniungimus peccatorum, quatinus provide attendentes quantum possit fidelibus imminere periculum, si quod absit pestis heretica maius suscipiat incrementum, presertim cum lepre contagium, quanto grandius redditur, tanto gravius tolleretur, vos promptis affectibus ad proponendum contra illam crucis evangelium in Teutonie partibus, quibus potius expedire videritis, accingentes, assumptis in partem sollici-

tudinis quibus digne congruat superne preconium veritatis, secundum dona prudentie, que de celesti plenitudine vos tribuente Domino credimus accepisse, regis eterni populum in eisdem partibus constitutum ad hoc sacris et attentis exhortationibus inducatis, ut suscepto cum reverentia signaculo sancte crucis constantis animi fulcimenta suscipiant et ad perdendas viperas, que familiam querunt extinguere Conditoris, potenti virtute se dirigant et procedant, sicque fiat quod illarum confusa congerie possit Christiana religio presentis et eterne salutis gaudiis exultare. Verum ut quod a nobis scripto suggeritur, sacrorum impensa munerum ad effectus gratiam actore Domino perducatur, nos de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad spinas heretice pravitatis eterne punctionis aculeos producentes extirpandas de vinea Redemptoris laborem subierint in personis propriis vel expensis, omnium peccatorum suorum veniam sicut euntibus Ierosolimam indulgemus.

Dat. Anagnie, II Kal. Novembris, anno septimo.

562.

Gregorius IX papa potestati et populo Anconitano sub poena mille marcarum argenti mandat, ut potestatem et syndicum cum sex de maioribus civitatis ad purgandam se de coniurationibus, quas contra constitutiones I[ohannis] tituli Sanctae Praxedis presbyteri cardinalis, rectoris Marchiae, inierint, infra mensem ad sedem apostolicam mittant.

1233, Nov. 22.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 101; Lib. VII, 357.
Potthast, Reg. 9328.

. . potestati et populo Anconitano spiritum consilii sanioris.

Vestris est excessibus imputandum, quod nostre salutationis alloquium nos vobis cogitis denegare, cum exigentibus culpis vestris eo reddideritis vos indignos. Dum enim rebellionis vestre protervitas, dum enormitas vestrorum excessuum diversorum ad memoriam reducuntur, non ad premia conferenda set ad inferendam penam potius provocamur. Vos autem divine patientie improvidi abusores, gratie nostre gratis ingrati et obliti beneficiorum a sede apostolica perceptorum, non attendentes qualiter monetam, comitatum, portum et alia iura, que nullis de Marchia sunt concessa, ad nostram curiam pertinentia, ecclesia Romana vos sustinuit hactenus habuisse, olim Ottoni tunc excommunicato abalienati retrorsum, matris vestre dulcedine abutentes, necnon et . . comiti Celanensi[1] ac aliis ecclesie inimicis violata religione fidei adhesistis, ac ceteris redeuntibus vos in pertinacia vestra perstitistis diutius nimium impudenter, et quasi non ista sufficerent, conversa dextera in viscera matris vestre, conspirationes et coniurationes cum quibusdam sequacibus vestris contra venerabilem fratrem nostrum . . Belvacensem episcopum[2], tunc rectorem Marchie, dampnabiliter iniistis non absque nostra iniuria manifesta. Et quia Romana ecclesia hec hactenus per patientiam toleravit, ut vos ad penitentiam revocaret, propter quod penitentes excessuum commissorum a committendis debueratis cautius abstinere, vos peccata peccatis addentes proterviores effecti, nuper, sicut accepimus et non utique acceptamus, immo grave gerimus et molestum, cum Auximanis excommunicatis coniurationes de

1) *Petro.* 2) *Milonem.*

novo et conspirationes alias facere presumpsistis, contra constitutiones et penas super hoc editas et excommunicationis sententiam dilecti filii nostri I. tituli Sancte Praxedis presbyteri cardinalis, rectoris Marchie, temere veniendo, in nostram et apostolice sedis iniuriam et contemptum. Quia vero nichil est infelicius felicitate peccantium, qua penalis impunitas sustinetur, et frequenter misericordia est iniusta, quia facilitas venie incentivum tribuit delinquendi, cum non attendatis obducti ceca caligine prerogativam honoris et gratie, quam vos sepius a sede apostolica percepistis, et dignum sit, ut qui ex prosperis insaniunt, eos adversa prosternant, universitati vestre per apostolica scripta sub debito fidelitatis et pena mille marcarum argenti districte precipiendo mandamus, quatinus, preter iuratoriam, idoneam et sufficientissimam cautionem de stando precise mandatis nostris vicariis rectoris eiusdem infra unius mensis spatium a presentium receptione prestetis, et tu potestas cum sindico et sex de maioribus civitatis vestre, plenum a communi mandatum habentibus, ad presentiam nostram accedas, mandatum apostolicum recepturus. Alioquin, cum privilegium mereatur ammittere, qui permissa sibi abutitur potestate, omnibus premissis beneficiis et privilegiis seu concessionibus super hoc obtentis a sede apostolica vos privamus, dantes venerabili fratri nostro . . Auximano episcopo[1] et dilecto filio magistro Cesario, vicario rectoris eiusdem, nostris litteris in mandatis, ut vos, privatos huiusmodi beneficiis et privilegiis seu concessionibus iuxta mandatum nostrum, ac te potestatem et consilium excommunicatos per totam diocesem Anconitanam et partes vicinas publice nuntient et faciant ab omnibus tamquam excommunicatos artius evitari, ac vicinarum interdici vobis comercia civitatum, et civitatem ipsam supponant ecclesiastico interdicto; contradictores etc.

Dat. Lateran. X Kal. Decemb. anno septimo.

563.

Gregorius IX papa populo Auximano idem fere mandat, verbis mutatis.

1233, Nov. 22.

Greg. IX Reg. Lib. VII, 358.
Potthast; Reg. Add. I, 9328a—26237.

Populo Auximano spiritum consilii sanioris.

Vestris etc. usque: provocamur. Vos autem divine ac nostre patientie improvidi abusores, ut de aliis excessibus taceatur, qualiter religione fidei violata nobili viro R[aynaldo] nato clare memorie C[onradi] ducis Spoleti, tunc excommunicato, Dei et ecclesie inimico abalienati retrorsum[2], matris vestre dulcedine abutentes, adhesistis nimium impudenter, nonnullos perversionis vestre complices ad ampliandam rebellionis vestre nequitiam attrahendo, et ut squama squame adhereat, peccata peccatis addentes, tamquam ingratitudinis filii, immo velut hostes iniqui, non erubuistis insurgere in parentes, in matrem vestram ecclesiam Auximanam excidium, et patrem vestrum venerabilem fratrem nostrum . . Auximanum episcopum multiplex opprobrium operati, comburendo domos ipsius ecclesie et cameram eiusdem episcopi spoliando, ipso episcopo detento per violentiam et datis fideiussoribus et pignoribus liberato, propter quod ipso facto non est dubium excommunicationis vos sententiam incurrisse; nec hiis

1) *Simbaldo.* 2) *Cf. p. 291, not. 1.*

contenti eidem episcopo et clericis Auximanis communia et necessaria commercia civitatis interdicere presumpsistis, quare in excommunicationis sententiam latam a felicis recordationis H. papa predecessore nostro tempore coronationis carissimi in Christo filii nostri Friderici etc. dampnabiliter incidistis[1]. Et quasi non ista sufficerent, conversa dextera in viscera Romane ecclesie, matris vestre, Fredericum dictum Testam multiplici excommunicatione notatum, qui regimini civitatis vestre prefuerat, scienter contra inhibitionem et bannum dilecti filii nostri I. tituli Sancte Praxedis presbyteri cardinalis, rectoris Marchie, in potestatem vestram reassumere curavistis, cuius et fratris sui malitia faciente, cum Anconitanis et Esinis coniurationes etc. usque: prestetis, et eodem Frederico a regimine ipsius civitatis prorsus amoto, sindicus vester cum sex de maioribus civitatis, plenum a communi mandatum habentibus, etc. usque: recepturus. Alioquin sede episcopali, qua redditis vos indignos, formidare poteritis non immerito vos privandos, scientes nos dedisse venerabili fratri nostro . . Esino episcopo[2] et dilecto filio magistro Cesario, vicario rectoris eiusdem, nostris litteris in mandatis, ut vos et eundem Fredericum et consilium excommunicatos per totam diocesem Auximanam et partes vicinas non differant nuntiare, et tamquam excommunicatos faciant ab omnibus artius evitari, et vicinarum interdici vobis commercia civitatum etc.

Dat. ut supra.

Scriptum est super hoc eisdem.

564.

Gregorius IX papa potestati et populo Aesino idem quod Anconitano mandat.

1233, Nov. 22.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 102; Lib. VII, 359.

. . potestati et populo Esino spiritum consilii sanioris.

Non diffitemur, quin graviter doleamus, quod vos propriis iuribus non contenti, divine ac nostre patientie improvidi abusores, ad curie nostre iura manus vestras presumptione dampnabili sicut accepimus extendistis, et quasi non ista sufficerent, etc. ut supra usque: manifesta. Et quia Romana ecclesia de hiis sufficienter vos non corripuit, prout culpe qualitas exigebat, ut vos per patientiam ad penitentiam revocaret, propter quod penitentes etc. usque: molestum, cum Auximanis excommunicatis coniurationes etc. usque: recepturus. Alioquin etc. usque: in mandatis, ut te potestatem et consilium excommunicatos per totam diocesem Esinam et partes vicinas publice nuntient et tanquam excommunicatos faciant ab omnibus artius evitari, ac vicinarum interdici vobis etc. usque in finem.

Dat. ut supra.

565.

Fridericus Romanorum imperator Gregorio IX papae scribit, se paratum esse cum ipso contra hostes fidei proelia Domini proeliari; quod aliquos de fratribus Praedicatorum

1) *Cf. Honorii III epistolas a. 1220, Dec. 12 datas ap. Compagnoni, Mem. di Osimo, t. V, p. 16–17, n. 23–25.* 2) *Severino.*

pro Sarracenorum conversione Luceriam mittat[1], *gratum sibi esse; in brevi se ipsum ad partes illas venturum*[2] *ibique fratribus illis affuturum esse.* 1233, *Dec.* 3.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 123—124; Lib. VII. 437.
Böhmer-Ficker, Reg. Frid. II, n. 2034.

566.

Gregorius IX papa universos catholicae fidei defensores per Mediolanensem civitatem et dioecesim constitutos sub protectione sua suscipit. 1233, *Dec.* 10.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 104; Lib. VII, 368.

Universis catholice fidei defensoribus per Mediolanensem civitatem et diocesim constitutis.

Sicut egressis iniquis ex Israel et suadentibus multis disponere cum gentibus testamentum, regnum in conspectu Antiochi, qui perditionis filium per concordiam representat, legitur prosperatum[a], sic et presenti tempore filii desertores reprobi circa fidem, de quibus Iohannes: 'Ex nobis' ait 'exierunt set non erant ex nobis', demoniorum doctrinis et prophanis vocum novitatibus animas instabiles[b] abducentes, locum diabolo et iter preparant antichristo, set quod et apostolorum princeps noviter exortam ecclesiam instruens: 'Fuerunt', inquit, 'pseudoprophete in populo, sicut in vobis erunt magistri mendaces introducturi perditionis sectas et eum, qui emit eos, Dominum, negaturi, et multi sequentur eorum luxurias, per quos via blasphemabitur veritatis, et negotiabuntur de vobis in avaritia fictis verbis'. Tales, ut dicitur, inter vos edificatis ginnasiis, a testamento Domini recedentes, laborantes ut malefaciat, et superbe contra sanctificationem vestram, que est sacrosancta mater ecclesia, disputantes, se ad demoliendum altare aureum, candelabrum luminis et universa legittima vestra converterant, et inferentes bellum sabathis, passim universos simplices, in eos contradictionis lapides non mittentes nec oppilantes occultorum loca facinorum, letalibus linguarum gladiis perimebant. Set vos velut filii Ioarim, id est exaltationis Domini, in monte Modin, qui diiudicatio dicitur, conscendentes, super interemptorum multitudine contristati dixisse videmini: 'Si non pugnaverimus pro iustificationibus nostris, citius disperdemur', et docente vos eo, qui dat significationem se metuentibus, ut ab arcus facie fugiant, forti viribus ecclesia fidelium congregata et ei cunctis in lege voluntariis et qui mala fugerant sociatis, mori potius quam vestre gentis et sanctorum mala cernere eligentes, peccatores in ira et in indignatione nequissimos percussistis, deiectionem pii populi erigentes. Propter quod volentes vos in Domino confortari, viriliter agere et a facie monstruose multitudinis non timere, benedicimus vobis in nomine domini Iesu Christi, et libenter auxilium et favorem, quotiens expedierit, pro catholice defensione ecclesie contra malignantium sinagogam et operarios subdolos largituri, vos ac se vobis unientes sub beati Petri et nostra protectione etc. usque: communimus; remittentes unicuique de iniuncta sibi penitentia annum unum, et omnibus, quos pro defensione fidei mori contigerit, peccatorum suorum, de quibus corde contriti et vere confessi fuerint, veniam indulgentes[c].

Dat. Lateran. IV Idus Decembris, anno septimo.

1 Macc 1,12. — 1. Ioh. 2,19. — 2. Petr. 2, 1 et 2. — 1 Macc. 1,1. et sequ. — 1 Macc 2,3. — Ibid. 36. — Ibid. 1. — Ibid. 40. — Psal. 59,6. — 1. Macc. 2,42 et sequ.

[a]) *an* paratum *legendum? cf. 1. Maccab. 1,17.* [b]) instabile *R.* [c]) indulgemus *R.*

1) *Cf. n. 553.* 2) *Scripta est haec epistola Buterae, in insula Siciliae inter Agrigentum et Syracusas.*

567.

Gregorius IX papa [Iacobo] praeposito et capitulo Brandeburgensi bona et iura tam a Sigefrido II episcopo et praedecessoribus eius quam a marchionibus et aliis ecclesiae eorum collata confirmat, inserto tenore diplomatis a praefato Sigefrido II eidem ecclesiae concessi. *1233, Dec. 14.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 117—119; Lib. VII, 419.
Potthast, Reg. 9341.

. . preposito et capitulo Brandeburgensis ecclesie.

Iustis petentium etc. usque: assensu, villas, allodia, possessiones, iura et alia bona, tam a venerabili fratre nostro . . Brandeburgensi episcopo et suis predecessoribus, prout in ipsius episcopi litteris plenius continetur, quam a nobilibus viris marchionibus Brandeburgensibus et aliis Christi fidelibus ecclesie vestre pia et provida liberalitate concessa, necnon libertates et immunitates vobis rationabiliter ab eisdem indultas, ac antiquas et rationabiles ecclesie predicte consuetudines et hactenus observatas, sicut ea omnia iuste ac pacifice possidetis, vobis et per vos eidem ecclesie auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Ad maiorem autem ecclesie prefate cautelam litterarum ipsarum tenorem de verbo ad verbum presentibus duximus inserendum. Qui talis est:

In[1] nomine sancte et individue Trinitatis. Ego Sifridus secundus Dei gratia Brandeburgensis ecclesie episcopus. Ordinatione divina venerabiles et Deo digni predecessores nostri Wilmarus, Sifridus, Balderammus, Alexius, Nobertus[a], Baldewinus, Brandeburgenses episcopi, sanctam congregationem regularium canonicorum sub regula beati Augustini et institutione reverentissimi domini Norberti Magdeburgensis archiepiscopi in urbe Brandeburc in sedem episcopalem, quam pie memorie Otto imperator fundavit[2], ad servitium Dei adunatam, tempore nostre mortalitatis per nos in via Dei dirigendam, nobis quasi hereditaria successione reliquerunt. Nos itaque eorum devotioni pro parvitate nostra Domino annuente subservientes, prefate congregationi omnimodum affectum nostrum inclinavimus, et ut interna Domino quiete vacent, exteriorem ab eis inquietudinem duximus amovendam. Inde est quod eorum iustis precibus pie annuentes, iura et consuetudines honestas nec non et bona, que eis predecessores nostri, eiusdem ecclesie episcopi, seu principes seculares seu quelibet honoratorum vel privatorum persone iusto iam donationis titulo contulerunt vel adhuc collature sunt, nos auctoritate Dei omnipotentis et beatorum apostolorum Petri et Pauli, in quorum honore eadem ecclesia constructa est, domini Honorii pape et nostra, quam a Deo habemus, confirmamus et presentis pagine munimine stabilimus. In primis siquidem statuentes, ut eadem ecclesia iuxta primam sui institutionem tamquam ecclesia cathedralis libera sit et perpetuis permaneat temporibus, nullaque seu secularis seu regularis ecclesia nichil omnino quacumque occasione iurisdictionis sibi

---

a) *ita R.*

1) *Huius chartae duo authentica extant: 1) vulgatum ap. Riedel, Cod. dipl. Brandenb. I. Hauptheil, t. VIII, p. 152, 2) ap. Gercken, Ausführl. Stifts-Hist. v. Brand. p. 412. Utrumque a. MCCXVII, V Kal. Ian., sed n. 1 Brandenburch, n. 2 Iesere datum est. In quibus praeterea inter se differunt ap. Riedel, l. c. annotatum est. N. 2 cum ea forma, quae in Reg. legitur, concordat, propter quod verisimile est n. 1 primam formam privilegii fuisse, quae cum papae confirmanda mitteretur, in nonnullis mutata fuerit.* 2) *a. 919, Oct. 1.*

in ipsa ecclesia usurpare presumat, set sicut eadem ecclesia tantum antecessoribus nostris, ita quoque nobis et successoribus nostris sit subiecta. Correctiones quoque discipline regularis et morum reformationes eorundem canonicorum, que vires sui prepositi excesserint, iuxta antiquam et hactenus observatam consuetudinem et Lateranensis statuta concilii per nos et successores nostros nullo penitus interiecto appellationis obstaculo corrigantur. Collaudamus ergo et confirmamus, ut dictus ordo canonicorum regularium, qui secundum Dei timorem et beati Augustini regulam in iamdicta ecclesia dinoscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Possessiones vero et bona, que eadem ecclesia auctore Deo possidet, confirmamus eidem, in quibus hec propriis vocabulis duximus exprimenda: locum ipsum, in quo prefata ecclesia sita est, medietatem videlicet urbis Brandenburc, cum omnibus suis pertinentiis, aquis scilicet aquarumque decursibus, exitibus et reditibus; curam etiam animarum totius urbis Brandeburgensis, que eidem ratione sedis cathedralis a bone memorie Wibnar.[a] ipsius ecclesie episcopo est collata, ut ab ipsius successoribus usque ad nostra tempora est confirmata; ecclesiam quoque beati Bodeardi[b] in forensi villa Pardwin cum dote sua, in qua primitus iidem canonici a pie memorie Wiggero Brandeburgensi episcopo fuerant instituti, a qua postmodum per sancte recordationis Wilinarum[c] diete ecclesie episcopum in urbem Brandeburgensem sunt transpositi, ipsam inquam ecclesiam sancti Godeardi cum tota parrochia ipsius ville et novo ponte toto et medietate antiqui pontis eiusdem parrochie adiacentibus nec non et tertiam partem decimarum ipsius ville tam frugum quam animalium et aliarum rerum, iuxta quod parrochiales ecclesie per nostram diocesim percipere consueverunt; ecclesiam etiam sancte Marie in monte, qui Harlugeberch dicitur, cum tertia parte decimarum ex adiacentibus vineis, et ecclesiam sancti Nicolai in Luckeberge cum dote sua et uno manso et tertia parte decimarum ipsius ville ad predictam parrochiam in Pardwin pertinentibus, et si que alie ecclesie infra eandem parrochiam fuerint in posterum edificate; sex quoque arearum fundos in ipsa villa Pardwin a fidelibus oblatos, hospitale etiam pauperum in iamdicta villa Pardwin iuxta pontem de Cracowe situm cum ortis et omnibus suis attinentiis, cultis et incultis; tres quoque areas cum ortis suis et pomariis in villa Cracowe; duas insuper lacunas, unam in superiori parte urbis Brandeburch et aliam iuxta hospitale sitas; centum etiam mansos in Zucha sitos, quos bone memorie Otto senior marchio Brandeburgensis pro animabus patris, matris et uxoris sue Iudethe marchionisse, eorum filiis Ottone et Henrico consentientibus, de patrimonio suo obtulit sepediete ecclesie, cum omnibus pertinentiis suis, cultis et incultis, silvestribus et palustribus, aquis aquarumque decursibus, et quinque modios maioris mensure salis annuatim Brandeburch in thelonio accipiendos; villas quoque Garzeliz, Museliz, Bukowe, Bultiz, Kik et Gorne cum decimis et omnibus pertinentiis earum, cultis et incultis, aquis aquarumque decursibus, silvestribus, palustribus cunctisque utilitatibus, cum duobus lacubus inter Gorne et Siloe sitis; ecclesiam etiam in Verchiezere sitam in territorio Pritzerwe cum dote et areis suis et duobus mansis et tertia parte decimarum totius ville; villam insuper Mertzane[d] cum tota decima et omnibus pertinentiis suis, silvestribus, palustribus, cultis et incultis, cunctisque utilitatibus, et ecclesiam eiusdem ville cum dote sua et uno manso ad ecclesiam in Verchiezere pertinentem; villas quoque Mukzowe, Tremmene et Thure cum decimis et omnibus appenditiis earum, cultis et incultis, silvestribus et palustribus; ecclesiam etiam in Thure cum dote sua et tertia parte decimarum de villis ad eam pertinentibus; Itzin, Seadebauresdorp, et totam decimam villarum Crelin et Bauresdorp, tam frugum quam animalium; ecclesiam in Goliz cum dote sua et duobus mansis

---

a) Wibnar̄ *R.*; *leg.* Wilmaro. b) *leg.* Godeardi. c) *leg.* Wilmarum. d) Mertzañ *R.*

et tertia parte decimarum ipsius ville, et tertiam partem decimarum ville Wachowe cum duobus mansis pertinentibus ad ecclesiam in Goliz; ecclesiam etiam in Niebede cum dote sua et duobus mansis et tertia parte decimarum ipsius ville, et ecclesiam in Swanebeke cum dote sua et tertia parte decimarum eiusdem pertinentem ad ecclesiam in Niebleke; ecclesiam quoque in Zachowe cum dote sua et duobus mansis et tota decima ex agris eidem ville adiacentibus, necnon et decimam carnium totam, et tertiam partem decimarum de villis ad ipsam ecclesiam pertinentibus, videlicet Lodiz, Parne et Werdere; molendinum quoque in Clinke cum area sua, aquis quoque et aquarum decursibus, villam insuper Damme dictam a bone memorie Rodolfo de Iericho marchioni Ottoni resignatam et ab eo cum omnibus ad ipsam pertinentibus, cultis et incultis, silvestribus, palustribus dicte ecclesie Brandeburgensi oblatam, et decimas omnes eiusdem ville a pie memorie Wilmaro ipsius ecclesie episcopo in usus eorundem fratrum concessas; totam insuper villam Pluzin in Zucha sitam cum ecclesia ipsius et omnibus decimis et omnibus appenditiis, cultis et incultis, palustribus et campestribus; villam quoque Sconlo dictam, in qua sunt triginta mansi, cum decimis et omnibus appenditiis suis, cultis et incultis, campestribus et palustribus; ecclesiam quoque de Marcowe cum dote sua et duobus mansis et tertia parte decimarum eiusdem ville et ville Markede; ecclesiam quoque in Cotsin cum dote sua, scilicet cum duobus mansis in agris ville Clebeloe ei designatis et ad eandem ecclesiam in consecratione dotis nomine confirmatis, et tribus areis in eadem villa Cotsin, quas sacerdos Teodericus de manibus laicorum sub testimonio villanorum redimens in unam redegit; capellam etiam in Clebeloe, eidem matrici ecclesie in Cotsin attinentem, cum dote sua et tertia parte decimarum eiusdem ville; tertiam quoque partem decimarum dicte ecclesie Cotsin et villarum ad eam pertinentium, videlicet Stolp et Porets et alterius Sclavice ville Poréts; ecclesiam quoque in Oyne cum filia sua, videlicet ecclesia in Golisdorp, cum areis et mansis et tertia parte decimarum earundem villarum et villarum Modelendorp et Canisdorp a predecessoribus nostris bone memorie Norberto et Baldewino episcopis dicte ecclesie oblatam; vineam etiam eorundem canonicorum in monte Arlungorum versus orientem in ipsius montis latere iacentem. Confirmamus insuper dilecto filio Alverico dicte ecclesie preposito eiusque successoribus curam animarum de ecclesiis, que ad usus dictorum canonicorum impresentiarum pertinent aut in posterum pertinebunt, concedentes ut earundem ecclesiarum fructus, prout expedire viderint, in usus proprios convertant. Liceat quoque ipsis in eisdem ecclesiis, iuxta quod ab antecessoribus nostris est concessum, de fratribus suis viros idoneos instituere plebanos, qui curam in ipsis gerant animarum. Predecessorum quoque nostrorum vestigiis inherentes, rationabiles et honestas consuetudines et iura dicte Brandeburgensis ecclesie nichilominus duximus confirmandas. Obeunte siquidem ipsius ecclesie antistite, in successore ipsius eligendo iuxta morem aliarum ecclesiarum cathedralium Saxonie ipsius ecclesie canonicos liberam habere decernimus electionem, nullusque eis invitis per surreptionem aliquam preponatur; set ille in ipsa ecclesia locum et officium pontificis obtineat, quem unanimi voluntate vel de consilio maioris et sanioris partis eiusdem ecclesie capituli de gremio ipsius ecclesie vel aliunde viderint eligendum. Alie vero conventuales ecclesie et plebani ipsius diocesis non se faciende electioni aliquatenus ingerere presumant[a], set consensum electioni canonice facte prebeant. Sancimus insuper, ut archidiaconatum Brandeburgensem de Ketin et Rinowe usque Iuterbok[b], Iezzant et Dame versus meridiem, et terre de Havelant versus orientem usque ad flumen, quod Odera dicitur, et quantumcumque illuc idem episcopatus in posterum fuerit ampliatus, item versus occidentem usque ad flumen,

[a]) ingerere se presumant *R.* [b]) inter Bok *R.*

quod Ila dicitur; preterea de burchwardis Seartowe, Mokerne, Lauborch, excepta ecclesia de Dalechowe, ecclesiam quoque sancti Nicolai in Borch, que ultra Ilam sita est, eo quod filia sit ecclesie sancte Marie in Borch, ad ipsum archidiaconatum, iuxta quod hactenus est observatum, decernimus pertinere. Iesere quoque, Goreeke, Bukowe, Beltez, Nimic, Briecne, Beliz, Sarmunt, Trebin, Lukenwolde, Parcem quoque, Gentin, Milan, Plawe, Pritserwe, Ratenowe, Vrisac, Belin, Cremne, Bothzowe, Cedenic, et in quantum ab ea parte diocesis se extendit, et quecumque territoria vel ville infra hos terminos in posterum fuerint edificate, sicut eum ipsius ecclesie prepositi hactenus rationabiliter possederunt, ita quoque ipsum indivisum et absque diminutione qualibet imperpetuum obtineant, et infra prenotatos terminos iurisdictionem ordinariam exerceant, corrigentes et reformantes in clericis et in laicis et sacramentis ecclesiasticis, que correctione et reformatione viderint expedire, obedientes foveant et confortent, rebelles vero et contumaces corrigant et emendent, ne sanguis eorum de ipsorum manibus requiratur. Parrochianorum quoque in eodem archidiaconatu decedentium vestes meliores cum superpellicio, equum optimum cum pertinentiis iuxta morem Magdeburgensis ecclesie et suffraganearum ecclesiarum eiusdem metropolis et consuetudinem hactenus observatam presenti scripto ecclesie memorate prepositis confirmamus. Sciendum quoque est, quod dicte Brandeburgensis ecclesie prepositus, qui et episcopalis sedis archidiaconus est, totius diocesis in absentia episcopi curam in omnibus gerit, tam in iudiciis exercendis et curis ecclesiarum conferendis quam in aliis episcopalibus negotiis procurandis. Mortuo etiam episcopo, nomine ecclesie cathedralis ad usum futuri successoris non solum spiritualia verum temporalia amministrat. Statuimus preterea, ne aliquis plebanus ipsius archidiaconatus in ecclesia sua vicarium instituere aut pensionem ei assignare audeat sine prepositi sui coniventia et consensu. Decernimus insuper statuentes, ut dicte ecclesie canonici a festo sancte pasche usque ad dominicam, qua cantatur: 'Adaperiat', superpelliceis tam in divinis quam in claustro continue utantur; hiemali vero tempore, prout hactenus est observatum. Adicimus insuper, ut si quis fidelium de episcopatu nostro sive undecumque locum sepulture apud ecclesiam ipsam expetierit, nulla ecclesiastica secularisve persona id presumat aliquatenus inhibere. Item statuimus, quod sicut a longe retroactis temporibus observatum est, in die palmarum omnes utriusque civitatis tam nove quam veteris clerici et laici cum sollempni processione ad consecrationem palmarum ad ecclesiam cathedralem Brandeburgensem accedant, nec in aliqua ecclesia civitatis utriusque missa celebretur, quousque consecratio palmarum in ecclesia cathedrali honorifice compleatur, et quod in die ascensionis Domini et in festo apostolorum Petri et Pauli cum sollempni processione cleri et populi utriusque civitatis cathedralis ecclesia, que in honore beati Petri est fundata, sollempniter visitetur. Si quis autem in dictis processionibus observandis, impediendo aut non servando ipsas, contumax fuerit et rebellis, episcopus vel prepositus Brandeburgensis ipsum animadversione debita, videlicet si clericus fuerit plebanus, per penam suspensionis ab officio vel beneficio, si laicus, per sententiam excommunicationis corrigat et emendet. Monachos vero in episcopatu nostro degentes, ad quos cura animarum non spectat, confessiones audire, nisi eorum qui apud ipsos decubuerint, penitentes absolvere, penitentias iniungere, mortuos sepelire sine consensu ipsius archidiaconi et sacerdotum, quibus cura animarum est commissa, omnimodis prohibemus. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in ipsa ecclesia professionem fas sit absque prepositi ipsius licentia de ipso loco discedere. Discedentem vero sine communi litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Reversus vero, sive de seculo sive de alio claustro redierit, omnium tunc in eadem ecclesia existentium fiat novissimus, nec in conventu nec in capitulo consentiendi vel contradicendi sive etiam loquendi vocem habeat, nisi

post dignam penitentiam peractam de benignitate et consensu totius capituli misericorditer fuerit restitutus. Statuimus insuper et sub pena excommunicationis prohibemus, ut nullus advocatus fratres ipsius ecclesie ad iudicium seculare trahere aut colonos infestare aut res eorum auferre sive exactiones in ipsos quacumque occasione facere presumat. Set in quarumlibet executione causarum memorate ecclesie defensioni spe remunerationis eterne fideliter deserviat. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatam ecclesiam temere perturbare aut eius possessiones auferre vel ablatas retinere vel in ipsis violentiam exercere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare, set omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Ut autem hec omnia inconvulsa perpetuis permaneant temporibus, auctoritate Dei omnipotentis et beatorum apostolorum Petri et Pauli, domini quoque pape Honorii ac nostra quam a Deo habemus, cuncta que huic pagine inscripta sunt, sub anathemate confirmamus, ipsam paginam sigilli nostri munimine roborantes, adhibitis idoneis testibus, quorum nomina sunt hec: Sigebodus Havelbergensis episcopus, Albertus marchio Brandeburgensis, Guncellinus quondam prepositus, Heinricus prior, Rodolfus cellerarius, Thomas custos, Baldewinus camerarius, Godescalcus, Gernotus, Walter magister hospitalis, canonici ipsius ecclesie; Iohannes de Grabov, Gerongus de Borch, Nicolaus de Iesere, Rubertus de Gorceke, Alardus de Cidiz, Eustachius de Glincke, Amelricus de Plawe plebani: Fredericus de Hasle, Erwinus de Ieszant, Conradus de Stoltenhagen, Rodulfus Pincerna, Borchardus de Cohestede, Wernerus de Alstermunde laici.

Dat. Iesere[1], anno ab incarnatione Domini M°CC°XVII°, V Kal. Ianuar.[2] pontificatus nostri anno primo; regnante domino Frederico rege et Romanorum electo, Magdeburgensi vero ecclesie domino Alberto archiepiscopo feliciter presidente.

Nulli ergo nostre confirmationis etc. Si quis autem etc.

Dat. Lateran. XVIIII Kal. Ianuar. anno septimo[3].

568.

Gregorius IX papa [Berchtoldo] episcopo Argentinensi mandat, ut A. decanum et alios canonicos Herbipolenses et H. et alios de progenie illorum, qui [Conradum] episcopum Herbipolensem occiderint, a praesumptione sua desistere faciat. 1233, Dec. 18.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 112—113; Lab. VII, 400.

. . episcopo Argentinensi.

Ex parte venerabilis fratris nostri . . episcopi Herbipolensis[4] fuit propositum coram nobis, quod A. decanus et quidam alii canonici Herbipolensis ecclesie temeritate propria moliuntur, ut H. et alii de progenie illorum, qui bone memorie . . Herbipolensem episcopum predecessorem suum, tunc imperialis aule cancellarium, nequiter occiderunt[5], in ipsa ecclesia beneficia ecclesiastica consequantur. Preterea C. dictus Suegrer et quidam alii laici civitatis et diocesis Herbipolensis quibusdam laicis de dicta progenie in predicta civitate vel diocesi volentibus commorari suum prestant

1) *Hodie Ziesar, ab urbe Magdeburgensi ad septentrionem et orientem situm.* 2) *Ut videtur Dec. 28, a. 1216, quia in his regionibus anni a die nativitatis Christi [Dec. 25] computari solebant. Nescimus, utrum sub finem a. 1216 an initio a. 1217 Sigefridus episcopus praedecessori suo successerit.* 3) *a. 1234, Febr. 27 papa eidem ecclesiae iterum bona et iura confirmat; Potthast, Reg. 9414.* 4) *Hermanni.* 5) *a. 1202, Dec. 3.*

consilium, auxilium et favorem, contra statutum felicis recordationis I[nnocentii] pape predecessoris nostri super hoc contra eos editum[1] temere venientes, in eorundem episcopi et ecclesie preiudicium et gravamen. Quocirca mandamus, quatinus, si est ita, canonicos et laicos supradictos, ut ab huiusmodi presumptione desistant, modo predicto per censuram ecclesiasticam appellatione postposita previa ratione compellas. Quod si nec sic destiterint a presumptione prefata, canonicos beneficiis, laicos vero feudis, possessionibus et rebus aliis, que ab eadem ecclesia optinent, auctoritate nostra privare procures; contradictores etc.

Dat. Lateran. XV Kal. Ianuar. anno septimo.

569.

Gregorius IX papa episcopo Foroliviensi aliisque eiusdem regionis praelatis et clericis mandat, ut I[aquinto] capellano, rectori Massae Trabariae, in annuis procurationibus respondere curent. *1234, Ian. 3.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 121; Lib. VII, 138.

Foroliviensi, Foropuliensi, Ariminensi, Cesenati, Faventino, Cerviensi, Xarsenati et Feltrensi episcopis, abbatibus, prioribus et aliis ecclesiarum prelatis ac universo clero civitatum et diocesum locorum ipsorum.

Cum dilectum filium I. capellanum nostrum, nobis et fratribus nostris merito sue probitatis acceptum, commisso sibi legationis officio, Masse Trabarie providerimus in rectorem, cuius discretionis industria probabile nobis tribuit argumentum, quod negotiis licet arduis, que sibi a sede apostolica committuntur, prudenter et utiliter debeat imminere: presentium vobis auctoritate precipiendo mandamus, quatinus cum requisiti ab ipso fueritis, in annuis procurationibus curetis eidem liberaliter respondere, ita quod ex liberalitate vestra nobis id reddatur acceptius et vobis exinde maius meritum debeatur. Alioquin sententiam, quam rite tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctore Domino inviolabiliter observari.

Dat. Lateran. III Non. Ianuar. anno septimo.

570.

Gregorius IX papa [Theoderico] archiepiscopo Ravennati et [Martino] episcopo Aretino aliisque idem mandat. *1234, Ian. 3.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 125; Lib. VII, 142.

. . archiepiscopo Ravennati et . . episcopo Aretino et universis abbatibus, prioribus et aliis ecclesiarum prelatis et clericis per Ravennatem et Aretinam civitates et dioceses constitutis.

Cum dilectum filium Iaquintum capellanum nostrum etc. ut supra in CCCCXXXVIIII[a] littera usque in finem.

[a]) *leg.* CCCCXXXVIII.

1) *a. 1203, Ian. 23, Potthast, Reg. 1813.*

571.

Gregorius IX papa [Wilhelmo] archiepiscopo Mediolanensi mandat, ut saltem semel in mense per se vel per alium in hospitali de Brolio verbum Dei proponat et ibidem convenientes ad opera pietatis inducat. *1234, Febr. 4.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 114; Lib. VII, 522.

. . archiepiscopo Mediolanensi.

Dilectus filius Ph. minister hospitalis de Brolio Mediolanensis in nostra proposuit presentia constitutus, quod cum dudum multitudo tam virorum quam mulierum de civitate Mediolanensi pro animarum suarum remedio facta quadam fraternitate, quam scolam vocabant, provide statuissent, ut semel in mense ad audiendum verbum Dei convenirent ad hospitale predictum, de bonis sibi a Deo collatis grata subsidia et pias eidem hospitali elemosinas ad utilitatem pauperum ibidem iacentium collaturi, nunc, sicut accepimus, caritate hominum frigescente huiusmodi fraternitas in desuetudinem abiit, nullis ad hospitale convenientibus memoratum, propter quod hospitale ipsum, in quo pauperes undecumque venientes passim recipiuntur et eis cum ilaritate vite necessaria ministrantur, quasi ad nichilum cogitur devenire. Quia vero eo pietatis amorem libentius suademus, quo per eam divina propitiatio potest uberius obtineri, que valens ad omnia piis gratiam in presenti et gloriam comparat in futuro, mandamus, quatinus saltem semel in mense per te vel per alium ad hoc idoneum ad hospitale supradictum accedens, proponas ibi seu proponi facias verbum Dei, Christi fideles convenientes ibidem ad opera pietatis et subsidia pauperibus iuxta antiquam consuetudinem impendenda salubriter inducendo, ut per hec et alia bona, que Domino fecerint inspirante, ad eterne possint felicitatis gaudia pervenire. Ut autem fideles ad hoc efficacius inducantur, nos de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, accedentibus illuc et eisdem pauperibus manum misericordie porrigentibus, decem dies de iniuncta sibi penitentia in qualibet predicatione huiusmodi misericorditer relaxamus.

Dat. Lateran. II Non. Febr. anno septimo.

572.

Gregorius IX papa H. lantgravio Thuringiae nuntiat, se eum pro eo, quod contra haereticos signum crucis acceperit, cum omnibus bonis sub protectione sua suscipere.
1234, Febr. 11.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 115; Lib. VII, 534.
Potthast, Reg. 9399.

Nobili viro H.[1] langravio Toringie crucesignato.

Tam sinceritatis affectum, quem habere te credimus ad sanctam matrem ecclesiam et progenitores tui habuerunt ad illam, quam fidei tue zelum, quo succensus ad predicationem venerabilis fratris nostri . . Ildesemensis episcopi[2] signum crucis contra

1) *Henrico Raspe, ut videtur, cum minus verisimile sit Hermannum II lantgravium, eius nepotem, nondum 11 annos natum crucesignatum fuisse.* 2) *Conrado II.*

hereticos accepisti, sollicite attendentes, non inmerito specialis dilectionis et gratie te favore prosequimur et paterna benivolentia confovemus. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis devotis supplicationibus inclinati personam tuam persistentem in devotione ecclesie cum familia, terra et bonis omnibus, que impresentiarum rationabiliter possides, sub beati Petri et nostra protectione etc. usque: communimus, statuentes ut quandiu huiusmodi negotio pie duxeris insistendum, ea integra maneant et quieta. Nulli ergo nostre protectionis et constitutionis etc. Si quis autem etc.

Dat. Lateran. III Id. Febr. anno septimo.

573.

Gregorius IX papa [Conrado II] Hildeshemensi et [Eccardo] Merseburgensi episcopis et [Burcardo] electo Magdeburgensi idem nuntiat, iisque mandat, ne eum molestari permittant. *1234. Febr. 11.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 116; Lib. VII, 555.
Potthast, Reg. 9400.

. . Ildesemensi et . . Mesburgensi episcopis et . . preposito Madeburgensi ad ecclesiam Madeburgensem electo[1].

Tam sinceritatis affectum etc. usque: ad predicationem tuam, frater Ildesemensis, contra hereticos signum crucis accepit, sollicite attendentes, etc. usque: confovemus. Unde suis devotis supplicationibus inclinati, personam suam persistentem in devotione ecclesie cum familia, terra etc. usque: quieta. Ideoque mandamus, quatinus memoratum nobilem non permittatis contra protectionis et constitutionis nostre tenorem super premissis ab aliquibus indebite molestari, molestatores huiusmodi etc. usque: compescendo. Ceterum auctoritate presentium districtius inhibemus, ne occasione iurisdictionis huiusmodi in preiudicium iuris et libertatis ecclesiarum aliquid attemptetis. Quod si non omnes etc. quilibet vestrum etc.

Dat. ut supra.

In eundem modum scriptum est nobili viro H[enrico] comiti Ascharie, palatino comiti Saxonie[2], O[ttoni] duci de Bruneswic, H[enrico] marchioni Misnensi, Iohanni et O[ttoni] fratribus marchionibus de Brandeborg[a] crucesignatis; et pro omnibus sunt iidem conservatores.

574.

Gregorius IX papa praelatis et universis Christi fidelibus per Carneolam, Istriam, Dalmatiam, Bosniam, Croatiam, Serviam et alias Sclavoniae partes constitutis mandat, ut priorem monasterii sancti Bartholomaei de Trisulto Cartusiensis ordinis, cui in partibus

a) Brandeborḡ *R.*

1) *De hoc cf. n. 551.* 2) *Et Henricus Raspe et eius frater Conradus et eorum nepos Hermannus lantgravii Thuringiae comites palatinos Saxoniae se appellabant, cf. Chartam ap. Hennes. U.B. d. deutsch. Ord. t. I, p. 102, n. 91. Sed cum Henrico n. 572 ut videtur directa sit et Hermannus puer tum fuerit, Conradum papa alloqui videtur. Cf. n. 557.*

illis legationis officium et curam crucis contra perfidos praedicandae commiserit, benigne recipiant; crucesignatis eandem indulgentiam quam in Terrae Sanctae subsidium euntibus concedit. *1234, Febr. 13.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 117–118; Lib. VII 512.
Potthast, Reg. 9402.

Archiepiscopis et episcopis, abbatibus et aliis ecclesiarum prelatis ac universis Christi fidelibus per Carneolam, Istriam, Dalmatiam, Bosnam, Cruaciam, Serviam et alias partes Sclavonie constitutis.

[Deut. 28,35] Miserias et erumpnas, angustias et pressuras, quibus universum corpus ecclesie a planta pedis usque ad verticem miserabiliter concutitur et turbatur, intentissime cogitantes, vehementi dolore cordis afficimur, et eo molestius angimur, quo specialius illius tenemur imitari vestigia, qui infirmabatur infirmantibus fratribus et scandalizatis aliis urebatur. Nam excessus seculi tendentis ad exitum tot errorum laqueis humane conditionis miseriam irretivit, tot adversionum contagiis maculavit, quod multi, despectis Syon finibus excelsa Samarie conscendentes, suos liniant parietes bitumine dogmatum [Amos. 6,1] heretice pravitatis, non verentes illud incurrere maledictum: 'Ve, qui despiciunt [Reg. 20,1.] Syon et confidunt in monte Samarie', dicentes: 'Non est nobis pars in David nec hereditas in filio Isai'. Et licet in omnem terram intonuerit sermo Dei, cum celi eius gloriam enarrarent, et adhuc per locorum antistites et alios patris familias operarios effundatur ymber evangelice veritatis, sic tamen, prout in ortu crescentis [Cor. 11 19] ecclesie doctor egregius profitetur: 'Oportet esse hereses, ut qui probati sunt manifesti fiant', ad presens plurimi peccatorum pondere deprimuntur et obscuratur cor eorum, [Ezech. 2 5.] ut ad rectitudinem anfractus non revocent quos sequuntur, set velut domus exasperans et prevaricans legem Christi ad amaritudinem doctrine prosiliant insensate. Sicut enim nostris est auribus intimatum, tanta in Bosna et vicinis provinciis excrevit copia [Es. 34,13.] perfidorum, quod iam tota terra velut deserta et invia luget et languet, spinis eam [Psal. 68 10.] replentibus et urticis, factaque est cubile draconum et pascua strutionum. Unde nos zelus comedit animarum, volentes cum infirmantibus infirmari et apponere paterna consilia, quibus exhibeatur vulneribus medicina, ut curam, quantum in nobis fuerit, suscipiat plaga tumens: ecce dilectum filium priorem monasterii sancti Bartolomei de Trisulto[1] Cartusiensis ordinis, virum utique secundum cor nostrum, amicum Dei, potentem in opere ac sermone, qui paupertatem Christi pauperis imitando in despecto habitu et ardenti spiritu non pertimescit accedere ad liberandas animas diabolica fraude deceptas, ad partes ipsas, concesso sibi plene legationis officio, duximus desti- [Ierem. 1,10.] nandum, ut auctore Domino tamquam diligens cultor agri Dominici evellat et destruat, dissipet et disperdat, edificet et plantet, prout sibi Dominus ministravit. Monemus itaque universitatem vestram attentius et hortamur in Domino, per apostolica vobis scripta precipiendo mandantes, quatinus prefatum priorem tanquam legatum sedis apostolice, immo personam nostram in eo recipientes ilariter et honeste tractantes, ipsius salutaribus monitis et mandatis pronis mentibus intendatis, et que inter vos statuenda duxerit, tamquam devotionis filii teneatis firmiter et servetis, de cuius circumspectione provida illam fiduciam obtinemus, quod dirigente Domino gressus eius de sparso semine reportabit cum exultatione manipulos fructuum eternorum. Alioquin sententiam, quam rite tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctore Deo inviolabiliter observari; non obstante quod vestrum aliqui sunt exempti. Ut

1) *In diocesi Alatrina.*

autem nichil omnino desit ad tam sanctum negotium prosequendum, universis catholicis, qui ab eodem priore commoniti crucis assumpto caractere ad hereticorum exterminium se accinxerint, illam indulgentiam illudque privilegium elargimur, que accedentibus in Terre Sancte subsidium conceduntur.

Dat. Lateran. Idibus Februarii, anno septimo.

575.

Gregorius IX papa universis Christi fidelibus per Livoniam, Prussiam, Gothlandiam, Finnlandiam [1], Estoniam, Semigalliam, Curlandiam et ceteras neophytorum et paganorum provincias et insulas constitutis scribit, se Willelmum episcopum quondam Mutinensem, qui episcopatum suum dimiserit, ad partes eorum destinasse eique legationis officium commisisse, et litteras et indulgentias [Balduino] episcopo Semigalliensi concessas revocasse. Cf. n. 461. *1234, Febr. 21.*

Greg. IX Reg. Lib. VII, 558. Edimus ex Rayn. Ann. eccl a. 1234, § 45. Potthast, Reg. 9413.

Universis Christi fidelibus per Livoniam, Prussiam, Gothlandiam, Winlandiam, Estoniam, Semigalliam, Curlandiam et ceteras neophytorum et paganorum provincias et insulas constitutis.

Quoniam, ut ait apostolus: 'Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt, vel quomodo credent ei, quem non audierunt? aut quomodo audient sine predicante, et quomodo predicabunt nisi mittantur?' (Rom. 10, 14—15.) suscitavit olim Dominus spiritum venerabilis fratris nostri Willelmi episcopi quondam Mutinensis, qui de mandato sedis apostolice ad paganos illos accedens, qui circa regiones vestras existunt, non modicam multitudinem eorundem ad agnitionem veritatis adduxit, multorum in eis errorum generibus exstirpatis, quibus ita miseri tenebantur impliciti, ut cultum Christiani nominis non habentes, omnem intentionem suam cultui tantum visibilium applicarent. Verum idem episcopus, elevatis oculis videns quod regiones vestre albe sunt iam ad messem, (Ioh. 4,35.) cum Iesus Christus deus noster, sicut accipimus, super gentem vestram clementer respiciens ostium eius salvationis dignatus sit aperire, ac ad spirituales delicias, conversionem videlicet gentis eiusdem, totis desideriis totisque animi medullis suspirans, nobis, qui locum illius licet immeriti tenemus in terris, qui discipulis suis ait: 'Rogate dominum messis, ut mittat operarios in messem suam', (Matth. 9,38.) cum multa precum instantia et lacrimarum affluentia supplicavit, ut cum expertus cure laboriosa certamina pastoralis, quamquam possit dicere cum apostolo: 'Bonum certamen certavi', (2. Tim. 4,7.) cursum cupiat perfectioris operis consummare, ut ei corona iustitie de reliquo reponatur, ipsum episcopatu propter vos Mutinensi dimisso, paratum pro vobis si opus fuerit etiam calicem bibere passionis, in messem Domini mittere dignaremur. Nos igitur pium eius et sanctum propositum in Domino commendantes, ac revocantes legationis officium et universas litteras et indulgentias venerabili fratri nostro episcopo Semigalliensi concessas, eum ad evangelizandum gentibus nomen domini nostri Iesu Christi, commisso sibi plene legationis officio, ad partes ipsas providimus destinandum,

---

1) *Ap. Potthast l. c. et Perlbach, Preuss. Reg. p. 41, n. 128 perperam 'Wirlandiam' legimus.*

Jerem. 1.10. ut auctore Domino tanquam diligens cultor agri Dominici evellat et destruat, dissipet et disperdat, edificet et plantet, prout sibi Dominus ministrabit. Monemus itaque universitatem vestram *etc.*[1].

Dat. Lat. IX Kal. Mart. anno VII.

576.

Ludovicus IX rex Francorum Gregorio IX papae scribit, se terram imperii ultra Rhodanum, quam R[omanus Sancti Angeli diaconus cardinalis], tunc apostolicae sedis legatus, balivo suo custodiendam commiserit, ulterius custodiendi consilium non habere.

1234, Mart.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 187; Lib. VIII, 112.
Winkelmann, Acta Imp. ined. p. 516, n. 640.

Littere regis Francie ad dominum papam.

Sanctissimo patri in Domino Gregorio, Dei gratia summo pontifici, Ludovicus, eadem gratia Francorum rex, salutem et reverentiam in Domino, tam debitam quam devotam. Noverit vestra benignitas, quod terram ultra Rodanum, que in partibus est imperii, quam karissimus amicus noster R., tunc apostolice sedis legatus, balivo nostro custodiendam commisit[2], custodiendi amplius consilium non habemus. Quod paternitati vestre scire facimus per presentes.

Actum apud Lorr[iacum][3], anno Domini M°C°C°XXXIII°, mense Martio[4].

577.

Ludovicus IX rex Francorum Gregorium IX papam iterum rogat, ut terram imperii ultra Rhodanum R[aymundo VII] comiti Tolosano restituat, cuius unica filia [Iohanna], alio herede deficiente, fratri suo [Alfonso] copulanda sit. 1234, Mart. 13.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 187; Lib. VIII, 113.
Raynaldus, Ann. eccl. a. 1234, § 15.

Idem ad eundem.

Sanctissimo patri etc. Super terra, quam ultra Rodanum in partibus imperii per voluntatem vestram tempore aliquo in manu nostra tenuimus et custodivimus, cum consilio nostro deliberatione habita paternitatem vestram alias recolimus rogavisse, ut terram illam dilecto et fideli consanguineo nostro R. comiti Tolosano restitui faceretis[5], qui terram illam et antecessores etiam possederunt temporibus retroactis, confidentes quod per hoc allici debeat ad servandam pacem ecclesie in partibus illis et ad servitium nobis devotius exhibendum; ad quod precipue nos inducit, quod

1) *'Hortatur, ut eius imperiis pareant, ni fecerint, latas ab illo in rebelles sententias ab apostolica sede ratas habitum iri.' Rayn.* 2) *Cf. n. 322, 323 et 423.* 3) *Lorriz, Dep. Loiret, ex oriente civitatis Aurelianensis.* 4) *l. c. a. 1234, Mart.; nam cum reges Francorum a festo resurrectionis initium anni sumerent, eorum annus MCCXXXIII currebat ab a. 1233, April. 3 — 1234, April. 23, ut nos annos computamus.* 5) *a. 1234, Ian. 15 papa Raymundo terram Venusinam restituere recusaverat: Potthast, Reg. 9367.*

iamdictus comes heredem non habeat, nisi unicam filiam, que karissimo fratri nostro ex dispensatione vestra matrimonialiter est copulanda, propter quod gratiam istam tamquam ad nos et nostros petimus proventuram. Idcirco benignitatem vestram consilium habuimus iterum deposcendi, ut predictam terram obtentu devotionis, quam speramus ex hoc concedente Domino secuturam, restituere velitis comiti supradicto, attendentes etiam quod, sicut ex prelatorum illarum partium didicimus testimonio, in hereticis perquirendis et perquisitis ad honorem Dei et sancte ecclesie puniendis vigilanter se habuit, fideliter et devote. Unde nobis et consilio nostro bonum et utile videtur talem ei fieri gratiam, quod Deo et sancte ecclesie fiat devotior ex devoto; paternitatem vestram etiam ex affectu rogantes, ut iamdictum comitem in suis aliis iustis petitionibus amore nostri velitis benigne et favorabiliter exaudire.

Dat. apud Loiriacum in crastino sancti Gregorii[a] [1].

578.

Gregorius IX papa compositionem inter [Ottonem de Montebeliardo] comestabulum, barones et milites regni Hierosolymitani et cives Acconenses ex parte una et Fridericum Romanorum imperatorem ex altera mediantibus [Alberto] patriarcha Antiocheno et [Hermanno] magistro Teutonicorum initam confirmat. 1234, Mart. 22.

Greg. IX Reg. Vat. IV, 170; Lib. VIII, 2.

Nobili viro . . comestabulo et baronibus ac militibus regni Ierosolimitani et civibus Acconensibus.

Ea que iudicio vel concordia etc. usque: assensu, compositionem, que inter vos ex parte una et carissimum in Christo filium nostrum Fridericum, Romanorum imperatorem semper augustum, Ierusalem et Sicilie regem illustrem ex alia, mediantibus venerabili fratre nostro . . Antiocheno patriarcha, legato sedis apostolice, ac dilecto filio . . magistro domus hospitalis sancte Marie Theutonicorum Ierosolimitane, amicabiliter intervenit, quam idem imperator postmodum per suas litteras confirmavit, ratam habentes et firmam, eam, sicut rite sine pravitate provide facta est et ab utraque parte sponte recepta et hactenus pacifice observata, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo nostre confirmationis etc. Si quis autem etc.

Dat. Lateran. XI Kal. April. anno octavo.

579.

Gregorius IX papa H[ugoni] Remensi et I[ohanni] Catalaunensi archidiaconis et G. de Laudano canonico Remensi nuntiat, se providisse, ut ipsis de bonis archiepiscopalibus et [Goswino] decano Coloniensi de bonis maioris ecclesiae Coloniensis expensae ad in-

---

a) *Ita correximus ex Rayn. l. c. pro* Georgii *apographi nostri, quod certe mendum librarii est; nam cum a. 1234 pascha eodem die quo festum sancti Georgii celebraretur [April. 23], dies hoc modo computari non potuit.*

1) *Extat, ut monet Winkelmann, Acta Imp. ined. p. 516, n. 640, not., in Reg. Lib. VIII, 111 alia epistola regis ad papam de eadem re et eodem die data.*

quisitionem contra [Henricum] archiepiscopum Coloniensem prosequendam necessariae ministrentur. *1234, Mart. 27.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 171; Lib. VIII, 8.

H. Remensi et I. Cathalaunensi archidiaconis et G. de Lauduno canonico Remensi.

Cum olim vobis negotium inquisitionis contra venerabilem fratrem nostrum . . archiepiscopum Coloniensem sub certa forma duxerimus committendum, ne ob expensarum defectum prosecutionem ipsius contingeret impediri, vobis dedisse dicimur nostris litteris in mandatis, ut tam dilecto filio . . decano Coloniensi, qui negotium ipsum prosequitur, ne cogatur propriis stipendiis laborare, quam vobis in moderatis expensis ad prosecutionem negotii necessariis faceretis de bonis ecclesie provideri[1]. Quia vero in dubium revocatur, utrum communiter de bonis archiepiscopalibus et capituli maioris ecclesie an tantum ipsius capituli sit onus expensarum huiusmodi subeundum, prout littere vestre nobis exhibite, quas benigne recepimus, continebant, nos de fratrum nostrorum consilio taliter duximus providendum, ut vobis de bonis archiepiscopalibus et eidem decano de bonis maioris ecclesie expense ad prosecutionem negotii necessarie ministrentur. Ideoque mandamus, quatinus quod a nobis super hoc ordinatum est, faciatis firmiter observari; contradictores etc. Quod si non omnes etc.

Dat. Lateran. VI Kal. Aprilis, anno octavo.

580.

***F**ridericus Romanorum imperator ad consilium Iohannis Sabinensis episcopi et Petri de Capua, Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis, negotium illorum de Lombardia, marchia Trevisii et Romaniola tam super detentione regalium quam de praeteritis excessibus provisioni summi pontificis et ecclesiae Romanae committit.*

1234, April.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 176; Lib. VIII, 47.
Böhmer-Ficker, Reg. Frid. II, n. 2042.

581.

***G**regorius IX papa rectoribus societatis Lombardiae nuntiat, imperatorem totum negotium, quod inter ipsum et homines Lombardiae, Marchiae et Romaniolae vertatur, ordinationi ecclesiae commisisse; mandat iis, ut si idem velint, hoc sibi intiment.*

1234, Mai. 4.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 179; Lib. VIII, 58.

Rectoribus societatis Lombardie.

Prudentie vestre scripsisse recolimus, quod ad petitionem carissimi in Christo filii nostri Friderici, Romanorum imperatoris semper augusti etc., qui se promptum beneplacitis ecclesie et paratum ad correctionem omnium, que per nuntios suos presumpta contra formam pacis[2] existerent, exponebat, duos ex fratribus nostris ad eius presentiam mitteremus, vobis postmodum que super premissis fieri contingeret

1) *Cf. n. 529.* 2) *n. 531.*

rescripturi. Devotioni vestre igitur tenore presentium duximus intimandum, quod prefatus imperator post receptionem cardinalium predictorum omnia, que a nuntiis contra formam pacis fuerant attemptata, promisit corrigere et iam pro parte correxit. Ad hec, quia idem imperator, considerans quod vos speciales ecclesie filios reputamus et quod offendi sine offensa ecclesie non possitis, totum negotium Lombardie, Marchie ac Romaniole per patentes imperiales litteras appensione bulle auree communitas, quarum transcriptum vobis interclusum presentibus destinamus, ecclesie provisioni, ordinationi et dispositioni commisit[1], promittens se ratum omni tempore habiturum, quod inter ipsum et vos per eandem ecclesiam fuerit ordinatum. Quare mandamus, quatinus, si hoc ipsum vultis facere, nobis vestris patentibus litteris intimetis. Ne autem aliquo interveniente obstaculo tantum bonum valeat impediri, sinceritatem vestram rogamus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus ipsum imperatorem et suos per vos seu per alios in aliquo non turbetis, curam habentes ut si milites de Teutonie partibus sint in procinctu ad eiusdem imperatoris presentiam accedendi, eos impedimentis aliquibus non gravetis, ne de nobis et vobis, quibus de ipso non videtur merito dubitandum, iustam habeat materiam murmurandi.

Dat. Lateran. IIII Non. Maii, anno octavo.

582.

Gregorius IX papa Gregorium subdiaconum de rebus in epistola praecedenti contentis certiorem facit, eique mandat, ut rectores ad id inducat. *1234, Mai. 4.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 179; Lib. VIII, 59

Gregorio subdiacono et capellano nostro.

Dilectis filiis rectoribus societatis Lombardie pridem scripsisse recolimus, quod ad petitionem carissimi in Christo filii nostri Friderici etc. in eundem fere modum ut supra usque: murmurandi. Ideoque mandamus, quatinus dictos rectores ad id efficaciter moneas et inducas.

Dat. ut supra.

583.

Gregorius IX papa rectoribus societatis Lombardiae mandat, ut cum Fridericus Romanorum imperator totum negotium, quod cum iis habeat, ordinationi ecclesiae commiserit, milites, qui de Teutonia ad eum pacifice accedant, libere transire permittant; destinat ad eos I. capellanum suum, archidiaconum Norwicensem. *1234, Mai. 20.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 184; Lib. VIII, 90.
Potthast, Reg. 9464.

Rectoribus societatis Lombardie.

Sicut pridem prudentie vestre scripsisse recolimus[2], karissimus in Christo filius noster Fridericus, Romanorum imperator semper augustus, Ierusalem et Sicilie rex

1) *Cf. n. 580.* 2) *Cf. n. 581.*

illustris, se promptum beneplacitis ecclesie et paratum ad correctionem omnium, que per nuntios suos presumpta contra formam pacis existerent, exponendo, illorum aliqua iam pro parte correxit, et totum negotium Lombardie, Marchie ac Romaniole per patentes imperiales litteras appensione bulle auree communitas[1] ecclesie provisioni, ordinationi et dispositioni commisit, promittens se ratum omni tempore habiturum, quod inter ipsum et Lombardos per eandem ecclesiam fuerit ordinatum. Verum cum idem imperator iterum per litteras et nuntios ad nostram presentiam destinatos se in negotiis suis nostre commiserit voluntati, nosque in hiis, que secundum Deum et iustitiam possumus, suis votis annuere favorabiliter teneamur, sinceritatem vestram rogamus et hortamur attentius, mandantes quatinus cum milites de Teutonie partibus, qui sunt in procinctu ad imperialem presentiam accedendi[2], de mandato imperatoris eiusdem parati Lombardis existant prestare iuratoriam cautionem, quod transeundo, morando et redeundo nullam ipsis aut societati Lombardie offensam inferent vel iacturam, eis transitum liberum procuretis, provide attendentes quod et ille nullis pacifice transire volentibus sit negandus, et si eisdem militibus, quod absit, aliquod obstaculum opponatur a pluribus, non immerito extimari poterit, quod cum Lombardos speciales ecclesie filios reputemus et eis, quantum cum Deo possumus, in necessitatibus assistamus, id[a] ex nostro favore processerit vel consensu. Igitur ut hominibus ista suspitio et imperatori predicto tollatur materia murmurandi, presertim cum non deceret id in patientia sustineri, ut opere compleatur quod est de prefatis militibus suprascriptum, quinimmo quod ipse imperator vel sui et precipue Veronenses in aliquo nullatenus offendantur, ne, quod avertat Dominus, tantum bonum aliquibus obstaculis valeat impediri, sublato ambiguitatis scrupulo detis operam diligentem; sciturі quod si idem imperator adversum Lombardos vel societatem ipsorum aliquid indebite moliretur assumere, illud nullo modo ecclesia fieri pateretur. Ceterum, ut voluntas nostra super premissis et aliis vobis plenius innotescat, dilectum filium magistrum I. capellanum nostrum, archidiaconum Norwicensem, nobis et fratribus nostris acceptum sue merito probitatis, ad vos duximus destinandum, quem, immo nos in ipso, benigne recipere et tractare honorifice procurantes, super hiis que vobis ex parte nostra dixerit fidei plenitudinem adhibendo, illa promptitudine diligenti perficere studeatis.

Dat. Lateran. XIII Kal. Iunii, anno octavo.

In eundem fere modum scriptum est . . potestati, consilio et communi Ferrariensi, . . potestati, consilio et communi Brixiensi et . . potestati, consilio et communi Mantuano.

584.

Gregorius IX papa [Iacobo Teupolo] duci, consilio et communi Venetorum idem fere scribit. *1234, Mai. 20.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 184; Lib. VIII, 91.

Nobili viro . . duci, consilio et communi Venetorum.

Sicut pridem etc. usque: concedatis[b], preces nostras taliter admissuri, quod nos et vestris, cum oportunum fuerit, favorabiliter annuamus, et imperatorem eundem,

---

a) quod id *R.* b) *ubi in priori epistola legitur:* procuretis.

1) *n. 580.* 2) *Ut papam contra rebelles Romanos adiuvarent.*

cum expedierit, commodis vestris efficaciter inclinemus. Ceterum, ut voluntas nostra etc. usque: studeatis.

Dat. ut supra.

585.

Gregorius IX papa [Sigefrido III] archiepiscopo Moguntino inhibet, ne ab ecclesiis, in quibus Henricus et Conradus fratres lantgravii Thuringiae ius patronatus obtineant, vicesimam exigat. *1234, Iun. 22.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 188; Lib. VIII, 119.

. . archiepiscopo Maguntino.

Ad audientiam nostram noveris pervenisse, quod tu universis ecclesiis, in quibus tam dilecti filii nobiles viri Henricus et Conradus fratres langravii Turingie quam homines sui ius obtinent patronatus, exactiones indebitas et hactenus insuetas imposuisti de novo, videlicet ut proventuum suorum vicesimam tibi persolvant, in ipsorum nobilium odium et contemptum et predictarum ecclesiarum non modicum preiudicium et gravamen. Super quo ipsis eligentibus potius ob ecclesie Romane reverentiam ad nos habere recursum quam iniuriam huiusmodi aliter propulsare, nobis devote ac humiliter exstitit suplicatum, ut cum iuxta Lateranense concilium ab ecclesiarum prelatis pro necessitatibus suis, si tamen causa manifesta et rationabilis id exposcat, cum caritate petendum sit subditorum auxilium moderatum, providere super hoc paterna sollicitudine dignaremur. Quocirca fraternitatem tuam monemus, per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus vigesimam exactam restituens, ab eius exactione desistas, iuramento, si quod a prelatis vel clericis ecclesiarum ipsarum de ipsa solvenda est prestitum, nec non excommunicationis et interdicti sententiis, quas occasione huiusmodi vicesime in aliquas dictarum ecclesiarum ut asseritur promulgasti, sine difficultatis obstaculo relaxatis. Alioquin cum ex officii nostri debito teneamur precavere indempnitatibus earundem et scandali materiam amovere, venerabili fratri nostro . . Mersburgensi episcopo[1] litteris nostris iniungimus, ut te ad id sublato appellationis obstaculo districtione[a] qua convenit cognita veritate compellat.

Dat. Reate, X Kal. Iulii, anno octavo.

586.

Gregorius IX papa [Hermanno] magistro et fratribus ordinis Teutonicorum notum facit, se ad preces H[enrici] et C[onradi] fratrum lantgraviorum Thuringiae hospitale

[a]) sub apostolice obedientie disciplina *in apographo nostro; certe minus bene, quia in talibus litteris, quales hae sunt, hoc ipso loco appellatio ab executore mandati interdici solet, sicut n. 396, 403, 407, 493, 535 et alibi legis. Praeterea verba illa a stilo curiae Romanae prorsus aliena mihi videntur, et supra iam saepius dubitavimus, an ubi in apographis* sub apostolica obedientia *invenimus,* sublato appellationis obstaculo *textui inserendum fuerit; nam cum in Reg. formulae per compendia scribi soleant, ibidem, si non semper, tamen plerumque* sub ap ob dis *legitur; cf. Palacky, Reise nach Ital. p. 13.*

1) *Eccardo.*

sancti Francisci de Marburg, in quo corpus beatae Elisabeth lantgraviae Thuringiae requiescat, eorum domui conferre. *1234, Iul. 1.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 192; Lib. VIII, 145.
Potthast, Reg. 9483.

. . magistro et fratribus ospitalis sancte Marie Teutonicorum Ierosolimitane.

Sedes apostolica, mater universorum fidelium et magistra, nulli facere videtur iniuriam, si utens interdum plenitudine potestatis, maiori caritate ferventes potiori gratia prosequatur. Nos quoque, dum sicut decet attendimus, quod pie mentis intentio favorem nostrum non indigne meretur, quasi necessario inducimur, ut vota, que aspirando Dominus prevenit, consueta benivolentia complectamur. Sane dilecti filii nobiles viri H. et C., fratres langravii Turingie, amplectentes tamquam devotionis alumpni opera pietatis, considerato prudenter quod domus vestra velut dextere divine plantatio generalem ecclesiam religionis odore delectat et fructu reficit caritatis, cuius ibi circa pauperes officiose officium exercetur, ardenti iamdudum desiderio affectarunt hospitale sancti Francisci de Marburch, quod in proprio solo fundatum de bonorum suorum ubertate dotarunt, remittentes illi liberaliter propter Deum quicquid iuris habebant in ipso, et eidem insuper concedentes ius patronatus quod in parrochiali ecclesia de Marburch competebat eisdem, vobis ab apostolica sede conferri. Unde prefatus C. a nobis multa precum instantia postulavit[1], ut ipsius et predicti fratris sui desideriis annuentes, ospitale ipsum predicte domui vestre conferri misericorditer dignaremur. Cum igitur succensi zelo divino, quo pro Christo animas vestras ponere decrevistis, mereamini habundantiori benedictione sedis apostolice confoveri et nobilium eorundem affectui plenioris favoris exhibitio debeatur, nos, pro firmo tenentes quod ex eodem hospitali multa possit Terre Sancte, cuius vos totaliter devovistis obsequio, utilitas provenire et in eo plenius hospitalitas, ad quam ex institutione apostolice sedis tenemini, observari, hospitale ipsum cum iure patronatus predicte ecclesie de Marburch et aliis iuribus et pertinentiis hospitalis eiusdem vobis et domui vestre de potestatis plenitudine ac gratia speciali duximus conferendum; illud pro reverentia beate memorie Helysabet langravie Turingie, cuius corpus requiescit ibidem, ut, sicut est celebre veneratione fidelium, sic prerogativa gaudeat libertatis, venerabilis fratris nostri . . Maguntini archiepiscopi, loci diocesani, episcopali iure in parrochia memorate ecclesie de Marburch in omnibus semper salvo, et a vobis pro eodem hospitali annuo censu[a] duarum marcharum argenti sibi et suis successoribus annis singulis persolvendo, in ceteris esse liberum statuentes; non obstante quod de preficiendo magistro ipsi hospitali quondam noscitur institutum. Nulli ergo nostre concessionis et constitutionis etc. Si quis autem etc.

Dat. Reate, Kalendis Iulii, anno octavo.

587.

Gregorius IX papa rectores societatis Lombardiae monet, ne moreantur, quod iis mandaverit, ut militibus imperatoris pro subsidio ecclesiae contra Romanos properantibus

[a]) censu *deest in R.*

1) *Conradus ipse Reate, ubi papa et imperator convenerant, aderat, sicut legis in privilegio, quo imperator idem hospitale sub protectione sua recipit eique bona et iura confirmat. Cf. Huillard-Bréholles, l. c. t. IV, p. 477.*

liberum transitum dent; eosque hortatur, ut de negotio inter ipsos et imperatorem vertente, quod imperator in manibus ecclesiae posuerit, quantocius voluntatem suam sibi rescribant. Cf. n. 583. *1234, Iul. 3.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 193; Lib. VIII, 148. Pertzii exemplar supplevimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1234, § 4.
Potthast. Reg. 9485.

Rectoribus societatis Lombardie.

Meminimus vobis per alias litteras intimasse, quod karissimus in Christo filius noster Fridericus, Romanorum etc., toto negotio, quod inter ipsum et vos vertitur, in manibus nostris posito, ordinationi nostre super eo se precise submisit, promittens nichilominus emendare quicquid officiales sui contra formam pacis inite attemptarunt; set super hoc nondum responsum nobis aliquod prebuistis. Preterea cum diverse[a] ac varie forent contra ecclesiam inquietudines Romanorum, ita quod sedes apostolica sine confusione sua non poterat, quin uteretur imperialis brachii ministerio, evitare, dictus imperator, ad presentiam nostram accedens, ad ecclesie Romane defensionem et patrimonii sui sponte se obtulit, sicut ad id specialiter tenebatur. Unde cum auxilium militum necessarium esset eidem, vobis, ut liberum transitum daretis eisdem, direximus scripta nostra, super quo qualiter sit processum plene novistis. Verum cum non possetis absque offensa sedis apostolice offendi, que reputat vos membra eius honorabilia et filios speciales, non debetis in aliquo modo moveri, nec unquam dubitare potestis, quod paternum affectum, quo sincera vos complectimur caritate, deponere debeamus: propter quod nichil vobis deperit sed accrescit potius, si Romana ecclesia mater vestra in libertate et honore debito conservetur, maxime cum nos vestris profectibus ex intimis cordis et animi aspirantes, non cessemus pro statu vestro salubriter conservando opportuna consilia cogitare. Ideoque devotionem vestram monemus, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus attendentes puram intentionem nostram, sicut viri providi et discreti super predicto negotio voluntatem vestram nobis quantocius rescribatis, securi de nostro et apostolice sedis favore, quem vobis intendimus quantum cum Deo possumus in omnibus exhibere.

Dat. Reate, V Non. Iulii, anno octavo.

588.

Gregorius IX papa [Ulrico IV] electo Curiensi ad preces Friderici Romanorum imperatoris concedit, ut cum electio eius per [Sigefridum III] archiepiscopum Moguntinum rite fuerit confirmata et ecclesia Curiensis gravi onere debitorum prematur, fructus beneficiorum percipiat, quae prius canonice obtinuerit. *1234, Iul. 13.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 193; Lib. VIII, 154.
Potthast, Reg. 9490.

. . electo Curiensi.

Pro te fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum electio de te in episcopum Curiensem celebrata canonice per venerabilem fratrem nostrum . . Maguntinum archiepiscopum, metropolitanum tuum, rite fuerit confirmata, et ecclesia Curiensis gravi

[a]) cum diverse — consilia cogitare *ex Rayn.*

prematur onere debitorum, retinendi saltem usque ad certum tempus beneficia, que prius canonice obtinebas, licentiam tibi concedere dignaremur. Nos igitur carissimi in Christo filii nostri Friderici, Romanorum imperatoris etc., pro te supplicantis devotis precibus inclinati, veris existentibus supradictis, percipiendi fructus beneficiorum ipsorum usque ad nostrum beneplacitum auctoritate tibi presentium concedimus facultatem. Nulli ergo nostre concessionis etc. Si quis autem etc.

Dat. Reate, III Idus Iulii, anno octavo.

589.

Gregorius IX papa [Eccardo] Merseburgensi et [Henrico] Misnensi episcopis mandat, ut B[urcardo] praeposito de Brunswic, canonico Magdeburgensi, in pastorem ecclesiae Magdeburgensis electo, munus consecrationis vice sua impendant.

1234, Iul. 20.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 194—195; Lib. VIII, 163.
Potthast, Reg. 9494.

Meresburgensi et . . Misnensi episcopis.

Rectis dispositionibus, quibus providetur ecclesiis, ne in facultatibus suis patiantur viduitatis tempore detrimentum aut lupus invadat gregem Dominicum vel dispergat, benignum prebemus assensum et favorem apostolicum impertimur. Sane bone memorie Alberto Magdeburgensi archiepiscopo nature debitum persolvente [1], cum . . prepositus Magdeburgensis [2] et eius socii, quibus dilecti filii Magdeburgense capitulum eligendi contulerant facultatem, diligenti deliberatione prehabita dilectum filium B. prepositum de Bruneswic [a] Magdeburgensem canonicum in pastorem ipsi ecclesie providissent [3], venerabili fratri nostro Hildesemensi episcopo [4] et collegis ipsius nostris dedimus litteris in mandatis, ut de modo electionis, electi meritis et eligentium studiis veritate sollicite inquisita, ipsam fideliter in scriptis redactam sub sigillis suis ad nostram presentiam destinarent: qui super hoc a singulis de ipso capitulo iuramento recepto, depositiones ipsorum ad sedem apostolicam remiserunt. Cum igitur electionem huiusmodi inveniremus canonice de persona idonea celebratam, eam de fratrum nostrorum consilio duximus confirmandam. Quia gravibus et diversis necessitatibus dicitur eadem ecclesia pregravata, nos ex affectu compassionis, quam habemus ad ipsam, gratiam sibi volentes facere specialem, mandamus, quatinus vos, aliis eius suffraganeis convocatis, cum eis in predicta ecclesia munus consecrationis electo vice nostra impendere procuretis. Quod si non omnes etc. tres vestrum etc.

Dat. Reate, XIII Kal. Augusti, anno octavo.

590.

Gregorius IX papa G. comitem palatinum, in obsequium ecclesiae Romanae militare cogitantem, cum omnibus bonis sub protectione sua suscipit. *1234, Iul. 26.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 196; Lib. VIII, 172.

---

a) Bruneswič *R.*

1) *Iam a. 1232, Oct. 15 mortuus erat.* 2) *Wilbrandus.* 3) *Cf. n. 554.* 4) *Conrado II.*

Nobili viro G. comiti palatino[1] spiritum consilii sanioris[2].

Sicut dilecti filii Amator miles et E. iudex, nuntii tui, quos benigne recepimus, in nostra proposuere presentia constituti, tu, eo a quo bona cuncta procedunt et cuius est totum quod est obtimum inspirante, spiritu salutis concepto cogitasti ad fortia Prov. 31,19. mittere manum tuam et militare in obsequium Romane ecclesie matris tue, promptam in personis et rebus obsequendi exhibens voluntatem. Nos itaque in virtute illius qui palmo concludit et continet omnia confidentes, ac putantes pro levi hostium calumpniis obviare, tuum salutare propositum in Domino commendamus, et volentes ut effectus tam salutaris affectus fructibus tue devotionis accrescat, de fratrum nostrorum consilio personam tuam in fidelitate ac devotione sedis apostolice persistentem cum omnibus bonis tuis sub protectione ac defensione nostra et apostolice sedis recipimus speciali. Tu vero constantis animi munimenta suscipiens ad defensionem tuam et ecclesie magnanimiter te accingas, firmam spem et fiduciam habiturus, quod te a fluctibus adversantium obrui auxiliante Domino nullatenus permittemus. Nulli ergo nostre protectionis etc. Si quis autem etc.

Dat. Reate, VII Kal. Augusti, anno octavo.

591.

Gregorius IX papa Lucam dictum senatorem et omnes consiliarios Urbis, quorum consilio turris in territorio castri Montis Alti aedificata et quaedam alia perpetrata sunt, excommunicat. *1234. exeunte mense Mai. — Iul.*[3]

Greg. IX Reg. Vol. IV, 195; Lib. VIII, 167.

Super excommunicatione senatoris et consilii Urbis.

Excommunicamus et anathematizamus ex parte Dei omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus sancti, auctoritate quoque beatorum apostolorum Petri et Pauli ac nostra, Lucam dictum senatorem, Parentium et Iohannem de Cinthio vestararios et omnes illos consiliarios Urbis et iustitiarios, quorum consilio, auxilio vel ministerio a Montaltensibus[4] obsides recepti sunt et detenti et turris edificata in territorio castri Montis Alti, quod est sedis apostolice speciale, et ipsum castrum per iniuriam occupatum et iuramenta de novo exacta et recepta in preiudicium ecclesie Romane, tam a dictis Montaltensibus quam a quibusdam aliis de patrimonio fidelibus ecclesie Romane, et termini positi sunt temeritate propria in tenimentis ecclesiarum, monasteriorum, civitatum et castrorum et fidelium ecclesie Romane, tam in Campania et Maritima quam in Tuscia. Item excommunicamus et anathematizamus Paulum Petri Iudicis, Petrum de Stephano, Sanguineum et Pandulfum[a] Iohannis Crassi, quorum ministerio attemptata sunt aliqua de predictis[5].

---

a) Pand *R.*

1) *Hunc Guillelmum comitem palatinum Tusciae esse existimo, quem papa Sept. 27 [n. 597] cum uxore et filiis sub protectione sua suscipit.* 2) *Haec verba cum iis, quae in epistola continentur, minime congruunt; certe errore a scriptore Reg. adiecta sunt.* 3) *Exeunte mense Mai. papa ex Urbe fugiens Reate profectus est et exeunte mense Iul. vel ineunte Aug. hae litterae in Reg. relatae sunt.* 4) *Montalto ad Florim flumen prope fines Tusciae.* 5) *Hae litterae bis in Reg. extant, nam leguntur etiam in actis pacis a. 1235, April. — Mai. inter papam et Romanos factae, Greg. IX Reg. Vol. V, p. 121 et sequ., de quibus videas infra. Ap. Papencordt, Gesch. der Stadt Rom im Mittelalter ed. Höfler, ubi p. 293, not. 3 et sequ. acta illa publicata sunt, in his litteris nonnulla verba desunt, sed ea errore editoris omissa esse pro certo habemus.*

592.

Gregorius IX papa comitibus, baronibus, potestatibus, communitatibus et universis per Tusciam constitutis mandat, ut beneplacitis R[aynerii] diaconi cardinalis ad eos accedentis diligenter intendant. *1234, Aug. 1.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 197; Lib. VIII, 179.

Nobilibus viris comitibus, baronibus, potestatibus, communitatibus et universis per Tusciam constitutis.

Arduis et magnis negotiis, quorum expeditio imminet ecclesie studio generalis, est apostolica sedes de hiis providere sollicita, qui efficaci providentia et sollicitudine rutilant expedita. Cum igitur dilectum filium nostrum R.[a] Sancte Marie in Cosmidin diaconum cardinalem, virum utique prudentia et magnanimitate conspicuum ac virtutum insignibus multipliciter redimitum, pro defensione patrimonii beati Petri et ecclesiastice libertatis in dictum patrimonium per Tusciam destinemus, universitatem vestram rogamus et hortamur attente, sub debito fidelitatis districte vobis precipiendo mandantes, quatinus cardinalem eundem tamquam personam nostram reverenter recipere et tractare honorifice, sicut diligentius et studiosius poteritis, procuretis, sic eius beneplacitis intendendo, ut ad complendum et observandum fideliter, quecumque statuerit vel mandabit, sitis vigiles et ferventes; preceptum nostrum taliter impleturi, ut et ipsum sentiatis in necessitatibus utilem et sedem apostolicam in benedictionis munere liberalem. Alioquin sententiam spiritualem et temporalem, quam idem tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctore Deo usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Dat. Reate, Kalendis Augusti, anno octavo.

593.

Gregorius IX papa Johannem de Ibelino monet, ut Friderico Romanorum imperatori, quem gravissime offenderit, per nuntios satisfactionem debitam ultroneus offerat, vel se ordinationi ecclesiae Romanae committat. *1234, Aug. 7.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 199; Lib. VIII, 184.
Potthast, Reg. 9503.

Nobili viro Iohanni de Bellino[1] spiritum consilii sanioris.

Ad aures nostras noveris pervenisse, quod tu iniqua suggestione seductus carissimum in Christo filium nostrum Fridericum, illustrem Romanorum imperatorem semper augustum, Ierusalem et Sicilie regem, gravissime offendisti, celsitudini imperiali non deferens nec precavens tibi ipsi, ut huiusmodi difficultatis articulum evitasses. Quia vero congrua est adhibenda vulneri medicina, nobilitatem tuam monemus et hortamur attente et tibi consulimus bona fide, quatinus cum consultius esse noscatur,

[a]) per *in apographo nostro.*

1) *Domino Beryti, qui caput adversariorum imperatoris in Terra Sancta erat.*

ut sibi per te absque coactionis violentia satisfiat, per idoneos nuntios, quos ei transmittere non postponas, satisfactionem eidem ultroneus offeras de dampnis et iniuriis irrogatis; nos enim de securitate tua et tuorum et te restituendo in gratiam suam curabimus, prout oportunum fuerit, paterna sollicitudine providere. Quod si aliqua dubitatio a consilio nostro te forte retraxerit, saltem spontaneus te nostre ordinationi committens offeras satisfacere imperatori predicto, sicut ecclesia Romana duxerit disponendum. Alioquin, cum non possimus nec etiam debeamus ipsi deesse in iustitia, in qua sumus aliis debitores, exercere in te rigorem iustitie iuxta commissum a Deo nobis officium compellemur, et tu duritie tue poteris discrimina, que inde tibi evenerint, imputare.

Dat. apud Arronem, VII Id. Aug. anno octavo.

594.

Gregorius IX papa baronibus regni Hierosolymitani et civibus Acconensibus mandat, ut pacem, quam inter ipsos et Fridericum Romanorum imperatorem [Albertus] patriarcha Antiochenus et [Hermannus] magister domus Teutonicorum facere curaverint, observent; alioquin se [Theoderico] archiepiscopo Ravennati, quem legatum suum ad partes ipsorum mittat, iniungere, ut omnia in eum statum reducat, quo ante discordiam inter [Riccardum Filangerium] marescalcum imperatoris et eos ipsos exortam fuerint.

1234, Aug. 8.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 199; Lib. VIII, 183.
Potthast, Reg. 9505 et 9504.

Nobilibus viris baronibus regni Ierosolimitani et civibus Acconensibus.

De liberatione Terre Sancte indesinenter anxii et sine intermissione solliciti non cessamus, dum flebilem ipsius casum attendimus, pro eius statu oportuna consilia cogitare. Unde nuper deliberatione prehabita cum fratribus nostris et venerabilibus fratribus . . Constantinopolitano[1], . . Antiocensi et . . Ierosolimitano[2] patriarchis, archiepiscopis, episcopis et multis aliis ecclesiarum prelatis apud sedem apostolicam constitutis, presente et acceptante karissimo in Christo filio nostro Friderico, Romanorum imperatore semper augusto, Ierusalem et Sicilie rege illustri, pie terre ipsi subveniendum providimus per generalem populi Christiani succursum, et ubique, sicut est negotio permaxime necessarium, pacis seu treugnarum debere federa observari. Quia vero turbationi et ex hoc gravi periculo subiacet terra predicta, propter quod labor huiusmodi esset inutilis, si pacem ipsa non haberet, pro qua hec provisio emanavit, et facile ammitti contingeret paucas que supersunt reliquias ex eadem: nos, nolentes sicuti nec debemus ipsius exterminium sustinere, venerabilem fratrem nostrum . . Ravennatem archiepiscopum, apostolice sedis legatum, cuius discretionis et probitatis merita efficaciter nos hortantur, ut in arduis negotiis vices nostras fiducialiter committamus eidem, ad partes vestras duximus destinandum, universitatem vestram monentes et hortantes attente, obsecrantes per aspersionem sanguinis Iesu Christi et in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatinus pacem, quam iam dudum predictus Antiochenus patriarcha et dilectus filius . . magister domus Theutonicorum

1) *Nicolao.* 2) *Geroldo.*

inter imperatorem ipsum ex una parte et vos ex altera facere curaverunt, que cum littere super hoc nobis congruo tempore presentate non fuerint, non extitit per sedem apostolicam confirmata[1], sine difficultate qualibet acceptantes, inviolabiliter observetis eandem, ita quod propitiante Domino nullum impedimentum obsistat, quin ad subsidium vestrum ecclesia valeat sicut disposuit Christianum populum advocare. Alioquin, cum nequeamus predicto imperatori deesse in iustitia, quem velut ecclesie brachium speciale in rationibus suis habundantiori tenemur affectu fovere, archiepiscopo ipsi, quem tamquam ecclesie Romane legatum debito suscipiatis honore et ipsius pareatis humiliter monitis et mandatis, per litteras nostras iniungimus, ut omnia, quoad ius possessionis et proprietatis, in eum statum auctoritate nostra reducat, in quo fuisse noscuntur ante discordiam inter marescallum imperatoris eiusdem[2] et vos inimico pacis faciente subortam; contradictores, si quos in terra illa invenerit, vel rebelles modo predicto per censuram ecclesiasticam sublato cuiuslibet contradictionis et appellationis impedimento compescens.

Dat. Spoleti, VI Id. Aug. anno octavo[3].

In eundem fere modum scriptum est . . archiepiscopo Ravennati, apostolice sedis legato. De liberatione Terre Sancte etc. usque: exterminium sustinere, te, commisso tibi legationis officio, ad partes illas duximus destinandum, nobilibus viris baronibus regni Ierosolimitani et civibus Acconensibus iniungentes, ut pacem, quam iam dudum etc. usque: Christianum populum advocare. Quod si dicti barones et cives, quos et tu ad hoc, quanto diligentius poteris, moneas et inducas, exhortationes nostras et monitiones tuas super pace predicta admittere non curaverint, cum nequeamus prefato imperatori deesse in iustitia, quem velut ecclesie brachium speciale in rationibus suis habundantiori tenemur affectu fovere, firmiter tibi per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatinus omnia, quoad ius possessionis etc. usque in finem.

In eundem fere modum scriptum est magistris et fratribus domus militie Templi et Hospitalis Ierosolimitani et . . preceptori Sancte Marie Theutonicorum. De liberatione Terre Sancte etc. usque: exterminium sustinere, venerabilem fratrem nostrum . . archiepiscopum Ravennatem, apostolice sedis legatum, cuius discretionis et probitatis merita efficaciter nos hortantur, ut in arduis negotiis vices nostras fiducialiter committamus eidem, ad partes vestras duximus destinandum, nobilibus viris baronibus regni Ierosolimitani et civibus Acconensibus iniungentes, ut pacem, quam dudum etc. usque: Christianum populum advocare. Quod si dicti barones et cives exhortationes et monitiones dicti legati super pace predicta admittere non curaverint, cum nequeamus predicto imperatori deesse in iustitia etc. usque: tenemur affectu fovere, archiepiscopo ipsi per litteras nostras iniungimus, ut omnia, quoad ius possessionis et proprietatis, etc. ut supra usque: impedimento compescens. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus memoratum archiepi-

1) *Sed Mart. 22 [n. 578] compositionem inter eosdem patriarcha et magistro mediantibus initam confirmaverat. Winkelmann, Fried. II, p. 197 arbitratur hanc alium esse, eandem quam, ut in Bernardi Thes. Cont. Guill. Tyr. ed. Guizot, t. XIX, p. 484 et 486 legatur, Philippus de Trecis et Henricus de Nazareth confecerint. Sed hos milites initio a. 1236 apud sedem apostolicam constitutos concordiam cum magistro Teutonicorum fecisse testantur litterae papae a. 1236, Febr. 21 datae, quas invenis infra. — Papam hoc loco de eadem pace ut in n. 578 loqui certum mihi videtur, praesertim cum eam 'iam dudum' initam esse dicat; quomodo autem eam non confirmatam appellare potuerit, non liquet. Fortasse n. 578, licet scripta sit, missa non est.* 2) *a. 1231, Iul. transmissus erat; cf. n. 150.* 3) *Eodem mense imperator iisdem scribit, se archiepiscopo Ravennati ad monitionem papae officium nuntii sui commisisse: Huillard-Bréholles l. c. t. IV, p. 479.*

scopum tamquam legatum ecclesie Romane debito suscipientes honore et ipsius monitis et mandatis humiliter intendentes, ei pleno mentis affectu et effectu operis assistatis, ita quod a nobis merito commendari possitis, et per suffragium vestrum addiscant devote acquiescere, qui proterve renuunt obedire. Alioquin sententiam, quam idem legatus rite tulerit in rebelles, ratam habebimus et servari auctore Deo usque ad satisfactionem congruam faciemus.

Dat. etc.

In eundem fere modum scriptum est archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis et universis aliis ecclesiarum prelatis per Ierosolimitanum regnum constitutis. De liberatione Terre Sancte etc. ut supra usque: ad partes vestras duximus destinandum. Quocirca universitatem vestram monemus per apostolica scripta mandantes, quatinus eum sicut apostolice sedis legatum debito suscipientes honore, salubribus ipsius monitis et mandatis, et specialiter super pace ibi reformanda, tam devote quam humiliter intendere procuretis. Alioquin sententiam, quam rite tulerit in rebelles, ratam habebimus et servari auctore Deo usque ad satisfactionem congruam faciemus.

Dat. Spoleti. VI Idus Aug. anno octavo.

595.

Gregorius IX papa archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis, ad quos litterae istae pervenerint, mandat, ut [Theodericum] archiepiscopum Ravennatem, quem legatum in Terram Sanctam mittat, benigne recipiant eique in necessariis liberaliter provideant. Cf. n. 594. *1234, Aug. 9.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 198; Lib. VIII, 182.

Archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prelatis, ad quos littere iste pervenerint.

Inter occupationes innumeras, quibus continuo perurgemur, cum non possimus ad omnia sufficere per nos ipsos, aliqua eis interdum committimus, de quorum experta fide ac industria plenam fiduciam obtinemus. Unde cum venerabilem fratrem nostrum . . Ravennatem archiepiscopum, apostolice sedis legatum, cuius probitatis merita efficaciter nos hortantur, ut in arduis negotiis vices nostras committamus eidem, ad partes transmarinas pro Terre Sancte negotio destinemus, universitatem vestram rogamus, per apostolica vobis scripta precipiendo mandantes, quatinus cum iuxta testimonium Veritatis in missi persona sperni contingat et honorari mittentem, que quod Luc. 10,16. uni ex minimis suis fit, sibi fieri asseverat, benigne recipientes et honeste tractantes Matth. 25,40. eundem, sibi curetis in necessariis liberaliter providere, ita quod in persona ipsius, quem erga nostram geritis, per effectum ostendatis debitum devotionis affectum, nosque inde vobis reddatis magis favorabiles et benignos. Alioquin sententiam, quam propter hoc ipse rite tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus usque ad satisfactionem condignam auctore Domino firmiter observari.

Dat. Spolet. V Id. Aug. anno VIII°.

596.

Gregorius IX papa [Fridericum II] ducem Austriae hortatur, ut ea, quae ab hominibus terrae suae in subsidium Prusciae hospitali sanctae Mariae Teutonicorum legata sint, eidem assignari procuret. *1234, Sept. 9.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 209; Lib. VIII, 230.

Nobili viro . . duci Austrie.

Studia pietatis, quibus clare memorie . . pater tuus[1] vacasse dinoscitur, cum gaudio recolentes, ipsum credimus ex hoc potissime regni[a] eterni gloriam meruisse, quod existens pluribus virtutum speculum et exemplar, sancte Romane ecclesie, sponse inclite summi regis, se placitum[b] sinceritate devotionis exhibuit et in eiusdem obsequiis puritate fidei rutilavit, quod etiam in Terre Sancte subsidio ad Redemptoris obsequia magnifice constitutus, venerabilem domum hospitalis sancte Marie Theutonicorum compressam aliquando gravi compede paupertatis de pulvere suscitando potentie decoravit insignibus, eidem retributionis obtentu perpetue bonorum plurium desideratam adiciens ubertatem. Hec et consimilia, benedicte fili, benedictionis filius pater tuus effecisse dinoscitur, unde nomen eius et gratum et celebre apud plurimos reperitur. (Gen. 2,23.) Tu autem, cum sis os ex ossibus et caro de carne hominis virtuosi, succedens in hereditate omnium, que sibi contulisse dinoscitur conditor singulorum, nonne cure studium vigilantis assumes, ut patris titulos in virtute filii representes, formam palmitis in se vitis valentiam exponentis aut instar tenendo rivuli, ex cuius claritate colligitur quod de fonte limpido producatur? Rogamus itaque nobilitatem tuam et obsecramus in domino Iesu Christo, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatinus prudenter advertens quod amabile redditur quidquid bonitatis titulo decoratur, aut quod in loco electo ponitur que fore magni pretii res videtur, te totum observantie virtutum impendas, ut Deo et hominibus dilectus existens, et hic prosperitatis incremento proficias et tandem cum principibus celestis populi collocatus in conspectu Domini luce perpetua refulgescas. Ceterum, ut in bonis omnibus patris sequendo vestigia sis Iesu Christo gratior et a nobis acceptior habearis, preces cumulando precibus affectione paterna deposcimus et hortamur, ut prefatam hospitalis domum habens pro divina et nostra reverentia favorabiliter commendatam, illam ita tue gratie dono reficias, que ab hominibus terre tue legata in Prusciе subsidium dinoscuntur eiusque hospitalis pro exaltatione fidelium et depressione barbare nationis, procurando fratribus assignari, quod iidem in prosecutione suscepti certaminis triumphante Christo proficiant, et fideles illarum partium quondam infidelium afflicti molestiis in pacis gaudio conquiescant.

Dat. Spoleti, V Idus Septembris, anno octavo[2].

597.

Gregorius IX papa Wilhelmum comitem palatinum Tusciae, T. uxorem et filios eius cum omnibus bonis sub protectione sua suscipit. *1234, Sept. 27.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 208; Lib. VIII, 225.

---

a) regis *R.* b) placidum *R.*

1) *Liupoldus VI.* 2) *Papae curam domui Teutonicorum et terrae Prusciae impensam sex aliae litterae eodem die ad diversas personas directae manifestant; Potthast, Reg. 9697—9702.*

Nobili viro Willelmo Tuscie comiti palatino[1].

Studentes apostolice sedis gratiam obsequiorum gratitudine promereri favoris munere prosequi gratulamur, ut quo gratiores se haberi perspexerint, eo sint ad devotionis obsequiose frequentiam promptiores. Hinc est, quod cum tu pro reverentia Redemptoris sancte Romane ecclesie matris tue obsequiis desudando multos labores subieris et expensas, studiosus et nunc prompta mente perficere que grata possimus merito reputare, tuam, T. comitisse uxoris ac filiorum tuorum personas, in fidelitate ac devotione sedis apostolice persistentes, cum omnibus bonis tuis de fratrum nostrorum consilio sub protectione ac defensione nostra et apostolice sedis recipimus speciali. Tu vero constantis animi munimenta suscipiens, in ecclesie defensione, sicut laudabiliter incepisti, efficaciter perseveres, firmam spem et fiduciam habiturus, quod te a fluctibus adversantium obrui auxiliante Domino nullatenus permittemus. Nulli ergo etc. nostre protectionis et defensionis infringere. Si quis autem etc.

Dat. Perusii, V Kal. Octobris, anno octavo.

598.

Gregorius IX papa [Vitali] archiepiscopo Pisano mandat, ut potestatem, consilium et commune Senense ab iniuriis et molestiis Willelmi comitis palatini Tusciae, quem cum T. uxore et filiis suis sub protectione sua susceperit, desistere faciat. 1234, Sept. 27.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 208; Lib. VIII, 226.

. . archiepiscopo Pisano.

Cum dilectorum filiorum, nobilis viri Willelmi comitis Tuscie palatini, T. comitisse uxoris ac filiorum suorum personas, in fidelitate ac devotione sedis apostolice persistentes, sub protectione ac defensione nostra et apostolice sedis receperimus speciali, volentes a malignantium tueri calumpniis et adversantium nocumentis, firmiter tibi per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatinus potestatem[2], consilium et commune Senense ad hoc diligenter et efficaciter inducere non postponas, ut ab iniuriis et molestiis dicti comitis nec non ab exactionibus et innovationibus faciendis in comitatu eiusdem sublata dilatione desistant, sibi de dampnis et irrogatis iniuriis satisfactionem congruam impendendo. Alioquin, cum eiusdem comitis, ecclesie Romane vassalli, de quo conquerentibus parati sumus exhibere iustitie complementum, pati gravamina[a] equanimiter non possimus, dictos potestatem et consilium a premissis per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescas; proviso ne in universitatem Senensem excommunicationis vel interdicti sententiam proferatis[b] etc. usque: speciali. Ceterum eisdem potestati, consilio et communi ex parte nostra dicere viva voce procures, quod nisi comitem memoratum et terram suam molestare destiterint, contra eos fortius aggravare curabimus manus nostras.

Dat. ut supra.

In eundem modum scriptum est . . episcopo Viterbiensi usque: precipiendo mandamus, quatinus . . potestatem, consilium et commune Urbevetanum ad hoc diligenter et efficaciter etc. usque in finem.

a) parati gravamin. *R.* b) *ita R.*

1) *Cf. p. 479, not. 1.* 2) *Transmundum Anibaldum.*

599.

Gregorius IX papa [Conrado II] episcopo Hildeshemensi et de Valle sancti Georgii et Hersfeldensi abbatibus mandat, ut inquisitionem, quam de miraculis beatae recordationis Elisabeth lantgrariae Thuringiae per [Sigefridum III] archiepiscopum Moguntinum et bonae memoriae Conradum de Marburg fieri iusserit, infra quinque menses sibi mittant; si forte praefata inquisitio prae manibus non habeatur, ipsi eam faciant.

1231, Oct. 11.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 212; Lib. VIII, 244.
Potthast, Reg. 9721.

. . episcopo Ildesemensi et . . de Valle sancti Georgii[1] et . . Hervedensi[a] abbatibus Maguntine diocesis.

Matth. 5.15. Ne possimus argui, si lucernam dignam super candelabrum collocari detineri sub modio patiamur, presertim cum evidentibus inditiis de celo noscatur emittere multe radios claritatis, discretioni vestre per apostolica scripta in virtute obedientie precipiendo mandamus, quatinus inquisitionem, quam de miraculis beate recordationis Helysabeth langravie Turingie per venerabilem fratrem nostrum . . archiepiscopum Maguntinum et bone memorie magistrum Conradum de Marburch fieri mandavimus, nobis per solempnes nuntios, quorum committi meritis tanti excellentia negotii debeatur, ad nostram presentiam infra quinque menses post susceptionem presentium destinetis. Verum si prefata inquisitio forte pre manibus non habetur, vos, habentes pre oculis divine reverentiam maiestatis, testes eosdem, quos dicti archiepiscopus et magister super ipsius E. miraculis receperunt, aut alios si habere poteritis fide dignos, advocatis ad hoc viris prudentibus et in iure peritis, examinantes qua convenit sollicitudine diligenti, dicta eorum et seriem testimonii de verbo ad verbum in scriptis fideliter redigi faciatis, que ut instruamur de dono gratie, quam circa gratitudinis filiam videtur virtutum dominus effudisse, sub vestris ac prelatorum nec non religiosorum virorum sigillis infra dictorum mensium spatium omni occasione postposita nobis mittere procuretis. Quod si non omnes etc. tu, frater episcope, cum eorum altero etc.

Dat. Perusii, V Idus Octobris, pontificatus nostri anno octavo.

600.

Gregorius IX papa [Engelhardo] episcopo Nuemburgensi, praeposito Cicensi et I. Cemecae scholastico Halberstadensi committit inquisitionem controversiae inter [Ottonem] ducem Bavariae et [Sigefridum III] archiepiscopum Moguntinum de monasterio Laurissensi exortae.

1231, Oct. 17.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 213; Lib. VIII, 248.
Potthast, Reg. 9732.

. . episcopo Nuemburgensi, . . preposito Cicensi Nuemburgensis diocesis et magistro I. Cemece scolastico Alberstadensi.

Nobili viro . . duce Bavarie accepimus intimante, quod cum monasterium Laurisense, in quo ius patronatus et advocationis asserit se habere, dudum fuerit in spiri-

[a]) *leg.* Herveldensi.

1) *E meridie oppidi Gotha.*

tualibus floridum et in temporalibus copiosum, venerabilis frater noster . . archiepiscopus Maguntinus, loci diocesanus, suggesto nobis quod per malitiam habitantium in eodem ad tantam iam inopiam devenisset, quod et vix ibidem sustentatio pro aliquibus habebatur et non nisi per monachos Cisterciensis ordinis poterat reformari, per litteras nostras sibi demandari obtinuit, ut eiectis monachis existentibus in eodem, ibidem induceret monachos ordinis supradicti: contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Ipse quidem auctoritate huiusmodi litterarum licitum sibi constituens, quod dicto monasterio perditionis potius discrimen adiceret quam reformationis studium adhiberet, idemque sollicitus que sunt sua querere et que I. Cor. 10,24.
Domini preterire, ipsius monasterii abbate ac monachis inde violenter eiectis, deputatis quoque usibus suis quodam castro et quibusdam eiusdem possessionibus spatiosis, non nisi quatuor monachos dicti ordinis instituit in eodem. Dictus vero nobilis cum desolationi monasterii sepefati, prout sua intererat, contradicens, propter hoc ad nostram audientiam appellasset, prefatus archiepiscopus eius appellatione contempta in ipsum excommunicationis et in terram eiusdem interdicti sententias promulgavit. Quare petiit sibi et eidem monasterio super hoc apostolice sedis providentia subveniri. Ideoque districte vobis per apostolica scripta mandamus, quatinus, si est ita, dictis excommunicationis et interdicti sententiis iuxta formam ecclesie relaxatis, ad locum personaliter accedentes, inquisita de premissis diligentius veritate, que inveneritis per vestras nobis litteras fideliter intimetis; non obstantibus litteris super hoc ad Ildesemensem[a] et suos coniudices impetratis. Testes autem etc. Quod si non omnes —, duo vestrum etc.

Dat. Perusii, XVI Kal. Novembris, pontificatus nostri anno octavo.

601.

Gregorius IX papa crucesignatos contra haereticos Sclavoniae in partibus Ungariae constitutos cum omnibus bonis sub protectione sua suscipit.

1234, Oct. 17.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 213; Lib. VIII, 251.
Potthast, Reg. 9733.

Crucesignatis contra hereticos Sclavonie in partibus Ungarie constitutis.

Sacrosancta Romana ecclesia etc. usque: confovere. Cum igitur zelo fidei ac devotionis accensi signo vivifice crucis assumpto proposueritis in Sclavoniam contra hereticorum perfidiam proficisci, nos vestris iustis precibus inclinati personas vestras cum omnibus bonis, que impresentiarum rationabiliter possidetis, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, statuentes ut postquam arripueritis iter peregrinationis huiusmodi, ea omnia, donec de vestro redditu vel obitu certissime cognoscatur, integra maneant et quieta. Nulli ergo etc. nostre protectionis et constitutionis infringere. Si quis autem etc.

Dat. Perusii, XVI Kal. Novem. pontificatus nostri anno octavo.

a) *an* episcopum *addendum?*

602.

Gregorius IX papa [Sigefrido III] archiepiscopo Moguntino mandat, ut ad subventionem ecclesiae proximo futuro Martio aut cum decenti militia ipse veniat aut, si venire nequiverit, eam mittat. Cf. n. 607.

1234, Oct. 24.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 218; Lib. VIII, 273.
Potthast, Reg. 9747.

. . archiepiscopo Maguntino.

Cuncta sapienter ab initio disponens sapientia Dei Patris sacrosante matri ecclesie sponse sue providit certa remedia, per que ipso favente a necessitatum incursibus reddatur feliciter expedita. Hinc est, quod cum ipsa multis excitetur Terre Sancte clamoribus, ut eius miserando statui succursum celerem studeat impertiri, cui prestandi subsidium oportunitas tollitur, quin prius in dissidii constituti discrimine, quorum pressa molestiis cogitur ecclesia suspiriis inundare, in pacis federa reformentur, nos de te merito presumentes, ut qui[a] dispositione divina es de maioribus eiusdem membris ecclesie, sibi letanter debeas in necessitatis articulo subvenire, fraternitati tue per apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus, quatinus prudenter advertens quod id filiis debeat inesse potissimum, ut mater eorum intenta profectibus vigoris et potentie obtineat fulcimentum, et quod membris roboris munimen adigitur si firma dispositio capitis habeatur, memor etiam iuramenti, quod pro tuendis regalibus et patrimonio beati Petri sedi apostolice prestitisti, ad subventionem ecclesie, pro cuius libertate tuenda carissimus in Christo filius noster Fridericus, Romanorum imperator semper augustus, Ierusalem et Sicilie rex illustris, paratus est magnifice prosequi, per quod tam ecclesie quam imperii iura favente Domino valeant optineri, apparatu strenuo te studeas communire, ita quod ecclesia[b] proximo futuro Martio te personaliter decenti militia, que in expensis tuis per tres menses preter tempus quo venient et recedent ad eiusdem morétur obsequia, comitatum vel saltem iamdictam militiam, si venire nequiveris, cum exultatione recipiat, ac tuis et aliorum expedita subsidiis ad Redemptoris gloriam in pacis gaudio reflorescat; mandatum nostrum taliter impleturus, quod tuis et ecclesie tue comodis, cum oportunum fuerit, favorabiliter intendamus[1].

Dat. Perusii, IX Kal. Novembris, pontificatus nostri anno octavo.

In eundem modum . . episcopo Bambergensi[2] ut supra per omnia.

603.

Gregorius IX papa rectoribus societatis Lombardiae nuntiat, Fridericum Romanorum imperatorem totum negotium, quod inter ipsum et Lombardos vertatur, ordinationi ecclesiae commisisse, unde iis mandat, ut si idem facere velint, patentes litteras, quarum tenor sit

a) qui *deest in R.* b) pro ecclesia *R.*

1) *Eius auxilium quaerit contra rebelles Romanos.* 2) *Egberto.*

transscripto litterarum imperialium consimilis, infra mensem per I. capellanum sibi transmittant. — Sequitur forma litterarum, quas Lombardi papae mittere debent.

1234, Oct. 27.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 224—225; Lib. VIII, 292 et 293. Tenorem epistolae II edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1234. § 35.

Potthast, Reg. 9753 et LL. t. II, p. 303.

I.

Rectoribus societatis Lombardie.

Grande desiderium, quod de pace et tranquillitate Lombardorum dudum habuimus, materiam nobis optulit, ut pro tractanda inter ipsos et carissimum in Christo filium nostrum Fridericum, Romanorum imperatorem semper augustum, Ierusalem et Sicilie regem illustrem, concordia salutari pluries vobis litteras [1] mitteremus, in quarum ultimis scripsisse recolimus, quod cum idem imperator negotium Lombardie, marchie Tervisine et Romaniole provisioni, compositioni et ordinationi ecclesie commisisset, probos et honestos viros, qui pro parte societatis Lombardie ad componendum cum imperatore predicto de pace et concordia coram nobis sufficiens mandatum haberent, ad nostram presentiam mitteretis. Verum cum vos tamquam devotionis filii id laudabiliter duxeritis adimplendum et commissa relatui nuntiorum diligenter ab ipsis exposita fuerint coram nobis, inter que, si prefatus imperator tam de querelis, quas Lombardi adversus ipsum se habere proponunt, quam de suis se vellet in manibus ecclesie ponere, precipue [a] querebatur, tandem eisdem nuntiis, sicut Domino placuit, viam universe carnis ingressis, de voluntate imperatoris eiusdem super questione huiusmodi procuravimus edoceri [2]. Ipse quidem sicut princeps catholicus et avidus efficere, per que status ecclesie ac imperii possit in pacis gaudio reflorere, negotium, quod inter ipsum et Lombardos tam super regalium et suorum detentione iurium nec non preteritis excessibus, qui a Lombardis quocumque modo contra ipsum et imperium sunt commissi, quam quicquid per eundem in lesionem et iniuriam Lombardorum factum esse dinoscitur, sive generaliter omnia, ex quibus vel propter que aliqua discordia inter ipsos et eundem hactenus est exorta, consilio, provisioni, compositioni et laudationi ecclesie per patentes litteras bulla aurea communitas precise commisit, ratum habiturus et firmum, quod super hiis ecclesia duxerit ordinandum, aut etiam quod de dandis utrimque cautionibus providebit, sicut ex earum transcripto intercluso presentibus plene poteritis informari. Ad hec enim cum Lombardie provincia, que dudum in discensionis fuit turbine constituta, unde plus noscitur accidisse discriminis quam exponi valeat levibus documentis, sit per ecclesiam in statum pacis et concordie hiis diebus potissime reformanda, presertim cum multis excitemur Terre Sancte clamoribus, ut eius miserando statui studeamus succursum celerem impertiri, de quo, ut tanto possit procurari facilius, quanto terrarum orbis fuerit a guerrarum et discordie fluctibus expeditus, providendum duximus, quod ubique Christiane fidei professores in statum pacis et concordie reducantur, ad hoc si necesse fuerit per censuram ecclesiasticam compellendi: discretioni vestre per apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus, quatinus provida meditatione pensantes, quantum sit condecens et salubre, ut et imperatoris memorati dextera, quem Dei sapientia providit ecclesie defensorem,

[a]) et precipue *R.*

1) *Cf. n. 581, 583 et 587.* 2) *a. 1234, Sept. imperator discordiam inter ipsum et Lombardos iterum ordinationi ecclesiae commisit, epistolam n. 580, April. datam, innovans; Bohmer-Ficker, Reg. Frid. II, n. 2058*

victrici fortitudine contra depressores libertatis ecclesiastice roboretur, et quod prefata terra tanto plus egeat Lombardie iuvari subsidio, quanto ipsa rebus fecunda cernitur et robustorum plurium munita multitudine comprobatur, ad amorem pacis et concordie corda Lombardorum societatis predicte propensius inducatis, pro firmo tenentes quod cum eosdem Lombardos ita filios reputemus ecclesie speciales, quod pati aliquomodo non velimus ut a quoquam ipsis aliqua inferatur iniuria vel iactura, diligentiam efficacem habebimus, quod eis apud sepedictum imperatorem et dilectum filium nobilem virum Henricum natum eius et principes Theutonie securitatis plenitudinem auctore Domino procuremus. Pro hiis autem diligentius et expeditius exequendis dilectum filium I. capellanum nostrum, nobis et fratribus nostris acceptum evidentis merito probitatis, ad vos duximus destinandum, quem, vel nos in ipso potius, honorifice pertractantes, sibi diligenter intendere ac super hiis, que vobis ex parte nostra retulerit, fidem curetis plenariam adhibere, curam dantes et operam ut, si prefati Lombardi se super premissis omnibus in manibus ecclesie ponere precise voluerint, sicut se dictus posuit imperator, super hoc nobis per patentes litteras vestrorum et civitatum societatis eiusdem sigillorum appensione munitas, quarum tenor sit transcripto memorato consimilis, nobis infra unius mensis spatium post susceptionem presentium declaretis, nobis per capellanum eundem iamdictas Lombardorum litteras transmissuri.

Dat. Perusii, VI Kal. Novemb. pontificatus nostri anno octavo.

II.

Littere societatis Lombardie, qualiter ponunt se in voluntate domini pape[1].

Notum sit omnibus presentes litteras inspecturis, quod nos, rectores, potestates et consilia civitatum societatis Lombardie, ex debito, quo tenemur tamquam filii devotionis efficere, que ad honorem sancte Romane ecclesie matris nostre possint merito redundare, iuxta consilium et submonitionem ipsius omnes querelas, quas habemus adversus serenissimum principem dominum Fredericum, imperatorem semper augustum, Ierusalem et Sicilie regem illustrem, consilio, provisioni, compositioni et laudationi domini Gregorii Dei gratia summi pontificis et eiusdem ecclesie pro reformatione pacis et statu Lombardie committimus. Si quid etiam per nos in lesionem vel iniuriam imperatoris eiusdem factum est, totum provisioni et arbitrio predicte ecclesie libere duximus committendum; nichilominus generaliter omnia, ex quibus vel propter que inter nos et imperatorem eundem aliqua discordia hactenus est exorta, in voluntate et ordinatione apostolica firmiter exponentes, quod quidquid ex hoc consuluerit vel laudaverit, ratum et firmum tenere volumus et habere. Modum etiam cautionum et formam, si que necessarie videbuntur prestande nobis ab eo vel ipsi per nos pro eorum observatione, que inter nos et prefatum imperatorem ecclesia duxerit statuenda de omnibus supradictis, similiter in totum committimus provisioni et arbitrio prefati summi pontificis patris nostri, ita ut nos cautionibus, quas proinde providerit esse prestandas, debeamus pro parte nostra esse contenti, ut tamen et ipse nobis pro

---

1) *Recte, ut credimus, Huillard-Bréholles, l. c. t. IV, p. 493, monet, has litteras non esse a Lombardis ad papam directas, sed formam, quam papa iisdem transmiserit. Nam ante Oct. 27 scriptae esse non possunt, cum papa hoc die sicut iam Iul. 3 [n. 587] Lombardos hortetur, ut et ipsi se in manibus ecclesiae ponant; eas autem Nov. vel Dec. curiae missas esse propter ordinem Regestorum minus verisimile est. Ad haec iam Dec. 17 foedus inter Lombardos et Henricum regem contra imperatorem factum est. Cf. Winkelmann, Friedr. II, t. II, p. 4, not. 6.*

parte societatis nostre eas prestare debeat cautiones, quas nobis ecclesia viderit esse efficaces. Ad cuius rei memoriam et stabilem firmitatem presens scriptum fieri et sigillorum nostrorum fecimus appensione muniri.

604.

Gregorius IX papa archipresbytero Paduano et A. Tervisino canonico mandat, ut [Aldricum] episcopum Tridentinum a molestatione Egnonis dicti comitis de Eppiano canonici Tridentini desistere faciant. *1234, Nov. 3.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 226; Lib. VIII, 295.

.. archipresbytero Paduano et A. Tervisino canonico.

Gravem dilecti filii Hegnonis dicti comitis de Eppiano[1] subdiaconi nostri canonici Tridentini querelam[a] recepimus, continentem quod venerabilis frater noster .. episcopus Tridentinus hominibus civitatis et districtus Tridentini, ne aliquis ipsorum auderet iuxta antiquam consuetudinem in argentifodinis eiusdem canonici laborare et mercimonia rerum venalium cum hominibus ipsius canonici et eius terram habitantibus contrahere, in grave ipsius subdiaconi preiudicium interdixit et fecit publice sub certa pena voce preconia interdici, homines eosdem a communi foro et hactenus consueto in eius iacturam maximam penitus excludendo, et alias irrogando sibi dampna et iniurias pro sue libito voluntatis. Ideoque districte vobis per apostolica scripta mandamus, quatinus, si est ita, loco tuto partibus assignato, eundem episcopum, quod dicto subdiacono de dampnis et iniuriis illatis satisfaciat, ut tenetur, et ab eius super premissis indebita molestatione desistat, modo predicto auctoritate nostra previa ratione cogatis. Quod si non omnes etc.

Dat. Perusii, III Non. Novemb. pontificatus nostri anno octavo.

605.

Gregorius IX papa universos Christi fideles per regnum Franciae constitutos ad subsidium Terrae Sanctae evocat, magnas indulgentias promittens et alia, quibus negotium illud expediatur, statuens. *1234, Nov. 17.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 230; Lib. VIII, 315. Huius epistolae Pertzius nihil descripsit nisi inscriptionem et notam chronologicam, significans eius tenorem apud Matthaeum Paris. inveniri. Apud hunc epistola, ad Christi fideles per regnum Angliae constitutos directa et II Non. Sept. anno VIII data, sub duplici forma legitur: 1) Matth. Par. Chron. maiora ed. Luard, t. III, p. 309—312, 2) ibidem p. 280—287. Forma 1 cum aliis rebus ex Rogeri de Wendower Floribus historiarum deprompta ultima parte destituta est, 2 integra quidem sed nonnullis locis, ut facile vides, adornata vel aliter mutata est. Rogeri lectiones praeferendas esse testatur etiam formula in Baumgartenb. Formelbuch, Fontes rer. Austr. 2. Ablh. t. XXV, p. 166, quae licet textum mutilum habeat, tamen, cum ex authentico manaverit, pretio non caret. Propterea, ut textum authentico quam proximum demus, in prima parte Rogerum [Rog.] secuti sumus, ultimam partem ex Matth. Par. [M.] adiungentes. Particulam huius epistolae, quam ex Reg. sumptam Raynaldus Annalibus suis a. 1234, § 30 inseruit, ex eius editione proponimus.
Potthast. Reg. 9765; cf. 9525.

[a]) querela *R.*

1) *Comitatus ex septentrione oppidi Tridentini situs est.*

Universis domini nostri Iesu Christi fidelibus per regnum Francie constitutis, ad quos littere iste pervenerint.

Rachel suum[a] videns in vere fidei cognitione principium, accrescentium in salutem et filiorum dextere pia mater, sancta Romana ecclesia, cuius magna est quasi mare de
Thren. 2,13. sue prolis internecione contritio, vocem lamentationis, fletus et luctus emisit hactenus et emittit, quam audiri cupimus in excelso, ut per diem et noctem fidelium oculi doloris lacrimam deducentes non taceant, et donec misereatur Dominus, non quiescant. Lamentatur autem, quia domus celestis panis, mons Syon, unde lex exiit, civitas regis magni, de qua dicta sunt[b] multa gloriosa, terra, quam Dei filius fuso pro nobis suo sanguine consecravit, regni robur et pulchritudinem perdidit[c]. Flet, quia quondam libera sub impie[d] tyrannidis iugo servit[e]. Luget, quia ubi pacem multitudo militie celestis cecinit, ibi pressura gentis immundissime scandala[f], simultates et scismata suscitavit, ac innovans exordia preliorum misit ad desiderabilia manum suam, sacerdotii[g] et sacrorum ordinum pias leges et ipsius nature iura relegans a templo Domini,
Thren. 1,7. diversis[h] ibi spurcitiis et abominationibus introductis. Et ideo Ierusalem in suis derisa sabbatis obsorduit quasi polluta menstruis inter hostes[i]. Nam licet dudum carissimo in Christo filio nostro Fretherico, Romanorum imperatori semper augusto, Ierusalem et Sicilie regi illustri, civitas eadem preter templum Domini fuerit restituta, tamen quia Deus omnipotens tunc magnificentius agere cum populo Christiano[k] non adiecit, imperator predictus treugas iniit cum soldano, quarum terminus adeo est vicinus, quod tempus medium preparationi vix sufficere creditur, nisi ad queque necessaria per promptitudinem, spem et fervorem fidei festinetur. Ad eius ergo succursum nullum tedeat peregrinari et pro patria certare cum spe victorie, pro corona, mori pro vita, pro illo sustinere ad tempus[l] dura et tristia, qui confusione contempta, sputo conspersus, colaphis[m] cesus, flagellis afflictus, spinis coronatus, coram Pilato sisti tanquam multorum criminum reus pertulit, ad ultimum crucifixus et felle potatus, lancea perforatus, emittens cum clamore valido spiritum pro conditionis humane viribus reparandis, cursum presentis vite saturatus iniuriis consummavit. Hic est autem, ut altius repetamus, qui de paterne[n] solio glorie celis mirabiliter inclinatis ad nostre mortalitatis ima descendens, non dedignatus est Deus homo[o], creator creatura fieri, sucipere dominus formam servi, ut qui non poteramus per nostram iustitiam sperare veniam, consecuti per hec gratiam inauditam, heredes Dei, coheredes autem Christi, divinitatis consortium, felicitatis eterne participium sortiremur. Et licet[p] per gratiam adoptati quotidie causas ingratitudinis cumulemus, ipse tamen abundat in divitiis bonitatis, dum propter diversitatem voluntatum, virium, facultatum[q], delinquentibus diversa pro tempore satisfaciendi genera contulit, varia medendi languentibus remedia suscitavit, dum terram, in qua nasci, mori et resurgere voluit, tandiu ad exercitationem fidelium ab
Es. 59,1. infidelibus detineri permittit, cum non sit abbreviata manus Domini nec virtus eius in aliquo diminuta, quin eam, sicut fecit cuncta de nichilo, liberare valeat in momento. Sed illas compassionis et dilectionis causas[r] exquirit ab homine, quibus ad omnis consummationis finem legisque plenitudinem ostendendam ipse prior homini perdito

a) *ita in Reg. secundum Pertzium et ap. M.;* suum *omisit Reg.* b) *pro* sunt *ap. M.* et scripta. c) robur perdidit et fortitudinem *M.* d) impio *M.* e) *pro* servit *ap. M.* cogitur ancillare. f) *pro* scandala *ap. M.* scandalorum spurcitie abhominabiles. g) sacerdotii *deest ap. M.* h) *ap. M. sequitur:* ibidem spurcitiis detestabilibus et ignominiosis vitiis introductis, turpiter in suo stercore computrescit. i) suos inter inimicos *M.* k) populo suo Christiano *M.* l) ad tempus *deest ap. M.* m) cesus alapis *M.* n) paterno *M.* o) Deus et homo *M.* p) licet — in oblatis voluntatem *ex Rayn.* q) facultatem *Reg. et M.* r) gratias *Reg. et M.*

et dampnato voluit miseratus adesse, qui nullatenus permisisset manus impias contra pios usque adeo roborari, nisi et suam vindicari de nostra confusione providisset iniuriam et servari nostram de sua victoria disciplinam. Sub hac occasione delicati[a] plurimi satisfacere pro modo criminum aliter non valentes, velut in profundo malorum penitus desperassent, nisi occurrisset eis hec tabula, nisi per hoc compendium suis positis pro Christo animabus consummati breviter multorum temporum spatia complevissent. Multi etiam invenire locum ubi steterunt pedes Domini cupientes, prius ad bravium sine cursu vel post ad coronam sine gladio pervenerunt, illo suum remunerante militem, qui solam considerat in oblatis[b] voluntatem[c]. Ut autem propter premissa fideles efficaciter et potenter expurgentur, nos de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum auctoritate confisi, ex illa quam nobis licet indignis Deus ligandi atque solvendi contulit potestatem, omnibus qui laborem istum in propriis personis subierint et in expensis, plenam suorum peccaminum, de quibus veraciter fuerint corde contriti et ore confessi, veniam indulgemus et in retributione iustorum salutis eterne pollicemur augmentum. Eis autem qui non personis propriis illuc accesserint, sed in suis duntaxat expensis iuxta facultatem et quantitatem suam viros idoneos destinaverint, et illis similiter qui licet in alienis expensis in propriis tamen personis accesserint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Huius quoque remissionis volumus et concedimus esse participes iuxta quantitatem subsidii et devotionis affectum omnes, qui ad subventionem ipsius terre de bonis suis congrue ministrabunt. Personas quoque ipsorum et bona, ex quo crucem susceperunt, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, necnon et eadem sub archiepiscoporum, episcoporum et omnium prelatorum ecclesie Dei defensione consistant, statuentes ut donec de ipsorum obitu vel reditu certissime cognoscatur, integra maneant et secura consistant. Porro ecclesiarum prelati, qui in exhibenda iustitia crucesignatis et eorum familiis negligentes extiterint, sciant se graviter puniendos. Quod si quisquam contrarie presumpserit, per ecclesiarum prelatos appellatione postposita censura ecclesiastica compescatur. Si qui vero proficiscentium illuc ad prestandas usuras iuramento tenentur astricti, creditores eorum per ecclesiarum prelatos, ut remittant iis prestitum iuramentum et ab usurarum exactione desistant, eadem precipimus districtione compelli. Quod si quisquam creditorum eos ad solutionem coegerit usurarum, eum ad restitutionem earum simili cogi animadversione mandamus. Iudeos vero ad remittendas ipsis usuras per secularem compelli precipimus potestatem. Et donec illis remiserint, ab universis Christi fidelibus tam in mercimoniis quam in aliis per excommunicationis sententiam eis omnino communio denegetur. Hiis vero, qui Iudeis debita solvere nequeunt in presenti, sic principes seculares utili dilatione provideant, quod post iter arreptum, usquequo de ipsorum obitu vel reditu certissime cognoscatur, usurarum non incurrant incommoda, compulsis Iudeis proventus pignorum, quos interim perceperunt, in sortem, expensis necessariis deductis, computare, cum huiusmodi beneficium non multum videatur habere dispendii, quia solutionem sic prorogat, quod debita non absorbet. Ut autem Terre Sancte subsidium divisum in plurimos facilius impendatur, obsecramus omnes et singulos per Patrem et Filium et Spiritum sanctum, unum solum verum eternum Deum, postulantes vice Christi, pro Christo, ab archiepiscopis et episcopis, abbatibus et prioribus, et tam cathedralium quam aliarum conventualium ecclesiarum capitulis et clericis universis, necnon civitatibus, villis et oppidis competentem numerum bellatorum cum expensis necessariis

---

a) *ita etiam in prima recensione Matth., ap. Luard cod. B.; in altera, cod. C., et ap. Rog.:* delicti. b) oblatione *Rog. et M.* c) *reliqua ex M., nam quae adhuc ap. Rog. sequuntur, ex sermone uberiore contracta sunt.*

secundum proprias facultates in succursum Terre Sancte alacriter destinare. Et si ad hoc unum quodlibet non sufficiat, plura coniungantur in unum, quia pro certo speramus, quod persone non deerunt, si expense non defuerint; postulantes hoc ipsum a regibus et principibus, comitibus et baronibus, aliisque magnatibus, qui forsitan per se ipsos personaliter non accesserint ad obsequium Crucifixi. A civitatibus vero marinis navale subsidium postulamus. Clericis vero ad hoc negotium necessariis providimus indulgendum, ut omni contradictione cessante beneficiorum suorum proventus propter hoc valeant usque ad triennium pignori obligare, ita tamen, quod illi, quibus committendos duxerint vel etiam obligandos, infra prescriptum tempus cum ea integritate proventus percipiant antedictos, cum qua ipsi eos perciperent[a], si in ecclesiis, in quibus ipsos optinent, personaliter residerent. Quia vero subsidium Terre Sancte multum impediri vel retardari contingeret, si ante susceptionem crucis quemlibet examinare oporteret, an esset idoneus et sufficiens ad huiusmodi votum personaliter prosequendum, concedimus, ut, regularibus personis exceptis, suscipiant quicunque voluerint signum crucis, ita quod si urgens necessitas aut evidens utilitas postulaverit, votum ipsum de mandato apostolico possit commutari aut redimi aut differri. Universis autem ecclesiarum prelatis districte precipimus, ut singuli per loca sua illos, qui signum crucis deposuerunt, resumere ac tam ipsos quam alios crucesignatos, et quos adhuc signari contigerit, ad reddendum Domino vota sua diligenter moneant et inducant. Ceterum, quia cursarii et pyrate nimis impediunt subsidium Terre Sancte, capiendo et spoliando transeuntes ad illam et ab illa revertentes, nos eos et principales adiutores et fautores excommunicationis vinculo innodamus, sub interminatione anathematis inhibentes ne quis cum eis scienter communicet in aliquo venditionis vel emptionis contractu, iniungentes rectoribus civitatum et locorum suorum, ut eos ab hac iniquitate revocent et compescant. Alioquin, quia nolle perturbare perversos nichil aliud est quam fovere, nec caret scrupulo societatis occulte, qui manifesto facinori desinit[b] obviare, nos in personas et terras eorum severitatem ecclesiasticam curavimus exercere, cum tales non minus quam Sarraceni adversentur nomini Christiano. Innovamus preterea excommunicationis sententiam in Laterano concilio promulgatam adversus eos, qui Sarracenis arma, ferrum et lignamina deferunt galearum, quique in piraticis Sarracenorum navibus curam gubernationis exercent vel in machinis vel quibuslibet aliis aliquod eis impendunt consilium vel auxilium in Terre Sancte dispendium, eosque rerum suarum privatione multari et capientium servos, si capti fuerint, fore censemus; precipientes ut per omnes urbes marinas diebus dominicis et festivis huiusmodi sententia publice innovetur. Et talibus gremium non aperiatur ecclesie, nisi totum quod de commercio tam damnabili perceperint, in subsidium Terre Sancte transmittant, ut equo iudicio in quo deliquerint puniantur. Quod si forte solvendo satisfacientes non fuerint, sic alias reatus talium castigetur, quod in pena ipsorum aliis interdicatur audacia similia[c] presumendi. Quia vero ad hoc negotium exequendum est permaxime necessarium, ut principes et populi Christiani ad invicem pacem observent, iuxta quod statutum est in concilio generali, volumus et mandamus, ut saltem per quadriennium in toto orbe Christiano pax generaliter observetur, ita quod per ecclesiarum prelatos discordantes reducantur ad plenam pacem aut firmam treugam inviolabiliter observandam. Et qui adquiescere forte contempserint[d], per excommunicationem in personas et interdictum in terras arctissime compellantur, nisi tanta fuerit iniuriatorum malitia, quod non debeant pace gaudere. Quod si forte censuram ecclesiasticam vilipenderint, poterunt non immerito formidare, ne per auctoritatem ecclesie contra eos tanquam perturbatores negotii Crucifixi secularis potentia inducatur. Accingantur igitur omnes

a) perceperunt M. b) desit M. c) similium M. d) contempserit M.

filii adoptionis divine ad obsequium Iesu Christi, dissensiones et[a] lites in pacis et dilectionis federa commutantes, credendo firmiter quod si vere confessi fuerint et compuncti, felici commercio laboribus suis, qui cito transeunt, eternam requiem mercabuntur.

Dat. Perusii, XV Kal. Decemb. pontificatus nostri anno octavo.

In eundem modum per diversas provincias.

In eundem fere modum archiepiscopis et eorum suffraganeis per universas provincias, ut inducant subditos suos, quod accipiant signum crucis.

606.

Gregorius IX papa decano et scholastico Treverensi mandat, ut quae in generalibus litteris contineantur, Christi fidelibus exponant eosque ad succursum Terrae Sanctae inducant; porro iis praecipit, ne quid praeter victum et alia necessaria recipiant.

1234, Nov. 22.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 230—231; Lib. VIII, 316.
Potthast, Reg. 9769.

. . decano et . . scolastico Treverensi.

Pium et sanctum propositum, quod de subventione Terre Sancte pro communi salute Deo inspirante concepimus et producere satagimus ad effectum, ex generalibus litteris[1] poteritis advertere manifeste. Cum ergo de sinceritate ac sollicitudine vestra geramus fiduciam pleniorem vosque reputemus idoneos ad fungendum pro Christo legationis officio in hac causa, devotionem vestram rogamus, monemus et obsecramus in Domino, per apostolica vobis scripta districte precipiendo mandantes et in remissionem peccaminum iniungentes, quatinus accensi zelo fidei Christiane portetis[b] in humilitate cordis et corporis verbum crucis et ad vindicandam iniuriam Crucifixi fideles ipsius, prout in generalibus litteris continetur, cura sollicita et accurata sollicitudine inducatis, exponentes diligenter et efficaciter universa, que ad subventionem Terre Sancte in eisdem litteris videbitis comprehensa, que a vobis volumus studiose notari. Ut autem operum exhibitione monstretis vos portare in cordibus vestris stigmata Iesu Christi, districte precipimus, quatinus excucientes ab omni munere manus vestras nec aliquid preter victum et alia necessaria recipientes a quoquam, quin etiam moderate sumentes hec eadem et modeste, in evectionibus quaternarium, in personis senarium numerum singuli vestrum nullatenus excedatis, ita modum atque modestiam in hiis aliisque servantes, ut in vobis nichil reprehensibile valeat inveniri, per quod offendiculum credito vobis evangelio prebeatur; promoventes eo studio ac evigilantia causam Christi, ut multorum et magnorum bonorum[c], que de ipsa credimus proventura, participes existatis. Si quid autem pro Terre Sancte succursu fuerit vobis oblatum, faciatis illud apud aliquem religiosum locum studiose reponi, significaturi nobis in fine anni processum et profectum sollicitudinis vestre, ut cognoscere valeamus apud quos profeceritis in personis aut rebus ad hoc salutare negotium deputatis, nostrumque vobis beneplacitum rescribamus, docentes qualiter in antea procedere debeatis.

Dat. Perusii, X Kal. Decem. pontificatus nostri anno octavo.

---

a) et *deest ap. M.* b) *ita correxit Pertzius:* porrectis *R.* c) laborum *R.*

1) *n. 605.*

In eundem modum aliis probis viris predicatoribus per Maguntinam, aliis per Coloniensem, aliis per Salzeburgensem et alias provincias Alamannie.

In eundem modum aliis per Rothomagensem, aliis per Senonensem, aliis per Trecensem et aliis diversis per alias universas provincias Francie. Item aliis per Lombardiam et alias provincias.

607.

Gregorius IX papa [Eberhardo II] archiepiscopo Salisburgensi mandat, ut ad subventionem ecclesiae proximo futuro Martio aut cum decenti militia ipse veniat aut, si venire nequiverit, eam mittat. — In eundem modum multis aliis principibus ecclesiasticis Alamanniae. *1234, Nov. 25.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 234; Lib. VIII, 330.
Potthast, Reg. 9773.

. . archiepiscopo Salzburgensi.

Cuncta sapienter ab initio disponens sapientia Dei Patris sacrosancte matri ecclesie sponse sue providit certa remedia, per que ipso favente a necessitatum incursibus reddatur feliciter expedita. Hinc est, quod cum ipsa multis excitetur Terre Sancte clamoribus, ut eius miserando statui succursum celerem studeat impertiri, cui prestandi subsidium oportunitas tollitur, quin prius in dissidii discrimine constituti, quorum pressa molestiis cogitur ecclesia suspiriis inundare, in pacis federa reformentur, nos de te merito presumentes, ut qui dispositione divina es de maioribus eiusdem membris ecclesie, sibi letanter debeas in necessitatis articulo subvenire, fraternitati tue per apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus, quatinus prudenter advertens quod id filiis debeat inesse potissimum, ut mater eorum intenta profectibus vigoris et potentie obtineat fulcimentum, et quod membris roboris munimen addicitur, si firma dispositio capitis habeatur, ad subventionem ecclesie, pro cuius libertate tuenda karissimus in Christo filius noster Fridericus, Romanorum imperator semper augustus, Ierusalem et Sicilie rex illustris, paratus est magnifice prosequi, per quod tam ecclesie quam imperii iura favente Domino valeant obtineri, apparatu strenuo te studeas communire, ita quod ecclesia proximo futuro Martio te personaliter decenti militia comitatum, que in expensis tuis per tres menses preter tempus quo veniet et recedet ad eiusdem obsequia commoretur, vel saltem iam dictam militiam, si venire nequiveris, cum exultatione recipiat, ac tuis et aliorum expedita subsidiis ad Redemptoris gloriam in pacis gaudio reflorescat; mandatum nostrum taliter impleturus, quod tuis et ecclesie tue comodis, cum oportunum fuerit, favorabiliter intendamus.

Dat. Perusii, VII Kal. Decemb. pontificatus nostri anno octavo.

In eundem modum patriarche Aquilegensi [1].

In eundem modum episcopo Babembergensi [2].

In eundem modum episcopo Frisingensi [3].

1) *Bertholdo.* 2) *Egberto. Cum huic eiusdem tenoris epistola iam Oct. 24 directa sit [602], credi vix potest, ei Nov. 25 ad verbum idem scriptum esse, sed errore aliquo eius nomen hic iterum enumerari probabile est; cf. p. 317, not. 2. Ex quo suspicari possis non omnes has epistolas Nov. 25 datas esse, praesertim cum ordinem aliquantum confusum animadvertas. Iam supra sub n. 531 epistolam legimus, quae in eundem modum scripta asseritur, cuius nota chronologica a priori differens annotata non est.* 3) *Conrado.*

In eundem modum episcopo Herbipolensi[1].
In eundem modum episcopo Argentinensi[2].
In eundem modum episcopo Spirensi[3].
In eundem modum episcopo Metensi[4].
In eundem modum episcopo Mersburgensi[5].
In eundem modum episcopo Constantiensi[6].
In eundem modum episcopo Monasteriensi[7].
In eundem modum episcopo Prixinensi[8].
In eundem modum episcopo Tridentino[9].
In eundem modum abbati Hersfeldensi[10].
In eundem modum abbati Sancti Galli[11].
In eundem modum abbati Elwacensi[12].
In eundem modum abbati Augiensi[13].
In eundem modum archiepiscopo Maguntino[14].
In eundem modum episcopo Pataviensi[15].
In eundem modum episcopo Olomucensi[16].
In eundem modum episcopo Pragensi[17].
In eundem modum episcopo Nuemburgensi[18].
In eundem modum episcopo Basiliensi[19].
In eundem modum archiepiscopo Treverensi[20].
In eundem modum episcopo Leodiensi[21].
In eundem modum episcopo Cameracensi[22].
In eundem modum electo Traiectensi[23].
In eundem modum episcopo Parburnensi[24].
In eundem modum episcopo Osemburgensi[25].
In eundem modum episcopo Mindensi[26].
In eundem modum episcopo Halverstadensi[27].
In eundem modum episcopo Curiensi[28].
In eundem modum abbati Curbiacensi[29].

608.

Gregorius IX papa [Friderico II] duci Austriae et Stiriae idem scribit verbis mutatis. — In eundem modum multis aliis principibus saecularibus Alamanniae.

1234, Nov. 27.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 235; Lib. VIII, 333.
Potthast, Reg. 9776.

Nobili viro . . duci Austrie et Stirie.

Cum mater ecclesia multis excitetur Terre Sancte clamoribus, ut eius miserando statui etc. ut in illa de episcopis[30] usque: tollitur, nisi prius discordes in pacis federa reformentur, et carissimus etc. usque: obtineri, nobilitatem tuam rogamus et obse-

1) *Hermanno.* 2) *Berchtoldo.* 3) *Conrado IV.* 4) *Iohanni.* 5) *Eccardo.* 6) *Henrico.* 7) *Ludolfo.* 8) *Henrico.* 9) *Aldrico.* 10) *Ludowico.* 11) *Conrado.* 12) *Alberto III.* 13) *Henrico, qui eodem anno 1234 mortuus est.* 14) *Sigefrido III: cf. n. 602 et p. 496 not. 2.* 15) *Rudigero.* 16) *Roberto.* 17) *Iohanni II.* 18) *Engelhardo.* 19) *Henrico II.* 20) *Theoderico II.* 21) *Iohanni II.* 22) *Godefredo.* 23) *Ottoni III.* 24) *Bernhardo IV.* 25) *Conrado.* 26) *Conrado.* 27) *Friderico.* 28) *Udalrico IV.* 29) *Ut videtur Hermanno abbati Corbeiensi.* 30) *n. 607.*

eramus in domino Iesu Christo, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatinus prudenter advertens quam sit tibi honorabile, quam salubre, si celi regem pro temporali devotionis obsequio tibi constituas ad dandum felicitatis bravium obligatum, ad subventionem ecclesie te studeas communire, ita etc. usque: refloreseat; sicque fiat, quod ex hoc tibi a sede apostolica plenitudo favoris et gratie ac tandem proveniat retributionis premium sempiterne.

Dat. Perusii. V Kal. Decemb. pontificatus nostri anno octavo.

In eundem modum duci Karinthie[1].

Item comiti palatino Reni et duci Bowarie[2].

Item langravio Thuringie et palatino comiti Saxonie[3].

Item marchioni Misnensi et Landespergensi[4].

Item marchionibus Brandeburgensibus[5], ut alter eorum veniat.

Item duci Saxonie[6].

Item palatino comiti Tuingensi[a] [7].

Item comiti Ascarie[8], qui veniat vel mittat filium suum.

Item duci Lotharingie[9].

Item marchioni de Baden[10].

Item duci de Lemburch[11].

Item iuniori duci Brabantie[12].

Item comiti Hollandie[13].

Item comiti Sernensi[b] [14].

Item comiti de Gelre[15].

Item comiti Clevensi[16], ut veniat vel filium suum mittat.

Item comiti de Hennenberch[17], ut veniat vel filium suum mittat.

Item comiti Tirolensi[18], ut veniat.

Item comiti de Gorze[19].

Item marchioni Moravie[20].

Item regi Boemie[21] fratri eiusdem marchionis, ut det ei subsidium in militibus.

609.

Gregorius IX papa abbati et conventui monasterii in Salsa innovat privilegium, quod Iohannes XV papa ad preces Adalheidae imperatricis eidem monasterio a. 995. April. 4 concesserat. *1234, Nov. 30.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 237—238; Lib. VIII, 341.
Schöpflin. Alsat. dipl. t. I. p. 139; cf. Iaffé, Reg. 2952.

.. abbati et conventui monasterii in Salsa[22] Argentinensis diocesis.

Ex parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut privilegium a felicis recordationis Iohanne papa predecessore nostro monasterio vestro concessum pene multa

a) Tuingeñ *R.* b) Sernen *R.*

1) *Bernhardo II.* 2) *Ottoni II.* 3) *Henrico Raspe.* 4) *Henrico.* 5) *Iohanni et Ottoni III.* 6) *Alberto* 7) *Id est Tubingensi Rudolfo II.* 8) *Henrico.* 9) *Matthaeo II.* 10) *Hermanno V.* 11) *Henrico IV.* 12) *Henrico II* 13) *Ut videtur Florentio IV, qui tamen Iul. 19 mortuus erat.* 14) *Ut videtur Henrico comiti Seinensi.* 15) *Ottoni II.* 16) *Theoderico V.* 17) *Bopponi VII.* 18) *Alberto III.* 19) *Meinhardo III.* 20) *Premyslao.* 21) *Wenceslao.* 22) *Selz, ab oppido Hagenau ad orientem et septentrionem situm.*

vetustate consumptum innovari de benignitate sedis apostolice faceremus. Nos vero ipsum privilegium diligenter prout convenit inspici facientes, illud de verbo ad verbum duximus innovandum. Tenor enim eiusdem privilegii talis est.

In[1] nomine domini Dei eterni et salvatoris nostri Iesu Christi. I. humillimus omnium servorum Dei et in sancta sede Romana, totius orbis magistra, non meritis propriis constitutus sed intercessione beatissimi apostoli Petri principis ab Omnipotente in apostolatus arce electi[a]. Quia Dominus noster oves proprias, quas suo pretioso sanguine redemit, beato Petro pascendas commisit, constat nimirum cunctos Dei cultores ipsius subici tuitioni, cuius nos ubique non diffidimus protegi patrocinio. Quapropter satis convenienter omnes Christianos ad sanctam matrem ecclesiam et apostolicam sedem oportet prebere concursum, taliter ut populi devotio conditoris sui convenienter sortiatur effectum et pie constructionis oraculis in privilegiis largiendis minime denegetur auxilium. Igitur, quia postulavit a nobis filia nostra Adaleida imperatrix augusta, ut monasterium in Alsacia supra locum iuris sui, qui dicitur Salsi, iuxta flumen, quod vocatur Matra[2], ob redemptionem illustrium Romani imperii gubernatorum, videlicet magni domini ac cari sui Ottonis filiique eorum similiter Ottonis, qui ante ecclesiam beati Petri principis nostri sepultus est, suorumque ob veniam peccatorum nec non omnium suorum fidelium parentum, ad eternam Christi Iesu laudem in honore Petri ac Pauli apostolorum devotissime constructum, privilegio sedis apostolice decoretur, et ea libertate in eternum donemus, ut nullo tempore ullis rationibus libertas eius corrumpatur, neque super ipsos monachos illic Domino famulantes sine ipsorum electione abbas constituatur, dignissimum est, ut eius Christianissimis precibus adquiescamus et omne quod iuste expostulat integerrime adimpleamus. Preterea piis eius desideriis consensum ut dignum est prebentes, predicto monasterio ipsisque fratribus ibi secundum beati Benedicti regulam militantibus per huius nostre preceptionis[b] auctoritatem id quod exposcit largimur et apostolica datione consentimus. Nostra etiam auctoritate ac spontanea largitate ob honorem apostolorum ipsiusque imperatricis amorem permittentes eiusdem monasterii abbatem cum sandaliis et dalmatica missarum officia celebrare, consecrandum etiam ab eo episcopo, quem cuncta fratrum cohors convocaverit. Itaque nullius ecclesie sacerdotem in prefatum monasterium aliquod sui prioratus pontificium permittimus habiturum. Illum etiam, qui civitati Argentine nunc preesse dinoscitur, illumque pariter, qui postea est adquisiturus, nullam contrarietatem, nullam dominacionem in predictum monasterium extendere hac auctoritate sedis apostolice prohibemus, ita ut nulla conciliabula ibidem aliquis incipiat pretendere, nec quaslibet partes elemosinarum, que ad usum monasterii a fidelibus collate fuerint, in suam partem exigere, neque decimas neque terras neque ecclesias neque thesauros neque libros neque aliquid ab ipsa beatissima imperatrice concessum vel ab aliis postea oblatum attemptet auferre, eo quod apostolice sedi ipsum monasterium cum omnibus ad se pertinentibus non potestate donationis set libertatis tantum causa sit subiectum et Romane sedis securitate ita Deo auctore munitum et contra omnes mortales nostra defensione armatum, ut eterna sit pena damnandus, quicumque aliquam contrarietatem ipsi monasterio vel ibi Domino servientibus fecerit, aut qui cupiditate misera vulneratus aliquam particulam terre eiusdem monasterii unquam in sua redegerit, aut qui per aliquod ingenium id ipsum monasterium rebus suis intus vel foris arctaverit. Igitur ut hec a nobis Deo consentiente secundum desiderium illius sanctissime imperatricis ordinata cunctis maneant inconcussa et inviolata tem-

a) electus *Schoepfl.* b) perceptionis *R.*

1) *Iaffé chartam suspectam dicit.* 2) *Hodie Motter.*

poribus, per huius nostri decreti paginam constituimus, modis omnibus universis cuiuslibet ecclesie presulibus omnibusque clericis cuiuscumque honoris dignitate preditis laicisque omnibus pariter cuiuscumque potestatis interdicentes, colligantes etiam sub anathematis vinculo, ut cum Iuda in eternum crucietur, quicumque huius nostre seriem institutionis diabolico presumptu ausus fuerit evertere, aut Deum contempnens nostra mandata, que supra scripta sunt, demoniaca inflatus superbia noluerit observare, aut qui ipsarum sanctiones scripturarum, que ab ipsa imperatrice optima constitute sunt, vel subripere vel delere vel eis contraire presumpserit. Huius, nisi resipiscat,
Apoc. 22.19. auferat Deus partem de terra viventium et nomen eius deleatur de libro vite, ut cum iustis non scribatur sed cum impiis et sacrilegis deputatis flammis gehenne inextinguibilibus concremetur in secula seculorum.

Dat. II Non. April. anno Dominice incarnationis DCCCCXCVI[1], indictione VIII. Data Sutrie.

Nolumus autem, quod ex innovatione huiusmodi novum ius eidem monasterio acquiratur, sed ut antiquum ius ei per innovatum privilegium conservetur.

Dat. Perusii, II Kal. Decemb. pontificatus nostri anno octavo.

610.

Gregorius IX papa abbatibus et prioribus monasteriorum exemtorum eorumque conventibus Moguntinae, Treverensis et Coloniensis provinciarum mittit Petrum de Supino, scriptorem suum, ut sedis apostolicae et ecclesiae statum iis explanet; quomodo in instanti necessitate sibi succurrere velint, per eundem sibi intiment.

1234, Nov. 30.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 238; Lib. VIII, 344.

Universis abbatibus et prioribus monasteriorum exemptorum et eorum conventibus per Maguntinam, Treverensem et Coloniensem provincias constitutis.

Statum nostrum et ecclesie vobis innotescere cupientes, ipsum commisimus dilecto filio magistro Petro de Supino[a], scriptori nostro, de cuius fide ac discretionis industria sinceram fiduciam obtinemus, per eum vobis plene ac fideliter explanandum. Vos igitur intellectis, que idem ex parte nostra universitati vestre duxerit proponenda, ita providere curetis, quod in instantis necessitatis articulo vestre devotionis affectum certius agnoscere valeamus ex opere, ac experiri plenius per effectum quantum libertatem ecclesiasticam zelemini et honorem. Quicquid autem singuli vestrum inde duxeritis faciendum, nobis per eundem vestris curetis patentibus litteris intimare.

Dat. Perusii, II Kal. Decemb. pontificatus nostri anno octavo.

a) Supiñ *R.*

1) *Legas DCCCCXCV propter indictionem VIII, 994, Sept. 1—995, Aug. 31, quae maioris momenti est.*

611.

Gregorius IX papa [Sigefrido III] Moguntino, [Theoderico II] Treverensi et [Henrico] Coloniensi archiepiscopis et eorum suffraganeis idem scribit, verbis competenter mutatis. *1234, Nov. 30.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 238; Lib. VIII, 345.
Potthast, Reg. 9780.

. . Maguntino, . . Treverensi et . . Coloniensi archiepiscopis et eorum suffraganeis.

Ecce per dilectum filium magistrum Petrum de Supino[a], scriptorem nostrum, de cuius fide ac discretionis industria sinceram obtinemus fiduciam, alias vobis litteras apostolicas singulariter destinamus, quibus status noster et ecclesie plenius vobis exprimitur ac a fraternitate vestra pro defensione libertatis ecclesiastice ad reprimendam superbiam se contra Deum et ecclesiam extollentem fiducialiter auxilium imploratur. Vos itaque litterarum earundem tenore inspecto et intellectis, que idem scriptor de statu ipso vobis duxerit proponenda, etc. ut in alia usque: duxeritis providendum etc. usque in finem.

Dat. etc. ut in eadem.

612.

Gregorius IX papa [Mauritio] archiepiscopo Rotomagensi mandat, ut contra rebelles Romanos, qui libertatem ecclesiasticam omnino subvertere moliantur, congruum bellatorum seu stipendiariorum subsidium sedi apostolicae impendat. *1234, Dec. 5.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 247; Lib. VIII, 391. Edimus tenorem huius epistolae ex Rayn. Ann. eccl. a. 1234, § 7.
Potthast, Reg. 9791.

. . archiepiscopo Rothomagensi.

Quia filius es ecclesie, non potest te non comedere zelus eius, nec potes opprobria exprobrantium illi et usurpantium iura eius equanimiter sustinere. Ioh. 2,17. Adeo enim in timore divini nominis et ecclesie dignitatis reverentia te credimus radicatum, ut de te nullatenus dubitemus, quin in suis angustiis doleas vicem eius. Sane tacti sumus dolore cordis intrinsecus, pro eo quod cum Romani esse debeant ecclesie filii speciales, degenerantes ex filiis in privignos adeo se indevotos exhibent et ingratos, ut modica videatur in eis devotionis scintilla vel gratitudinis remansisse. Nam in tantum velut ex adipe prodiit iam iniquitas eorundem, ut non solum ad temporalia, que ad eos Psal. 72,7. non pertinent, verum etiam ad spiritualia, laicis penitus interdicta, manus temerarias extendentes, omnino libertatem ecclesiasticam evertere ac subvertere moliantur et Romanam ecclesiam matrem suam, ecclesiarum omnium speculum et exemplar, modis omnibus ancillare, ut exempli sui pernicie[b] soli provocent universos contra universalis ecclesie libertatem. Quia vero, etsi grave sit facinus, tamen, cum diu duraverit huiusmodi persecutio, gravius est exemplum, nos alligare quod fractum erat in eis Ezech. 34,16. pastorali diligentia nisi sumus et reducere quod abiectum, sedulis monitionibus apud

a) Supin *R.* b) pernicies *Rayn.*

eos et crebris exhortationibus laborando. Sed non fuit eis datum desuper, quod eorum plaga, pro qua sananda multo labore sudavimus, salutarem adhuc reciperet medicinam, propter quod in eos censuram curavimus ecclesiasticam exercere. Et quia iniquitates eorum excreverunt in tantum, ut nec Deum timeant nec censuram ecclesiasticam vereantur, te ac alios ecclesie filios et devotos, in quorum ipsi publica detrimenta grassantur, in eorum ultionem licet inviti compellimur excitare, fraternitatem tuam affectuose rogantes et hortantes attente, per apostolica tibi scripta districte precipiendo mandantes, quatinus prudenter attendens cuius sit causa que agitur, cum sit publica non privata, non sit propria sed communis, in qua tanto fortius te oportet in adiutorium nostrum exurgere, quanto per hoc non tam specialiter aliquos quam generaliter universos intendimus defensare, congruum bellatorum seu stipendiariorum subsidium nobis impendas tam liberaliter quam libenter, ita quod tuis et aliorum fulti subsidiis taliter auctore Domino adversam superbiam reprimamus, quod alii adversus Deum et ecclesiam se de cetero non extollant et ecclesie filii debita gaudeant libertate, nosque sinceritatem tuam ex affectu et effectu liberalitatis exhibite plenius cognoscentes, in Christi visceribus te carius amplexemur.

Dat. Perusii, Non. Decemb. anno octavo.

In eundem modum suffraganeis suis separatim.
In eundem modum . . archiepiscopo Tarantasiensi [1] et suffraganeis suis separatim.
In eundem modum . . archiepiscopo Bisuntino [2] et suffraganeis suis separatim.
In eundem modum . . archiepiscopo Ebredunensi [3] et suffraganeis suis separatim.
In eundem modum . . archiepiscopo Aquensi [4] et suffraganeis suis separatim.
In eundem modum . . archiepiscopo Arelatensi [5] et suffraganeis suis separatim.
In eundem modum . . archiepiscopo Viennensi [6] et suffraganeis suis separatim.
In eundem modum . . archiepiscopo Lugdunensi [7] et suffraganeis suis separatim.
In eundem modum . . archiepiscopo Senonensi [8] et suffraganeis suis separatim.
In eundem modum . . archiepiscopo Remensi [9] et suffraganeis suis separatim.
In eundem modum . . archiepiscopo Turonensi [10] et suffraganeis suis separatim.
In eundem modum . . archiepiscopo Bituricensi et suffraganeis suis separatim.
In eundem modum . . archiepiscopo Burdegalensi [11] et suffraganeis suis separatim.
In eundem modum . . archiepiscopo Auxitano [12] et suffraganeis suis separatim.
In eundem modum . . archiepiscopo Narbonensi [13] et suffraganeis suis separatim.
In eundem modum . . Terraconensi electo et suffraganeis suis separatim.
In eundem modum . . episcopo Pampilonensi [14].
In eundem modum . . archiepiscopo Toletano [15] et suffraganeis suis separatim.
In eundem modum . . archiepiscopo Compostellano [16] et suffraganeis suis separatim.
In eundem modum . . archiepiscopo Bracharensi [17] et suffraganeis suis separatim.

613.

Gregorius IX papa [Sanctio II] regi Portugaliae idem quod Nov. 27 [Friderico II] duci Austriae [n. 608] scribit. *1234, Dec. 5 [?]* [18].

Greg. IX Reg. Vol. IV, 248; Lib. VIII, 395.

1) *Herluino.* 2) *Nicolao.* 3) *Bernardo.* 4) *Raymundo.* 5) *Iohanni.* 6) *Iohanni.* 7) *Radolfo.* 8) *Waltero.* 9) *Henrico.* 10) *Iuhello.* 11) *Geraldo.* 12) *Amaniano.* 13) *Petro.* 14) *Petro.* 15) *Roderico.* 16) *Iohanni.* 17) *Silvestri.* 18) *Licet epistola ad ducem Austriae Nov. 27 data sit, Dec. 5 tamen praeferimus, quia papa hoc die ad principes ecclesiasticos Hispaniae preces suas direxit, quae epistola in Reg. antecedit, existimantes notam chronologicam errore scriptoris excidisse.*

Illustri regi Portugalie.

Cum mater ecclesia multis excitetur etc. ut supra in CCCXXXIII littera que dirigitur . . duci Austrie.

In eundem modum . . regi Aragonum[1].

In eundem modum . . regi Navarre[2].

In eundem modum . . regi Castelle et Legionensi[3].

In eundem modum . . regine Castelle et Legionensi[4].

In eundem modum . . regine Toleti[5].

In eundem modum Ferrando infanti Montis Aragonie[a][6].

In eundem modum . . comiti de Roisellione[b][7].

In eundem modum . . comiti Barchinonensi.

614.

Gregorius IX papa archiepiscopis et aliis ecclesiarum praelatis et capitulis per regnum Franciae constitutis mandat, ut universos redditus, quos clerici Urbis in ecclesiis ipsorum obtineant, magistro Simoni scriptori suo assignent, expendendos contra malitiam Romanorum. *1234, Dec. 9.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 240—241; Lib. VIII, 356.

Archiepiscopis et episcopis, abbatibus, prioribus, prepositis, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prelatis et capitulis per regnum Francie constitutis.

Cum exigente malitia Romanorum omnes redditus ecclesiasticos clericorum Urbis ad nostre voluntatis beneplacitum mandaverimus retineri, presentium vobis auctoritate mandamus, quatinus redditus universos, quos in ecclesiis vestris iidem clerici obtinere noscuntur, exceptis redditibus capellanorum nostrorum et eorum qui residentiam in eisdem ecclesiis faciunt personalem, dilecto filio magistro Symoni scriptori nostro sine diminutione ac difficultate qualibet nostro nomine assignetis. Alioquin venerabili fratri nostro . . Parisiensi episcopo[8] nostris damus litteris in mandatis, ut vos ad id auctoritate nostra sublato appellationis impedimento compellat.

Dat. Perusii, V Idus Decemb. anno VIII°.

In eundem modum scriptum est . . Cantuariensi[9] et . . Eboracensi[10] archiepiscopis, ut cogant prelatos et subditos suos, qui super hoc mandatum habent, ipsos redditus assignare magistro Boetio, cui scriptum est, ut colligat et colligi faciat eos, deponendos apud domum militie Templi Parisiensis.

[a]) Aragoñ *R.* [b]) Roisell *R.*

1) *Iacobo I.* 2) *Theobaldo.* 3) *Ferdinando III.* 4) *Beatrici.* 5) *Mafaldae, viduae Henrici I regis Castellani et Toletani, praedecessoris Ferdinandi III?* 6) *Mons Aragoniae monasterium prope Huesca est, cuius abbas Ferrandus frater Petri II regis Aragoniae a. 1205 factus fuerat; Hist. de Languedoc, ed. Tolosana a. 1879, t. VI, p. 239. Hunc papa alloqui ideoque* abbati *supplendum videtur.* 7) *Id est Rossilionensi, de Roussillon, Nunoni Sanctio.* 8) *Wilhelmo.* 9) *Edmundo.* 10) *Waltero.*

615.

Gregorius IX papa [Marcellino] episcopo Aesculano scribit, [Philippum] episcopum Firmanum a se petivisse, ut hominibus Podii sancti Iuliani hunc locum de cetero habitare liceat, eique mandat, ut si ecclesiae Firmanae id expedire noverit, eidem hoc concedat.

1234, Dec. 13.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 243; Lib. VIII, 371.

. . Esculano episcopo.

Venerabilis frater noster . . Firmanus episcopus nobis exposuit, quod Castro Casalis pleno iure ad Firmanam ecclesiam pertinente olim a Mercnaldo destructo, ipsius habitatores se ad aliud castrum iuris ipsius ecclesie, quod Podium sancti Iuliani dicitur, transtulerunt, ubi cum per annos triginta et amplius habitarint, quod inde recederent et ad primum castrum redirent, induci hactenus nequiverunt, quamvis predecessores sui ad hoc non modicum duxerint laborandum. Quare olim Firmani canonici voluerunt, ut bone memorie P.[1] predecessor ipsius, receptis terris, vineis et pecunia quas sibi habitatores dicti Podii offerebant, ibi eos esse permitteret, cum id ecclesie Firmane potius expediret. Unde humiliter petiit idem episcopus, ut cum preter predictam utilitatem, quam inde consequi potest ecclesia memorata, sibi omne ius quod habet in eisdem hominibus reservetur, id ei faciendi dignaremur concedere facultatem. Quocirca mandamus, quatinus, si est ita et eidem ecclesie hoc magis neveris expedire, ipsi postulatam licentiam largiaris.

Dat. Perusii, Id. Decemb. anno octavo.

616.

Gregorius IX papa [Henrico III] episcopo Eichstetensi concedit, ut fructus beneficiorum in diocesi sua vacantium, in quibus provisio et ordinatio ad ipsum spectent, per triennium ad solvenda debita retineat.

1235, Ian. 2.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 249; Lib. VIII, 403.

. . episcopo Eistetensi.

Eistetensi ecclesie, que per incuriam prelatorum gravata eris onere alieni tota fere absorta est per voraginem usurarum, paterna caritate compatimur et ipsius angustiis condolemus. Usque adeo enim, sicut accepimus, fenus improbum iam excrevit, quod fere totius episcopatus tui redditus annuatim vix ad solutionem sufficiunt usurarum: propter quod in nostra constitutus presentia[2] humiliter supplicasti, ut ad relevationem eiusdem manum apponere dignaremur. Nos igitur, quibus incumbit omnium ecclesiarum sollicitudo continua, eidem ecclesie paterna sollicitudine providere volentes, presentium tibi auctoritate concedimus, ut fructus beneficiorum in diocesi tua vacantium, in quibus provisio et ordinatio ad te spectant, convertendos integre in solutionem

---

1) *Aut Presbyter 1184 — c. 1202 aut Petrus IV 1216 — 1223.* 2) *a. 1234. Nov. Fogiae apud imperatorem erat, qui ei privilegium a Philippo rege a. 1199 Sept. 14 datum confirmat et in alia charta ecclesiae Eichstetensi specialem favorem suum exhibet. Bohmer-Ficker, Reg. Frid. II, n. 2066 et 2065.*

huiusmodi debitorum, usque ad triennium licite valeas retinere; proviso sub anime tue periculo, quod ecclesiis vacantibus de rectoribus idoneis consulatur et de ipsarum fructibus ad sustinenda earum onera sufficiens illis portio assignetur. Nulli ergo nostre concessionis etc. Si quis autem etc.

Dat. Perusii, IV Nonas Ianuarii, anno octavo.

617.

Gregorius IX papa rectorem et populum Velletrensem hortatur, ut contra rebelles Romanos in devotione sedis apostolicae inflexibiles persistant; iis, quos pro tuenda libertate ecclesiastica mori contigerit, omnium peccatorum veniam indulget. 1235, Ian. 2.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 216; Lib. VIII, 391

Ap. Raynaldum, Ann. eccl. a 1235, § 1 prima pars huius epistolae legitur.

. . rectori et populo Velletrensi.

Amarissime clamare compellimur, quod cum quiescere crederemus, gravis et seva perturbatio supervenit, quam cum previsam facile potuerimus evitare conatus contrarios reprimendo, forsan arguimur, quod adeo solitam apostolice sedis patientiam observare voluimus, ut videamur aliis intolerabilis insolentie materiam prestitisse. Romani enim, crescentibus ipsorum iniquitatibus quibus multiplicatis sanguis sanguinem (Osea 4,2.) tetigisse videtur, ad eam tyrannidem devenerunt, ut ingrati beneficiorum innumerabilium, quibus est eos mater ecclesia prosecuta, facti ei hostes in capite dinoscantur, ad cuius desiderabilia manum mittentes, moliuntur eandem libertate ac proprio patri- (Thren. 1,10.) monio spoliare, filios suos perdere ac fideles, illosque cum ipsa subicere servituti. Super quo tanto dolemus amplius et tristamur, quanto maius ex hoc attendimus periculum imminere, cum non solum Romana set etiam generalis ecclesia concutiatur propter exempli perniciem in hac parte, pro eo quod hec est in exemplar aliarum et speculum constituta. Vos igitur, sedis apostolice filios et fideles, qui nostis plenius eos, quos nutrivit et exaltavit ecclesia, gladium in viscera sua et penetralia cordis exerere ac in vestra et aliorum fidelium nostrorum detrimenta crassari, sollicitudine paterna requirimus, monemus propensius et hortamur, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus provide attendentes quod huiusmodi scandalum forsitan est exortum, ut qui probati sunt clareant manifesti, eo quod temptatio viro forti quod fornax auro facere consuevit, certi etiam quod convertente Domino procellam in (Psal. 106,29.) auram, quod momentaneum est et leve tribulationis instantis, immensam vobis opera- (2. Cor. 4,17.) bitur gratiam gaudiorum, inflexibiles et imperterriti persistatis, exhibentes vos sicut a diebus antiquis invicta magnanimitate in fide stabiles et in opere efficaces, in illo confisi qui filios suos non patitur ultra quam valeant sustinere: monitiones et mandatum nostrum taliter impleturi, quod fides per dilectionem operans in vobis merito commendetur et probata magis ac magis vestre devotionis sinceritate clarius enitescat. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate fiduciam obtinentes, si quos vestrum pro tuenda ecclesiastica libertate et fidelitate, qua ecclesie Romane tenemini, conservanda mori contigerit, plenam eis omnium peccatorum, de quibus veraciter fuerint corde contriti et ore confessi, veniam indulgemus.

Dat. Perusii, IIII Non. Ianuar. anno octavo.

618.

Gregorius IX papa rectorem et populum Velletrensem a iuramentis, si qua in praeiudicium sedis apostolicae et fidelitatis, qua eidem teneantur, Romanis praestiterint, absolvit. *1235, Ian. 2.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 247: Lib. VIII, 392.
Potthast, Reg. 9811; sed hanc epistolam cum praecedenti confudit.

. . rectori et populo Velletrensi.

Fidei vestre ac progenitorum vestrorum experta constantia clarius enitescens, ut aurum quod in igne probatur, eo vos efficit Deo et hominibus gratiores, quo fulgentes conspectius per exemplum corda multorum vaccillantium confortastis, pusillanimes ad fidelitatem apostolice sedis ardentius animando. In quo, licet factum sit quod civitatis vestre decebat gloriam et honorem, quia tamen ex debito laudabiliter prestito non indigne meritum comparatur, constituistis nos vobis exinde debitores, ut super gravaminibus vestris innumeris debeamus salubriter providere. Et quidem[a] longum esset multimoda beneficia, quibus prosecuta est sedes apostolica solita benignitate Romanos, per singula recenseri, foretque superfluum seriatim nimiam eorum ingratitudinem, qua sibi pro dilectione odium, pro liberali gratia graves iniurias, vobisque ac aliis fidelibus nostris iacturas et violentias intolerabiles rependerunt. Verum
Hor. 1, 6,6. virtutis vestre perseverantia, adversis cedere nescia, tunc magis enituit, cum amplius turbationis procella desevit; vos enim non veriti dampna rerum nec expavescentes pericula personarum, set habentes oculos mentis vestre ad Romanam ecclesiam, cuius estis filii et fideles, cum ea semper in temptationibus suis imperterriti perstitistis, non deficientes set in eius devotione crescentes et fide inter pressuras varias et diversas, ita ut quod auro fornax, hoc invicte fortitudini[b] vestre fecisse temptatio videatur. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris devotis supplicationibus inclinati,
Es. 58 6. cum cordis potius quam operis inspector sit Dominus, et obligationes impietatis sint etiam dissolvende, a iuramentis, si qua in preiudicium apostolice sedis et fidelitatis qua sibi tenemini a vobis prestita sunt Romanis, auctoritate presentium vos duximus absolvendos, et ad eorum observantiam decernimus non teneri. Nulli ergo nostre constitutionis etc. Si quis autem etc.

Dat. ut supra.

619.

Gregorius IX papa Velletrensibus libertates et immunitates iis concessas et consuetudines a Gregorio VII, Urbano II et Paschali II Romanis pontificibus confirmatas et hactenus observatas confirmat; ipsos autem curiae Romanae unius comestionis pabulum, parlamentum et hostem per Maritimam et Campaniam facere debere.

1235, Ian. 3.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 245: Lib. VIII, 381 Descriptionem finium territorii Velletrensis, quae in apographo Pertzii deest, supplevimus ex authentico ap. Borgia, Istoria di Velletri, p. 270—272.
Potthast, Reg. 9813.

---

a) *ita in authentico ap. Borgia, Istoria di Velletri p. 268; in R.* quia. b) fortitudinis *R.*

Civibus Velletrensibus, apostolice sedis fidelibus.

Antiqua progenitorum vestrorum et vestra fidelitas dudum ab apostolica sede promeruit civitatem vestram specialis munificentie gratia et singularis libertatis privilegio honorari, ut munerum donativa illos gaudentes efficeret ac ad obsequendum fideliter vos et posteros animaret. Ut autem patrum vestrorum recensita constantia inflammaret ardentius ad matris obsequia corda vestra, felicis memorie Urbanus papa secundus in suo privilegio civitati vestre concesso[1] ad futurorum memoriam diligentius exaravit, qualiter pro ecclesia inviete fidelitatis vestrorum prosapia veterum, ludibria experta et verbera, vincula et carceres, ac tandem morti cedere nescia, cunctis [Hor. 1, 6, 6.] ecclesie adversantibus fortior mente fuit. Et quia in fornace tribulationis probata frequenter in preclara fidei puritate velut obrizum rutilans micuit, vos, tanquam veri palmites ex nobili et memoranda illa progenie pululantes, illius nitimini e vestigio sectari vestigia, dum pro sede apostolica dampna rerum et exterminia bonorum contempnitis, personas audacter periculis exponentes in faucibus hostium constituti. Unde, quoniam in temptationibus nostris permanetis nobiscum, fideliter disponimus vos velut domesticam familiam in sinu matris diligentius confovere, diligere propensius et consuete libertatis insigniis decorare. Hinc est, quod nos libertates et immunitates vobis concessas et consuetudines confirmatas a felicis recordationis Paschali et Urbano predecessoribus nostris Romanis pontificibus et hactenus observatas vobis auctoritate apostolica confirmamus et censemus in posterum observandas; vos autem nostre curie unius comestionis pabulum, parlamentum etiam necnon et hostem per Maritimam et Campaniam facietis. Ad exemplar autem predecessorum nostrorum Gregorii VII et Urbani omnes consuetudines et exactiones super vos a potentioribus introductas auctoritate presentium abolentes, interdicimus, ne ipsi presumant de cetero gravamina vobis imponere vel sue subicere ditioni, cum sub iurisdictione tantum ac potestate apostolice sedis tamquam speciales filii et fideles debeatis quiete ac libere permanere. Sane civitatis vestre habitatores necnon et antiquos fines terre vestre ab omni secularis potestatis invasione ac infestatione securos servari censemus. Confirmamus autem vobis et sine ulla contradictione decernimus a vobis et vestris heredibus in posterum possidenda, videlicet terras cultas et incultas, silvas, montes, planities, rivos, paludes, aqueductos et omnes alias possessiones vestras, prout continetur in antiquis privilegiis pontificum Romanorum et illa hactenus possedistis. Fines vero ipsos, sicut in prefati Paschalis privilegio[2] describuntur, hic duximus annotandos: A primo[a] videlicet latere incipit fossatum, quod descendit a Monte Episcopi et descendit ad aquam Palumbam et exinde in silice de Macro. Inde vero protenditur finis in vallem ad Centum Guttas et descendit ad Balneum novum, exinde revertitur per viam in collem de Benone Manioso, descenditque per vallem in pratum de Canudelli et tenditur per eam in possessionem Sancte Marie de Domo, atque exinde in fossatum de Cerris et per ipsum in terminum Turricchie ac reflectitur in pratalina de formali de Ulmis, descenditque per vallem in possessionem Sancti Andree in silice ac inde in fossatum de Littere et exinde iuxta vineas Sancti Andree in fossatum de Arcione, descenditque per ipsum in silicem, et per eam recurvatur in fossatum de Formello, unde descendit in valle de Seazi. A secundo vero latere finis incipit a columnella marmorea, que inter vos et habitatores Sancti Petri in Forma olim fuit. Inde vero protenditur in Plagarum de Salciara. A tertio autem finis incipit a fossato de Carciano ac per

[a] A primo — statuimus *cr Borg.*

1) *a. 1089, Iul. 8; Iaffé, Reg. 4037.* 2) *a. 1101, April. 6; Iaffé, Reg. 4388.*

ipsum ascendit ad pontem de Carano, indeque ascendit ad formales de Stuti, et exinde tenditur in fossatum Sancti Angeli Subterra et per ipsum fossatum ad Pentomicchiam, atque inde ascendit ad fontem de Fico, et inde usque in silicem ac per eam in pontem Malagai. Exinde ascendit ad pontem Magnellum et per ipsum ad Aquam Lucie atque ad summitatem Montis de Spina. A quarto autem latere per montis cacumen protenditur finis usque ad primum. Nos igitur ad instar predicti Paschalis predecessoris nostri fines ipsos cum detrimento vestro mutari omnino interdictione apostolica prohibentes, sub pena ab ipso in transgressores adiecta statuimus, ut que inter eos continentur, sicut ius est uniuscuiusque, tam vos quam vestri heredes vel quibus vos legitime concesseritis, ita quod in potentiores personas et in non vassallos ecclesie minime transferantur, possideatis in perpetuum pacifice ac quiete etc.[a]

Dat. Perusii, per manum magistri Bartholomei sancte Romane ecclesie vicecancellarii, III Non. Ianuar. indictione VIII, incarnationis Dominice anno M°CC°XXXV, pontificatus vero domini Gregorii pape VIIII anno octavo.

620.

Gregorius IX papa [Eccardo] episcopo Mersburgensi, praeposito Sancti Mauritii in Halle et scholastico Sanctae Mariae in Erfordia mandat, ut de afflictionibus inquirant, quas monasterium Pegaviense a Godefrido et Sigefrido canonicis Misnensibus et Henrico praeposito Sancti Stephani Cicensis patiatur, et causam aut fine debito terminent, aut sufficienter instructam ad sedem apostolicam remittant. *1235, Ian. 11.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 249; Lib. VIII, 402.

. . episcopo Mersburgensi, . . preposito Sancti Mauritii in Halle et . . scolastico Sancte Marie in Erfodia Magdeburgensis et Maguntinensis diocesis.

Gravem dilectorum filiorum abbatis et conventus Pigaviensis recepimus questionem, quod cum eorum monasterium Godefridum et Syfridum canonicos Misnenses, Henricum Sancti Stephani prepositum Cicensem et quosdam alios nutriverit, foverit et extulerit multiplicem eis gratiam faciendo, ipsi more vipereo matris latera lacerantes, dictum monasterium, quod revereri ac honorari tenentur, super redditibus, possessionibus et rebus aliis contra iustitiam molestantes, quasi incessanter affligunt et persequi non desistunt, quorum unus, videlicet Godefridus iunior, quedam ipsius monasterii privilegia, que cum quibusdam rebus mobilibus fuerunt furtive subtracta, non prius reddere voluit, quam extorsisset ab eis quandam pecunie quantitatem et unius marce annuam pensionem. Iidem preterea pro privilegiorum ipsorum detentione dampna incurrerunt gravia et expensas, cum tempore, quo tu, frater episcope, super eorum subiectione movisti questionem eisdem, tueri nequiverint per eadem privilegia monasterii libertatem. Unde suppliciter petierunt exhiberi sibi de hiis iustitie complementum, et quia remanere non debet gratia cum ingratis, eos propter ingratitudinis vitium
Psal. 72,7. beneficiis, que retinent a monasterio memorato, privari, ut[b], cum ex adipe procedat iniquitas, minus crassari valeant in monasterii detrimenta, si eis nocendi

[a]) *sequitur in authentico formula illa usitata:* Decernimus ergo, ut — nostre protectionis, confirmationis, constitutionis et concesse libertatis necnon inhibitionis — incursurum. [b]) ut *deest in R.*

materia subtrahatur. Quia vero nobis non constitit de premissis, mandamus, quatinus vocatis qui fuerint evocandi et cognita super premissis diligentius veritate, causam, si de partium voluntate processerit, fine debito terminetis, facientes etc.; alioquin ipsam ad nos remittatis sufficienter instructam, prefigentes etc. usque: recepture. Quod si non omnes etc. duo etc.

Dat. Perusii, III Idus Ianuarii, anno octavo.

621.

Gregorius IX papa hominibus castri Orclae, quod ad ius beati Petri specialiter pertineat, quasdam antiquas consuetudines confirmat. *1235. Ian. 16.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 250; Lib. VIII, 409.
Potthast, Reg. 9824.

Universis hominibus, tam clericis quam laicis, in castro Orcle[1], quod ad ius beati Petri proprie ac specialiter pertinet, commorantibus.

Quanto magis vos sancte Romane ecclesie fideles constat existere ac devotos, et ipsum castrum quod incolitis ad ius et proprietatem beati Petri specialius noscitur pertinere, tanto amplius convenit nos attenta vobis provisione consulere, et iuxta petitionem vestram antiquas consuetudines, que subtus inveniuntur annexe, vobis auctoritate apostolica confirmare. Nullus siquidem vestrum aut quilibet vestrorum heredum, qui predictum castrum inhabitet, ab aliquo ministeriali nostro ullo tempore capiatur, nisi proditionem aut homicidium seu etiam adulterium commisisse publice fuerit infamatus. Si quis sine liberis decesserit intestatus, ad propinquiores consanguineos et ad maiorem ecclesiam ipsius castri bona eius mobilia devolventur, immobilia vero ad nos sine diminutione aliqua pertinebunt. Tres soldos Lucenses nobis pro unoquoque placito, pro porco vero, si contra bannum nostrum factum fuerit, sex denarios, pro ove unum, pro bove quatuor, restaurato dampno ei cui illatum fuerit, persolvetis. In estate duas, in hieme unam pro possibilitate ipsius loci comestionem nobis, si presentes fuerimus, vel ministeriali nostro annis singulis facietis. Hec autem omnia vobis in perpetuum confirmamus, et ut in sua stabilitate permaneant, presentis scripti patrocinio communimus, statuentes ut nulli hominum liceat hanc nostre confirmationis paginam ausu temeritatis infringere vel ei aliquatenus contraire.

Dat. Perusii, XVII Kal. Febr. anno octavo.

622.

Gregorius IX papa [Egberto] episcopo Babembergensi concedit, ut postquam iter ad servitium sedis apostolicae arripuerit, usque ad annum de debitis mercatoribus Senensibus solvendis conveniri nequeat. *1235. Ian. 16.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 254; Lib. VIII, 429.

1) *Ex oriente oppidi Tiburtini.*

Episcopo Babembergensi.

Cum ex eo quod in servitium apostolice sedis in instantis necessitatis articulo properare cum militia te oportet, solutioni debitorum, in quibus mercatoribus Senensibus te asseris obligatum, nequeas imminere, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut postquam iter arripueris ad huiusmodi obsequium veniendi, usque ad annum per litteras apostolicas super debitis ipsis nequeas conveniri, nisi expressam facerent de presentibus mentionem. Nulli ergo nostre concessionis etc. Si quis autem etc.

Dat. Perusii, XVII Kal. Febr. anno octavo.

623.

Gregorius IX papa S[igefrido III] archiepiscopo Moguntino libertates, principatus et alia bona, ecclesiae suae et ipsi a Friderico Romanorum imperatore aliisque principibus concessa, confirmat. *1235, Ian. 17.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 252; Lib. VIII, 418.

S. archiepiscopo Maguntino[1].

Rom. 1,14 Debitum officii pastoralis, quo secundum apostolum sapientibus et insipientibus debitores existimus, nos hortatur, ut fratres et coepiscopos nostros sincera diligamus in Domino caritate et hiis, que a nobis iuste duxerint postulanda, gratanter assensum apostolicum impendamus. Eapropter, venerabilis in Christo frater, sincere devotionis affectum, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, attendentes, tuis devotis precibus inclinati, libertates, privilegia et immunitates secularium exactionum, principatus quoque ac alia bona, ecclesie Maguntine ac tibi tam a karissimo in Christo filio nostro Friderico, Romanorum imperatore semper augusto, Ierusalem et Sicilie rege illustri, quam aliis principibus pia providentia seu provida pietate ac liberalitate concessa, sicut ea iuste ac pacifice obtinet, tibi et per te ipsi ecclesie auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Nulli ergo nostre confirmationis etc. Si quis autem etc.

Dat. Perusii, XVI Kal. Febr. anno octavo.

624.

Gregorius IX papa magistro P[etro] de Collemedio mandat, ut si [Ludowicus IX] rex Franciae terram Venusinam ulterius retinere nolit, eius resignationem recipiat terramque personis idoneis custodiendam committat, et ad inquisitionem, quam de ea fieri iusserit, celeriter procedat. Ad haec regem et [Blancham] matrem eius moneat, ut inter [Raymundum Berengarii IV] Provinciae et [Raymundum VII] Tolosanum comites pacem refor-

1) *Hic cum Egberto episcopo Babembergensi a. 1234 c. Aug. ab Henrico rege, cum contra patrem suum iam rebellare intenderet, ad eundem directus erat, Huillard-Bréholles, l. c. t. IV, p. 685; Nov. Fogiae erat, ubi imperator ei magnum privilegium a. 1220, April. 26 principibus ecclesiasticis concessum confirmavit; Bohmer-Ficker, Reg. Frid. II, n. 2064.*

mare studeant. Epistolae addita est cedula de matrimonio inter [Alfonsum] fratrem regis et [Iohannam] filiam comitis Tolosani celebrando. 1235, Febr. 13.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 256; Lib. VIII, 146 et 147.

I.

Magistro P. de Collemedio, preposito Sancti Audomari Morinensis diocesis, capellano nostro.

Devotioni tue presentium auctoritate mandamus, quatinus si carissimus in Christo filius noster . . illustris rex Francie induci nequiverit ad terram Venusinam ulterius retinendam, tu ab eo nomine nostro illius resignationem recipiens, requisito consilio prelatorum terre predicte iuxta prudentiam tibi datam a Domino de ipsa, sicut melius videris expedire, disponas, committendo eam uni vel pluribus personis idoneis, que ad honorem ecclesie et mandatum et voluntatem nostram ipsam fideliter debeant nomine Romane ecclesie custodire; ad inquisitionem nichilominus, quam de illa per te in aliis litteris mandavimus fieri[1], sine more dispendio processurus. Ad hec ipsum regem et karissimam in Christo filiam nostram reginam Francorum, illustrem matrem suam, moneas et inducas, ut ad pacem inter nobiles viros . . Provincie et . . Tolosanum comites faciendam impendant operam efficacem[2], presertim cum per hoc credatur negotium pacis et fidei firmius solidandum. Sane litteras regi directas[3] tibi sub bulla nostra mittentes, tunc demum eidem assignes, cum nullo modo induci potuerit ad tenendam custodiam dicte terre.

Dat. Perusii. Idib. Febr. pontificatus nostri anno octavo.

II.

Rescriptum cedule intercluse.

Cum inter . . germanum carissimi in Christo filii nostri . . illustris regis Francie et filiam comitis Tholosani iam sponsalia sint contracta, eundem regem, ut matrimonium inter eos celebrari procuret, attentius moneas et inducas.

625.

Gregorius IX papa [Ludovicum IX] regem Franciae rogat, ut terram Venusinam, quam hucusque pro ecclesia custodierit, de cetero eidem conservet, donec de iure imperii et aliorum sibi constiterit; nuntians magistrum P[etrum] de Collemedio de hac re inquisitionem facturum esse. 1235, Febr. 14.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 256; Lib. VIII, 144.

. . illustri regi Francie.

Serenitatis tue litteras super terra Venusina[4], per dilectum filium magistrum D. nobis transmissas, qua decuit affectione recepimus et plene intelleximus continentiam earundem. Sane super eo quod terram illam a dilecto filio nostro R.[5] Portuensi electo, tunc apostolice sedis legato, nomine tuo senescalco Bellicadri[6] custodiendam

1) *Cf. n. 625.* 2) *Agebatur de civitate Massiliensi.* 3) *n. 625 et 626.* 4) *Cf. n. 576 et 577.* 5) *Romano, antea Sancti Angeli diacono cardinali.* 6) *de Beaucaire, Peregrino nomine.*

pro ecclesia Romana commissam[1], pro pace ac tranquillitate ad honorem sedis apostolice conservasti, regalem magnificentiam dignis in Domino laudibus commendamus et uberes tibi gratiarum referimus actiones. Cum autem carissimus in Christo filius noster Fridericus etc. sibi restitui terram ipsam cum instantia postularit, et plures ecclesiarum prelati ac alii viri catholici quedam ad se in terra predicta pertinere proponant, quia etsi regnum Arelatense ad imperium spectare noscatur, quid tamen imperium ibi tenuit vel quid alii ab eo immediate tenebant, aut que et a quibus posita fuerunt in manibus ecclesie pro securitate pacis et fidei, adhuc nobis non constitit: supersedere potius ad tempus elegimus, quam quicquam de ipsa statuere, per quod iuri alicuius contingeret derogari[2]. Porro, sicut manifestum est et erit memoriale in seculis, clare memorie . . pater tuus[3], zelatus sicut princeps catholicus negotium pacis et fidei, pro ipso promovendo ardenti laboravit affectu, cuius pietatis fervorem Dominus ex alto respiciens, quia illius anima placita sibi erat, ipsum, dum esset in prosecutione dicti negotii, de peregrinatione vite huius ad beatitudinis patriam, ut firmiter credimus, evocavit. Petimus igitur, fili karissime, et obsecramus per viscera misericordie Iesu Christi, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatinus piam patris devotionem sollicite considerans in hac parte et eidem in virtute studens existere ut in regno successor, benignum habendo respectum ad negotium memoratum, terram predictam, cum periculosa esse posset repentina mutatio status ipsius, de gratia, quam gratie superaddas, sicut hactenus ad honorem ecclesie, donec de premissis fiat inquisitio, conservare procures, ita quod Deum exinde tibi reddas propitium et ex hoc gloriam in presenti et gratiam obtineas in futuro. Nos enim dilecto filio magistro P. de Collemedio, preposito Sancti Audomari, capellano nostro, viro provido et discreto, nobis et fratribus nostris merito sue probitatis accepto, damus litteris in mandatis, ut personaliter ad partes illas accedens, de omnibus et singulis negotii circumstantiis inquirat diligentissime veritatem, quod invenerit nobis fideliter rescripturus, ut plenius instructi per ipsum exonerare magnificentiam tuam et inde securius disponere valeamus, qui utique ius suum unicuique volumus conservari, cum simus omnibus in iustitia debitores.

Dat. Perusii, XVI Kal. Martii, anno VIII.

In eundem fere modum scriptum est . . preposito supradicto.

626.

Gregorius IX papa eidem scribit, ut si terram Venusinam amplius retinere nolit, cum magistro P[etro] de Collemedio resignet, iure cuiuslibet in omnibus salvo.

1235, Febr. 14.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 256; Lib. VIII, 145.

Eidem.

Per alias litteras serenitatem tuam rogandam duximus propensius et monendam et per dilectum filium magistrum P. de Collemedio, prepositum Sancti Audomari, capellanum nostrum, virum providum et discretum, nobis et fratribus nostris merito sue probitatis acceptum, te hortari mandavimus, ut terram Venusinam, donec super

1) *a. 1229, Dec. 29; Tillemont, Vie de St. Louis ed. de Gaulle, t. II, p. 23.* 2) *a. 1234, Sept. imperator Raymundo VII comiti Tolosano terram Venusinam restituerat; Böhmer-Ficker, Reg. Frid. II, n. 2057; sed hic ut videmus eius possessionem recuperare non potuerat.* 3) *Ludowicus VIII.*

illa fiat inquisitio per eundem, sicut hactenus ad honorem ecclesie pro nostra et beati Petri reverentia studeas conservare. Ceterum, si forte contrarium in animo suo irrevocabiliter disposuit regia celsitudo, ita quod nolis eam amplius retinere, volumus, ut eam nomine nostro predicto magistro resignes, iure cuiuslibet in omnibus semper salvo.

Dat. ut supra.

627.

Gregorius IX papa abbati et conventui monasterii de Bodeloo decimas a [Waltero] episcopo Tornacensi concessas confirmat. *1235, Febr. 20.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 259; Lib. VIII, 466.
Potthast, Reg. 9847.

. . abbati et conventui monasterii de Bodelo[1] Cisterciensis ordinis Tornacensis diocesis.

Solet annuere etc. usque: impertiri. Significastis siquidem nobis, quod cum monasterium vestrum sit de novo constructum, venerabilis frater noster . . episcopus Tornacensis, loci diocesanus, novelle plantationis desiderans incrementum et eiusdem compatiens paupertati, decimas novalium tam presentium quam futurorum in territorio quod Wasia[2] vulgariter nuncupatur, ad ordinationem eius, cum non essent infra fines alicuius parrochie, pleno iure spectantes, excepta tertia garba, quam reservavit sacerdotibus qui processu temporis ibidem parrochialia ministrabunt, et in parrochiis suis de Wasemonstre, de Lokerna et de Belsela[3] necnon et quibusdam aliis locis duas garbas decimarum ad se pertinentes, in terris in quibus nichil perceperat prius tertia parrochialibus presbyteris reservata, eidem monasterio vestro liberali pietate concessit, prout in eius litteris inde confectis plenius continetur. Nos igitur vestris precibus inclinati concessionem huiusmodi, sicut pie ac provide facta est et in alicuius preiudicium non redundat, auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Nulli ergo nostre confirmationis etc. Si quis autem etc.

Dat. Perusii, X Kal. Martii, anno octavo.

628.

Gregorius IX papa potestati et populo de Bretenorio nuntiat, se [Albertum] patriarcham Antiochenum ad eos mittere, ut inter ipsos, Ravennates, Forolivienses, Ariminenses et Foropopulienses ex parte una et Faventinos, Cesenates, Urbinates et Cervienses ex altera pacem reformet; mandat, ut eius monitis pareant. *1235, Mart. 2.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 257; Lib. VIII, 454.

. . potestati et populo de Bretenorio[a,4].

Mediatoris Dei et hominum, Iesu Christi, qui ut nostro nos creatori coniungeret et pacem inter Deum et hominem reformaret, intra inviolate puelle viscera forma in-

[a]) Bretenor̄ R.

1) *Prope Gandavum.* 2) *Inter Gandavum et Antwerpiam.* 3) *In territorio Wasiae sitis.* 4) *Hodie Bertinoro in Romaniola e meridie Ravennae prope Cesenam.*

qui non est dedignatus humana, prout possumus vestigia imitari tenemur, et ut eius re sicut nomine vicarii censeamur, discordes ad concordiam summo desiderio trahimus, dissentiones et scismata ab ecclesia Dei, quantum nobis ab ipso permittitur, extirpamus, quia illud granum orreum celeste non recipit, quod ex se odii zizaniam non purgavit, et, sicut sine via non potest iri quo tenditur, sic ascensus ad celestem patriam, nisi quem caritas tribuit, non habetur. Audistis etenim, quod Cain, qui fratrem suum odio habuit, ad eius munera Dominus non respexit. Ex quo colligite, quod Deum placatum habere non poterat, quem fraterni odii flamma interius comburebat. Sane ad nostram noveritis audientiam pervenisse, quod cum inter vos, Ravennates, Forolivienses, Ariminenses et Foropopulienses ex parte una et Faventinos, Cesenates, Urbinates et Cervienses ex altera sit materia discordie suscitata, guerras adinvicem movetis et prelia, non attendentes quod etsi iura civitatis vestre intenditis prosequi, persequendo tamen proximum Deum offenditis et animarum vestrarum de facili periculum incurretis, quia necesse est, ut ab eis, inter quos contentiose aliquid agitur, fraterna quodammodo caritas extinguatur. Verum cum nuper, ne subsidium Terre Sancte retardari vel impediri contingeret, de fratrum nostrorum consilio duxerimus statuendum [1], ut principes et populi Christiani saltem per quadriennium adinvicem pacem observent, et ut discordantes ad pacem vel treuguam inviolabiliter observandam ab ecclesiarum prelatis per excommunicationis et interdicti sententias compellantur, nosque pacem in toto orbe terrarum procurare, si datum fuerit desuper, teneamur: ecce venerabilem fratrem nostrum . . patriarcham Antiochenum, maximum ecclesie Dei membrum, virum magna preditum honestate, nobis et fratribus nostris merito sue probitatis et devotionis acceptum, ad vos duximus transmittendum, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus super reformanda pace vel treuguis statuendis inter vos et alios predictos hinc inde, seu de parendo iuri super hoc, ipsius mandatis et monitis parere taliter studeatis, quod ex hoc et Deum habere propitium et animarum vestrarum possitis effugere detrimentum. Alioquin sententiam, quam idem ob hoc rite tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctore Domino firmiter observari.

Dat. Perusii, VI Non. Martii, anno octavo.

In eundem modum . . potestati et populo Cerviensi et . . potestati et populo Foropopuliensi.

629.

Gregorius IX papa potestatem et populum Viterbiensem a fidelitatis et vassalagii iuramentis, quae olim Romanis praestiterint, licet sedes apostolica hoc ex quadam necessitate permiserit, penitus absolvit. Cf. n. 618. *1235, Mart. 5.*

Greg. IX Reg. Vol. IV, 257; Lib. VIII, 453.
Potthast, Reg. 9849.

. . potestati et populo Viterbiensi.

Cum olim civitas Viterbiensis, que iuris beati Petri existit, continuis esset a Romanis attrita guerrarum impulsibus et dampnis gravibus lacessita, nec alias posset eidem optate pacis remedio subveniri, quamquam ad hoc multum fuerit laboratum,

1) *Cf. n. 605.*

fidelitatis eis et vassallagii iuramenta sic coacti, salva fidelitate seu mandato sedis apostolice, dicimini prestitisse. Cum igitur Romani degenerantes ex filiis in privignos se indevotos adeo reddiderint et ingratos, quod nulla videatur in eis devotionis scintilla vel gratitudinis remansisse, nos, licet sedes apostolica hoc ex quadam necessitate permiserit, attendentes iuramenta huiusmodi non posse recipi vel prestari absque preiudicio Romane ecclesie ac ipsius iniuria et contemptu, de fratrum nostrorum consilio iuramenta eadem relaxantes, vos ab eis reddimus penitus absolutos, ac ad eorum observantiam decernimus non teneri. Nulli ergo nostre absolutionis etc. Si quis autem etc.

Dat. Perusii, III Non. Martii, anno octavo.

630.

Gregorius IX papa archiepiscopos, episcopos et ceteros principes tam ecclesiasticos quam mundanos per imperium constitutos rogat, ut Henricum, qui Friderico Romanorum imperatori patri suo se opposuerit, ad rectitudinis semitam reducant, nuntians se omnia iuramenta in preiudicium imperatoris praestita irrita decernere. 1235, Mart. 13.

Greg. IX Reg. Lib. VIII, 461. Edimus ex Ragn. Ann. eccl. a. 1235, § 9. Potthast, Reg. 9855.

Archiepiscopis, episcopis, ceterisque principibus, tam ecclesiasticis quam mundanis, per imperium constitutis, presentes litteras inspecturis.

Rem multiplici ratione placitam et evidentibus indiciis fructuosam qui diligit, invitus ledi patitur et studiosus eandem opportuno tempore pretuetur. Hinc est, quod cum carissimus in Christo filius noster Fredericus ex eo nobis potissime dilectus et diligendus existat, quod ad tuendum sacerdotium ipsum noverimus a Domino deputatum, et quia devotionem eius diversis experti temporibus, illam ferventem in devotione senserimus ecclesiastice libertatis, pati nolentes, sicut etiam nec debemus, quod a quoquam sibi aliqua inferatur iniuria vel iactura, universitatem vestram rogamus et obsecramus in domino Iesu Christo, quatenus provida meditatione pensantes, quam indecens et probrosum existat, ut patrem filius seu quemquam benemeritum quisquam gratis offendere moliatur, dilecto filio Henrico nato imperatoris eiusdem, qui, tanquam nec visu nec auditu perceperit que genitoribus a filiis reverentia debeatur, divine legis immemor et affectionis humane contemptor, dicto imperatori se petram opposuisse scandali perhibetur[1], nullum in concepta prosecutione nequitie prestetis consilium, auxilium vel favorem, sed ipsum potius, quem non absque gravi nota procedere ad excessum tam detestabilis inconvenientie permisistis, quod velut a ratione

1) *a. 1234, Sept. 2 gravamina sua contra imperatorem in epistola ad Conradum II episcopum Hildeshemensem directa enumeraverat: Huillard-Bréholles, l. c. t. IV, p. 682; medio mense Sept. patri suo aperte se opposuerat; ibidem p. 686; et paulo post ab Eberhardo II archiepiscopo Salisburgensi iussu papae excommunicatus esse videtur; cf. papae epistolam a. 1235, Aug. 1 datam. — Hoc loco annotandum est papam iam a. 1234, Iul. 5 Theoderico II archiepiscopo Treverensi mandasse, ut Henricum regem, nisi patri suo devotus existat, pro periurio per Teutoniam excommunicatum nuntiet. Haec epistola, quae magni momenti ad historiam rebellionis est, in Reg. extare non videtur; nam Pertzius, si eam ibidem invenisset, eam certe descripsisset. Wurdtwein, in cuius Nov. Subsid. dipl. t. I, p. 56 legitur, eam ex cod. eccles. s. Andreae Wormat. sumpsit.*

dissonum et actori iustitie penitus inimicum indigne gerimus et omnimode reprobamus, de invio discriminis prudenter et efficaciter ad rectitudinis semitam sublato tarditatis obstaculo reducatis; solerti studio procurantes, quod ab incepta temeritate desistens, quam ulterius protendi nolumus sed succidi, presertim cum his potissime temporibus pro succursu Terre Sancte debeat in pace constitui universitas fidelium nationum, festinus ad obtinendam patris benedictionem et gratiam accingatur, impiis colligationibus, quas contra ipsum damnabiliter fecisse dignoscitur, dissolutis. Verum, ut quod petimus eo facilius consequatur effectum, quo vacuis aliquorum exceptionibus non extiterit impeditum, omnes, qui contra iuramentum fidelitatis predicto imperatori prestitum prefato nobili iuramentis prestitis adheserunt, duximus absolvendos, illa irrita decernentes.

Dat. Perusii, III Idus Martii, anno VIII.

631.

Gregorius IX papa [Sigefrido] episcopo Ratisponensi, imperialis aulae cancellario, mandat, ut [Hermanno] Herbipolensi et [Sibotoni] Augustensi episcopis et [Conrado] abbati Fuldensi, qui Henrico contra imperatorem patrem eius nequiter adhaereant, districte iniungat, ut infra duos menses sedi apostolicae se repraesentent; alioquin eos ad id compellat. Mandat praeterea, ut D[egenhardum] de Houge et Walterum de Tanneberg, canonicos Herbipolenses, qui Mediolanum contra imperatorem iverint, ad praesentiam suam venire compellat. Cf. n. 630.

1235, Mart. 13.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 259; Lib. VIII, 462.
Potthast, Reg. 9854.

. . episcopo Ratisponensi, imperialis aule cancellario.

Si assumpti in sortem Domini, ut que sunt tenebrarum effugiant et ab aliis eadem doceant evitari, errantes in invio reprobe voluntatis relicto tramite rationis favore dampnabili prosequantur, tanto graviori dolore tangimur, quanto[a] in eisdem dilectas Deo virtutes amplectimur et inimica vitia detestamur. Hinc est, quod, sicut mirantes accepimus et referimus conturbati, cum venerabiles fratres nostri . . Herbipolensis et . . Augustensis episcopi ac . . abbas Vultuensis, advertere negligentes quod ipsis inquirere pacem ac persequi debeatur, pro posse fideliter desudando ut in Teutonie partibus nova scandali materia non consurgat, dilecto filio nobili viro Henrico, carissimi in Christo filii nostri Friderici etc. nato, qui, tanquam statuta divine legis odiat et iura nature contempnat, se imperatori prefato opposuisse nequiter perhibetur, dicantur contra omnem hominem iuramentis prestitis adhesisse, nos, nolentes temeritatem huiusmodi sub silentio et absque vindicta debita preterire, ut ipsi de tam notabili defectu peniteant et alii temptare similia non presumant, districte precipiendo mandamus, quatinus inquisita super premissis diligentius veritate, si rem inveneris ita esse, ipsis firmiter ex parte nostra iniungas, ut infra duos menses post monitionem tuam recepturi pro meritis se conspectui apostolico representent. Alioquin eos ad id auctoritate nostra cessante appellatione compellas. Ceterum D. prepositum de Houge et Walterum de Taneberch, canonicos Herbipolenses, qui Mediolanum contra impe-

a) quantum R.

ratorem eundem ivisse de mandato dicti nobilis referuntur[1], suspensos ab officio et beneficio ad nostram venire presentiam per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas, iuramenta, que dicti episcopi seu quilibet alii contra iuramentum fidelitatis predicto imperatori prestitum prefato nobili prestiterunt, irrita auctoritate nostra promulgans, necnon quibusque clericis sub pena officii et beneficii eadem auctoritate districtius inhibens, quod sepedicto nobili contra imperatorem eundem assistere aliquatenus non presumant.

Dat. Perusii, III Id. Martii, anno octavo.

In eundem modum . . episcopo Ildesemensi[2].

632.

Gregorius IX papa potestatem et populum Tuscanensem a iuramentis Romanis praestitis penitus absolvit. Cf. n. 618 et 629. 1235, Mart. 18.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 260; Lib. VIII, 468.

. . potestati et populo Tuscanensi[3].

Cum olim civitas Tuscanensis, que iuris beati Petri existit, continuis esset a Romanis attrita guerrarum impulsibus et dampnis gravibus lacessita, fidelitatis eis per violentiam iuramenta, salvo mandato seu fidelitate sedis apostolice, dicimini prestitisse. Nos igitur, attendentes iuramenta huiusmodi non posse recipi vel prestari absque preiudicio Romane ecclesie ac ipsius iniuria et contemptu, de fratrum nostrorum consilio iuramenta eadem relaxantes, vos ab eis reddimus penitus absolutos, ac ad eorum observantiam decernimus non teneri. Nulli ergo nostre absolutionis et constitutionis etc. Si quis autem etc.

Dat. Perusii, XV Kal. April. anno octavo.

In eundem modum consulibus et populo Cornetano.

In eundem modum consulibus et populo Sutrino.

In eundem modum consulibus et populo Civitatis Castellane.

In eundem modum potestati et populo Narniensi

In eundem modum consulibus et populo Montisalti.

In eundem modum potestati et populo Ameliensi.

In eundem modum rectoribus et populo Ortano.

In eundem modum consulibus et populo Nepesino.

In eundem modum universis fidelibus nostris per Sabiniam constitutis.

633.

Gregorius IX papa universis fidelibus suis per Sabiniam constitutis interdicit, ne castrum sine apostolicae sedis licentia aedificent vel reaedificent. 1235, Mart. 18.

Greg. IX Reg. Vol. IV, 260; Lib. VIII, 469.

Potthast, Reg. 9862.

1) *Cf. Henrici regis litteras a. 1234, Nov. 13 et 14 datas, ap. Huillard-Bréholles, l. c. t. IV, p. 694—696, et instrumentum foederis inter ipsum et Lombardos Dec. 17 initi, ibidem p. 704.* 2) *Conrado II.* 3) *Haec civitas et infra nominatae omnes in septentrionali patrimonii parte sitae sunt.*

Universis fidelibus nostris per Sabiniam constitutis.

Cum tota terra Sabinie iuris et proprietatis beati Petri existat, de fratrum nostrorum consilio presenti constitutione sancimus, ut in ea nullum castrum edificari vel reedificari de cetero valeat absque sedis apostolice licentia speciali, sub interminatione anathematis et pena mille librarum edificantibus ac viginti singulis operariis districtius inhibentes, ne quis contra statuta huiusmodi venire presumat. Nulli ergo nostre constitutionis et inhibitionis etc. Si quis autem etc.

Dat. ut supra.

634.

Quattuor epistolae de foedere inter Alatinum soldanum Iconii et Gregorium IX papam ineundo: 1) Soldanus scribit papae, se ad eum Iohannem de Gabra hominem Christianum mittere, cui in omnibus, quidquid locutus fuerit, credat. 1234, Mai. 2) Nuntiationes Iohannis de Gabra, qui inter alia declarat, dominum suum paratum esse Christianos iuvare, ut Ierusalem et omnes terras recuperent, quas tempore Saladini habuerint. 3) Papa soldano notum facit, se Iohannem de Gabra nuntium eius et litteras laetanter recepisse; cito nuntios se directurum esse, qui plenius respondeant. 1235, Mart. 20. 4) Idem ad eundem scribit, se Iohannem de Gabra ad Fridericum Romanorum imperatorem remittere, qui ei regredi cupienti de reditu decenter provideat. 1235, Mart. 20.

Greg. IX Reg. Lib. VIII, 143, 477, 479[a], 478. — Ep. I, II et III edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1235, § 37—40.

N. III ap. Potthast, Reg. 9866.

I.

[Littere ad dominum papam.][b]

Sanctissime[1] et angelis equalis archiepiscope magne Rome et magne papa omnium per orbem terrarum Christianorum, Alatinus[2], magnus soldanus Iconii et potestas omnium terrarum per orientem et septentrionalem plagam existentium et magne Cappadocie, cum salute. Notifico sanctitati tue, quod iam dudum disposueram unum magnatem vassallum meum ad vestram mittere sanctitatem ad exponendum vobis affectionem nostram, quam erga vestram gerimus sanctitatem, et ad tractandum inter ambos amicitiam et pacem et ad disperdendum et destruendum inimicum; sed propter longam viam guerrarumque discrimina, et quia non pauca regna adiacent inter vos et nos, non vidimus esse tutum aliquem magnatem hominem destinare, ne a malis et invidis

---

a) *ita correxit Pertzius pro* 478 *ap. Rayn.* b) *haec inscriptio deest ap. Rayn.*

1) *Wilken, Gesch. der Kreuzz. t. VI. p. 562, not. 25 hanc epistolam certe spuriam esse dicit, sed nescio, qua de causa eam in curia fictam esse dicamus. Non multum soldanus offert. Auctor quidem Vitae Greg. IX, ap. Muratori, Rer. Ital. SS. t. III pars I, p. 580, narrat eum promisisse, se Christianae religionis culturam subiturum, sed neque in litteris eius neque in nuntiationibus Iohannis de Gabra hoc legitur. Id unum soldanus rogat, ut papa ad foedus cum Christianis regni Hierosolymitani faciendum partes interponat. Epistola inter alias mensis Febr. in Reg. relata est, nuntiationes autem Iohannis de Gabra et responsa papae post Mart. 20; ex quo probabile est papam epistolam illam Reg. inseri iussisse, cum quid responsurus sit, nondum sciret et adventum nuntii expectaret, qui ad imperatorem primo directus epistolam praemiserat. Id etiam animadvertas scriptorem in lingua Latina minus versatum fuisse eiusque stilum ab usu curiae aliquantum differre. Credimus igitur epistolam a Iohanne de Gabra 'homine Christiano' exaratam et a soldano approbatam et sigillatam esse.* 2) *Id est Alaeddin.*

hominibus, qui sunt in medio, vassalli mei malum paterentur, et amitterem eosdem homines meos. Ac propter hoc ab anno tertie indictionis usque ad presentem diem instantis septime indictionis usque ad sex personas sub habitu monachali, tanquam humiles homines qui votum habent et accedunt de partibus istis adorandum limina Sancti Petri et Sancti Iacobi, ad vestram sanctitatem direxi, ne forte cognoscerentur et ab inimicis impedirentur. De ipsis autem duo reversi sunt, reliqui vero quatuor quare non fuere reversi nescio, et sicut reor, nec ipsi duo monachi, qui fuerunt reversi, potuerunt exponere sanctitati vestre nuntiationes meas, quas sanctitati vestre mittebam, nec etiam litteras reportaverunt mihi ad certitudinem. Quamobrem necessarium duxi unum magnum hominem meum fidelem mittere ad exponendum tibi voluntatem meam, meditansque in memetipso atque considerans aliud non inveni ingenium, ut posset homo meus pervenire ad vos, nisi istum hominem meum, quem ad imperatorem Theutonicorum Fridericum transmitto, ut ipse, associato homine meo homini suo, ipsum ad vestram sanctitatem transmittat. Nunc itaque misi[a] fidelissimum et proprium[b] soldanice potestatis mee, hominem Christianum, nomine Iohannem de Gabra, ad sanctitatem vestram cum litteris meis et quodam parvo negotio, quod esset occasio litterarum ad fidem; sed prius quidem misi eum ad imperatorem et rogavi eundem, ut eum ordinatione sua ipsum ad vestram dirigat sanctitatem, et spero quod ipse non erit negligens; et pro eo quod ipsum ad imperatorem direxi, nullam causam vel nullum negotium in litteris annotavi, sed totam voluntatem meam et mandata mea eidem fideli meo Iohanni Gabra commisi, ut ipse viva voce sanctitati tue loquatur, et quidquid ipse vobis locutus fuerit, tanquam ab ore meo recipiatur a sanctitate vestra; ac preter litteras istas habet etiam alias litteras a nobis Syro sermone sub bulla similiter aurea sigillatas. Perlectis autem litteris et auditis ab eodem, quamcumque voluntatem habuerit vestra sanctitas, mittat nuntium suum ad implendam voluntatem utriusque partis.

Scriptum mense Maii indict. VII.

II.

Nuntiationes Iohannis Gabra, nuntii soldani Iconii.

Ego Iohannes Gabra, servus et nuntius domini mei soldani Iconii, adoro et osculor vestigia sanctorum pedum sanctitatis tue, et notifico atque expono sanctitati tue ex parte domini mei ea, que mihi precepit vobis oretenus exponenda. In primis vult idem dominus meus, ut habeat sanctitatem vestram amicam, sicut habet Theutonicorum dominum Fredericum cum cautione iuramenti, et ut mittas nuntium tuum ad eundem dominum meum, ut iuret idem dominus meus. Et si hoc factum fuerit inter utrosque, paratus est idem dominus meus iuvare vos et pugnare vobiscum ad recuperandum Ierusalem et omnes terras, quas habuerunt Christiani in tempore Saladini; et quando volueris mittere ad eum nuntium tuum, paratus est idem dominus meus adimplere predicta. Peto etiam ego predictus Iohannes, ut quando nuntium vestrum miseris ad dominum meum, predictas nuntiationes meas deferat in scriptis secum ad dominum meum ad maiorem cautelam et certitudinem.

III.

Nobili et egregio principi soldano Iconii viam agnoscere veritatis.

Dilectum filium Iohannem Gabram, Christianum, virum sapientem, providum et discretum, nuntium tuum, et litteras, quas nobis per ipsum dirigere curavisti, letanter

a) mihi *Rayn.* b) *an* proximum?

recepimus et benigne, et tam earum[a] continentiam quam ea, que idem ex parte tua nobis exponere voluit, intelleximus diligenter. Sane devotionem, quam ad nos et ad apostolicam sedem habere dignosceris, dignis in Domino laudibus commendantes, nobilitati tue significatione presentium intimamus, quod discretos nuntios, quam cito poterimus, ad magnitudinis tue presentiam auctore Domino dirigemus, per quos super iis, que significasti nobis, prudentie tue curabimus plenius respondere.

Dat. Perusii, XIII Kalend. Aprilis, pontificatus nostri anno VIII.

IV.

Nobili et egregio principi soldano Yconii viam veritatis agnoscere.

Dilectum filium Iohannem Gabram, Christianum, virum sapientem, providum et discretum, nuntium tuum, quem ad nos karissimus in Christo filius noster Fridericus etc. transmisit, ad ipsius imperatoris duximus presentiam remittendum, imperialem excellentiam rogantes attentius et hortantes, ut eo ad magnitudinem tuam regredi cupiente, de suo reditu iuxta imperatorie celsitudinis decentiam provideret.

Dat. Perusii, XIII Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno octavo.

635.

Fridericus Romanorum imperator Gregorio IX papae scribit, se licet multa dispendia in bello contra Romanos perpessus sit, tamen paci, de qua nunc inter eosdem et ecclesiam tractetur, non obesse, si utilis fieri possit; monet ne propter absentiam suam inutilem faciat, cum etsi ab itinere suo[1] desistere non possit, ecclesiam indefensam dimissurus non sit; nuntiat se [Hermannum] magistrum Teutonicorum proximo festo paschae [April. 8] ad sedem apostolicam mittere. 1235, Mart. 27.

Greg. IX Reg. Vol. V, 13; Lib. IX, 13.
Bohmer-Ficker, Reg. Frid. II, n. 2081.

636.

Acta pacis inter ecclesiam et Romanos initae. 1235, April.—Mai.

Greg. IX Reg. Vol. V, p. 121 et sequ. Haec acta separatim collecta quasi appendix Libro IX eodem modo adiuncta sunt, quo litteras de pace inter ecclesiam et imperatorem a. 1230 facta Libro III annexas invenimus. Quo ordine in Reg. legantur, ex apographis Pertzii non satis elucet; numeros adiecimus, quos invenimus ap. Papencordt, Gesch. der Stadt Rom im Mittelalter ed. Höfler, p. 293, not. 3, ubi haec acta ex Reg. proposita sunt, idque ordine tam confuso ut ea ibidem ita legi credamus. Etiam nonnulla alia, quae in Pertzii apographis non continentur, ex Hofleri editione, quam H. appellabimus, deprompsimus, sicut infra annotatum est; in quo interdum difficile fuit Regestorum textum ad verbum restituere, cum editio H. minus accurate facta sit.

---

[a]) eorum *Bagn.*

1) *Scil. in Alamanniam contra filium suum Henricum.*

I.

Duae epistolae Gregorii IX papae, quibus [Romano] episcopo Portuensi, I[ohanni] tituli Sanctae Praxedis et S[tephano] tituli Sanctae Mariae trans Tiberim presbyteris cardinalibus mandat, ut iuxta formam, quam iis per G[regorium] de Fusca de Berta transmittat, pacem cum Romanis faciant. *1235, April. 7.*

n. 2 et 3.

. . episcopo Portuensi, I. tituli Sancte Praxedis et S. tituli Sancte Marie Transtiberim presbyteris cardinalibus.

Si obtineri contigerit que continet forma pacis, quam vobis per dilectum filium G. Fuscon.[a] Berte subdiaconum et capellanum nostrum duximus transmittendam, mandamus, quatinus nobis quod factum fuerit quamtocius intimare curetis, ut super cautionibus et securitatibus, que ad conservandam pacem et concordiam expedire videntur, plenius deliberare possimus.

Dat. Perusii, VII Id. April. anno nono.

Eisdem.

Recepto super pacis negotio imperatoris responso[1] et collatione habita cum fratribus, ecce dilectum filium G. Fuscon.[a] Berte subdiaconum et capellanum nostrum ad vos duximus remittendum, mandantes quatinus iuxta formam, quam sub bulla nostra vobis transmittimus per eundem, ad firmandam pacem inter ecclesiam et Romanos procedatis in nomine Iesu Christi, [instantes[b] sollicite, sicut alias vobis dixisse[c] meminimus viva voce, super obtinendo ultimo eiusdem forme capitulo, ac ad hoc ipsum omni quo potestis studio laborantes. Quod si forte nequiverit obtineri, ad pacis nichilominus procedi volumus firmamentum, protestatione premissa quod patrimonium ecclesia proculdubio indefensum non deseret, si Romani illud duxerint molestandum].

Dat. Perusii, VII Id. April. anno nono.

II.

Forma pacis a papa cardinalibus missa: 1) enumerantur iniuriae, de quibus Romani ecclesiae satisfacere debent, 2) conditiones, quibus ecclesia parata est pacem inire.

n. 1 et 2.

Articuli, qui debent exigi a Romanis.

Primus articulus est, quod satisfaciant ad mandatum domini pape super quatuor articulis, qui a nuntiis sunt expressi: scilicet super facto edificii Montis alti, obsidibus, iuramentis et terminis positis, et quia iustitiarii in Sabiniam et Tusciam iverunt ad exigenda iuramenta predicta et possessiones ecclesie et fidelium suorum occupandas, ecclesie satisfiat[2].

Secundus, quia diffidaverunt cardinalem scilicet dominum Ranerium[3] et magistrum Bartholomeum notarium.

---

a) Fuscoñ *R.* b) *Ad* [instantes — molestandum] *in Reg. annotatum est* Vacat, *i. e. deleas. Papa, quia iterato consilio ultimo articulo infrascriptae formae pacis [n. II] insistendum non putarit, hanc epistolam antequam missa fuit cassarit aliamque scribi iussit, in qua haec clausula non legatur.* c) direxisse *R.*

1) *Cf. n. 635.* 2) *Cf. n. 591.* 3) *Sanctae Mariae in Cosmidin diaconum cardinalem, de quo cf. etiam n. 592.*

Tertius, quia spoliaverunt sacrum palatium Lateranense et occupaverunt illud, et quasdam domus cardinalium spoliarunt.

Quartus, quia senator fecit privilegium Ramucio et Romanis pro eorum dampnis super bonis ecclesiarum Ostiensis, Tusculanensis et Penestrini episcopatuum et aliarum ecclesiarum et aliis possessionibus et terris fidelium patrimonii beati Petri.

Item quia statuerunt, quod Romanus pontifex non regrediatur ad Urbem, seu quod non faciant pacem cum eo, nisi prius restituat omnia dampna illata Romanis.

Super predictis omnibus satisfieri debet ad mandatum domini pape.

Petitiones ecclesie iste sunt.

Prima, quod omnes clerici et ecclesiastice persone, qui sunt in Urbe et extra, et familie domini pape ac cardinalium conveniantur tantum sub iudice ecclesiastico, nec ad secularem trahantur, nec ad hoc cogantur per fossiones domorum aut alio compulsionis genere, nec aliqua occasione inquietentur.

Item nulli clerici vel religiosi vel laici cuiuscumque condicionis vel ordinis, qui veniunt ad apostolicam sedem vel limina beati Petri, trahantur ad iudicem secularem nec aliquo modo cogantur, set a senatore et senatu potius defendantur.

Item quod nulla collecta vel exactio fiat ab aliquibus ecclesiis, clericis vel personis religiosis tam in Urbe quam extra.

Item quod restituant veram et perpetuam pacem et perpetuo servandam imperatori et suis, Anagninis, Signinis, Velletrensibus, Viterbiensibus, Campanis, Maritimanis, Sabinensibus, comiti Willelmo[1], et omnibus aliis hominibus de patrimonio et omnibus fautoribus et adiutoribus ecclesie.

[Item[a] quod illi de patrimonio ad Capitolium ulterius non trahantur.

Preter predicta protestatur ecclesia, quod si Romani molestaverint patrimonium, non patietur set sine dubio illud defendet.]

III.

R[omanus] episcopus Portuensis, I[ohannes] tituli Sanctae Praxedis et S[tephanus] tituli Sanctae Mariae trans Tiberim presbyteri cardinales Gregorio IX papae nuntiant, se eius litteras per Gregorium [de Fusca de Berta] allatas recepisse et die Iovis [April. 12, cf. n. IV] in Capitolio conditiones pacis senatori et populo Romano exposuisse, quas iidem acceptaverint; rogant, ut captivis Romanis de liberatione provideat.

n. 4. *1235, post April. 12.*

Littere cardinalium super facto pacis.

Sanctissimo in Christo patri domino G., Dei gratia summo pontifici, R. miseratione divina Portuensis et Sancte Rufine episcopus, I. tituli Sancte Praxedis, S. tituli sancte Marie Transtyberim presbyteri cardinales, cum osculo pedum reverentiam tam debitam quam devotam. Quia nullus locus ita aptus inveniebatur, et videbatur fidelibus et devotis ecclesie, quod firmior esset pax, si eam Dominus perduceret ad effectum, si fieret in Capitolio quam in alio loco Urbis, licet non multum libenter, die Iovis in mane ascendimus illuc. Romanis die Mercurii precedenti per vexillum et bucinas, sicut moris est, ad audiendum que proponere volebamus sollempniter con-

a) *Ad* [Item — defendet] *in Reg.* Vacat; *cf. p.* 521, *not. b. Hi articuli in instrumentum senatoris de pace inita [n. VIII] recepti non sunt.*

1) *Ut videtur comiti palatino Tusciae, de quo cf. n. 590 et 597.*

vocatis. Ibidem autem presentibus populo et senatore[1], qui iam exiverat versus Maritimam propter moram Gregorii capellani vestri mandato populi, qui propter nimiam protractionem de die in diem a nobis se conquerebatur deceptum, licet predictus Gregorius in duobus diebus de Perusio ad nos pervenerit, illa, que nobis per vestras litteras apportavit, plene et plane exposuimus. Romani vero audierunt humiliter et devote et omnia, que eis ex parte vestra et ecclesie fuerunt exposita, acceptaverunt. Et nos litteras vestras, per quas nobis data fuerat potestas firmandi pacem cum eis, senatori et populo exhibentes, pacem secundum formam nobis a vestra sanctitate transmissam ex parte vestra et ecclesie acceptavimus; et sic pax est per gratiam Dei hinc inde recepta. Nos autem universa et singula per ordinem sicut acta sunt per Gregorium predictum in brevi exponere et intimare curabimus. Quare si placet omnes captivos Romanos, qui tam Viterbii quam et apud Montem Cucozon.[a] et Altetum et ubicumque alibi detinentur, per bonum et diligentem nuntium recipi et duci ad presentiam vestram sine more dispendio faciatis, ita quod sine alicuius impedimento captivi Romani cito haberi possint et ducti[b] ad presentiam vestram sine more dispendio valeant liberari, et nos in premissis veraces et fideles inveniamur.

Ego Gregorius servus vester, acus inter ferramenta, qui omnibus predicti interfui, me sanctitati vestre recommendo.

IV.

Iidem cardinales papae scribunt se ad eum Gregorium de Fusca de Berta destinare, qui ei omnia, quae ad pacem die Iovis post pascham [April. 12] a Romanis acceptatam spectent, plenius exponat; rogant, ut Urbi appropinquet.

n. 8. *1235, post April. 12.*

Littere eorundem cardinalium super eodem.

Sanctissimo etc. ut supra. Sicut per alias nostras litteras sanctitati vestre nuper duximus exponendum, die Iovis post pascha . . senatore ac universo Romano populo congregato et eis forma pacis diligenter exposita, quia forma ipsa eis placuit, acceptata tunc fuit; et a senatore pro parte iamdicti populi et a nobis pro parte ecclesie pax extitit Domino faciente recepta. Ut autem universa, que ad pacem spectant, sanctitas vestra scire valeat seriatim, ecce dominum Gregorium de Fusca de Berta subdiaconum et capellanum vestrum, virum utique providum et discretum, qui in hoc negotio laudabiliter et multipliciter laboravit, clementie vestre duximus destinandum, suppliciter deprecantes quatinus que ad commodum et pacis pertinent firmamentum, absque difficultate qualibet adimplentes, eundem subdiaconum vestrum ad nos cum perfectione omnium velociter transmittatis, captivos Romanorum sine mora si placet venire ad vestram presentiam faciendo. Ante omnia, quia honori ecclesie satis credimus expedire, sicut olim viva voce ita et nunc per litteras supplicamus, quatinus Urbi appropinquare velitis si placet: nichil enim utilius negotio credimus expedire. Quia difficile esset omnia singillatim scribere, omnia posuimus in ore predicti G. et ei dedimus memoriale, in quo ea que proponere vobis debet, expressius continentur.

a) Cucozoñ *R.*, Cucolon *H.* b) duci *R.*

1) *Angelo Malabranca.*

V.

Gregorius IX papa eosdem cardinales de adventu G[regorii de Fusca de Berta] certiores facit iisque respondet se ratum habere, quidquid de pace statuerint, mandans ut cautiones iuxta formam, quam iis transmittat, a Romanis recipiant.
n. 5. *1235, April. 24.*

. . episcopo Portuensi,
I. tituli Sancte Praxedis et S. tituli Sancte Marie Transtyberim cardinalibus.

Mediatori Dei et hominum Iesu Christo, qui pacem inter Deum et hominem reformavit, etsi non dignas, quas tamen possumus gratiarum referimus actiones, sollicitudinem ac prudentiam vestram dignis in Domino laudibus commendantes, quod sicut ex tenore litterarum vestrarum et relatione dilecti filii G subdiaconi et capellani nostri nobis innotuit. Romani per vestre diligentie studium, eo faciente qui actiones bonas aspirando prevenit et prosequitur adiuvando, ad sinum matris ecclesie humiliter redeuntes, pacem secundum formam, quam sub bulla nostra per eundem capellanum vobis transmisimus, unanimiter acceptarunt. Nos igitur, quod super reformatione pacis inter ecclesiam et Romanos eosdem per vos factum esse dinoscitur, ratum et gratum habentes, sinceritati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus super hiis, que ad firmandam pacem pertinere noveritis, secundum datam vobis a Domino gratiam procedentes, cautiones ab eis recipere studeatis iuxta formam quam vobis interclusam presentibus destinamus[1]. Nos enim cautionibus receptis eisdem ad ea, que idem G. ex parte vestra nobis exposuit et expedire viderimus, dante Domino sine more dispendio procedemus.

Dat. Perusii, VIII Kal. Maii, anno nono.

VI.

Gregorius IX papa iisdem mandata sua de iurisdictione ecclesiarum, clericorum aliarumque personarum ecclesiasticarum mittit. *1235, April. 24.*
n. 6.

Eisdem.

Cum iuxta formam pacis inter ecclesiam et Romanos inite ecclesie, clerici et alie ecclesiastice persone ab ipsis iurisdictioni nostre libere sint dimissi, presentium vobis auctoritate mandamus, quatinus viros discretos et providos locis competentibus constituatis in Urbe qui omni personarum acceptione ac dilatione remotis et nullo a partibus petito salario vel recepto, plenam a clericis et ecclesiis Urbis eiusdem faciant auctoritate apostolica de ipsis conquerentibus coram se iustitiam exhiberi.

Dat. Perusii, VIII Kal. Maii, anno nono.

VII.

Formulae iuramentorum senatoris et officialium Capitolii, quibus iidem ad observationem pacis initae se obstringere debent. Cf. n. V.
n. 10 et 11.

---

1) *Scil. n. VII et formulam instrumenti n. VIII, quae ap. H. sub n. 9 invenitur; vid. infra.*

Forma iuramenti senatoris.

Ego . . senator tactis sacrosanctis evangeliis iuro, quod pacem initam inter ecclesiam et Romanos tempore domini Gregorii pape noni et Angeli Malabrance[a] senatoris Urbis servabo, faciam et procurabo bona fide, quod inviolabiliter et perpetuo a Romanis servetur, et non ero in facto vel consilio, quod aliquo modo vel ingenio violetur. Item quod successorem meum, unum vel plures, compellam, ut prestet huiusmodi iuramentum et faciat, quod vestararii, iudices palatii, iustitiarii, scriniarii et assectatores et generaliter officiales omnes, quocumque nomine censebuntur, iurabunt secundum formam infrascriptam, secundum quam officiales mei iurabunt. Item quod totam istam formam iuramenti senatoris et officialium ponam in capitulari iuxta capitula de fide catholica defendenda, et quod nullo tempore, nulla fraude, nullo modo vel ingenio contra veniam nec permittam, quod per quoscumque alios per consilium vel consilia, statuta vel statuenda vel contionem vel populi acclamationem vel privilegium hoc iuramentum vel statutum mutari vel deleri vel diminui possit de statuto vel capitulari senatoris vel senatus.

Forma iuramenti officialium Capitolii.

Ego . . officialis tactis sacrosanctis evangeliis iuro, quod pacem initam inter ecclesiam et Romanos tempore domini Gregorii pape noni et Angeli Malebrance senatoris Urbis servabo, faciam et procurabo bona fide, quod inviolabiliter et perpetuo a Romanis servetur, et non ero in facto vel consilio, quod aliquo modo vel ingenio violetur.

Item statuatur, quod omnes senatores et officiales, qui pro tempore fuerint, idem iurent et eodem modo.

Item presente populo et de ipsius mandato plures vel unus de Romanis iurabit in anima omnium omnia supradicta servare et nullo modo contravenire.

Item protestatio fiat, quod excommunicabuntur omnes illi, qui contra pacem et concordiam venient supradictam[1].

VIII.

Instrumentum Angeli Malabranceae senatoris Urbis, quo satisfactionem de iniuriis ecclesiae illatis promittit et petitiones ecclesiae sub n. II enumeratas acceptat.

Actum 1235, April. 12; [datum circa Mai. 16][2].

n. 9 et 13; sub duplici forma, ut ap. H. legimus, in Reg. extat: n. 9, quae in capite hanc inscriptionem habet: Statuta senatoris et populi Romani super reformatione pacis facta inter ipsos et ecclesiam, *nota chronologica caret, ex quo apparet formulam esse quam papa cardinalibus transmiserit, et n. 13, quam infra proponimus, instrumentum sicut publicatum sit. Damus textum ex Rayn. Ann. eccl. a. 1235, § 1—6, inscriptionem et notam chronologicam addentes ex H.*

a) Malabrancē *R.*

1) *Sequitur ap. H. sub n. 12 sententia excommunicationis in Lucam senatorem et consilium Urbis a. 1234, exeunte mense Mai.—Iul. lata, quam sub n. 591 dedimus. Sicut n. 420 bis Regestis inserta est.* 2) *April. 12 conditiones pacis a Romanis acceptantur [Cf. n. IV], sed hoc die instrumentum datum esse non potest. April. 21 [n. V] papa 'cautionum formam' cardinalibus destinavit et post Mai. 16 [n. XI] iidem papae nuntiant: senatorem privilegium super capitulis pacis confectum iuxta formam transmissam sibi assignasse. Verisimillimum est eodem die, quo senator statuta de iuramentis praestandis secundum formam sub n. VII datam publicaverit [n. IX] et ipse iuraverit [n. X], i. e. Mai. 16, etiam hoc instrumentum scriptum esse.*

Privilegium senatoris super pace inita inter ecclesiam et Romanos.

In nomine domini nostri Iesu Christi. Ad honorem omnipotentis Dei et beate Marie semper virginis et beatorum Petri et Pauli apostolorum et omnium sanctorum, ad honorem quoque sacrosancte Romane ecclesie matris nostre et sanctissimi patris nostri domini Gregorii, Dei gratia summi pontificis, nos Angelus Malabranca, Dei gratia alme Urbis illustris senator, decreto et auctoritate sacri senatus, mandato quoque et instanti acclamatione inclyti populi Romani, ad sonum campane et buccinarum publice et plenissime in Capitolio congregati, ad propositionem venerabilium patrum dominorum R. Portuensis et Sancte Ruffine episcopi, I. de Columna tituli Sancte Praxedis et S. tituli[a] Sancte Marie trans Tyberim presbyterorum cardinalium, super discordia inter sacrosanctam Romanam ecclesiam matrem nostram et eundem sanctissimum patrem nostrum summum pontificem et senatum populumque Romanum exorta, nomine senatus et populi promittimus nos satisfacturos ad mandatum ipsius domini pape super facto edificii et obsidibus Montis Alti, iuramentis exactis tempore senatus Luce de Sabellis et terminis positis tempore senatus eiusdem in patrimonio et terris fidelium ecclesie, et quia iustitiarii in Sabiniam et Tusciam tempore eiusdem senatus iverunt ad exigenda iuramenta predicta et possessiones ecclesie et fidelium suorum occupandas, et super diffidatione domini Raynerii Sancte Marie in Cosmedin venerabilis diaconi cardinalis et magistri Bartholomei notarii, et super spoliatione sacri Lateranensis palatii et occupatione illius, et super spoliatione domorum quorundam cardinalium, et super privilegiis factis Rainucio et aliis Romanis pro eorum damnis super bonis ecclesiarum Ostiensis et Tusculani[b] et Penestrini[c] episcopatuum et aliarum ecclesiarum et aliis possessionibus et terris fidelium in patrimonio beati Petri, et super statuto facto vel privilegiis, quod Romanus pontifex non regrediatur ad Urbem seu quod non faceremus pacem cum ipso, nisi prius restitueret quinque milia librarum, recepta mutuo super Roccha de Papa[1], et omnes expensas et damna illata Romanis cuiuscunque conditionis vel ordinis. Quas diffidationes et privilegia supradicta auctoritate sacri senatus et mandato populi evacuamus et in irritum penitus revocamus.

Ut autem inter nos et sanctam Romanam ecclesiam et eundem sanctissimum et reverendissimum patrem nostrum et successores ipsius de cetero cesset materia questionis, quem ob reverentiam Iesu Christi, cuius vicem gerit in terris, et beati Petri apostolorum principis, cuius successor existit, intendimus tanquam devotissimi filii venerari et totis viribus honorare, maxime quia honori et fame huius alme et inclyte Urbis expedire videmus: auctoritate sacri senatus, consensu et mandato ipsius populi ordinamus, sancimus, statuimus et firmiter stabilimus, quod omnes clerici et ecclesiastice persone, qui sunt in Urbe et extra, et familie domini pape et cardinalium conveniantur tantum sub iudice ecclesiastico, nec ad secularem trahantur, nec ad hoc cogantur per fossiones domorum aut alio compulsionis genere, nec aliqua occasione inquietentur. Quod autem dictum est de familiis domini pape et cardinalium, non intelligimus de civibus Romanis laicis, qui habent domos et familias in Urbe, licet familiares dicerentur vel essent. Item quod amodo nulli clerici vel religiosi vel laici cuiuscunque conditionis vel ordinis, qui veniunt ad apostolicam sedem vel limina beatorum Petri et Pauli, in veniendo, morando et redeundo trahantur ad iudicem secularem, nec aliquo modo cogantur, sed a senatore et senatu potius defendantur;

---

a) S. tituli *deest ap. Rayn.* b) Tusculane *Rayn.* c) Penestrine *Rayn.*

1) *Rocca di Papa prope Tusculum.*

et quod nulla collecta vel exactio fiat ab aliquibus ecclesiis, clericis vel personis religiosis tam in Urbe quam extra. Restituimus preterea perpetuam pacem perpetuo servandam domino imperatori et suis, item Anagniensibus, Signiensibus, Velletrensibus, Viterbiensibus, Campanis, Maritimanis, Sabinensibus, comiti Guillelmo et omnibus aliis hominibus de patrimonio, omnibus adiutoribus et fautoribus ecclesie. Precipimus itaque et presente auctoritate sancimus, quod nullus senatorum, unus vel plures, qui per tempora erunt, quolibet modo vel ingenio contra hoc nostrum privilegium venire vel facere presumant. Si quis vero contra facere temptaverit, iram senatus graviter incurrat et odium et insuper solvere teneatur centum libras auri pro muris Urbis, et pena soluta hoc privilegium semper firmum perduret.

Actum per manum Romani scribe senatus precepto et mandatis Angeli Malabrance senatoris et populi Romani publice in Capitolio, anno Domini[a] MCCXXXV, indictione VIII, mense[b] Aprili, die XII.

IX.

Angelus Malabranca senator Urbis constituit, ut omnes senatores tempore quo iuraverint iuramentum Urbis, etiam iuramentum de observanda pace inter ecclesiam et Romanos inita praestent. — Idem de officialibus constituit. *1235, Mai. 16.*

n. 14 et 15 Utrasque litteras damus ex H., loca ubi dubitamus, quae verba in Reg. legantur, litteris cursivis notantes. Inscriptiones in Reg. ita inveniri credimus, quia minus correctae sunt; nam n. 14 potius statutum appellandum est et n. 15 idem esse iam nota chronologica adiecta demonstrat.

Privilegium senatoris super eodem.

In nomine domini nostri Iesu Christi. Nos Angelus Malabranca, Dei gratia alme Urbis illustris senator, decreto et auctoritate sacri senatus, mandato quoque populi Romani publice in Capitolio convocati, ad petitionem etiam venerabilium patrum dominorum Romani Portuensis et Sancte Rufine episcopi, Io[hannis] de Columna tituli Sancte Praxedis et St[ephani] tituli[c] Sancte Marie Transtyberim[d] presbyterorum cardinalium constituimus et firmiter stabilimus, ut omnes senatores, qui amodo erunt, tempore quo iuraverint iuramentum Urbis, iurent, quod pacem initam *etc. sicut supra*[1]. Precipimus itaque *etc.*[e] *ut supra*[2] *usque:* solvere teneatur quinquaginta libras auri *etc. usque in finem*[3].

Forma iuramenti officialium hec est.

Ut supra.

Actum anno Domini M°CC°XXX°V, indictione VIII, mense[f] Madii, die XVI, per manum Romani scribe senatoris.

X.

Instrumentum Matthaei Petri Iudicis, Romanae ecclesiae scriniarii, quo iuramenta a senatore et officialibus de pace servanda praestita testatur. *1235, Mai. 16—28*[4].

n. 16. Cum Pertzius praeter initium nihil nisi nomina et notas chronologicas descripserit, textum damus ex H., ubi tamen ultima instrumenti pars deest.

---

a) Domini *deest ap. H.* b) medio Apl. *H.* c) tituli *deest ap. H.* d) in Transtyberim *H.* e) *ap. H.: '(ut apud Rayn. 1235. VI. sed 50 libr. auri [not. 100]'.* f) medio *H.*

1) *n. VII.* 2) *n. VIII.* 3) *Nota chronologica etiam in Reg. deesse videtur. Pro certo haberi potest hoc statutum eodem die quo sequens editum esse.* 4) *Prima instrumenti pars scripta est Mai. 16, quo die senator et nonnulli officiales iuraverunt, reliqua adiuncta sunt, quando quisque ceterorum officialium iuramentum suum praestitit.*

Instrumentum super iuramentis prestitis a senatore et officialibus suis super pace servanda.

In nomine Domini. Anno Dominice nativitatis M°CC°XXX°V, pontificatus domini Gregorii pape noni anno nono, indictione VIII, mense Madii, die XVI. Cum longinquitate temporis res, certa preteritis, futuris interdum venit in dubium, humane conditionis affectu utiliter accessit autentice scripture suffragium, per quam prorogatur ad posteros facti memoria et presentibus clarius providetur. Inde est, quod ego Matheus Petri Iudicis, sancte Romane ecclesie scriniarius, attendens ea que coram me aguntur posse aliquando sinistra interpretatione confundi, nisi fuerint actis publicis devoluta, ut super gestis rei veritas plenius elucescat, idcirco iuramenta a subscriptis personis prestita super pace inita inter ecclesiam et Romanos tempore domini Gregorii pape[a] IX et domini Angeli Malabrance[b] senatoris Urbis servanda, rogatu venerabilium patrum dominorum . . .[c] Io[hannis] de Columna et Stephani[d] presbyterorum cardinalium pro futura memoria et maiori cautela publicis litteris mandare curavi.

Vidi namque et ad hoc specialiter vocatus interfui et audivi, quod prefati venerabiles cardinales petiverunt a domino Angelo Malabranca senatore Urbis et populo Romanorum ad sonum campane publice in Capitolio congregato, ut ipse senator cum officialibus suis et unus in anima omnium iuraret pacem initam inter ecclesiam et Romanos servare et nullo modo contravenire. Unde dominus senator presente populo et acclamante de mandato ipsius elegit Laurentium Iohannis Belli[e] senescalcum senatus, qui in hunc modum iuravit:

Ego Laurentius tactis sacrosanctis evangeliis de mandato et acclamatione populi in anima omnium iuro pacem initam inter ecclesiam et Romanos tempore domini Gregorii pape IX et Angeli Malabrance senatoris Urbis servare et nullo modo contravenire. Act. in Campitolio, XVI die Mercurii, mense[f] Madio, in vigilia ascensionis Domini, presente populo et de ipsius mandato.

Item eodem die vidi et interfui et audivi, quod dominus Angelus Malabranca senator Urbis pro pace servanda in hac forma iuravit: Ego Angelus Malabranca *sicut supra*[1]. Actum est hoc apud Sanctum Stephanum in Celio Monte in presentia dominorum venerabilium episcopi et cardinalium, his etiam presentibus, videlicet domino Matheo Rubeo, Petro Sarraceno de Andreottis, Octaviano nepote eius, Iohanne[g] Cinthii de Molaria, Angelo R. de Spose et pluribus aliis.

Item eodem die et loco coram predictis testibus dominus Romanus Bonaventure vestararius Urbis tactis sacrosanctis evangeliis super[h] dicta pace servanda iuravit simpliciter in hac forma: Ego *etc. sicut supra* — violetur.

Item eodem die *etc.* dominus Paulus Laurentii palatinus iudex iuravit dictam pacem sub eadem forma.

Item Petrus Bartholomei, Petrus Obicionis Malermi, Iohannes Petri Basilii, Matheus Iohannis Georgii, scriniarii palatini *etc.* Act. in palatio Capitolii, die XVIII, mense[i] Madio, presentibus *etc.*

Item Paulus Goiuli, Paulus Iohannis de Matheo, Iacobus Petri Maynardi, Nicolaus Iudeus, Nicolaus Iohannis Romuli, Meliosus de Trantiberim assectatores iuraverunt similiter dictam pacem servare sicut dominus Romanus vestararius[k].

---

a) pape *deest ap. H.* b) Ang. Malabrancam *H.* c) *ita H.; deest nomen episcopi Portuensis.* d) Stephanum *H.* e) Billi *H.* f) medio *H.* g) Ioanni *H.* h) supra *H.* i) medio *H.* k) *quae sequuntur ex apographo Pertzii ita proponimus, ut ibidem leguntur, cum exactam formam notarum chronologicarum sicut hactenus ex H. restituere non possimus.* Item *suo loco semper addidimus.*

1) *n. VII.*

Item Petrus Iohannis Sambonis scriniarius palatinus: Capit. d. XVIIII.

Item Egidius Nicolai Archionis iustitiarius: ibid. d. XX.

Item Cinthius Henrici de Papa, Romanus Iohannis Romani iustitiarii: d. XXI.

Item Andreas Roggerii Boccacanis iustitiarius.

Item Petrus de Curia iustitiarius.

Item Iacobus Henrici Lombardi iustitiarius.

Item Iohannes de Campanili, Theobaldus de Miliaris iustitiarii.

Item Thomas Aldonis, Petrus Carbonarius, Iohannes Romanucii, Matheus Deovosalvi iustitiarii: d. XXII.

Item Bonifatius, Petrus Anfusi iustitiarii de Porticu.

Item Iohannes Benedicti de Transtiberim, Iohannes Cavellutus et Paulus Iohannis Nasierassi iustitiarii: d. XXIII.

Item Iordanus de Ponte, Bartholomeus Stephani Capharelli, Iohannes Cinthii Bovazani, Bartholomeus qui vocatur Bibolus et Petrus Riccardi iustitiarii: d. XXIIII.

Item Carleo, Stephanus de Pecta iustitiarii, et Cinthius Mactii, Petrus Oddonis Rizuruli iustitiarii de Laterano[a].

Item Petrus Oddonis Petri Gregorii iustitiarius.

Item Tostus Curtabrach.[b] iustitiarius: d. XXVIII.

XI.

Cardinales in Urbe existentes Gregorio IX papae nuntiant, die Mercurii proximo praeterito [Mai. 16, cf. n. X] Laurentium Iohannis Belli senescalcum curiae senatus, senatorem et quosdam officiales iuramenta de pace servanda praestitisse, privilegium quoque de capitulis pacis sibi a senatore assignatum esse; rogant, ut captivos Romanos quam citius ad propria remittat. *1235, Mai. 17—22.*

n. 7.

Littere cardinalium existentium in Urbe super reformatione pacis et liberatione prisonum de Urbe.

Sanctissimo in Christo patri et domino G., Dei gratia summo pontifici, cardinales, qui sunt in Urbe, commendationem et reverentiam tam debitam quam devotam. Licet ad scissuram pacis atque concordie hoste humani generis suggerente aliqui undecumque fuerit[c] procuratum zizania seminarint, tamen die Martis primo preterito cum bucinis sollicitari fecimus populum universum; quo ad sonum campane die Mercurii proximo preterito summo mane in Capitolio publice congregato, ibidem ea que mandastis pro pace complenda proposuimus diligenter, prout nobis Altissimus ministravit, sic in propositione sermonum dictum populum inducentes, quod communiter clamaverunt, ut secundum mandatum vestrum senator cum sua curia et unus in anima totius populi pro pace servanda petitum facerent iuramentum. Unde senator, qui super hiis plenam fidem adhibere curavit, de mandato et acclamatione populi, sua etiam voluntate plenissima intercedente, Laurentium Iohannis Belli senescalcum curie senatus super iuramento in anima omnium faciendo elegit. Qui iuravit publice in anima eorum compositam pacem fideliter observare et contra aliquatenus non venire. Eodem etiam die senator cum quibusdam officialibus secundum formam a vestra sanctitate transmissam iuravit se dictam pacem fideliter servaturum. Et ad aliorum officialium iuramenta recipienda procedimus, ita quod cuncta nobis prospere cedent

a) Laterañ *R.* b) Curtabrach̄ *R.* c) *ita H.:* fuerint *apographum Pertzii.*

pro vestre arbitrio voluntatis. Privilegium etiam super capitulis pacis confectum nobis idem senator iuxta formam a vobis transmissam ilariter assignavit, receptis a nobis litteris vestris bullatis, quibus dederatis nobis potestatem firmandi pacem cum Romanis. Quocirca sanctitati vestre modis omnibus supplicamus, quatinus ut omnis rancor a cordibus Romanorum penitus evellatur, et hii qui semper intendunt scandala suscitare, non habeant unde valeant impediendi pacem et detrahendi materiam invenire, universis et singulis faciatis artius inhiberi, ut de cetero ab omni molestatione desistant, nec audeant contra pacem compositam aliquid attemptare. Vos autem iuxta formam quam misistis plenius procedentes ad alia que sunt pacis, captivos Urbis precipiatis ad propria quam citius remitti. Nam si quod absit ex parte ecclesie aliud in contrarium eveniret, et ecclesie ad infamiam cederet et personis nostris grande periculum posset ex impetu et furore populi de facili evenire. Prisones etiam Signini et Campani ad mandatum nostrum tenentur. Unde cum omnia sint completa ex parte Romanorum secundum mandatum vestrum, supplicamus, quod ex parte vestra similiter sine mora que facienda sunt Romanis ilariter compleantur. Ut autem a Romanis omnis cessaret materia suspicandi et plena fides de consummatione pacis posset haberi, dominus Iohannes de Columpna personaliter accedit Reate, expectaturus ibidem mandatum vestrum de liberatione prisonum et eos secum ad Urbem modis omnibus reducturus. Et ut possint omnia executioni mandari, mittimus ad pedes sanctitatis vestre Romanum et Nicolaum familiarem mei Stephani cardinalis, qui hiis omnibus interfuerunt et omnia plene noverunt. Unde supplicamus sanctitati vestre, quod ipsos benigne audientes, expeditos super omnibus ad que mittuntur ad nos citissime remittatis[1].

637.

Gregorius IX papa [Iohanni] Leodiensi, [Ludolfo] Monasteriensi et [Conrado] Osnaburgensi episcopis mandat, ut [Ottoni] electo Traiectensi, qui ab [Henrico] archiepiscopo Coloniensi excommunicato consecrari non possit, munus consecrationis impendant.

1235, April. 19.

Greg. IX Reg. Vol. V. 16; Lib. IX. 29.

. . Leodiensi, . . Monasteriensi et . . Osnaburgensi episcopis, suffraganeis ecclesie Coloniensis.

Indulte nobis a Domino plenitudinem potestatis secundum diversitatem accidentium experiri nos convenit in necessitatibus subiectorum. Hinc est, quod cum dilecto filio . . electo Traiectensi ab . . archiepiscopo Coloniensi metropolitano suo, diversis ut accepimus excommunicationum sententiis innodato, contra quem inquisitionis negotium noscitur dependere[2], non possit munus consecrationis impendi, nos, sibi in hac parte providere volentes, presentium vobis auctoritate mandamus, quatinus assensu Coloniensis ecclesie requisito munus consecrationis auctoritate nostra electo impendatis eidem, ipsius ecclesie imposterum iure salvo.

Dat. Perusii, XIII Kal. Maii, anno nono.

1) *Sequuntur ap. H. p. 297, n. 17–20 quattuor epistolae papae,* III *et* VI Id. Aug. a. IX *(ap. H. a. 18) datae, in quibus varia mandata ad hanc pacem spectantia continentur. Pertzius eas non descripsit, propter quod in hanc collectionem receptae non sunt.* 2) *Cf. n. 529.*

638.

Gregorius IX papa fidelibus Christianis notum facit, se ad exemplar Calixti, Eugenii, Alexandri, Clementis, Coelestini, Innocentis et Honorii praedecessorum suorum Iudaeis protectionis suae clipeum indulgere, et quaedam statuta in favorem eorum promulgat. *1235. Mai. 3.*

Greg. IX Reg. Lib. IX, 42. Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1235, § 20. Potthast, Reg. 9893.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, fidelibus Christianis salutem et apostolicam benedictionem.

Sicut Iudeis non debet esse licentia in synagogis suis ultra quam permissum est lege presumere, ita in iis, que concessa sunt eis, nullum debent preiudicium sustinere. Nos ergo, licet in sua magis velint duritia perdurare, quam prophetarum verba et sacrarum scripturarum arcana cognoscere atque ad Christiane fidei et salutis notitiam pervenire, quia tamen defensionem nostram et auxilium postulant et pietatis Christiane mansuetudinem, predecessorum nostrorum felicis memorie Calixti, Eugenii, Alexandri, Clementis, Celestini, Innocentii et Honorii Romanorum pontificum vestigiis inherentes, ipsorum petitionem admittimus eisque protectionis nostre clypeum indulgemus. Statuimus etiam, ut nullus Christianus invitos vel nolentes eos ad baptismum per violentiam venire compellat, sed si eorum quilibet sponte ad Christianos fidei causa confugerit, postquam voluntas eius fuerit patefacta, Christianus absque aliqua efficiatur calumnia: veram quippe Christianitatis fidem habere non creditur, qui ad Christianorum baptisma non spontaneus sed invitus cognoscitur pervenire. Nullus etiam Christianus eorum personas sine iudicio potestatis terre vulnerare aut occidere vel suas illi pecunias auferre presumat, aut bonas, quas hactenus in ea in qua habitant regione habuerunt, consuetudines immutare. Preterea in festivitatum suarum celebratione quisquam[a] fustibus vel lapidibus eos ullatenus non perturbet, neque aliquis ab eis coacta servitia exigat, nisi ea que ipsi preteritis facere temporibus consueverunt. Ad hec malorum hominum pravitati et avaritie obviantes decernimus, ut nemo cemeterium Iudeorum mutilare vel minuere audeat, sive obtentu pecunie corpora humata effodere. Si quis autem huius decreti tenore cognito temere, quod absit, contraire temptaverit, honoris et officii sui periculum patiatur aut excommunicationis ultione plectatur, nisi presumptionem suam digna satisfactione correxerit. Eos autem dumtaxat huius protectionis presidio volumus communiri, qui nichil presumpserint in subversionem fidei Christiane.

Dat. Perusii per manum fratris Ioseph ordinis Florensis, domini Gregorii pape IX notarii, V Non. Maii, indictione VIII, incarnationis Dominice anno[b] MCCXXXV, pontificatus eiusdem domini Gregorii pape anno IX.

639.

Gregorius IX papa regem Tunici rogat, ut Iohannem ministrum ordinis Minorum de Barbaria eiusque socium benigne recipiat. *1235. Mai. 15.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 21; Lib. IX, 53. Potthast, Reg. 9901.

a) quisque *Rayn.* b) anno *deest ap. Rayn.*

. . regi Tunici.

Nobilitatis tue litteris debita benignitate receptis et earum diligenter inspecto tenore, ea que dilectus filius[a] nobilis vir Oddo Adelardi, vir providus et discretus tibique fidelis ac in commissis a te prudentie sue negotiis studiosus, et Symon Mele, cives Ianuenses, in nostra presentia retulerunt, diligenter audivimus, tue devotionis affectum acceptum et placitum reputantes. Verum cum super hiis, que fuere proposita, tractatus sollempnior exigatur, dilectum filium fratrem Iohannem ministrum ordinis Minorum de Barbaria et . . fratrem eiusdem ordinis, quos benigne recipias et pertractes, ad tuam presentiam duximus destinandos. Dicto quidem fratri I. super hiis, que tibi ex parte nostra retulerit, fidei plenitudinem largiaris.

Dat. Perusii, Id. Maii, anno nono.

640.

Gregorius IX papa priori provinciali fratrum Praedicatorum in Teutonia mandat, ut aliquos ordinis sui pro negotio Terrae Sanctae praedicationis officio deputet, quibus varias indulgentias elargiendi potestatem concedit. *1235, Mai. 15.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 30; Lib. IX, 81. Ad hanc epistolam annotatum est vacat, *i. e. deleas. Aliam de hac re eo tempore scriptam nescimus, nam ea, quae ap. Ripolli, Bull. Praed. t. I. p. 75, n. 126 ex Reg. deprompta legitur, licet nonnullas lectiones differentes habeat neque* vacat *adscriptum ibidem commemoretur, certe eadem est, quam nos proponimus. Utrum papa aliam epistolam exarari non iusserit, an exarata Reg. inserta non sit, non liquet.*

Potthast, Reg. 9903.

. . priori provinciali ordinis fratrum Predicatorum in Teutonia.

Psal. 7.10. Quantum nos urgeat negotium Terre Sancte, is novit plenius, qui renes scrutatur et corda, cum ad liberationem ipsius totis desideriis aspiremus. Cupientes igitur multos accingi per crucis gloriam ad corporale tyrocinium exercitus Iesu Christi, presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus aliquos ordinis tui fratres, quos ad hoc 2. Tim. 2.9. idoneos esse perspexeris, in quorum ore non sit verbum Domini alligatum, iuxta tenorem litterarum, quas super hoc tibi direximus, pro negotio crucis predicationis officio studeas deputare, qui ut fideles populi libentius et ferventius currant ad verbum Domini audiendum, omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad sollempnem predicationem eorum accesserint, moderatam auctoritate nostra aliquot dierum indulgentiam largiantur, sicut viderint expedire. Et ut nichil omnino desit ad huiusmodi officium exequendum, absolvendi iuxta formam ecclesie manuum iniectores in clericos et incendiarios ac excommunicatos pro decima vel vicesima deputata pacis et fidei ac Terre Sancte negotio non soluta, nec non sacrilegos et eos qui sepulchrum Dominicum contra prohibitionem apostolicam visitarunt, illos quoque qui in partibus Albigensium hereticis contra catholicos auxilium impenderunt, ac eos qui portaverunt ferrum, arma, ligna et merces prohibitas Sarracenis vel alias eis contra Christianos dederunt consilium, auxilium et favorem, ac reconciliandi penitentes, crucesignatos dumtaxat et qui voluerint assumere signum crucis, ac commutandi vota alia in votum huiusmodi pietatis auctoritate presentium eis concedimus potestatem: proviso quod hii, qui pro violenta iniectione manuum excommunicationis vinculo sunt ligati, passis iniuriam, et incendiarii, quibus dampna intulerunt per incendia, satisfaciant competenter, ac detentores vicesime ac decime debitam satisfactionem impendant, nec non illi,

[a]) *an* dilecti filii?

qui Sarracenis portavere predicta, exinde satisfaciant iuxta statutum concilii generalis, dummodo non fuerit adeo gravis et enormis excessus manuum iniectorum, quod merito sint ad sedem apostolicam transmittendi. Quantitatem autem eorum, que pro predictorum satisfactione preceperint deponenda et consignanda in aliquibus certis locis, nobis studeas tuis litteris fideliter intimare.

Dat. Perusii, Idibus Maii, anno nono.

641.

Gregorius IX papa archiepiscopis et aliis ecclesiarum praelatis per Lombardiam, marchiam Tervisinam et Romaniolam constitutis mandat, ut [Alberto] patriarchae Antiocheno, cui in partibus eorum plenae legationis officium concesserit, humiliter oboediant.

1235, Mai. 21.

Greg. IX Reg. Vol. V, 27; Lib. IX, 73. Pertzii exemplar supplevimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1235, § 12.

Potthast, Reg. 9917.

Archiepiscopis et episcopis, abbatibus et aliis ecclesiarum prelatis per Lombardiam, marchiam Tervisinam et Romaniolam constitutis.

Utinam aspiret dies et inclinentur umbre tollaturque criminum caligo de medio (Cant. 2,17.) et turbinis nebula, que partes vestras texit hactenus pene totas, ut is[a], cui venti et (Matth. 8,27.) mare obediunt, qui procellam convertit in auram, quique iuxta sui archanum bene- (Psal. 106,29.) placiti miserendi modos ubique reservans, mederi novit vulneribus afflictorum, post nubilum det serenum. Quanta namque tribulatio partes ipsas dudum presserit et nunc premat, quam gravis persecutio circumduxerit et circumducat adhuc populum Christianum, quam duris bellis attrite sunt partes ipse et quam variis pressuris monasteria et ecclesie lacessite, vix posset per singula recenseri, [que][b] nobis datum est non absque amaritudine mentis audire, vobis autem sicut disposuit [Dominu]s[b] experiri. Et licet Romana ecclesia pia mater, que non potest filiorum sui uteri oblivisci, pro reformatione pacis multum laboraverit hactenus, litteris litteras et nuntiis nuntios inculcando, non semel set sepe, non uno tantum set pluribus de fratribus nostris propter hoc specialiter destinatis, ut inimicitiarum parietes per pacis unionem in Christo (Ephes. 2,14 et sequ.) angulari lapide iungerentur, et terra illa a suis respiraret angustiis et contagiis purgaretur, nondum tamen actore scismatis procurante potuit remedium congruum adhiberi. Quia vero illius regis pacifici licet immeriti vicarii constituti, qui ut reconciliaret servum domino, in mortem tradidit semetipsum, libenter hiis qui prope et (Es. 57,19.) hiis qui longe sunt pacis consilia cogitamus, animarum multarum pericula, dampna rerum, ecclesiarum desolationes, religiosorum locorum excidia et stragem populi Christiani absque dampno conscientie ac fame lesione dissimulare ulterius non valemus, presertim cum Terre Sancte succursum, ad quem aspirat populus Christianus, contingat ex hoc enormiter impediri, nec non et vulpes parvule, que demoliuntur (Cant. 2,15.) vineam Domini, et reptile venenatum in sue malignitatis astutia invalescant. Cupientes igitur quod terra illa, que dudum luxit et languit, optata pace fruatur, et stillent super eam montes dulcedinem et colles iocunditatem, ut dantibus celis pluviam pro- (Ioel 3,18.)

a) hiis *R.* b) *'lacunae igne factae'* PERTZ.

ferat fructus bonos, ecce[a] venerabilem fratrem nostrum patriarcham Antiochenum, virum utique providum et discretum, quem ob sue devotionis fervorem et propriorum meritorum exigentiam nos et fratres nostri carum habemus admodum et acceptum, concesso sibi plene legationis officio ad partes ipsas de fratrum nostrorum consilio (Ierem. 1,10.) providimus destinandum, ut evellat et destruat, edificet et plantet, que destruenda et evellenda, edificanda noverit et plantanda. Monemus itaque universitatem vestram attentius et hortamur precipiendo mandantes, quatenus prefatum patriarcham, tanquam legatum apostolice sedis et magnum in ecclesia Dei locum habentem, immo nos in ipso potius recipientes hilariter et honeste tractantes, eius salubribus monitis et mandatis intendatis et obediatis humiliter ac devote, statuta, que pro reformatione pacis ac negotio fidei, conservatione ecclesiastice libertatis, correctione morum et salute animarum duxerit facienda, inviolabiliter servaturi. Alioquin sententiam, quam rite tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctore Domino firmiter observari.

Dat. Perusii, XII Kal. Iunii, anno nono.

In eundem modum nobilibus viris marchionibus, comitibus, baronibus, potestatibus, communitatibus civitatum et universis per Lombardiam, marchiam Tervisinam et Romaniolam constitutis.

In eundem modum . . duci Venetorum[1].

In eundem modum . . patriarche Gradensi[2] et suffraganeis suis.

642.

Gregorius IX papa [Iacobo de Melato] potestati, consilio et populo Mantuano notum facit, se in eos, qui [Guidottum] episcopum Mantuanum apud monasterium sancti Andreae interfecerint, eorumque complices excommunicationis et interdicti sententias promulgasse; mandat iis, ut easdem perpetuo observari faciant. *1235, Ian. 5.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 33—34; Lib. IX, 97.
Potthast, Reg. 9831.

. . potestati, consilio et populo Mantuano.

Rem hiis diebus audivimus anime nostre amarissimam, plenam acerbitate flagitii et immanitatis horrore, super qua inexplicabilis gemitus et ploratus indeficiens ad (Gen. 4,10.) apostolicam sedem ascendit, diro doloris gladio nos transigens, clamante terra voce sanguinis innocentis effusi, videlicet bone memorie . . episcopi Mantuani, cuius interitum commissum a parricidis in patrem, quanto est exemplo perniciosior, tanto amarius compellimur deplorare. Sane idem episcopus post susceptum pontificatus (Cant. 1,6.) officium, sciens in vinea Domini positum se custodem et in caulis ovium Christi pastorem, sollicite studuit resecatis noxiis et propagatis salubribus super gregem sibi creditum noctis vigilias vigilare, murumque defensionis pro domo Domini se opponens, a tuitione catholice fidei et ecclesiastice libertatis nulla adversitate averti potuit vel timore, preter id quod exaltationem ecclesie Mantuane diligenti cura impensa circa conservationem suorum iurium et augmentum ipsius spiritualiter et temporaliter procuravit. Unde multorum, quibus cum sint iniqui, equa placere non possunt, odium et indignationem incurrit, quorum quidam viri nephandissimi, qui Advocati[3] dicuntur,

a) ecce — servaturi *ex Rayn.*

1) *Iacobo Teupolo.* 2) *Angelo.* 3) *Gens vel pars Mantuae.*

et alii fautores pravitatis heretice, quo pestilentiores sunt aliis, eo contra ipsum gravius conceperunt. Cumque nuper primo die rogationum[1] episcopus idem ad monasterium sancti Andree Mantuanum accedens, ingressus fuisset capitulum monacorum pro reformatione ipsius monasterii tunc vacantis, supervenerunt antichristi satellites, a quibus fuit tam crudeliter interfectus, ut ex ipsa atrocitate sceleris et sevitia manifeste appareat eos velut heretica sorde infectos ecclesie Dei et catholice fidei voluisse iniuriam irrogare. Nam cum primo eius faciem gladiis impetissent, postmodum ambas manus ipsius Domino consecratas, cum in modum crucis brachia cancellasset, despecta Crucifixi reverentia impie amputantes, eundem quadraginta et pluribus sibi plagis impositis quasi totum scindere presumpserunt, saturari de morte et laniatione christi Domini non valentes. Porro licet ad clamorem sanguinis tota civitate commota, quia iniquitatem celi revelant et adversus pestilentes terra consurgit, (Iob 20,27.) .. potestas vestra ad hoc vindicandum negligens fuerit et remissa[a], ex quo non levem suspitionis notam noscitur incurrisse, vos tamen deplorantes et gementes miserabilem parentis occasum et nimium exinde conturbati, zelo vos excitante divino insurrexistis unanimiter per vos ipsos in parricidii ultionem, quamvis in personas, que aufugerant se illis favorabilem exhibente potestate predicta, nequiveritis vindicare; propter quod, etsi ad tam grande malum noster expaverit animus, cor contremuerit et aures tinnierint orribilitate peccati, exposita nobis tamen vestra devotio immensum dolorem, quem intulerat enormitas maleficii, in parte aliqua mitigavit, qui moti contra vos non immerito fuissemus, si aliter fecissetis. Et quidem cum pro causis predictis biberet episcopus memoratus calicem passionis, passus sacro die et in loco sacro, videlicet in capitulo ipsius monasterii, pro cuius fide ac libertate certabat, et ibi mortem recipiens ubi vite requirebat actorem, patientis titulus concurrentibus singulis circumstantiis clarius enitescit, dum quasi novus Zacharias est in templo pro fide ac libertate ecclesie (Matth. 23,35.) immolatus, et nequissimorum amplius revelatur nequitia nomenque ipsorum sempiterno parricidalis reatus opprobrio maculatur.

Ut igitur magis vindicte quam excessus memoria propagetur, cum delictores[b] flagitiosissimi et sceleratissimi parricide in acerba et seva nece parentis episcopi et pastoris contra se provocaverint celum et terram, et gravissime offenderint non solum Romanam ecclesiam, a qua prefatus episcopus fuit ad Mantuanam assumptus, verum etiam nimis exacerbaverint ecclesiam generalem, nos de fratrum nostrorum consilio ac venerabilium fratrum patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum et aliorum prelatorum, qui tunc erant apud sedem apostolicam constituti, huius criminis patratores, tam Advocatos quam alios, nec non et illos quorum ope, consilio vel auxilio est commissum, publice candelis accensis denuntiavimus excommunicationis sententie subiacere et loca ad que devenerint, quamdiu ibi fuerint, supposita interdicto, statutis quibusdam contra predictos et omnes de Advocatorum progenie promulgatis, inter que duximus statuendum, ut iidem ab huiusmodi excommunicationis sententia non possint nisi per ecclesiam Romanam absolvi. Quod si eorum aliqui per alium extiterint in mortis articulo absoluti, careant tamen ecclesiastica sepultura, et si forsan post absolutionis beneficium restituti fuerint sanitati, nisi statim ad sedem apostolicam festinaverint pro suis meritis recepturi, ut videlicet cum penitentiali baculo pedites ultra mare dum vixerint circueant loca sancta, implentes iniunctam sibi penitentiam cum gemitu et dolore, relabantur in pristinam excommunicationis sententiam ipso iure. Quia vero considerata excessus immanitate nulla ipsorum pena sufficeret ad vindictam,

a) remissus *R.* b) lictores *R.*

1 *I. e. Mai. 14; cf. Ann. Mant. a. 1235, SS. t. XIX. p. 21 et Salimbene Chron. a. 1235, ed. in Monum. Parm. et Placent., p. 46.*

et sincere compassionis affectus in hoc a vobis exhibitus, ex quo apud Deum et sedem apostolicam non modicum meruistis, firmam nobis prebet fiduciam de futuris, universitatem vestram monemus et obsecramus in Domino per apostolica scripta mandantes, quatinus prefatos Advocatos, tanti reatus actores, et eos qui ad hoc dederunt consilium, auxilium vel favorem, ac ab ipsis recta linea descendentes banniatis de vestra civitate, diocesi ac districtu, ita quod aliquo ingenio per se aut per alios ad eadem loca redire non possint. Bona quoque publicetis sceleratorum ipsorum, de illis taliter disponentes quod ad eos vel eorum heredes nulla valeant occasione reverti, nec adhiberi patiamini circa ista fraudem aliquam sive dolum. Iurari etiam semper in mutatione rectoris in animabus vestris in concione publice facietis, quod premissa omnia observabitis et facietis firmiter observari, nec permittetis quicquam contra premissa presumi vel aliquid eorundem, neque habebitis aliquem pro potestate, consule vel rectore, qui huiusmodi non prestiterit iuramentum. Ad que omnia et singula observanda, in capitulari seu libro statutorum civitatis conscripta ibidem perpetuo remansura, quilibet rector civitatis vestre iuramenti vinculo se astringet et suum astringi faciet successorem. Taliter autem exhortationes et mandatum nostrum implere curetis, quod famam vestram sicut laudabiliter incepistis in omni puritate servantes, preter gratiam apostolice sedis et nostram mereamini premium apud Deum et acquiratis vobis apud homines nomen bonum. Nam si, quod absit, mandata nostra nunc et imposterum aliqua fraude vel dolo ad plenum non fuerint observata, civitas vestra merito poterit formidare, ne adempto sibi perpetuo episcopalis dignitatis honore vestra diocesis in partes divisa vicinis episcopis assignetur. Nos enim ad explorandum vestra vestigia non solum futurum pontificem ac clericos vestros verum etiam circumpositos episcopos et prelatos deputare curabimus, ut per tempora sedi apostolice nuntient que aguntur, si honoris sui periculum voluerint evitare. Indefessa nempe sollicitudine ad ultionem tanti facinoris Romana ecclesia vigilabit, ne in exemplum abeat, si quid de vindicta fuerit negligenter omissum, et ut pene immensitas diffusa per orbem terreat pestilentes, non solum manus a similibus cohibens sed etiam cogitationes avertens.

Dat. Perusii, Nonis Iunii, anno nono.

In eundem modum . . episcopo Mutinensi[1] usque: in pristinam excommunicationis sententiam ipso iure. Preterea tam ipsi quam descendentes ab eis recta linea ad nullos ordines, dignitates, honores, beneficia ecclesiastica vel publica officia secularia de cetero ammittantur, adicientes ut omnes sceleris patratores iure patronatus vel advocatie, feudi seu locationis sive alio iure, quod in quibuslibet ecclesiis, Advocati[a] vero et omnes de eorum progenie omni iure, quod in dicto monasterio se habere dicebant, perpetuo sint privati. Si qui autem ad publica officia elegerint vel receperint aliquos perversorum vel descendentium ab eisdem seu scienter alias contra premissa venire presumpserint, ipso facto clerici perpetuam suspensionem officii et beneficii, laici vero sententiam excommunicationis incurrant. Quocirca mandamus, quatinus premissa omnia publicans, ea facias sublato appellationis obstaculo[b] per censuram ecclesiasticam inviolabiliter observari, ita quod diligentiam tuam commendare merito debeamus.

In eundem modum . . episcopo Brixiensi[2].

In eundem modum Friderico, Romanorum imperatori semper augusto, Ierusalem et Sicilie regi illustri, usque: de advocatorum proienie promulgatis. Ideoque cum

a) advocatos *R.* b) sub apostolica obedientia *in apographo nostro; cf. p. 175, not. a.*

1) *Alberto.* 2) *Gualae.*

divina dispositio te sue providerit ecclesie defensorem nosque experimento didicerimus ipsius iniuriam propriam reputare, imperialem celsitudinem hortamur et obsecramus in Domino, quatinus divino spiritu excitatus ad tantas ecclesie Christi vindicandas iniurias insurgens ex animo, eis privatis omni officio publico et a factione testamenti ac bonorum successione remotis, ipsos etiam, ut vagi sint et profugi super terram, ab imperio, regnis et terris tue ditioni suppositis perpetuo edicto proscribas, cum legitime sanctiones eo modo puniri iubeant parricidas, ut elementorum usu vivi carere incipiant celumque ipsis superstitibus et terra mortuis auferatur.

In eundem modum archiepiscopis et episcopis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prelatis Lombardie, Romaniole ac marchie Tervisine et aliarum provinciarum, ad quos littere iste pervenerint etc. usque: de Advocatorum progenie promulgatis. Quia vero non dubitamus, quin orrendum facinus, quod auditu est tam horribile, vobis et aliis viris catholicis ammirationem ingerat et stuporem, mandamus, quatinus predictos viros iniquos diebus dominicis et festivis excommunicatos solempniter nuntietis et faciatis tamquam excommunicatos artius evitari, denuntiantes insuper loca ad que devenerint, quamdiu ibi fuerint, interdicto subiecta, taliter mandatum apostolicum impleturi, quod commendari de obedientia debeatis; nam si secus, quod non credimus, feceritis, possetis non immerito proprie dignitatis et ordinis periculum formidare.

In eundem modum eisdem usque: est commissum, et receptatores eorum publice candelis accensis denuntiavimus excommunicationis sententie subiacere et loca ad que devenerint, quamdiu ibi fuerint, supposita interdicto, statutis quibusdam contra predictos et omnes de Advocatorum proienie promulgatis etc. usque in finem.

In eundem modum potestatibus, consiliariis et communitatibus civitatum aliorumque locorum Lombardie, Romaniole, marchie Tervisine et aliarum provinciarum, ad quos littere iste pervenerint, usque: predictos viros iniquos nec receptetis, nec in vestris receptari civitatibus sive locis vel eorum districtu aliquatenus permittatis, immo et vos banniatis eosdem et bannitos faciatis per loca vestra et districtus publice proclamari; quod si capi forsan potuerint, eos in perpetuo carcere ac arta custodia
faciatis cum diligentia detineri, ubi pane doloris et aqua tribulationis, dum vixerint, 3 Reg. 22,27.
sustententur.

In eundem modum nobili viro . . duci Venetorum[1], marchionibus, comitibus, baronibus, castellanis et aliis nobilibus Lombardie, Romaniole ac marchie Tervisine et aliarum provinciarum, ad quos littere iste pervenerint.

In eundem fere modum nobili viro . . Salinguerre de Ferraria fideli nostro usque: dum vixerint, sustententur; mandatum nostrum taliter impleturus, quod devotionem tuam commendare merito debeamus. Alioquin ammissionem feudi et beneficii, que a Romana et aliis tenes ecclesiis, poteris formidare.

In eundem modum Ezelino et Alberico de Romania usque in finem.

643.

Pars epistolae Gregorii IX papae, in qua Beatrici reginae Castellae, Toleti et Legionis longis encomiis de sancta Elisabeth scribit et de conversione Conradi quondam lantgravii Thuringiae et Agnetis natae regis Bohemiae narrat. 1235, Iun. 7.

1) *Iacobo Teupolo.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 41–42; Lib. IX, 120. Huius longae epistolae Pertzius nihil nisi hanc particulam descripsit, cum reliqua ad historiam generalem nullius momenti sint. Ubi integra legatur inveniis ap. Potthast.
Potthast, Reg. 9933.

Beatrici illustri regine Castelli, Toleti et Legionis[1].

Eccli. 13, 2–3 Iesus[a] filius Syrach diebus istis obtulit nobis vas ammirabile, opus Excelsi, quod
fornacem caritatis in ardoris operibus custodivit, vas inquam electum, Domino consecratum, sanctam scilicet Elisabeth[2], que interpretatur saturitas Dei mei *etc.* O vas ammirabile, vas electum, vas misericordie, in quo tirannis, principibus et magnatibus mundi huius vinum vere compunctionis misericorditer propinasti, inter quos sororium tuum fratrem Conradum quondam lanthgravium[3], etate tenerum, mundo carum, mortalibus gratiosum, inebriasti precipue poculo vasis huius, ita ut calcatis dignitatum
Marc. 14,52. fascibus, reiecta sindone, nudus profugeret de manibus impiorum crucifigentium Iesum Christum ad asilum crucis, cuius signaculum impressit pectori, misterium cordi, ut
Cant. 1,13. per mirre fasciculum posset Crucifixi consortium promereri. Inebriasti quoque poculo vasis huius Agnetem, ancillam Christi virginem, natam regis Boemie, sororem tuam[4], in cuius etate tenera rebus asperis experimur celestis conversationis insignia, ita ut imperialis culminis oblata[b] fastigia fugiens sicut reptilia venenata, et nuda vexillum triumphale crucis arripiens, iam procedat obviam sponso suo, accensis lampadibus choro sacrarum virginum comitata *etc.*

Dat. Perusii, VII Idus Iunii, anno nono.

644.

Gregorius IX papa potestati, consilio et populo Assisinati de pace in civitate eorum reformanda mandata sua mittit, iisque concedit, ut potestatem et alios officiales libere sibi creare possint. *1235, Iun. 15.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 39; Lib. IX, 112. Pertzius has litteras in editionem suam integras recipere noluit. Quae in apographo librarii manu confecto desunt, supplevimus ex Theineri Cod. dipl. dom. temp. s. sed. t. I, p. 104, n. 158 [T.], qui item ex Reg. haustas litteras proposuit.
Potthast, Reg. 9937.

. . potestati, consilio et populo Asisinati.

Inter curas multiplices et pregrandes, quas plus solito, immo preter solitum sustinemus, curam et provisionem patrimonii beati Petri non modicam reputamus, cum ad iurisdictionem nostram noscatur spiritualiter et temporaliter pertinere. Unde posset nobis non immerito imputari, si super provisione ipsius essemus tepidi vel remissi, qui cunctorum fidelium sollicitudinem gerimus pastoralem. Cum enim nuper quidam de civitate vestra, qui dati in sensum reprobum delectantur cum malefecerint, et in

a) Iohannes *in apogr. Pertzii.* b) oblata *edd.* obtata *in apogr. Pertzii.*

1) *Filia Philippi regis Teutonicorum erat.* 2) *a. 1231, Nov. 19 mortua, a. 1235, Iun. 1 sanctorum catalogo ascripta est; cf. Potthast, Reg. 9929.* 3) *Conradus frater Ludowici IV mariti sanctae Elisabeth a. 1234, Nov. 18* contulit se ordini domus Theutonice in Marburc. *Ann. Erphord. a. 1234, SS. t. XVI, p. 30.* 4) *Sanctae Elisabeth pater Andreas II rex Ungariae frater Constantiae reginae Bohemiae matris Agnetis erat. Haec cum desponsata fuisset Henrico regi, a. 1233* assumpsit habitum pauperum dominarum. *Ann. Prag. SS. t. IX, p. 171.*

rebus pessimis gloriantur, patientia sedis apostolice per insolentiam abutentes, turbare pacem, corrumpere iustitiam et suscitare inter vos scandalum molientes, magnum in civitate ipsa scisma nequiter suscitarint, cuius occasione non solum ad verba et verbera est deventum, set etiam quidam fuere trucidati crudeliter et nonnulli letaliter vulnerati: nos ad reformandam inter vos pacem et pravorum insolentiam in posterum reprimendam quedam vobis duximus iniungenda, que inserta presentibus volumus et precipimus inviolabiliter observari.

In primis siquidem, ut firma pax sit de cetero inter partes et servetur ab eis omni tempore illibata, et potestas seu rectores vel consules, qui erunt pro tempore, iurent et singulos iurare compellant pacem ipsam et universa que inferius continentur firmiter observare; nec unus alteri de discordia seu iniuriis hactenus inter vos habitis improperare presumat, secus agens, si fuerit miles, centum, si de populo, quinquaginta, si mulier, decem librarum penam incurrant. Quod si solvendo non fuerit, banniatur de terra, nec bannum relaxetur huiusmodi absque speciali mandato apostolico seu rectoris, qui fuerit pro tempore in Ducatu; et hoc ponatur in civitatis eiusdem statutis et iuretur a singulis observandum.

Heredibus[a] autem quondam magistri Angeli notarii dentur de bonis communitatis vestre quinquaginta libre Lucensium et totidem heredibus quondam Laurentii, qui pro ipsa discordia fuerunt miserabiliter interfecti. Preterea Thomas Rainerii, Carsedonius, Petrus Cusanus, Petrus Capitanee, Maiolus Barerani, Agrestolus Georgii, Andreas Agrestoli, Iohannes Simeonis, Huguicio de Sancto, Mathias dictus Sfasciatus, Celatus, Paulus et Bernardus notarii, Angelus iudex, Deutacommandus Petri, Andreas Philippi de Induratis, Petrus Guidonis Reguelza, Bettolus Pauli dictus Succannacapra, Albricus notarius filius Huguicionis, Scatilon Golantie, Huguicio Leonardi filius Berarduccii Blance, Tito Angeli Guidi, Bonaiuncta Angagnoli, Gualfredus Mularius et Petrus Corvaglentis, precipui huius discordie incentores, ad nullum eligantur officium civitatis absque licentia sedis apostolice speciali, et si secus actum fuerit, presumpta de ipsis electio nullam habeat firmitatem. Et quod eos, qui honorem ecclesie attendentes civitatem egredi sunt compulsi, cum omnibus bonis suis sub protectione apostolica recepimus speciali, ut ipsi dampnum exinde non incurrant a communitate Asisinate, septingente libre Lucensium pro illatis dampnis et factis expensis tam in Romana curia quam in eundo et redeundo ab ipsis solvantur eisdem.

Sententias, condempnationes, bannimenta omnia facta per Thomasium Rainerii quondam potestatem Asisii et iudicem ipsius contra milites extra morantes et sequaces eorum a tempore electionis facte de Rainerio Cinguli cive Florentino irrita et inania esse decernimus, et illos ad eorum observantiam aliquatenus non teneri, ablatis omnibus occasione huiusmodi integre restituendis eisdem. Nullus preterea eorundem teneatur ad solvendum aliquod debitum, sive solutum fuerit in civitate predicta sive debeat adhuc solvi, seu contractum servandum occasione ipsius discordie, vel ex quocumque contractu alio seu ex quacumque causa, pena, culpa vel modo a tempore premisse electionis usque ad Kalendas Ianuarii proximo nunc transactas, nec quisquam eorum aliquem ad solutionem compellat, et quicquid ab aliquo ipsorum exinde solutum fuerit, sine diminutione qualibet restituatur eidem.

Redditus equorum, quos iuxta consuetudinem civitatis debent recipere a communi, non obstantibus sententiis a G. Fafucii et P. Cusano tempore potestarie prefati T. contra ipsos utpote ab excommunicatis et inimicis capitalibus promulgatis, infra certum tempus prefigendum a nobis sine difficultate qualibet fiat eis, et a creditoribus suis absque omni usurarum exactione vel pena a predictis Kalendis Ianuarii usque ad an-

a) Heredibus — cogi possint *ex* 7.

num integrum eis indutie concedantur, nec a potestate vel quocumque alio infra idem tempus ad solutionem alicuius debiti cogi possint.

Ad hoc conspirationes, coniurationes, societates, confederationes et colligationes factas vel initas inter vos, generales seu speciales, quocumque modo sive fraude sint inite vel contracte, irritas decernimus et inanes, nec alique fiant de cetero vel serventur absque mandato apostolico speciali vel rectoris in Ducatu pro tempore existentis; contra faciens, si miles fuerit, centum, si de populo, quinquaginta librarum Lucensium pena multetur. Quod si solvendo non fuerit, alias iuxta conditionem quantitatemque persone alia iusta pena plectatur.

Ceterum*, quia vos filios reputamus ecclesie speciales, prompti libenter habemur ad gratiam, quam vobis fore perpendimus oportunam. Vestris igitur supplicationibus inclinati, ut in civitate vestra potestatem et alios officiales sicut cetere civitates ducatus Spoletani libere creare possitis, non obstante ordinatione contraria per sedem apostolicam confirmata, vobis auctoritate presentium concedimus facultatem.

Volumus[a] preterea et sub debito prestiti iuramenti districte precipiendo mandamus, quatenus contra iura, dignitatem, honorem et libertatem Romane ecclesie necnon episcopatus Asisinatis, ecclesiarum et clericorum civitatis eiusdem et etiam illorum, qui de civitate ipsa ob premissam discordiam exiverint, nullum fiat de cetero constitutum, et si contra presumptum fuerit, omnino non valeat, sed cassum et irritum habeatur.

Nullus quoque suo vel communitatis nomine se de Monte Subasio excolendo vel alias de cetero aliquatenus intromittat, sed permittat Romanam ecclesiam et rectores Ducatus, qui pro tempore fuerint, eundem montem libere possidere, salvo cuilibet iure suo quod in ipso monte ostenderit se habere. Hoc idem de normandiis[b], castris, villis et possessionibus communitatis civitatis ipsius, que olim curie fuisse noscuntur, decernimus observandum.

Hec omnia et singula precipimus ab omnibus inviolabiliter observari, mandato sedis apostolice in omnibus semper salvo.

Dat. Perusii, decimo septimo Kal. Iulii[c], anno IX.

---

*) *Verba, quae infra damus et quae ap. T. non extant, a Pertzio in schedula separata scripta sunt, in cuius margine superiore* IX. 112. Greg. IX continuatio, *in laeva* Vacat *annotatum est. Apparet eam continuationem non esse, neque post* concedimus facultatem, *quibus verbis apographum Pertzii terminatur, in Reg. legi, sed primam formam constitutionis de electione potestatis et officialium continere, quam formam papa postea, Assisinatibus maiorem libertatem concedens, ita mutavit, ut supra legitur:* Ceterum — facultatem. *Haec secunda forma ut credimus in margine, quem Pertzius, Archiv V, p. 344, per partes latissimum esse refert, adscripta est.*

Ceterum, quia vos filios reputamus ecclesie speciales, prompti[d] vestri videmini sumpsisse fomentum, sic de ipsa duximus in posterum disponendum, videlicet ut tempore, quo potestatem et alia officia consuevistis vobis eligere, conveniatis more solito et electores vobis eligere studeatis, qui sine omni dolo et fraude tales vobis in potestatem vel rectores et premissa officia eligant, qui sint catholici et ecclesie Romane fideles, quos nequaquam publicent, antequam ipsorum electio, si fuerit in Ducatu vel circa partes vicinas, summo pontifici presentetur, alioquin rectori Ducatus eiusdem, pro confirmatione huiusmodi obtinenda; et ea obtenta pronuntient electionem postmodum secundum consuetudinem civitatis. Si vero in facienda electione convenire nequiverint electores, accedant ad Romanum pontificem, si vicinus fuerit, vel ad rectorem eundem, prout superius est expressum, recepturi ab eorum altero in potestatem et officiales alios, quos eis duxerit concedendos. Quod si contra premissam formam fuerit in electione processum, consiliarii Asisii excommunicationis et communitas mille librarum Lucensium ac electorum quilibet centum solvendarum nostre camere penis subiaceant, et electi, si hoc acceptaverint, sententiam excommunicationis incurrant, quod fecerint nullam firmitatem penitus habituro.

a) Volumus — salvo *ex T.* b) *ita T.* c) *ita T.; apogr. nostrum:* Junii, *quod cum ordine Reg. minus bene concinit.* d) *locus ut videtur corruptus.*

645.

Gregorius IX papa [Hugoni X] comiti Marchiae scribit se mandasse, ut quingentae librae Turonensium, quas magistro Symoni ad subsidium ecclesiae contra Romanos impenderit, cum iidem ad mandatum ecclesiae redierint, ipsi sine diminutione resignentur. *1235, Iun. 16 et 15.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 38; Lib. IX, 109.

Nobili viro . . comiti Marchie.

Sacrosancta Romana ecclesia universorum fidelium Christi matre nuper in necessitatis articulo constituta, te tanquam devotum ipsius filium pro eiusdem subsidio requiri fecimus confidenter, tuque statu intellecto ipsius devotionis affectum, quem ad eandem habere dinosceris et nos ipsos, ostendere cupiens per effectum, dilecto filio magistro Symoni scriptori nostro, sicut ex litteris ipsius nobis innotuit, quingentas libras Turonensium in ipsius ecclesie subventionem liberaliter impendisti, super quo nobilitatem tuam in Domino commendamus ac dignis prosequimur actionibus gratiarum. Verum cum Romanis ad mandatum ecclesie redeuntibus operante patre luminum pacis sit hinc inde tranquillitas reformata, volumus et per apostolica tibi scripta mandamus, quatinus cum pecuniam ipsam mandemus tibi sine diminutione qualibet resignari, eandem recipiens de resignatione ipsius nobis cures tuas litteras destinare.

Dat. Perusii, XVI Kal. Iulii, anno nono.

In eundem fere modum de centum quinquaginta libris Turonensium nobili mulieri . . comitisse Marchie[1].

In eundem fere modum de 'pecunia pro huiusmodi subsidio deposita' archiepiscopo Turonensi[2] et suffraganeis eius, abbatibus, prioribus et aliis ecclesiarum prelatis et canonicis per Turonensem provinciam constitutis[a].

[In eundem fere modum][b] . . archiepiscopo Senonensi[3] et suffraganeis eius etc.

[In eundem fere modum][b] . . archiepiscopo Remensi[4] etc.

[In eundem fere modum][b] abbatibus et conventibus monasteriorum exemptorum per regnum Francie constitutis.

Dat. Perusii, XVII Kal. Iul. anno nono.

646.

Gregorius IX papa [Henrico] archiepiscopo Rhemensi eiusque suffraganeis mandat, ut subditos suos incitent, ut unusquisque eorum pro militia Terrae Sanctae qualibet septimana saltem unum denarium det. *1235, Iun. 28.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 45—46; Lib. IX, 135. Pertzii exemplar supplevimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1235, § 46—48.
Potthast, Reg. 9951.

. . archiepiscopo Remensi et suffraganeis suis.

Exeamus ad Iesum, secundum apostolum, extra castra, improperium eius portantes, Hebr. 13.13.
ut videlicet ipsius opprobrium proprium reputemus, quasi nobis ipsis illatas sibi in-

---

a) *ita in apographo Pertzii; nescio an epistola in Reg. integra legatur.* b) *Haec verba a Pertzio non perscripta sed linea tantum notata sunt. Dubitamus, num fere repetendum sit.*

1) *Isabellae.* 2) *Iuhello.* 3) *Waltero.* 4) *Henrico.*

iurias existimantes, ut sicut ipse defectus nostros nascendo sustinuit et dolores moriendo portavit, dum nascendo minoratus est paulo minus ab angelis[a], ac se ipsum Philipp. 2,7 exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem[b] hominum factus et habitu inventus ut homo ac moriendo, captus, tractus, vinctus, cesus, illusus alapis, crucifixus, mortuus, lanceatus extitit et sepultus, sic, quamquam non sit similitudo creature ad creatorem, ut tamen aliquid saltem retribuamus ei pro omnibus que retribuit ipse nobis, iniuria nos tangat ipsius, ut subveniamus pauperi Iesu Christo ad relevandas contumelias, Matth. 27,40. quibus ei a fidei nostre hostibus exprobratur, insultantibus ipsis et dicentibus: 'Si filius Dei es, salvum facias temetipsum; si quid potes, libera terram nativitatis tue de manibus nostris, et crucis cultoribus restituas crucem tuam'. Certe ignominia est populo Christiano, quod ille rex regum, qui fecit omnia, de propria sede pulsus pro Psal. 104,11. nostris facinoribus terram, que hereditatis sue funiculus est, amisit, in qua corporaliter Baruch 3,38 visus est cum hominibus conversatus et in qua universa redemptionis nostre sacramenta patravit. O, quam anxie clamaret apostolus hodie, si nunc in mundo maneret: 'Exeamus ad Iesum extra castra, improperium eius portantes', forte diceret: 'Exeamus Gen. 12,1. exempto Abrahe de terra, domibus et cognatione nostra corporali et mystica, ut eamus in terram illam olim inclytam et Christi sanguine consecratam, ut expulsis exinde cum Dei adiutorio Amorrheis, cum Iuda Machabeo montem Sion ascendamus mundare sancta et renovare, coronis ornantes aureis templum Domini dei nostri'. Clamat Matth. 16,24 etiam ipse Christus: 'Qui vult', inquit, 'venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me', quasi dicat: 'Bellum instat, aciem castrorum dispono; ergo qui meus est, me sequatur. Qui enim vult venire mecum ad gloriam, sequatur me ad pugnam, quia qui vult regnare, oportet compati': quanquam non sint condigne passiones huius temporis ad futuram gloriam, quam in nobis credimus revelandam. Clamat nichilominus illa miserabilis Ierusalem mater nostra, que merito peccatorum nostrorum bibit de manu Domini calicem ire eius, suas nobis exponens angustias et in sui doloris remedium affectus a nobis expectans filiales, si forte tristemur cum ipsa et doleamus, si eam diligimus, vicem eius. Quis enim est, qui non tam validis clamoribus excitatus ad vindicandas Christi sui tam atroces iniurias se accingat? Nunquid non rei proditionis apud filium Dei erimus, si ad eruendam terram de manibus impiorum, ad eum ex patris eterna Psal. 2,8. donatione, qui gentes in hereditatem et in possessionem terre terminos sibi dedit, ac matris de regali prosapia descendentis successoria hereditate pertinentem, non totis viribus laboremus? Non est quidem novum, quod terra illa iudicio divino percutitur, sed nec est insolitum, ut flagellata et castigata sanetur: nam poterat eam Dominus sola voluntate servare, sed forsitan voluit experiri et in notitiam ducere aliorum, si quis tangeretur eius iniuria et ad ipsam ulciscendam se aliquis prepararet. Licet autem ad recuperationem ipsius terre multum laboraverit hactenus populus Christianus, licet multi principes orthodoxi assumpto crucis signaculo, ut hereditatem Domini de manibus eruerent iniquorum, ad partes transfretaverint transmarinas, licet quam plures, quos in hostes zelus divine legis armaverat, in manibus traditi persequentium adhuc forsitan ferreis detineantur compedibus et squallore car- Psal. 85,17. ceris macerentur, licet non pauci, faciente cum eis Domino signum in bonum, calicem gustaverint passionis et martyrio fuerint coronati: nondum tamen exigentibus culpis populi Christiani tante voluit Dominus miserie misereri, illo dante forsan occasionem vel causam, quod etsi ad tempus circa hoc ferbuerit devotio Christiana, in tempore tamen tepuit fervor eius, et sic non continuatis presidiis defectum passa est graviter causa Christi.

a) *ita Ragn.; leg.* quam angeli, *cf. Hebr. 2,9.* b) similitudine *Ragn.*

Cum igitur treuge cum Sarracenis inite modico sint tempore durature, ne si, quod absit, invenitur Christiana professio imparata, verendum sit, quod non solum difficilis terre recuperatio iam amisse, verum etiam desperabilis retentio sit retente: cupientes acies Dominicas instaurare ac per continuata presidia Christi negotio provideri, de fratrum nostrorum consilio militiam Christianam in partibus transmarinis, que iugiter contra hostes fidei prelium Domini prelietur, ad minus usque ad decem annos providimus instruendam, de fidelium elemosinis subsidium continuum habituram. Ut autem quod intendimus melius et efficacius impleatur, exemplo apostoli, qui collectas faciebat in gentibus, ut mitteret illas fratribus egentibus in Ierusalem, sic super hoc duximus providendum, ut quilibet, qui Christiana professione censetur, tam masculus quam femina, tam clericus quam laicus, et tam subditus quam prelatus, conferat qualibet septimana saltem unum denarium in hoc opus, per manus eorum, qui ad hoc electi fuerint, in subsidium eiusdem militie convertendum; iis duntaxat exceptis, qui suscepto crucis charactere sunt illuc personaliter profecturi[a]. Ad quod fideliter exequendum in qualibet civitate vel castro, villa vel vico assumantur duo, unus videlicet clericus per episcopum et alter laicus per dominum vel rectorem terre seu locorum communia, fideles et idonei, timentes Deum, qui recipiant sic oblata; et ne forte illum cuius est negotium contingat decipi vel fraudari, in fine cuiuslibet mensis fiat per eosdem clericum et laicum in publico presentibus bonis viris et Deum timentibus ratio de receptis, ut sciatur quid et quantum in opus huiusmodi sit collatum, adhibito illo cautele studio ut de hiis nichil omnino depereat set totum ad opus dicte militie integre conservetur, ita ut, si de loco illo cruce signati aliqui ad partes transfretaverint supradictas, illis prius et potius in transmarinis partibus de ipsa debeant pecunia stipendia provideri; et in fine cuiuslibet anni coram loci episcopo fiat exinde ratio generalis, ut per locorum episcopos receptorum quantitas Romano pontifici exponatur, que consignata fideliter et deposita per illos, qui ad hoc deputati fuerint, illuc plenarie transmittatur. Confidimus autem in Domino et in potentia virtutis eius speramus, quod si usque ad premissum tempus huiusmodi presidium indeficiens instauretur, reedificabuntur civitates et oppida, et in eis habitatoribus constitutis terra manuteneri poterit auctore Domino et defendi. Ideoque fraternitatem vestram rogamus, monemus et hortamur in Domino, per apostolica vobis scripta districte precipiendo mandantes, quatinus commissos vobis populos moneatis attentius et efficaciter inducatis, in remissionem eis peccaminum iniungentes ac obsecrantes per Patrem et Filium et Spiritum sanctum et per aspersionem sanguinis Iesu Christi, ut sicut convenit attendentes qualiter transeunt universa, prout unusquisque destinabit in corde suo, quod 2. Cor. 9.7
de gratia petimus non ex tristitia aut ex necessitate Domino exolvendo, datores ylares se ostendant. Porro, quamvis id modicum pro unigenito Dei filio a singulis de gratia requiramus, necessitatem tamen alicui non imponimus, quin possit in gazophylacium Domini maiora reponere, set quanto cuiquam Dominus contulit ampliora, tanto ei retributionis equitate pensata debet quilibet maioris devotionis insignia exhibere. Nec dubitent dare illi terrena et pauca brevique tempore duratura, qui contulit universa, que sive volentes sive nolentes nesciunt, quibus sint heredibus relicturi, pro quibus illa bona dantibus sunt promissa, que nec oculus vidit nec auris audivit 1. Cor. 2.9.
nec in cor hominis ascenderunt. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui elemosinam in hoc opus tam pium et laudabile, prout est dictum superius, duxerint conferendam, duos annos annis singulis de iniuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Illis autem qui non solum hoc set maiora pro subsidio

a) hucusque ex Rayn.

predicte militie Domino inspirante contulerint, iuxta quantitatem subsidii et devotionis affectum ampliorem concedimus veniam peccatorum.

Dat. Perusii, IV Kal. Iulii, anno nono.

In eundem modum scriptum est universis archiepiscopis et eorum suffraganeis.

647.

Duae epistolae Gregorii IX papae ad [Eberhardum II] archiepiscopum Salisburgensem, [Conradum II] episcopum Hildeshemensem et abbatem de Buch directae: 1) committit iis, ut contra interfectores Conradi de Marburg iuxta formam, quam iis transmittat, procedant; 2) scribit, quam poenitentiam praedictis interfectoribus imposuerit, mandans, ut iis, si iniuncta peregerint, absolutionem impendant. 1235, Iul. 26 et 31.

Greg. IX Reg. Vol. V, 56—57; Lib. IX, 167 et 168. Ad I Pertzii exemplar supplevimus ex Ripolli, Bull. Praed. t. I, p. 78, n. 133 et Manrique, Ann. Cisterc. t. IV, p. 500, ubi hae litterae ex Reg. deprompta leguntur, errores alterius ex altero emendantes.

Potthast, Reg. 9977 et 9978.

I.

. . archiepiscopo Salzeburgensi et . . episcopo Hildesemensi et . . abbati de Buch[1] Cisterciensis ordinis Misnensis diocesis.

Vinee Domini cultores licet immeriti constituti iuste in desiderio gerimus, ut illius latitudinem gratitudinis fructu semper venustam existere perpendamus, turbationem non modicam subeuntes, si forte alique plantarum, que in illa evidentibus existunt indiciis grandiores, sint sterilitate notabiles vel nocivorum productione fructuum displicentes. Sane dudum mirantes audivimus et referimus conturbati, quod cum olim post obitum recolende memorie magistri Conradi de Marbuch[2] predicatoris verbi Dei de quibusdam, quos infectos labe pravitatis heretice tenebat assertio plurimorum, oriretur materia questionis, quibusdam proponentibus quod processus contra illos per eundem magistrum habitus iniquitatis maculam habuisset, aliis vero referentibus ex adverso quod pius extitisset et providus ac incremento catholice fidei plurimum oportunus, ad dubitationes huiusmodi declarandas certi locus et terminus sunt prefixi. Demum congregato concilio[3], ad quod plures ecclesiarum prelati et principes seculares ac alii, quorum presentia tanto competebat negotio, convenerunt, exurgente nullo pro tuitione fidei, que saltem tot presentibus sub nulla debebat negligentia preteriri, memorati infecti, ut dicitur rationis inconsulto speculo, quod potissime in talibus haberi decebat pre oculis, sunt absolutionis beneficium assecuti. Illi vero perditionis filii, qui dicti magistri sanguinem innoxium effuderunt, omissis prolatione sententie ac inflictione pene, que contra ipsos pro excessu tam detestabili et digno non brevibus deplorari lamentationibus debebatur, ac satisfactione aliqua non recepta, sunt ad presentiam nostram pro absolutionis obtinenda gratia destinati. Quare nobis et aliis opinandi vel potius pro firmo tenendi materia tribuitur, quod in hoc et modicus fuerit zelus catholice fidei et exilis attentio sedem apostolicam reverendi. Unde fit, quod et minoribus, quorum affectioni celebre redditur quod a superiorum providentia derivatur, exemplum validum presumendi contraria devotioni conceditur, et perditis hereticis cumulatur

1) *Ex occidente civitatis Misnensis.* 2) *a. 1233, Iul. 30 interfecti.* 3) *Francofurti a. 1234, Febr.*

audacia vacandi frequentie pravitatis, dum tanti sceleris patratores ex illorum dampnato collegio procedentes immunes a stipendio meritorum evasisse conspiciunt, et eos, quos inter preminentes plantas ecclesie providit Dominus locum magnitudinis obtinere, in extreme necessitatis articulo produxisse fructus, equitatis odorem et saporem iustitie non habentes, dampnabiliter gloriantur, non levem subsannationis habendo materiam, quod inconsultis nobis ad tanti consumationem, ne dicamus confusionem, negotii sit processum.

Quare in pectore nostro non levis consurgente turbine questionis, viri fratres, querere cogimur, quod super memorato processu cause presidium vel rationis fuerit fulcimentum. Porro quod prorsus nullum extiterit, patet argumento multiplicis veritatis. Scitis enim, quod dilectus Deo Moyses de peculiari populo Creatoris sibi (Exod. 18,13. et sequ.) singulis nationibus predilecto curam gerens et inter ipsos iudicans, cum aliqua eis disceptatio accidebat, etsi fretus salutari consilio a virtutum domino inspirato, ne consumptus labore deficeret, duxerit statuendum, ut, eo in hiis que ad Deum pertinent existente, viri strenui, quos de cuncto Isdrahele elegerat, populum Domini iudicarent; tamen ipsi faciliora tantummodo iudicantes, ad eum quidquid erat gravius referebant. Preterea[a] nostis, ut credimus, dixisse Dominum, prout in divine legis serie continetur: 'Si difficile et ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem et san- (Deut. 17, 8—12.) guinem, causam et causam, lepram et lepram, et iudicum intra portas tuas verba variari videris, surge et ascende ad locum, quem elegerit Dominus deus tuus; veniesque ad sacerdotes Levitici generis et ad iudicem, qui fuerit illo tempore, queresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem, et facies, quodcunque dixerint qui presunt loco quem elegerit Dominus, et docuerint te iuxta legem eius, sequerisque sententiam eorum, non declinabis ad dexteram vel sinistram; qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino deo tuo, et decreto iudicis, morietur.' Qua igitur temeritate causam fidei dignam quibuslibet anteferri, que potissime summi pontificis examini competebat, avertentes a debita nobis reverentia faciem, presumpserunt aliqui terminare, quasi auctoritatis premisse nescii vel ab eiusdem intellectu perspicuo peregrini? Quo consilio iidem ad transgressionem mandatorum Domini processerunt? Quo iure, quod est in canonica sanctione precipuum, ab ipsis tam notabiliter extitit pretermissum? Nunquid facultas eis aberat sedem apostolicam consulendi, cum et locorum longinquitas vel anfractus itineris aut tremenda elatio pelagi sevientis, pro qua celi claviger non expavit, quin Salvatori diceret, ut (Matth. 14,28) sibi quod per aquas ad eum procederet imperaret, nullum ipsis afferret obstaculum nunciorumque penuria nullum excusationis tribueret fulcimentum? Nunquid illorum memorie capacitas non habebat, quod ad sacrosanctam Romanam ecclesiam, cuius fundamentis super petram positis quisque cedit impetus tempestatis, in ambiguis et fluctuosis questionibus, per quas imminet naufragium fidei, si non contingat easdem prospere terminari, sit assidue recurrendum? presertim cum dictus claviger, cuius arbitrio orbis universitas solvitur et ligatur cuiusque iudicia a conditore iustitie confirmantur, audire meruerit: 'Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu (Luc. 22,32.) aliquando conversus confirma fratres tuos', cum etiam dubium non existat, quod qui secum non colligit, spargit, et nemo unquam sub diluvio seculi non in area positus (Matth. 12,30.) conservatur.

Sed quid ad ista? Cur studio exaggerationis intendimus? Cur questionum cumulis immoramur? Porro nedum provectis et prudentibus set parvulis et ignaris potest esse liquidum, quod de premissis multum sit devotionis et obedientie pretermissum, presertim

a) Preterea — immoramur *ex Rip. et Maur.*

cum litterarum nostrarum series[1], per quas mandavimus, ut processus contra huiusmodi pestilentes secundum formam concilii generalis et statuta nuper a nobis edita haberetur, mandati transgressoribus excusationis suffragium non acquirat, quia cum post processum habitum auctoritate apostolica contra ipsos, si criminosi vel immunes a macula heretice pravitatis existerent, dubietas immineret, ad examen nostrum omni erat occasione postposita properandum. Nos igitur, etsi hactenus ista dissimulationi dederimus, super eisdem tamen in posterum, prout expedire viderimus, actore Domino procedemus. Interim autem homines miseros, qui humanitatis affectu et miserationis effectu christum perdendo Domini se reddiderunt omnimodis alienos, sine condigna nolentes provisione remittere, presentium vobis auctoritate committimus, ut circa ipsos Deum habentes pre oculis iuxta formam, quam vobis sub bulla nostra interclusam mittimus[2], auctoritate nostra omni contradictione et appellatione cessantibus procedatis, presentes in primo colloquio generali, in quo carissimus in Christo filius noster Fridericus, Romanorum imperator etc., ac alios principes ecclesiasticos et mundanos adesse contigerit, publicari et exponi sollempniter facientes. Quod si non omnes etc.

Dat. Perusii, VII Kal. Augusti, anno nono.

II.

Eisdem.

Cum interfectores bone memorie magistri Conradi de Marburch, predicatoris verbi Dei, ad sedem apostolicam accessissent, eius misericordiam et salutis sue consilium implorantes, nos eis iniunximus, ut in subsidium transeant Terre Sancte. Quocirca presentium vobis auctoritate mandamus, quatinus post receptam ab ipsis sufficientem et idoneam cautionem, quod in passagio Martii proximo futuri vel alio proximo sequenti ad partes se transferant transmarinas, in Christi servitio moraturi nec reversuri exinde sine licentia sedis apostolice speciali, cum eorum excessus plenus fuerit impietate flagitii et inmanitatis horrore, et ipsi flagitiosissimi et sceleratissimi homicide in acerba et seva nece hominis innocentis contra se provocaverint celum et terram et gravissime offenderint non solum Romanam verum etiam nimis exacerbaverint ecclesiam generalem, mandetis eisdem inter alia sub debito prestiti iuramenti, ut per omnes maiores ecclesias regionis illius, ubi tam execrabile facinus commiserunt, si secure poterunt, vadant nudi et discalciati, brachis duntaxat retentis, fune vel corrigia ad collum ligata, virgas in manibus deferentes, et ab omnibus presbyteris illarum ecclesiarum psalmum penitentialem dicentibus ante fores earundem, quando maior aderit populi multitudo, se faciant verberari, suum publice confitendo reatum. Hiis quidem peractis absolutionis beneficium impendatis eisdem, non obstante quod absoluti fuisse ab alio referuntur, presertim cum pro tante inmanitatis excessu absolvi nequiverint absque mandato sedis apostolice speciali. Preterea si illi, quorum ope, consilio vel assensu tantum facinus est commissum, ad mandatum vestrum redierint, pro tanto excessu satisfactionem condignam humiliter impensuri, eos ad absolutionis gratiam admittatis. Alioquin sceleratos huiusmodi et predictos publice candelis accensis nuntietis excommunicationis sententie subiacere, non nisi per sedem apostolicam absolvendos, et loca ad que devenerint, quamdiu ibi fuerint, supposita interdicto. Quod si horum aliqui per alium extiterint in mortis articulo absoluti, careant tamen, si decesserint, ecclesiastica sepultura, et si forsan post absolutionis beneficium restituti fuerint sanitati, nisi statim apostolicis mandatis parere studuerint, relabantur in pristinam sententiam ipso iure. Ceterum tam eos quam descendentes

1) *Cf. n. 558, 560 et 561.* 2) *Scil. epistolam sequentem.*

ab ipsis recta linea ad nullos honores, dignitates, ordines, ecclesiastica beneficia vel publica officia secularia nuntietis[a] de cetero assumendos, ac iure patronatus vel advocatie, feudi, locationis seu quolibet alio iure, quod in quibuslibet ecclesiis habuerant, fore privatos; illos etiam, qui scienter receperint malefactores eosdem vel contra premissa venire presumpserint, ipso facto clericos perpetuam suspensionem officii et beneficii, laicos vero excommunicationis sententiam incursuros. Ad hec banniri faciatis homicidas huiusmodi, ita quod aliquo ingenio per se vel per alios ad loca sua redire non possint, eorumque bona omnia publicari, de illis taliter disponendo quod ad ipsos vel eorum heredes nulla occasione ulterius revertantur: mandatum nostrum taliter impleturi, quod diligentiam vestram commendare in Domino debeamus. Indefessa nempe sollicitudine ad ultionem tanti facinoris Romana ecclesia vigilabit, ne in exemplum abeat, siquid de vindicta fuerit negligenter omissum, ut pene immensitas, diffusa per orbem terreat pestilentes, non solum manus a similibus cohibens set etiam cogitationes avertens.

Dat. Perusii, II Kal. Augusti, anno IX.

648.

Gregorius IX papa principes ecclesiasticos et mundanos in curia imperiali constitutos rogat, ut Fridericum Romanorum imperatorem inducant, ut negotium societatis Lombardiae, marchiae Tervisinae et Romaniolae iuxta imperialis formae tenorem in manibus ecclesiae ponat; discordia enim cessante de provincia Lombardiae Terrae Sanctae commodum provenire posse. 1235. *Iul. 28.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 57; Lib. IX, 169.
Potthast, Reg. 9973.

Archiepiscopis et episcopis ac aliis ecclesiarum prelatis, nobilibus viris ducibus, marchionibus, comitibus et baronibus in imperiali curia constitutis.

Puritas fidei et devotionis immense sinceritas, quibus circa reverentiam matris ecclesie pre aliis fidelibus studetis actore Domino refulgere, nobis plenam fiduciam offerunt, quod in hiis, que secundum Deum cupimus, vos promptos et faciles habeamus. Hinc est, quod cum tempus advenerit prorogationis spatium non admittens, in quo redemptioni patrie, quam patris eterni filius suo noscitur pretioso sanguine consecrasse, efficax consilium et finale auxilium debeat provideri, universitatem vestram rogamus et obsecramus in domino Iesu Christo, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatinus pensato prudenter quod Sancte Terre negotium non possit promoveri facilius quam quod Christianus populus sit in sereno pacis et concordie constitutus, omni rancore deposito quem ex quacumque causa contra Lombardos hactenus concepistis, carissimum in Christo filium nostrum Fridericum, Romanorum imperatorem etc., ad hoc sicut attentius poteritis vestris exhortationibus inducatis, quod ipse, quacumque turbatione propulsa quam Lombardorum presumptio eidem dinoscitur induxisse, negotium societatis Lombardie, marchie Tervisine ac Romaniole in manibus ecclesie iuxta imperialis forme tenorem[1], quam ab ipso imperatore recepimus et dicte societatis

a) nuntíes *R.*

1) *Cf. n. 580 et p. 489, not. 2.*

rectoribus sub bulla nostra misimus interclusam, precise ponere non omittat, sicque fiat, quod vobis causam dantibus, per quam strepitu cessante discordie possit de Lombardie provincia rebus et hominibus copiosa Terre Sancte commodum provenire, vestra sinceritas proficiat ad retributionis eterne premium, quod pacem diligentibus paravit conditor singulorum.

Dat. Perusii, V Kal. Aug. anno nono.

649.

Gregorius IX papa praeceptori et fratribus Hospitalis Hierosolymitani mandat, ut baiulo et legato imperatoris in Terra Sancta constituto omne auxilium praebeant, et si Iohannes de Ibelino et populus Acconensis ad obsidionem civitatis Tyri procedant, eos a conatu suo desistere faciant. *1235. Iul. 28.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 58; Lib. IX, 170.
Potthast, Reg. 9974.

Preceptori et fratribus Hospitalis Ierosolimitani.

Evidens est et ambiguitatis nubilum non admittit, quod ad hoc potissime religionis habitum assumpsistis, ut in Terre Sancte partibus ampliationi vacando fidei possitis patrie superne civibus aggregari. Digne igitur vobis suadere possumus et debemus, ut cum propositum vestrum ex eo precipue promoveri valeat, quod Sirie partibus aliquod adversitatis nubilum non incumbat, illa promptis affectibus studeatis efficere, per que possit eadem pacis et quietis gaudiis exultare. Rogamus itaque universitatem vestram et hortamur attente, per apostolica vobis scripta in virtute obedientie precipiendo mandantes, quatinus provida meditatione pensantes quid carissimo in Christo filio nostro Friderico, Romanorum imperatori etc., ex eo favoris debeamus et premii, quod in obsequiis matris ecclesie, sicut suam excellentiam decuit, promptus et efficax studuit inveniri, . . baiulo et legato suo[1] in predictis partibus constituto omne quod poteritis in imperialium conservatione iurium consilium et auxilium sublato difficultatis obstaculo prebeatis, curam et studium habituri, ut si forte nobilis vir Iohannes de Ybelino ac populus Acconensis eiusdem suggestionibus instigatus ad obsidendum civitatem Tyri vel aliquam terrarum ad dominium imperiale spectantium procedere aliquatenus attemptarent[2], efficacem opem et operam apponatis, ut ipsi a suo conatu corruant et adversus imperatorem eundem se ulterius erigere non presumant, sicque fiat, quod illis a concepti erroris prosecutione cessantibus et vestra faciente prudentia quod in predictis partibus vitentur dissensionis et scandali detrimenta, nos, qui honoribus ecclesie reputamus adici quicquid secundum Deum potest utilitatis et glorie imperiali excellentie cumulari, reddatis vobis in vestris necessitatibus obligatos, et imperatoris eiusdem potentia sit vobis oportunis temporibus gratiosa; scituri quod cum sepedictus imperator sit in remoto positus, quare nobis de suorum conservatione iurium cura imminet specialis, si eum in premissis vel aliis a quoquam offendi contingeret, quasi esset illata nobis iniuria, gravis cor nostrum turbatio fatigaret, succedentibus ultionis condigne studiis, que haberi condecet in presumptorum excessibus corrigendis.

Dat. Perusii, V Kal. Aug. anno nono.

1) *Riccardo Filangerio marescalco.* 2) *Cf. n. 650.*

In eundem modum . . magistro[1] et fratribus domus militie Templi Ierosolimitani.

In eundem modum . . preceptori et fratribus hospitalis sancte Marie Teutonicorum in Accon.

650.

Gregorius IX papa Iohannem de Ibelino reprehendit, quod populum Acconensem a fidelitate Friderici Romanorum imperatoris seducens ad obsidionem Tyri inducere nitatur, eique mandat, ut ab omnibus, quae honori imperatoris contraria sint, se avertat. Cf. n. 649. *1235. Iul. 28.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 58; Lib. IX, 171. Pertzii exemplar supplevimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1235, § 42.

Potthast, Reg. 9975.

Nobili viro Iohanni de Ibelino spiritum consilii sanioris.

A diutina expectatione dependimus, si forte affectus tedio que Deum offendunt et homines presumendi, studeres efficere, per que tibi et aliis in Syrie partibus constitutis possint pacis et quietis gaudia provenire. Sed ecce contrarium mirantes audivimus, et non[a] absque turbatione plurima narramus, quod cum carissimum in Christo filium nostrum Fredericum, Romanorum imperatorem, diversis olim iniuriis provocare presumpseris[2], unde nichil aliud accidisse dignoscitur, nisi quod exinde status Syrie cum detrimento multorum non modicum extitit conturbatus, nunc peiora cumulando prioribus, populum Acconensem ab eius dominio et fidelitate seducens, illum ad obsidionem Tyri inducere niteris, quasi aliena usurpare iura tibi fore licitum arbitreris. Verum cum processum huiusmodi eo minus tolerare possimus, quo fere nichil est magis cordi nostro contrarium, quam quod Terra Sancta per incautelam fidelium patiatur aliquod detrimentum, nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente, per apostolica tibi scripta precipiendo mandantes, quatenus pensato prudenter quod nobis in prefato imperatore multa inferatur iniuria, si iurium suorum patiatur ab aliquo detrimenta, presertim cum quidquid sibi prosperitatis adicitur, a nobis proprium reputetur, eo quod multe devotionis obsequiis se reddiderit ecclesie gratiosum, ab omnibus, que ipsius honori contraria dignoscuntur, te post presentium susceptionem avertere non postponas[b]. Alioquin, cum laborantibus nobis advocare orbis terre subsidium, ut Redemptoris patria eruatur de manibus paganorum, nec velle possimus nec pati etiam debeamus, quod occasione tui Syrie partes guerre stimulis agitentur, . . decano Antiocheno, venerabilis fratris nostri . . patriarche Antiocheni[3] vicario, damus nostris litteris in mandatis, ut te ab occupatione iurium imperatoris eiusdem vel suarum impugnatione terrarum spirituali districtione appellatione remota compescat.

Dat. Perusii, V Kal. Aug. anno nono.

In eundem fere modum scriptum est executori.

In eundem modum . . populo Acconensi.

a) non *deest ap. Rayn.* b) *huc usque ex Rayn.*

1) *Hermanno.* 2) *Cf. n. 593.* 3) *Alberti.*

651.

Gregorius IX papa [Sigefrido] episcopo Ratisponensi imperialis aulae cancellario mandat, ut Henricum filium imperatoris ab [Eberhardo II] archiepiscopo Salisburgensi pro periurio excommunicatum absolvat, cum ad patris sui gratiam redierit.

1235, Aug. 1.

Greg. IX Reg. Lib. IX, 172. Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1235, § 10. Potthast, Reg. 9979.

Ratisponensi episcopo, imperialis aule cancellario.

Cum nobilis vir Henricus natus carissimi in Christo filii nostri Friderici, Romanorum imperatoris, pro periurio, quod incurrit se patri temere opponendo, sit per venerabilem fratrem nostrum Salzeburgensem archiepiscopum auctoritate nostra excommunicationis vinculo innodatus[1], presentium tibi auctoritate mandamus, quatenus eidem, cum sit ad ipsius imperatoris gratiam iam reversus, iuxta formam ecclesie beneficium absolutionis impendas, sufficienti ab eo prius cautione recepta, quod militibus Danis ab obsequio Romane ecclesie redeuntibus nec non clericis accedentibus ad illam et redeuntibus ab eadem, quos fecit bonis suis non absque divina et apostolice sedis iniuria spoliari, satisfaciat competenter.

Dat. Perusii, Kal. Augusti, [anno nono][a].

652.

Gregorius IX papa fidelibus suis per patrimonium beati Petri in Tuscia constitutis mandat, ut raptores, praedones et fures, qui provinciam ipsam persequendo dilanient, de finibus suis expellant. *1235, Aug. 4.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 59—60; Lib. IX, 178. Potthast, Reg. 9983.

Universis fidelibus nostris per patrimonium beati Petri in Tuscia constitutis.

Audientes dissensiones et guerras, que pullulant inter vos, destructiones locorum, persecutiones ecclesiarum, oppressiones pauperum, captiones hominum, cedes virorum, iniurias, violentias et rapinas, que in vestris partibus perpetrantur, quam graviter turbamur exinde, vix possumus verbis exprimere aut litteris explicare. Usque adeo enim multiplicata est in eisdem partibus ut accepimus iniquitas perversorum, quod scientes quia iustitie cultus est pax, ut iniurias irrogent pacem turbant, et inter sanctum et prophanum minime discernentes bona tam ecclesiastica quam mundana diripiunt et predantur; quibus nisi fuerit obviatum, cum superbia eorum semper ascendat, in totius pene provincie irreparabile prosiliunt detrimentum. Volentes igitur huic pesti mortifere congruum remedium adhiberi, universitati vestre per apostolica scripta sub debito fidelitatis districte precipiendo mandamus, quatinus cum publice utilitatis intersit huiusmodi pestilentum audaciam severitate debita cohiberi, contra

a) anno nono *deest ap. Rayn.*

1) *Cf. n. 650.*

raptores, predones et fures, qui provinciam ipsam persequendo dilaniant, quos de finibus vestris omnino expelli precipimus et excludi, vos potenter et viriliter accingatis, eorum insolentiam taliter reprimendo quod excessus vindicta coherceat et excedentes pena cohibeat a peccato. Et quia huiusmodi maleficia absque conniventia vestra fieri nequeunt vel assensu, ac per hoc apud Deum et homines non potestis excusabiles merito reputari, presentium auctoritate statuimus, ut in quocumque locorum de cetero talia commissa fuerint, terre communitas vel loci dominus, in cuius territorio committentur, ea de bonis communitatis seu loci eiusdem teneatur modis omnibus emendare. Qui autem furtum vel predam emerit, etiam ea restituat absolute nulla compensatione sibi prestita vel prestanda, set emptor adversus venditorem suam habeat actionem, statuto contrario, firmato iuramento seu firmitate alia non obstante. Ut autem premissa omnia inviolabiliter observentur, damus dilecto filio Rolando subdiacono et capellano nostro firmiter nostris litteris in mandatis, ut vos ad observationem ipsorum tam spirituali quam temporali districtione appellatione remota compellat[1].

Dat. Perusii, II Nonas Augusti, anno nono.

653.

Gregorius IX papa potestati, consilio et populo Viterbiensi sub poena duorum milium marcarum mandat, ut colligationes et confoederationes, quas fecerint, relaxent et hominibus Montis Flasconis de damnis illatis satisfaciant. 1235, *Aug.* 8.

Greg. IX Reg. Vol. V. 59; Lib. IX, 177.
Potthast, Reg. 9984.

. . potestati, consilio et populo Viterbiensi.

Quanto civitas Viterbiensis vicinior nobis esse dinoscitur et apostolice sedi amplius est subiecta, cuius devotionis insignia sumus hactenus signanter experti, tanto dolemus fortius, si quando illa committitis, per que preter ingratitudinis vitium quod incurritis, Romane ecclesie matris vestre benignitatis mansuetudine abutentes, patientiam nostram ad iracundiam provocatis. Scitis equidem et utique sicut credimus vestra devotio recognoscit, quod cum olim in magno essetis periculo constituti, ita quod vix possetis de vestris angustiis respirare[2], Romana ecclesia mater vestra, que filiorum sui uteri oblivisci non potest et que in afflictione subiectorum affligitur et pressura premitur filiorum, de salute vestra cepit anxie cogitare, et tandem, ut pacis vobis gratiam redderet, post labores multiplices, post expensas multas et graves effudit quodammodo semetipsam; ac postmodum persecutorum sevitia imminente, gratiam gratie superaddens, pro tranquillo statu vestro et totius provincie quam magnanimiter eadem mater vestra se accinxerit contra eos, noscunt plene, qui longe sunt et qui prope. Set vos, quod non absque turbatione mentis referimus, quos, ut publice dicitur, et utinam non sit verum! radix infecta veneno heretice pravitatis in germen toxicatum pullulans fascinavit, impensa vobis beneficia prout convenit nullatenus attendentes, quasdam colligationes impietatis et confederationes sub velamento comunitatis temeritate propria facere presumpsistis, vos ad observationem ipsarum iuramenti vinculo astringentes, in vestram et civitatis vestre perniciem et ruinam ac nostram et apostolice sedis iniuriam et contemptum; et quasi non ista sufficerent ad offensam, prevaricatio-

1) *Cf. n. 654.* 2) *Praecipue anno praeterito, cum a Romanis bello premerentur.*

nem prevaricationi addendo nuper ad castrum Montis Flasconis[1], quod est camera sedis apostolice specialis, hostiliter accedentes, possessiones ipsius in vastitate hostili presumptione dampnabili devastastis. Cum igitur non sine dolore paterno possimus audire filiorum errores, ne vos, tamquam non curantes de vobis, errori proprio relinquamus, attendentes quod vitium sepius falso virtutis pallio fibulatur, ac verentes ne si huic morbo celeri remedio non fuerit obviatum, ad alios de patrimonio in vestrum et ipsorum exterminium extendatur, universitati vestre per apostolica scripta sub debito fidelitatis et pena duorum milium marcarum nec non et obtentu nostre gratie districte precipiendo mandamus, quatinus omnes colligationes et confederationes huiusmodi, quas revocamus penitus et decernimus non servandas, relaxatis nichilominus iuramentis que pro illarum observatione temere prestitistis, de cetero nullatenus observetis, ac de dampnis illatis fidelibus nostris de Monte Flasconis satisfactionem debitam impendatis. Alioquin dilecto filio Rolando subdiacono et capellano nostro damus in virtute obedientie nostris litteris in mandatis, ut vos ad hec tam per exactionem pene predicte quam alias spirituali et temporali districtione appellatione remota compellat[2].

Dat. Perusii, VI Idus Augusti, anno IX.

654.

Gregorius IX papa Rolando subdiacono et capellano suo mandat, ut colligationes contra honorem ecclesiae in Tuscia praesumptas non servandas denuntiet. Cf. n. 652 et 653. *1235, Aug. 11.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 60; Lib. IX, 179.

Rolando subdiacono et capellano nostro.

Cum sicut accepimus colligationes quedam impietatis et societates contra honorem ecclesie Romane sub velamento communitatis in patrimonio beati Petri in Tuscia temere sint presumpte, ad quarum observationem se nonnulli iuramenti vinculo astrinxerunt, nos, attendentes quod vitium sepius falso virtutis pallio fibulatur, ac verentes ne si huic morbo celeri remedio non fuerit obviatum, ad alios de patrimonio extendatur, devotioni tue per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatinus, sicut apostolice sedis et nostram gratiam caram habes, omnes societates et colligationes huiusmodi, quas penitus revocamus, non obstante iuramento premisso seu alia firmitate quacumque, denunties revocatas et de cetero non servandas, illos qui eas servare propria temeritate presumpserint, spirituali et temporali districtione appellatione remota compescens.

Dat. Perusii, III Idus Augusti, anno IX.

655.

Gregorius IX papa Friderico Romanorum imperatori conqueritur iniquitatis filios occultas litteras spargere, quas de conscientia summi pontificis emanare mendaciter asserant,

[1] *Ex septentrione Viterbii.* [2] *Cf. n. 651.*

itemque nonnullos collaterales imperatoris litteras dirigere, quibus pax turbari possit; rogat, ut os iniqua loquentium obstruat, sicut ipse vice versa faciat.

1235, Sept. 20.

Greg. IX Reg. Vol. V, 72—73; Lib. IX, 236.
Potthast, Reg. 10018.

Friderico, Romanorum imperatori semper augusto etc.

Consueti fecundius in aqua turbata piscari pacis dulcedinem mortis amaritudinem extimant, seminant lites et iurgia, ut ex hiis iniquitatis manipulos et sceleris lucra metant. Efficacius autem dolos hostes domestici machinantur, qui recta dominorum opera depravantes lucem tenebras statuunt et quibusdam venenatis immixtionibus corda principum caritatis bitumine colligata dissolvunt, ut vulnerata pace suas exercere malicias liberius valeant, quas concordie tempore ab oscuro fraudium in lucem producere non audebant. Hiis enim sathane stimulis sepius sedes apostolica pungitur, a quibus etiam immunis imperialis curia non habetur. Nam cum olim pro quodam negotio tuo scripserimus, sicut intelleximus quidam iniquitatis filii, qui nequaquam vellent ecclesiam imperio vinculo dilectionis uniri, occultas litteras et cedulas dicti negotii executoribus transmiserunt, ne ad ipsius executionem procederent, asserentes mendaciter quod eorum littere de nostra conscientia emanarent. Super quo illius, qui nichil ignorans scrutator est cordium et cognitor secretorum, testimonium invocamus, Sap. 1,6. quod nunquam a nobis eorum machinatio prodiit, set pure de impura ipsorum machinatione processit, quod in facto regni Ierosolimitani evidenter arguere[1] ac eos, qui contraria scripserant, per effectum operis in utroque negotio[2] mendaces poteris invenire. Nonnulli vero collaterales tui, pacis imperialis emuli sicut creditur inimici, eas de processu vestro litteras dirigunt, quibus si veritas testis assisteret, totum quod super te fundavit Dominus edificium ruinam patiens deperiret. Verum cum nos olim hiis fraudibus occurrentes tecum in reformatione pacis, si bene recolis, duxerimus ordinandum[3], ut si quid ad alterum de altero quod pacem lederet perveniret, latratibus detrahentium hinc inde denegaremus auditum: serenitatem tuam rogandam duximus et monendam, quatinus cum talia de nobis ad aures tuas perveniunt, os iniqua loquentium, sicut et nos versa vice facimus, obstruas et nobis, ut excellentie tue litteris nostris veritas innotescat, audita rescribas. Sic etenim pax in suo vigore servabitur et in sui lesionem capitis susurronum iniquitas mentietur.

Dat. Asisii, XII Kal. Octob. pontificatus nostri anno nono.

Scriptum est super hoc .. magistro domus sancte Marie Teutonicorum[4], ut eidem imperatori premissa prudenter referat et ipsum ad id studiosius inducat.

656.

Gregorius IX papa F[riderico] Romanorum imperatori scribit se sententiam interdicti, quam [Theodericus] archiepiscopus Ravennas in cives Acconenses promulgaverit, relaxasse. Rogat, ut cum nuntii Acconensium ordinationi ecclesiae se committere velint, sibi de iis, quae in cedula quam mittat contineantur, voluntatis suae beneplacitum

1) *Cf. n. 649 et 650.* 2) *Scil. regni Hierosolymitani et Lombardiae.* 3) *Ut Winkelmann, Fried. II, t. II, p. 10, not 1 patat, Anagniae a. 1230, Sept. 1; sed fortasse Reate a. 1234, Iul.—Aug.; cf. Böhmer-Ficker, Reg. Frid. II, n. 2047, c.* 4) *Hermanno.*

insinuet. — Sequitur cedula, in qua papa exponit, quibus conditionibus pax in Terra Sancta reformanda sit. *1235, Sept. 22.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 71—72; Lib. IX, 230 et 231.
Potthast, Reg. 10020.

I.

F. Romanorum imperatori semper augusto, Ierusalem et Sicilie regi illustri.

Dignum illius assumit animus gaudium, qui se brachiorum viribus ab aliorum sentit impugnatione munitum, et firmamentum tunc decorum efficitur. cum lune, quam non obfuscat eclipsis, radiis illustratur. Porro, si brachium destituatur potentia et luna propter terrarum obicem solaris sit luminis beneficio spoliata, pars cetera corporis iniquorum iniuriis et iacturis exponitur et celi facies noctis tempore denigratur[a]. Hiis etenim inductionibus moniti, hiis etiam rationibus excitati, ut magestas augmentis augeatur augusta felicibus, ut ad eius mandatum rebellis redeat, ei subditus pareat et sibi barbarus sit subiectus, ferventi desiderio cupimus; et residens in nostri pectoris secreto propositum eo libentius actionibus explicamus, quo fortius in exaltatione imperii, quod defensio est apostolice sedis et brachium, sublimatur et honoratur ecclesia, quo dampnosius in ipsius, quod est ecclesie speculum, depressione opprimitur et ab hostium remanet persecutionibus indefensa. Sane cum olim sicut asseritur cives Acconenses excellentie tue rebelles existere teque regni Ierosolimitani presumpsissent iuribus spoliare, venerabili fratri nostro . . archiepiscopo Ravennati, ad partes illas personaliter accedenti, apostolicis dedimus litteris in mandatis[1], ut eos, quod formam pacis inter te ac illos mediantibus venerabili fratre nostro . . patriarcha Antiocheno[2] et dilecto filio . . magistro domus Teutonicorum[3] tractatam observarent, induceret, alioquin omnia, quoad ius possessionis et proprietatis, in eum statum, in quo ante ortam discordiam inter Riccardum Filangerium marescalcum tuum et nobiles et barones regni predicti et cives eosdem fuisse noscuntur, auctoritate nostra reducens, contradictores et rebelles censura ecclesiastica cohereeret. Qui, antequam sibi de predicte pacis, quam dicti Acconenses probare volebant, forma constaret, nostri mandati ordine non servato, celsitudinem tuam et nobilem virum Conradum natum tuum ad predicta restituit, et quod cives et sindici Acconenses prefato Riccardo marescalco tuo et eiusdem nati nomine ac aliis baiulis, quos ibi pro tempore duxeris statuendos, in ordinatione castrorum et officialium, perceptione reddituum et omnium aliorum iurium, que in ipso regno ad regem de antiqua et optenta consuetudine spectare noscuntur, obediant, nec non ipsi ac nobiles regni eiusdem communiam dissolvant, campanam deponant et amoveant consules et capitaneos ab eis post ortam discordiam ordinatos, ac ipsius regni proprietatem ad dictum Conradum pertinere diffiniendo decrevit; et eis sue diffinitioni parere nolentibus, in civitatem Acconensem interdicti et in sindicos predictorum civium et nobilium et maiorum consulum universitatis Acconensis ac eorum fautores et consiliarios excommunicationis sententias promulgavit.

Quod cum ad nostram notitiam pervenisset, nos, attendentes quod cum inibi diversorum rituum habitatores existant, de facili terre illius homines ab ecclesie Romane ritu recederent et per hoc inficerentur heretica pravitate, ac ob id Terre Sancte, pro qua multorum catholicorum sanguine fuso ecclesia Dei innumerabiles

---

a) denignatur *R.*

1) *Cf. n. 594.* 2) *Alberto.* 3) *Hermanno.*

ferens angustias, labores nimios subiit ac expensas, gravia pericula imminerent, recepta ab ipsis Acconensibus cautione quod nostris debeant parere mandatis, prefatum dumtaxat relaxavimus interdictum, ne tibi et dicto nato tuo dampnum de regno predicto modica hora contingeret, quod vix longi labor temporis restauraret. Verum dilecto filio magistro Petro de Vineis iudice ac nuntio tuo ad nostram presentiam postmodum accedente, et tam dilecto filio . . electo Pactensi[1], apud nos non sine multa sollicitudine pro tuis insistente negotiis, quam eodem nuntio a nobis ex tua parte petentibus processum predicti archiepiscopi confirmari, nuntii et procuratores dictorum Acconensium, compromittendi in nos habentes plenariam potestatem, ordinationi et dispositioni nostre super premissis articulis committere se volebant. Set quia dictus magister ex parte tua hoc ipsum acceptandi mandatum ut asseruit non habebat, ad determinationem procedi non potuit huiusmodi questionis. Dicti etiam electus et magister, eligentes potius in hac parte tuum expectare responsum quam aliquid inconsulto te gerere, noluerunt super hoc aliquid acceptare. Ideoque serenitatem tuam monendam duximus et hortandam, quatinus inspecta cedula, quam tibi sub bulla nostra mittimus interclusam, super hiis tue voluntatis beneplacitum imperialibus nobis insinuare litteris non postponas. Ceterum nequaquam super interdicti prefati relaxatione turberis, cum ex hoc tibi nullum preiudicium generetur, et id honore tuo considerato ob statum ipsius terre integre conservandum fecerimus, necnon ad imperialem exaltationem, ipsam esse nostram et ecclesie proculdubio reputantes, in hiis et aliis firmiter aspiremus.

Dat. Asisii, X Kal. Octob. anno nono.

11.

Eidem.

Super negotio regni Ierosolimitani beneplacito tuo nobis prius exposito, omnia, quoad ius possessionis et proprietatis, in eum statum, in quo ante discordiam inter Riccardum Filangerium marescalcum tuum et nobiles et barones regni predicti et cives Acconenses fuisse noscuntur, reducere, et ut cives et sindici Acconenses balivis, quos ibi pro tempore duxeris statuendos tuo et nobilis viri Conradi nati tui nomine, in ordinatione castrorum et officialium, perceptione reddituum et omnium aliorum iurium, que in ipso regno ad regem de antiqua et optenta consuetudine spectare noscuntur, salvis ascisiis necnon antiquis et approbatis regni predicti consuetudinibus, obediant, et ipsi ac nobiles eiusdem regni communiam dissolvant, campanam deponant, et amoveant consules et capitaneos ab eis post ortam discordiam ordinatos, et omnibus iuramentis factis in preiudicium tuum et Conradi eiusdem penitus abiuratis, iterato tibi et ei fidelitatis exhibeant iuramenta, sumus statuere et ordinare parati, si ad id tua serenitas accommodabit assensum. Ceterum predictus Riccardus marescalcus tuus ad baiulationis officium ob tuum restituetur honorem, ita tamen quod baiulus hinc inde omni carens suspitione in Kalendis Martii proximo futuri regno preficiatur eidem, quem preficiendi nobis per tuas committas litteras potestatem. Et quia inter ipsum marescalcum et partem alteram sunt inimicitie capitales, [quare][a] iusta eum habent ratione suspectum, quod si illud exerceret officium, ipsos gladius vel alterius generis consumeret cruciatus, interim alii baiuli officium amministrent. Ad hec quia non bene posset prefati regni sedari turbatio, si regnum Cypri in discordia remaneret, excellentiam tuam rogamus et monemus attentius, quatinus huiusmodi

[a]) *tale quid in R. deest.*

1) *Pagano.*

negotium, ut vel karissimum in Christo filium nostrum . . illustrem regem Cypri[1] ad tuum faciamus redire mandatum, vel inter te ac ipsum treuguas ad certum terminum statuamus, ne ex hoc impediatur Terre Sancte subsidium, nostre ordinationi committas.

657.

Gregorius IX papa [Hermanno] magistro Teutonicorum conqueritur, Petrum de Vinea et [Paganum] electum Pactensem nuntios imperatoris procurationem, quam de rebus Acconensibus facere velit, acceptare nolle; praeterea imperatorem sibi scripsisse, si negotium Lombardiae usque ad festum nativitatis completum non sit, se cum exercitu Lombardiam ingressurum esse. Rogat, ut eum inducat, ut sine conditione aliqua in manibus ecclesiae se ponat. *1235, Sept. 22.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 73—74; Lib. IX, 239.
Potthast, Reg. 10021.

. . magistro hospitalis sancte Marie Teutonicorum.

Dilectus filius magister Petrus de Vinea imperialis aule iudex, litteris de credentia ex parte karissimi in Christo filii nostri Friderici Romanorum imperatoris etc. nobis et nostris fratribus presentatis, in nostra presentia de negotio proposuit transmarino: quo diligenter audito, licet a procuratoribus Acconensibus cautione recepta quod Acconenses nostris debeant parere mandatis, interdicti sententiam, per venerabilem fratrem nostrum . . archiepiscopum Ravennatem[2] tunc apostolice sedis legatum in civitate Acconensi prolatam, ex eo potissime duxerimus relaxandam, quia exinde fidei detrimentum et Terre Sancte periculum poterat imminere, dictis procuratoribus, qui compromittendi in nos habebant plenariam potestatem, se super eodem negotio precise in manu nostra ponere volentibus, sicut per apostolicas litteras, quas imperiali excellentie destinamus, poteris informari, talem poteramus ipsius expeditionem negotii procurare, quod ad votum et honorem imperatoris eiusdem sicut credimus redundasset. Set super hiis processus haberi non potuit, premissa dicto iudice acceptare nolente, pro eo quod super hoc prout asseruit mandatum a principe non habebat. Ipse etiam et dilectus filius . . electus Pactensis, eligentes potius in hac parte iamdicti principis expectare responsum quam aliquid eodem inconsulto gerere, noluerunt super hoc aliquid acceptare. Preterea ipso iudice proponente coram nobis, quod de voluntate dicti imperatoris existeret, ut ad ipsum certitudo de compromisso facto a Lombardis usque ad proximo futurum festum nativitatis Dominice perveniret, et summa viginti milium marcarum expressa in arbitrio[3] augeretur, ac[a] rectores et consilia civitatum societatis Lombardie, si contra ordinationem seu dispositionem nostram venire presumerent, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, nobisque disponentibus qualiter idem negotium posset salubriter terminari: rediens de Teutonia cursor noster nobis imperiales litteras[4] presentavit, in quibus inter cetera, que de imperatoris eiusdem processu magnifico narrabantur, venit in medium, quod ipse de principum sollempni consilio super dicto negotio se in manibus ecclesie precise poneret, iuxta compromissi formam quam in Tuscia recepimus ab eodem[5], ita tamen quod ipsum negotium

a) ac ipso facto R.

1) *Henricum.* 2) *Theodericum: cf. n. 656.* 3) *Scil. ea quod papa a. 1233, Ian. 5 [n. 531] protulerat.* 4) *Aug. 21 datas; Bohmer-Ficker, Reg. Frid. II, n. 2107.* 5) *a. 1234, Sept. datum; cf. p. 189, not. 2.*

ad honorem suum et imperii commodum usque ad eiusdem nativitatis terminum compleretur; alioquin, quod ex tunc, ne sibi et principibus solita illusio fieret per Lombardos, vellet cum exercitu partes ingredi Lombardie.

Verum cum ex huiusmodi serie litterarum, a prefati verbo iudicis differente, ac ex eo, quod imperialis industria talem conditionem adiecit, per quam compromissum tollitur et aliquatenus tantum posse terminari negotium non videtur, videlicet 'ita tamen quod ipsum negotium ad honorem suum et imperii commodum usque ad festum nativitatis Dominice compleatur': discretionem tuam rogamus et hortamur attentius per apostolica scripta mandantes, quatinus prudenter advertens quod ad instantiam memorati principis et tuam de consilio fratrum nostrorum patriarcharum trium et prelatorum omnium, qui erant apud sedem apostolicam constituti, negotium Terre Sancte duximus assumendum[1], providentes ut orbis terre discordes ad treuguas vel concordiam cogerentur, et quod iam ad hoc aliqui ex magnis terre principibus sunt compulsi, quin immo quod reges aliqui, multi nobiles et potentes crucis signaculum per Christi gratiam receperunt, imperatorem eundem, quod super eodem negotio se iuxta memoratam formam precise ac sine conditione aliqua in manibus ponat ecclesie et se illis laboribus non involvat, a quibus de facili nequeat expediri, diligenter moneas et inducas; nuntiaturus eidem, quod si iamdicte provisionis tenorem quod absit infringens contra Lombardos, maxime[a] si se precise in manibus ecclesie ponere sint parati, hoc potissimum tempore iuxta predictum consilium procedere moliretur, tantam exempli perniciem aliis tribuendo, unde presumi posset a pluribus, quod ceteros ecclesia fefellisset, id pati equanimiter eandem ecclesiam non deceret, presertim cum super negotio, in quo de tanta gloria Redemptoris agitur, acceptio personarum haberi non debeat, nec aliquid nos deceat perpeti, per quod processus eiusdem negotii possit aliquatenus impediri.

Dat. Asisii, X Kal. Octob. anno nono.

658.

Gregorius IX papa Friderico Romanorum imperatori nuntiat se rectoribus societatis Lombardiae mandasse, ut procuratores idoneos usque ad Kal. Dec. ad sedem apostolicam destinent, eique suadet, ut [Hermannum] magistrum Teutonicorum procuratorem suum mittat, qui simul cum magistro Petro de Vinea negotium melius promovere possit.

1235, Sept. 23.

Greg. IX Reg. Vol. V. 72; Lib. IX. 231.
Potthast, Reg. Add. I. 10021a—26252.

Friderico, Romanorum imperatori semper augusto, Ierusalem et Sicilie regi illustri.

Audita litterarum serie in qua voluntatem tuam nobis super Lombardie negotio expressisti, quosdam Lombardos, nobiles, de Lombardie partibus oriundos, per quos ad Lombardos perveniat, quod eis ad tuam resumi gratiam sit plurimum oportunum et quod imputare sibi poterunt, si contingat eisdem aliquid discriminis imminere, nec non et magistrum Petrum[2] scriptorem nostrum, virum fidelem, discretum et providum,

a) maxi[me] *in apogr. Pertzii.*

1) *Cf. n. 594.* 2) *de Warено; cf. n. 661.*

ad venerabilem fratrem nostrum . . Antiochenum patriarcham [1], apostolice sedis legatum, et rectores societatis Lombardie duximus destinandos, mandantes eisdem ut procuratores idoneos pro parte societatis eiusdem super questione, que inter te ac ipsam vertitur, iuxta compromissi formam, quam a tua serenitate recepimus, sufficiens mandatum habentes cum omnibus iuribus et rationibus societatis ipsius usque ad Kalendas proximo futuri Decembris ad nostram presentiam destinarent. Verum licet nimis brevis huiusmodi terminus videatur ad tam arduum negotium terminandum, cum ad salubrem terminationem huiusmodi questionis presentia dilecti filii . . magistri hospitalis sancte Marie Teutonicorum fore credatur plurimum oportuna, excellentie tue digne duximus suadendum, quatinus magistrum eundem, pro parte tua super questione prefata et prorogatione termini, si viderimus expedire, sufficiens mandatum habentem, assignata sibi predicti compromissi forma bulla aurea communita, ad nostram destinare presentiam non omittas, quod in Kalendis eisdem compareat coram nobis, ut ipse simul cum magistro Petro de Vinea, quem propter hoc duximus retinendum, causam possit instruere et dictum negotium melius promovere.

Dat. Asisii, VIIII Kal. Octob. anno nono.

In eundem fere modum scriptum est super hoc eidem magistro.

659.

Gregorius IX papa [Sigefrido] Ratisponensi, imperialis aulae cancellario, et [Conrado II] Hildeshemensi episcopis mandat, ut iuxta continentiam priorum litterarum suarum [n. 631] in [Hermannum] Herbipolensem et [Sibotonem] Augustensem episcopos, [Conradum] abbatem Fuldensem aliosque, necnon in [Landolfum] electum Wormaciensem et magistrum Derardum canonicum Herbipolensem, qui similia praesumpsisse dicantur, appellatione postposita procedant. *1235, Sept. 24.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 72; Lib. IX, 232.
Potthast, Reg. 10022.

. . Ratisponensi, imperialis aule cancellario, et . . Ildesemensi episcopis.

Olim audito quod venerabiles fratres nostri . . Herbipolensis et . . Augustensis episcopi ac . . abbas Vultuensis, oblivioni commisso quod carissimus in Christo filius noster Fridericus, Romanorum imperator semper augustus, Ierusalem et Sicilie rex illustris, provisus a Domino ecclesie sit defensor, et quicquid in prosperis vel sinistris illi advenire dinoscitur, ipsius ecclesie quasi proprium reputetur, iuramenti quo tenentur eidem religione contempta, nobili viro Henrico nato suo contra omnem hominem prestitis sacramentis adheserant, dantes causam ut status orbis illo concursu discriminis turbaretur, quod nec facile corrigi nec multis posset laboribus aboleri: fraternitati vestre dedisse recolimus in preceptis, ut inquisita super hiis diligentius veritate, si constaret vobis rem taliter se habere, ipsis ex parte nostra firmiter iniungere curaretis, ut infra duos menses post monitionem vestram recepturi pro meritis sedis apostolice se conspectui presentarent, alioquin eos ad id auctoritate nostra sublato appellationis obstaculo[a] cogeretis; D[egenhardum] prepositum de Hougue et Walterum

[a]) sub apostolica obedientia *in apogr. Pertzii: in n. 631:* cessante appellatione; *cf. p. 475, not. a.*

1) *Albertum.*

de Tanenberg canonicos Herbipolenses, qui Mediolanum contra imperatorem eundem ivisse de mandato dicti nobilis ferebantur, suspensos ab officio et beneficio ad nostram venire presentiam per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellendo. Verum cum sicut accepimus a vobis per huiusmodi litteras nullus habitus sit processus, nos, merito providere volentes ne ipsi de tante temeritatis excessu, digne non solum in clericis set etiam in laicis correctione sollicita castigari, materiam habeant gloriandi, quin immo ut pena de preterito ipsos cautos efficiat de futuro. qui si oculos ad superni equitatem iudicis erexissent, non filium in persecutionem tanti patris accendere set pro illius deprimenda protervia omnis vigilantie studium debuissent potius assumpsisse, precipiendo mandamus, quatinus super premissis circa episcopos, abbatem et canonicos memoratos necnon circa . . Warmaciensem electum et magistrum Devardum canonicum Herbipolensem, qui cum predictis presumpsisse similia referuntur, post susceptionem presentium iuxta priorum continentiam litterarum omni occasione postposita sublato appellationis obstaculo[a] procedatis: quod super premissis inveneritis, nobis vestris litteris infra dictum terminum fideliter expressuri[1].

Dat. Asisii. VIII Kal. Octob. anno nono.

660.

Gregorius IX papa [Alberto] patriarchae Antiocheno apostolicae sedis legato mandat, ut excommunicationis et interdicti sententias, quas in Cremonenses promulgaverit, cautione recepta relaxet. 1235, *Sept. 26.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 72; Lib. IX, 235.

Patriarche Antiocheno, apostolice sedis legato.

Super processu contra populum Cremonensem habendo consultationi tue respondisse meminimus, quod esset super illo imperiali excellentie deferendum, presertim cum eidem nostras litteras misissemus, ut quod super hoc sue voluntatis existeret, nobis suis litteris explanaret. Verum cum sicut accepimus in . . potestatem et consilium excommunicationis et in civitatem Cremonensem interdicti sententias duxeris promulgandas, mandamus, quatinus ab eisdem potestate ac consilio de stando mandatis ecclesie recepta iuratoria cautione, omni occasione postposita post susceptionem presentium sententias huiusmodi relaxare procures, ita tamen ut pretextu cautionis eiusdem eis aliquid non iniungas.

Dat. Asisii. VI Kal. Octob. anno nono.

661.

Gregorius IX papa [Alberto] patriarchae Antiocheno scribit, quid Fridericus Romanorum imperator pro terminando negotio Lombardiae petierit, eique mandat, ut

a) sub apostolica obedientia *in apogr. Pertzii: vid. supra.*

1) *Cf. Ann. Wormat. a. 1235, SS. t. XVII, p. 45 et Böhmer-Ficker, Reg. Frid. II. n. 2140.*

rectoribus societatis Lombardiae Kal. Dec. pro termino praefigat, quo per procuratores idoneos apud sedem apostolicam compareant. Cf. n. 657 et 658. *1235, Sept. 26.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 73; Lib. IX, 237.
Potthast, Reg. 10023.

. . patriarche Antiocheno, apostolice sedis legato.

Dilectum filium magistrum P[etrum] de Warcino scriptorem nostrum latorem presentium, virum providum et fidelem, cuius fidem iam in multis experti sumus, ad te cum litteris imperialibus transmittentes, licet karissimus in Christo filius noster Fridericus Romanorum imperator etc. festum nativitatis Domini proximo futurum, in quo petit totum negotium quod inter ipsum et Lombardos vertitur expediri, terminum petierit assignari, et apponi penam triginta[1] milium marcarum in compromisso, et si forsan dicti Lombardi nostram ordinationem, dispositionem, laudum vel arbitrium non servaverint, rectores societatis Lombardie ac potestates et consilia civitatum ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, quia tamen consideratis diligenter ipsius negotii circumstantiis universis non videmus, qualiter tam arduum negotium possit in tam brevi tempore commode expediri, mandamus, quatinus prefigas rectoribus societatis eiusdem ac ipsis Lombardis pro termino Kalendas Decembres proximo nunc futuras, in quo per sindicos seu per procuratores sufficientes et idoneos, plenum mandatum habentes ad ponendum totum negotium sub prescripta forma in manu ecclesie et parendum super eo precise mandatis nostris et ad prorogandum ipsum terminum, si viderimus expedire, omni dilatione ac excusatione cessantibus compareant coram nobis. Alioquin sibi poterunt imputare, si quod eis periculum exinde contigerit imminere.

Dat. Asisii. VI Kal. Octob. anno nono.

662.

Gregorius IX papa rectoribus societatis Lombardiae idem fere scribit, verbis competenter mutatis. *1235, Sept. 26.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 73; Lib. IX, 238.
Potthast, Reg. Add. I, 10023a—26253.

Rectoribus societatis Lombardie.

Licet karissimus in Christo filius noster Fridericus Romanorum imperator etc. festum nativitatis Domini proximo futurum, in quo petit totum negotium quod inter ipsum et Lombardos vertitur expediri, terminum petierit assignari, et apponi penam triginta[1] milium marcarum in compromisso, et si forsan dicti Lombardi nostram ordinationem, dispositionem etc. ut supra usque: expediri, mandamus, quatinus in Kalendis Decembribus proximo nunc futuris, quas vobis pro termino duximus assignandas, per sindicos etc. usque: cessantibus nostro vos conspectui presentetis. Alioquin vobis poteritis imputare, si quod vobis periculum exinde contigerit imminere.

Dat. Asisii. VI Kal. Octob. anno nono.

1) *viginti in n. 657.*

663.

Gregorius IX papa archiepiscopis et episcopis regni Franciae mandat, ut crucesignatis interdicant, ne ante passagium generale iter in Terram Sanctam arripiant.

1235, Sept. 28.

Greg. IX Reg. Vol. V, 74; Lib. IX, 243.
Potthast, Reg. 10028.

Universis archiepiscopis et episcopis per regnum Francie constitutis.

Cum sicut intelleximus nonnulli, qui crucis assumpto signaculo se in Terre Sancte devoverunt subsidium proficisci, non expectato generali passagio a Romana ecclesia statuendo ad dictam terram se transferre presumant, presentium vobis auctoritate districte precipiendo mandamus, quatinus omnibus cruce signatis quilibet vestrum in sua diocesi, ne ante prefatum passagium iter eundi in predictam terram arripere aliquatenus audeant, auctoritate nostra districtius interdicere omni occasione postposita studeatis. Eos vero qui nostris mandatis presumpserint contraire, denuntietis omnibus crucesignatorum indulgentiis penitus carituros; mandatum nostrum taliter impleturi, quod per negligentiam vestram predicte terre non valeat impediri succursus, et nos exinde sollicitudinem vestram debeamus merito commendare.

Dat. Asisii, IV Kal. Octob. anno IX.

In eundem modum archiepiscopis et episcopis per Teutoniam constitutis.
In eundem modum archiepiscopis et episcopis per regnum Anglie constitutis.
In eundem modum archiepiscopis et episcopis per regnum Ungarie constitutis.

664.

Gregorius IX papa [Conrado II] episcopo Hildeshemensi praedicationis officium in provincia Moguntina pro negotio Terrae Sanctae imponit eique varias indulgentias largiendi potestatem concedit.

1235, Sept. 28.

Greg. IX Reg. Vol. V, 74—75; Lib. IX, 244.
Potthast, Reg. 10027.

. . episcopo Ildesemensi.

Quantum nos urgeat negotium Terre Sancte, is novit plenius, qui renes scrutatur Psal. 7,10.
et corda, cum ad liberationem ipsius totis desideriis aspiremus. Cupientes igitur multos accingi per crucis gloriam ad corporale tyrocinium exercitus Iesu Christi, devotioni tue, in cuius ore non est verbum Domini alligatum, predicationis officium 2. Tim. 2,9.
in Maguntina provincia pro crucis negotio duximus imponendum. Et ut fideles Christi ferventius et libentius currant ad audiendum verbum Domini et accedant, omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad solempnem predicationem tuam accesserint, in qualibet civitate, villa vel oppido semel in septimana decem vel viginti seu triginta dierum indulgentiam largiaris, prout videris expedire. Ut autem nichil omnino desit ad commissum tibi officium exequendum, absolvendi iuxta formam ecclesie manuum

iniectores in clericos ac incendiarios, dumtaxat crucesignatos et assumentes etiam signum crucis, vel si[a] iuxta facultates suas propriis expensis alios pro se miserint bellatores, et commutandi vota peregrinationis in votum huiusmodi pietatis auctoritate tibi presentium concedimus potestatem; proviso quod hii, qui pro violenta iniectione manuum excommunicationis vinculo sunt ligati, passis iniuriam, et incendiarii eis, quibus dampna per incendium intulerunt, satisfaciant competenter, dummodo non fuerit adeo gravis et enormis excessus manuum iniectorum, quod merito sint ad sedem apostolicam destinandi. Ceterum, quia sicut accepimus predicationis officium, quod pro iamdicto negotio imponimus tibi et aliis, per questuarios impeditur, ne ipsi negotio impedimentum vel obstaculum aliquod ingeratur, mandamus, quatinus questuariis universis, si qui presentes fuerint, proponendi aliquid populo, dum a te proponitur verbum crucis, licentiam penitus interdicas, eos, si contra presumpserint, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Eadem quoque auctoritate tibi concedimus, ut per plebanos et alios ecclesiarum rectores nec non et simplices sacerdotes ad predicationem tuam possis populum convocare, per quos
1. Cor. 9.9. etiam, si qui voluerint, poterunt secure recipere signum crucis. Ne vero os bovi trituranti claudatur, liceat tibi eidem officio imminenti pro octo personis et sex evectionibus extra tuam diocesim procurationes recipere moderatas; contradictores autem siqui fuerint vel rebelles etc.

Dat. Asisii[b], IV Kal. Octobris, anno nono.

665.

Gregorius IX papa Ottoni duci Bavariae indulget, ut nullus in eum sine manifesta et rationabili causa excommunicationis aut interdicti sententias promulgare audeat.

1235, Sept.—Oct.

Greg. IX Reg. Vol. V, 76; Lib. IX, 249.
Potthast. Reg. 10056; male sub Nov. 27 [1].

Nobili viro Ottoni duci Bawarie.

Dignum est et conveniens, ut Romana ecclesia mater universorum fidelium sibi devotos speciali benivolentia prosequatur, virisque precellentibus affectu eam venerantibus filiali eo maiorem exhibeat gratiam et favorem, quo plures exemplo ipsorum ad eius reverentiam provocantur. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis supplicationibus inclinati auctoritate tibi presentium indulgemus, ut cum Petri gladius, quo debent corrigi delinquentes, non sit irrationabiliter exerendus, nullus in te sine manifesta et rationabili causa excommunicationis aut interdicti sententiam audeat promulgare. Nulli ergo — nostre concessionis etc. Si quis autem etc.

a) si *deest in R.* b) Asisi *R.*

1) *Deutinger, Beyträge z. Gesch. d. Erzb. München u. Freising, t. II, p. 153, n. 9 summarium huius epistolae, quod ex forma Reg. factum asserit, cum nota chronologica* V Kal. Dec. anno IX *proposuit, quae certe ibi non legitur, nam librarius ad apographum nostrum 'mense Sept. aut Kal. Oct.' annotavit. Cum ap. Deutinger l. c. n. 8* V Kal. Dec. anno VIII *datum sit, notam chronologicam ad 9 errore repetitam esse valde probabile est.*

666.

Gregorius IX papa [Iohannae] comitissae Flandriae et Hanoniae decimas quorundam novalium, quas laici usurpaverint, ecclesiis conferendi facultatem concedit.

1235, Nov. 5.

Greg. IX Reg. Vol. V, 83; Lib. IX, 275.

. . comitisse Flandrie et Hanonie.

Pie mentis affectum decet benigno favore nos prosequi, et ut effectum obtineat oportunum, suffragium impertire. Ex parte siquidem tua fuit propositum coram nobis, quod cum multas terras habeas vastinas vulgariter appellatas, que culte a tempore, cuius non extat memoria, non fuerunt, quarum aliquas concessisti sub annuo censu cultoribus perpetuo possidendas, milites et plures alii laici terre tue, pro eo quod terre ipse consistunt infra terminos tenimentorum suorum, in quibus de antiqua consuetudine, licet non de iure, percipiunt maiores decimas et hactenus perceperunt, de terris eisdem ad culturam redactis decimas exigunt et extorquent, dissimulantibus vel metuentibus ius suum prosequi ecclesiarum rectoribus, ad quos de iure communi noscuntur ipsorum novalium decime pertinere. Unde a nobis humiliter postulasti, ut cum desideres ipsas ecclesiasticis usibus applicari, conferendi eas ecclesiis, cum illas, sicut intendis et secundum legem terre facere potes, de manibus eripueris laicorum, dignaremur tibi concedere facultatem. Nos igitur, attendentes tuum in hac parte desiderium esse pium, devotioni tue facultatem huiusmodi, servata tamen forma canonica et habito episcopi diocesani consensu, auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo etc. Siquis autem etc.

Dat. Viterbii, Nonis Novemb. anno nono.

667.

Gregorius IX papa [Waltero] episcopo, decano et cantori Tornacensi mandat, ut [Iohannam] comitissam Flandriae et Hanoniae ad observationem quarundam legum, quas minor natu iuraverit, non teneri denuntient, si eas iniquas esse constiterit.

1235, Nov. 5.

Greg. IX Reg. Vol. V, 83; Lib. IX, 276.

. . episcopo, . . decano et . . cantori Tornacensi.

Cum iniquitatis vinculum esse non debeat iuramentum, merito providere debemus, ne sub eius pretextu obtineant illicita firmitatem. Significante siquidem dilecta in Christo filia nobili muliere . . comitissa Flandrie et Hanonie nos noveritis accepisse, quod tempore, quo comitatus Flandrie pervenit ad ipsam [1], dum minoris esset etatis [2], de observandis terre sue ac maxime quarundam villarum consuetudinibus et legibus iuramento prestito se astrinxit, cuius occasione burgenses et homines dicte terre teneri dicunt eandem ad observationem statutorum quorundam, que sunt in enormem ecclesiarum lesionem et animarum dispendium introducta, videlicet de non abiciendis certis temporibus scortis et quibusdam aliis illicitis nullatenus corrigendis. Unde humiliter postulavit a nobis, ut ne servando predictum iuramentum detrimentum

1) *a. 1205.* 2) *nata est a. 1190.*

salutis incurrat, providere misericorditer dignaremur. Quocirca districte vobis per apostolica scripta mandamus, quatinus de consuetudinibus et legibus supradictis sollicite inquirentes, si vobis constiterit ita esse, denuntietis comitissam eandem ad observationem earum, que iniquitatem et iniustitiam continent, non teneri. Quod si non omnes etc.

Dat. ut supra.

668.

Gregorius IX papa [Gualae] episcopo Brixiensi mandat, ut sufficiente cautione recepta excommunicationis et interdicti sententias a G[uifredo] tituli Sancti Marci presbytero cardinali in cives et civitatem Bergamensem promulgatas relaxet. Cf. n. 192.

1235, Nov. 28.

Greg. IX Reg. Vol. V, 86: Lib. IX, 292.

. . episcopo Brixiensi.

Cum olim civitas Pergamensis propter bella intestina divisa esset in partes, tandem in dilectum filium nostrum G. tituli Sancti Marci presbyterum cardinalem, tunc in partibus illis apostolice sedis legatum, qui personaliter accessit ad ipsam, de parendo mandatis suis prestita iuratoria cautione discordantes compromittere curaverunt. Cumque ipse nobilem virum P. de Turre civem Mediolanensem ad ipsius provideret regimen civitatis, quia postmodum R. de Mandello, illo non admisso, in potestatem fuit ibidem assumptus, idem cardinalis propter hec et alia in homines de Rivola et de Suardis et fautores ac sequaces eorum protulit excommunicationis sententiam, et matricem ecclesiam et eorum parrochias supposuit ecclesiastico interdicto; quibus demum offerentibus se nostris precise obedire mandatis, tibi mandavimus, ut si super illius P. iniuriis, iustis dampnis et moderatis expensis satisfacerent et sufficientem cautionem prestarent, quod pro posse suo exterminarent hereticos et conservarent ecclesie libertatem, easdem sententias iuxta formam ecclesie relaxares. Nuper autem venientes ad presentiam nostram viri prudentes, videlicet Iohannes de Biffa et La. Ronia[a], sindici et procuratores tam comunis quam dictorum hominum de Rivola et de Suardis, nobis humiliter supplicarunt, ut providere super hiis misericorditer dignaremur, cum statutum salarium potestatis civitatis eiusdem sit ut asserunt quingentarum librarum imperialium, quo quolibet anno regiminis sui pro se ac duobus iudicibus et familia competenti debet esse contentus, et prefatus P., qui per spatium quinque mensium non stetit ibidem, de pecunia comunis Pergami duo milia nongentas libras medianorum a predicto cardinali receperit, prout etiam intelleximus per eundem, ex quo dicebant, quod potius prefato comuni refundere tenebatur, quam amplius deberet recipere ab eodem; procuratore prefati nobilis in nostra presentia constituto asserente contrarium et humiliter postulante, ut non prius absolverentur cives predicti, quam de predictis dampnis, iniuriis et expensis eidem P. satisfacerent competenter. Nos
1 Tim. 2.4 autem, illius imitantes vestigia in hac parte qui omnes salvos fieri et neminem vult perire, attendentes etiam quod ubi multorum est strages, severitati est aliquid detrahendum, post recepta iuramenta de parendo mandatis nostris ab ipsis oblata sub debito prestiti iuramenti precepimus, ut statuta et consuetudines revocentur, que sunt contra ecclesiasticam libertatem, nec ea vel hiis similia de cetero resumantur.

a) roia R.

apponantur etiam in capitularibus suis constitutiones contra hereticos a nobis edite[1], que per te fuerint presentate. Volumus nichilominus et mandamus, quod tibi vice nostra sufficientem exponant et idoneam cautionem, quod pareant mandatis nostris omnibus super hiis, pro quibus nostra vel prefati cardinalis auctoritate reperientur excommunicationis vel interdicti vinculo innodati. Quocirca mandamus, quatinus personaliter ad locum accedens, si impleta fuerint omnia supradicta, dictas sententias et constitutiones ab eodem cardinali contra illos occasione huiusmodi promulgatas et obligationes factas eidem omnino relaxans, recepto iuramento ab eis secundum formam ecclesie, quos nominatim excommunicavit cardinalis predictus, eos, fideiussores ac fautores et coadiutores eorum a predictis sententiis, constitutionibus et obligationibus denunties absolutos, non obstantibus aliquibus litteris super predictis a sede apostolica impetratis.

Dat. Viterbii, IV Kal. Decembris, anno IX.

669.

Gregorius IX papa institutionem praepositi et capituli in ecclesia North[usensi] ad exemplar Honorii III papae confirmat. Cf. n. 174. *1235, Dec. 1.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 87—88; Lib. IX, 299.

. . preposito et capitulo North[usensi][a].

Cum olim tam a carissimo in Christo filio nostro Friderico Romanorum etc. quam a quibusdam archiepiscopis et episcopis felicis recordationis Honorio pape predecessori nostro fuerit intimatum, quod ecclesia vestra in manibus quarundam mulierum tunc consistentium in eadem, que vitam ducebant canonicorum secularium et canonice vocabantur, erat ita collapsa, ut illis ibi existentibus non videretur[b] posse de facili relevari: idem predecessor noster ad instantiam ipsius imperatoris et aliorum multorum bone memorie [[c] . . archiepiscopo et dilectis filiis G. decano et V. Sancte Marie preposito Magdeburgensi dedit in mandatis, ut requisito super hoc bone memorie] . . archiepiscopo Maguntino diocesano loci, qui suum super hoc dicebatur prestitisse consensum, prepositum cum secularium canonicorum collegio loci facultatibus congruente appellatione remota instituerent in ecclesia memorata, eiusdem loci sororibus prius in aliis locis congrue collocatis. Qui postmodum dicto predecessori nostro per suas litteras intimarunt, quod ipsi, prefatis sororibus in locis oportunis et acceptatis ab ipsis congrue collocatis, una dumtaxat excepta que impudenter huiusmodi ordinationi reluctari conata dixit se ad locationem suam apostolica gratia non egere, vos[d] iuxta mandatum apostolicum instituerunt in ecclesia predicta. Nos igitur ad exemplar prefati predecessoris nostri eorundem processum iuxta mandati apostolici tenorem rite ac provide habitum auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti pagina communimus. Nulli ergo — nostre confirmationis etc. Siquis autem etc.

Dat. Viterbii, Kalendis Decemb. anno IX.

---

a) North *R.* b) viderentur *R.* c) *verba uncis inclusa errore aut scriptoris Reg. aut librarii, qui apographum nostrum confecit, exciderunt; supplevimus ea ex n. 174.* d) vos *deest in R.*

1) *Vide p. 395, not. 2.*

670.

Gregorius IX papa consulibus et populo Terracinensi mandat, ut P. Fraiapane de iustitiis, quas ante discordiam inter ecclesiam et Romanos habuerit, respondeant.

1236, Ian. 7.

Greg. IX Reg. Vol. V, 91; Lib. IX, 332.

Consulibus et populo Terracinensi.

Formam pacis inter ecclesiam et Romanos observari volentes [1], quantumcumque vos sicut speciales ecclesie filios diligamus, nequimus ulterius querelas continuas nobilis viri P. Fraiapane [2] civis Romani, qui se a nobis asserit tempore discordie spoliatum, sub dissimulatione transire, cum iuxta formam pacis eiusdem spoliati per ecclesiam occasione predicte discordie restitutionem debeant obtinere. Quocirca presentium vobis auctoritate mandamus, quatinus de iustitiis suis integre sicut prius respondeatis eidem. Ceterum volumus, ut ei non plus iuris, quam ante habuerat, per huiusmodi restitutionem accrescat, eoque restituto ius vestrum in omnibus salvum vobis existat.

Dat. Viterbii, VII Id. Ianuar. anno nono.

671.

Gregorius IX papa [Wilhelmo] episcopo quondam Mutinensi mandat, ut vota peregrinationis pauperum crucesignatorum in Bremensi provincia, in Magdeburgensi, Havelbergensi, dimidia Brandeburgensi versus Albim, Verdensi, Mindensi et Paderburnensi diocesibus et Gothlandia convertat in succursum fidelium in partibus Livoniae, Semigalliae, Curoniae et Estoniae; praeterea eum monet, ut munitiones pro neophytis paganis expositis fieri et episcopis vagantibus sedes ordinari procuret.

1236, Febr. 15.

Greg. IX Reg. Vol. V, 108; Lib. IX, 382.
Potthast, Reg. 10094.

. . episcopo quondam Mutinensi, apostolice sedis legato.

Ne terra vaste solitudinis, quam Dominus in partibus Livonie, Semigallie, Curonie ac Estonie per ministerium predicatorum adducens ad cultum nominis Christiani de semine verbi sui fecit nova fidelium segete pululare, quod absit, in salsuginem redigatur, set potius crescens in messem in fructum exuberet oportunum, expedit, ut Christi fideles a paganis, qui adhuc gentilis erroris horrore sunt hispidi tanquam spine, nullatenus opprimi permittantur, set potenter defendantur ab eis, alias congruis auxiliis confovendi, quatinus non solum a veritatis ipsi tramite deviare non[a] cogantur, verum etiam in fide fortius radicati conversionem aliis valeant effi-

a) non *deest in R.*

1) *Cf. n. 636 et duas epistolas papae [a. 1235] Aug. 8 datas ap. Papencordt, Gesch. der Stadt Rom im Mittelalter, ed. Hofler p. 297, n. 19 et 20.* 2) *Hunc esse arbitramur Petrum Fraiapane, qui hoc ipso anno in urbe Roma pro parte imperatoris guerram movit contra papam et senatorem; Rycc. de S. Germ. a. 1236, SS. t. XIX, p. 374.*

cacius suadere. Quantus enim dolor, quantusve pudor esset populo Christiano et maxime circumposite regioni, si terra plurimis laboribus et expensis Domino aquisita per desidiam fidelium perderetur? Ut igitur tam arduum negotium fidei salubriter promoveri valeat, divina clementia miserante, ac feliciter consumari, fraternitatem tuam monemus et obsecramus in Domino, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatinus assumpto predicationis officio propter Deum, pauperum crucesignatorum in Bremensi provincia, nec non in Magdeburgensi, Havelbergensi et dimidia Brandeburgensi versus Albeam, in Verdensi, Mindensi et Padeburnensi diocesibus ac Gollandia, cum quibus duximus dispensandum, vota peregrinationis convertens in succursum fidelium predictorum, tam eos quam alios fideles in eisdem provincia et diocesibus constitutos ad nimiam caritatem, qua Christus eos dilexit et diligit, respectum habere et ei retribuere aliquid pro omnibus, que tribuit ipse illis, monitis et exortationibus tuis secundum datam tibi a Deo prudentiam informare procures diligenter et sollicite, postulans ut ipsi redempti pretio glorioso, in quos tanquam viros Christianos et catholicos cadere opprobria exprobrantium Christo debent, se viriliter et potenter accingant, velut zelum Dei habentes ad appliandum[a] nomen fidei Christiane et liberandum proximos de manibus paganorum, profecturi secundum tuum consilium et acturi ita, quod et ipsis premium debeatur eternum et infideles non possint, quod impune Christi nomen impugnaverint, gloriari.

Circa personas vero et terras, quas Dominus ad fidem vocaverit, taliter provideas, quod neophiti congrua libertate gaudeant, ordinentur ecclesie et dotentur, nec infeudentur decime, et terra sine nostro beneplacito nullatenus dividatur. Preterea episcopos assecutos iam sedes, quorum ecclesie sunt dotate, fratres quoque militie Christi, obtinentes possessiones et castra, et cives Rigenses, cum habeant civitatem, necnon neophitos, qui per munimen castrorum aliquam tutelam habere noscuntur, moneas diligenter et inducas, ut cum peregrinorum auxilio ad faciendas munitiones pro neophitis paganis expositis et ad ordinandas sedes episcopis adhuc vagantibus intendant fideliter et devote. Cum autem multa necessitas exigat, ut illuc fidelium subsidium transmittatur, et dignum sit, ut in tanto negotio laborantes debita pro labore stipendia consequantur, ut libentius securi de retributione procedant, nos de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, tam crucesignatis quam signandis ad hoc in provincia et diocesibus supradictis, qui laborem istum in propriis personis subierint et expensis, et eis qui in alienis expensis illuc accesserint, ibidem ad minus per unius anni spatium Domino servituri, seu illis qui ad subventionem predictorum fidelium de propriis facultatibus ministrabunt, illam remissionem peccaminum indulgemus, que conceditur predictis modis subvenientibus Terre Sancte.

Dat. Viterbii, XV[b] Kal. Martii, anno IX.

672.

Gregorius IX papa Ludovico IX regi Franciae exponit, qualiter progenitores eius et praesertim Carolus Magnus ecclesiam, a qua omnem potestatem acceperint, honorare cupierint, unde eum rogat, ut eorum vestigia sequens statutum, quo homines iuris regis

a) *i. e.* ampliandum. b) XII *Rayn. a. 1236, § 64; sed etiam Turgenevius, Russ. Monim. t. I. 38 legit in Reg.* XV.

hominibus ecclesiasticis in foro ecclesiastico non teneantur respondere, in irritum revocet, rebelles ecclesiae ad ipsius mandatum redire compellat et Senonensi aliisque ecclesiis de damnis illatis satisfieri faciat. 1236, *Febr.* 15.

Greg. IX Reg. Lib. IX, 384. Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1236, § 31—36. Potthast, Reg. 10093.

Ludovico illustri regi Francie.

Rex, qui regni regit eternum dominium, qui erexit ecclesiam super catholice fidei fundamentum, reges terrarum ad ipsius ecclesie obsequium suis monitis excitans et orbis principes multis ad eius devotionem exemplis invitans, illam precipit a mortalibus honorari, pro qua ipse immortalis formam servi accipiens crucis patibulum et mortis non expavit subire tormentum, exaltans illum, qui ministris ipsius prestat obsequium, et regnum ei sua miseratione perpetuans, qui ad tempus sponse sue votis favorabiliter obsecundat. Porro id, fili carissime, in progenitoribus tuis et presertim in inclyte recordationis Carolo Magno colligere poteris evidenter, diligenter attendens qualiter idem Carolus Romano pontifici, vicario Iesu Christi et successori beati Petri, cui Dominus terreni simul et celestis imperii iura commisit, obediens, pro defensione ecclesie se laboribus et angustiis multis exposuit, quantum exinde honoris, laudis et glorie reportaverit. Set forsan ad tuam notitiam non pervenit, quod idem contra persecutores ipsius ecclesie magnum pluries congregans exercitum bellatorum, de ipsis magnifice triumphavit: et imperatore Constantinopolitano ecclesiasticam negligente defendere libertatem, ecclesia gladii spiritualis et materialis obtinens a Domino potestatem, ut alterum ipsa exerat et ut alter exeratur indicat, imperium eidem Carolo, qui non solum violatores libertatis ecclesie set et rerum ecclesiasticarum sua virtute compescuit turbatores, contulit, et ipsum alias immensis glorie titulis insignivit, in personam ipsius continuans gratiam, quam retroactis temporibus Zaccharias papa Pipino patri suo fecerat, quem ad regni Francorum solium exaltarat; propter quod ipse Carolus ecclesiam, a qua omnem honorem susceperat, cupiens honorare, perpetua lege decrevit, ut omnes ipsiús iurisdictioni subiecti[a] statutum a Theodosio imperatore pro ecclesie libertate editum[1] inviolabiliter observarent, videlicet ut 'quicunque litem habens, sive petitor fuerit, vel in initio litis vel decursis temporum curriculis, sive cum negotium peroratur, sive iam ceperit promi sententia, si iudicium elegerit sacrosancte sedis[b] antistitis, illico sine aliqua dubitatione, etiamsi pars refragatur altera, ad episcoporum iudicium cum sermone litigantium dirigatur: et omnes cause, que pretorio et etiam civili iure tractantur, episcoporum terminate sententiis perpetue robur obtineant firmitatis, et negotium, quod iudicio ipsorum deciditur, nequaquam ulterius ab aliquo retractetur'. Ex quo manifesta potes ratione perpendere, quantum iniquum videatur et absonum, si honor ecclesie, que tam grandis libertatis privilegio donata cognoscitur, in illis immunitatibus, que multo predictis noscuntur esse minores, tuo tempore decurtetur. Ceterum reliqui successores eiusdem Caroli, progenitores tui, exaltationem ecclesiarum propriam exemplo simili reputantes, se Christiane fidei, se matris constituerunt ecclesie defensores, et studiosius attendentes quod Deo, qui eos regni gloria sublimarat, nichil rependere poterant simile, ut tamen ostenderent ingratitudinis vitio se carere, ecclesias facultatibus multis dotarunt,

[a]) subiectos *Rayn.* [b]) legis *Sirm. et Grat.*; sedis *in edit. Rom. Grat.*

1) *Constitut. Sirmondi n. I ed. Haenel, p. 415, in Bonnensi Corp. iuris Rom. anteiustiniani. Haec constitutio a Constantino Magno edita in nonnullis codicibus et in Decr. Gratiani, c. XI, qu. I, c. 35—37, unde papa eam sumpsisse videtur, Theodosio male attribuitur: Haenel. l. c. not. b.*

immensis donaverunt libertatibus, vel eam potius, a qua ipsi omnem potestatem acceperant, in libertate debita servaverunt, reputantes indignum, ut locus, ubi divinum nomen excolitur, ubi Christus in altaris hostia in nostrorum redemptionem criminum immolatur, alienius servitutis subiciatur oneribus, cum sit supra intellectum hominis honorandus. Si ergo proprie servat propago vitis originem, si succus idem ramos vivificat et radicem, vix creditur, ut eisdem progenitoribus, quibus parificaris honore dominii, patiaris te contrarium moribus et inferiorem virtutum actibus inveniri. Quinimmo speratur, quod gratia bonitatis, que ipsis erat innata, ad tuam derivata personam te nichil permittat efficere, quod libertati et honori Romane ecclesie et membrorum eius possit in aliquo derogare, cum sapor fontium concessus origini fluentibus ex ipso rivulis non valeat abnegari.

Set ecce audivimus et dolemus, quod tu, fili carissime, et regni barones malorum usi consilio ecclesiam, que vos ex utero sanctificationis regeneravit in filios ac pro salute vestra immaculatum agnum offert iugiter Deo Patri, in servitutem cupientes redigere, quasi iam non libere velitis vocari filii set ancille, immo sponsam regis eterni, qui vos a servitute perpetua liberavit, conantes miserabiliter ancillare, communi statuto vel destitutione potius contra libertatem ecclesie, sicut dicitur, firmavistis, ut homines vestri iuris ecclesiasticis vel ecclesiasticorum hominibus aut aliis in foro non teneantur ecclesiastico respondere, quinimmo si iudex ecclesiasticus in eos ob contumaciam excommunicationis sententiam tulerit, huiusmodi sententiam rerum occupatione suarum vel eorum, ad quorum instantiam excommunicati fuerint, in contemptum clavium ecclesie, adversus quas non possunt potentie inferi prevalere, relaxare cogatur, et, quod deterius est, archiepiscopos, episcopos et alias personas ecclesiasticas et earum homines super quibuscumque causis civilibus, ordinem iuris scripti et antique consuetudinis pervertentes, vestro parere iudicio coarctatis, licet ab antiquis temporibus ea libertate usque ad hec tempora in regno Francie observata usa fuerit[a] ecclesia Gallicana, ut laici personis ecclesiasticis et ecclesiarum hominibus in iudicio ecclesiastico responderent. Considera igitur, fili, considera, quantum tibi talia consulentes tuum commodum diligunt et honorem, qui desiderantes in aqua turbata piscari, pravis suggestionibus incipiunt maculam in tua gloria ponere, ut ex hoc non que tua set que sua sunt valeant commoda reportare. Considera, quantum indecens tibi possit existere, si in ecclesiarum oppressionibus tui regni primitias suggestio familiarium hostium statuat, et de flore iuventutis tue, de qua multe fructum dulcedinis expectat ecclesia, amaritudinis, quod absit, botrus erumpat. Quid plura? Convenit, ut frequenter infra tui pectoris arcana revolvens, quod non solum predecessores tui, quibus et tibi ex honore impenso ecclesie multiplicis laudis titulus[b] et honoris accrevit, totis eam studuerunt viribus honorare, set et multis longe retroactis temporibus Valentinianus imperator suffraganeis Mediolanensis dixit ecclesie[1]: 'Talem in pontificali constituite sede, cui et nos, qui gubernamus imperium, sincere nostra submittamus capita, et ad eius monita, dum tanquam homines delinquimus necessario, velut ad curantis medicamina recurramus', aures tuas illis, qui te ad afflictionem ecclesiarum pravis seductionibus nituntur inducere, minime prebeas, et ea tibi suggerentibus, quibus anime detrimentum incurris, auditum penitus interdicas. Hinc est, quod excellentiam regiam rogandam duximus et monendam, quatenus ob divine maiestatis reverentiam et apostolice sedis honorem statutum predictum et alia ecclesiastice contraria libertati in irritum revocans et a dictis baronibus faciens

Gal. 4, 31. — Matth. 16, 18.

a) fuit *Rayn.* b) titulis *Rayn.*

1 *Cf. Cassiodori Hist. tripart. Lib. VII, cap. 8; ap. Migne Patrol. t. 69, p. 1073.*

revocari, ac ecclesiam Gallicanam in pristino statu et honore conservans, eam non molestes nec patiaris ab aliis molestari, quinimmo viros ecclesiasticos indulta tibi celitus potestate protegens et defendens, rebelles ecclesie ad ipsius mandatum et unitatem redire compellas, et de damnis et iniuriis, que ob hoc ecclesiis Senonensi seu aliis dicuntur illata, absque diminutione satisfieri facias, ita quod ex hoc apud Deum merearis gratiam ampliorem.

Ad hec, cum olim felicis recordationis Honorius papa predecessor noster in omnes aliqua statuta contra ecclesie libertatem edentes, nisi infra duos menses statuta ipsa revocent, excommunicationis sententiam tulerit et super hoc canonem lata sententia promulgarit, nos ipsius tenorem tibi, ne id tuam serenitatem lateat, duximus transmittendum; qui talis est[1]:

Noveritis, quod nos nuper in basilica principis apostolorum, presente carissimo in Christo filio nostro Frederico, Romanorum imperatore et semper augusto, in celebratione missarum, postquam capiti suo imposuimus imperii diadema, de consilio fratrum nostrorum accensis candelis excommunicavimus ex parte Dei omnipotentis, auctoritate quoque beatorum apostolorum Petri et Pauli et nostra, omnes hereticos utriusque sexus, quocumque nomine censeantur, et fautores, receptatores et defensores eorum, nec non et qui de cetero servari fecerint statuta edita et consuetudines vel potius abusiones introductas contra ecclesiasticam libertatem, nisi ea de capitularibus suis infra duos menses post huiusmodi publicationem sententie fecerint amoveri. Item excommunicamus statutarios et scriptores statutorum ipsorum, nec non potestates, consules et rectores, consiliarios locorum, ubi de cetero humana statuta vel consuetudines edite fuerint vel servate, nec non et illos, qui secundum ea presumpserint iudicare vel in publicam formam scribere iudicata.

Dat. Viterbii, XV Kal. Martii, pontificatus nostri ann. IX.

673.

Gregorius IX papa praeceptori et fratribus ordinis Teutonici in Accon formam compositionis super Terrae Sanctae negotio habitae transmittit, iisque mandat, ut litteras suas de custodia castri Tyrensis, quae ad utilitatem imperatoris domui eorum commissa sit, sine difficultate sibi concedant. Cf. n. 671. *1236, Febr. 19.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 111; Lib. IX, 391.
Potthast, Reg. Add. I, 10096a = 26256.

. . preceptori et fratribus hospitalis sancte Marie Teutonicorum Ierosolimitane in Accon.

Iuxta formam compositionis habite super negotio Terre Sancte, quam vobis sub bulla nostra mittimus, duximus providendum, ut dilectus filius nobilis vir . . princeps Antiochenus[2], auctoritate karissimi in Christo filii nostri Friderici Romanorum imperatoris etc. baiulus institutus, prestito secundum regni consuetudinem iuramento et ab hominibus eiusdem regni recepto, teneat omnia iura et tenutas regni Ierosolimitani ad regem spectantia cum civitate Tyrensi, preter castrum ipsius, quod per dilectum filium . . magistrum vestrum[3] de mandato nostro et domum vestram tenebitur et conservabitur ad utilitatem et honorem imperatoris ac Conradi nati sui et conser-

1) *Cf. n. 160.* 2) *Boemundus V.* 3) *Hermannum.*

vationem[a] boni status regni iam dicti et indempnitatem, quantum in eo fuerit, cuiuslibet Christiani in regno: quod ipse magister non solum verbo set etiam per litteras suas in conspectu nostro promisit, et frater ordinis vestri, quem posuerit ad castri custodiam, per suum ordinem in verbo veritatis hec servare promittet. Verum cum super hoc litteras vestras velimus adici ad cautelam, universitati vestre precipiendo mandamus, quatinus illas sine difficultatis obstaculo concedentes, premissa, que predicto magistro facienda iniunximus, quia fieri per ipsum nequeunt, cum non possit personaliter interesse, vos perficere diligenti studio procuretis: mandatum nostrum etc. ut supra[b].

Dat. Viterbii, XI Kal. Martii, anno nono.

674.

Gregorius IX papa Friderico Romanorum imperatori scribit, quae compositio inter ipsum ex parte una et cives Acconenses et alios de regno Hierosolymitano ex altera per [Hermannum] magistrum Teutonicorum et Henricum de Nazareth et Ph[ilippum] de Trecis milites Acconenses procurata sit, eumque hortatur, ut eam observet.

1236, Febr. 21.

Greg. IX Reg. Vol. V, 111; Lib. IX, 390.
Potthast, Reg. 10100.

Friderico, Romanorum imperatori semper augusto, Ierusalem et Sicilie regi illustri.

Mediator Dei et hominum, Deus homo Christus Iesus, terre celum humilians ut terra levaretur in celum, in peculiaris hereditatis sue funiculo inter utrumque pacis Psal. 104.11.
federa reparavit, et fibula factus concordie in se utriusque salvo iure nature Deum homini connivit. Sane cum illius licet immeriti locum teneamus in terris, ut vices eius vicarius, etsi non quantum velit et debet, saltem quantum valet et permittitur, impleat, de terra predicta quasi de regno Domini debemus colligere scandala et Matth. 13.41.
serere que sunt pacis.

Hinc est, quod dilecto filio . . magistro domus Teutonicorum pro te ac Conrado nato tuo ex parte una et dilectis filiis Henrico de Nazareth et Ph. de Trecis militibus Acconensibus pro nobilibus et civibus Acconensibus ac aliis regni Ierosolimitani ex altera occasione orte discordie in nostra presentia constitutis, nobis interponentibus partes nostras talis provenit concordia inter ipsos[1]: videlicet quod te et Conradum natum tuum ad omnia iura regni predicti, quantum ad possessionem et proprietatem, plene restituent in eo statu, in quo ante discordiam extitistis, et balivis obedient, quos ibi pro tempore tuo et eiusdem nati nomine duxeris statuendos, in ordinatione castrorum et officialium, perceptione reddituum et iurium aliorum, que in ipso regno ad regem de antiqua et obtenta consuetudine spectare noscuntur, salvis assisiis necnon antiquis et approbatis consuetudinibus regni predicti. Preterea dissolvent communiam, deponent campanam, amovebunt consules et capitaneos ab eis post ortam discordiam ordinatos, et nichilominus tibi ac eidem nato tuo iterato fidelitatis

a) conservatione *R.* b) *vide sub n. 671, sicut magistro et fratribus Hospitalis scriptum est.*

1) *Cf. Bernardi Thes. Cont. Guill. Tyr. ed. Guizot. t. XIX. p. 484 et 486; et n. 656.*

iuramenta[a] prestabunt. Ceterum Riccardus Filangerius marescalcus ad baiulationis restituetur officium, ita tamen quod ad declinandam inter eum et illos de terra suspitionis materiam alius non suspectus amministret usque ad finem mensis Septembris proximo nunc futuri, instituendus ab ipso marescalco de consilio O.[1] comestabuli Acconensis. Extunc vero . . princeps Antiochenus[2] auctoritate tua baiulus institutus, qui iurabit secundum consuetudinem regni et homines regni sibi, tenebit omnia iura et tenutas regni Ierosolimitani ad regem spectantia cum civitate Tyrensi, preter castrum Tyrense[3], quod per dictum magistrum et domum ipsius tenebitur et conservabitur ad utilitatem et honorem tuum ac prefati nati tui et ad conservationem boni status regni iamdicti et indempnitatem, quantum in eo fuerit, cuiuslibet Christiani in regno; quod ipse magister non solum verbo set etiam per litteras suas in conspectu nostro promisit, et frater sui ordinis, quem magister posuerit ad castri custodiam, per suum ordinem in verbo veritatis hec servare promittet, et hiis adici volumus conventus litteras ad cautelam. Porro si princeps predictus non posset aut forte non vellet recipere officium baiuli, vel non esset in rerum natura, exnunc providetur, ut auctoritate tua instituatur baiulus iamdictus comestabulus Acconensis, prout de principe superius est descriptum. Si vero baiulum occasione infirmitatis vel male amministrationis seu alia iusta causa contigerit amoveri, alium institues de hominibus ligiis regni merito non suspectum, et ita servabitur usque ad etatem legitimam prenominati Conradi secundum regni consuetudinem sepedicti. Ad hec tu universaliter singulos et singulariter universos, tam clericos quam laicos, nobiles, cives Acconenses et alios de regno predicto in plenitudinem tue gratie revocabis. Nominatim vero Iohanni de Ibylino, filiis et fautoribus suis, et generaliter omnibus in regno predicto morantibus vel ad idem venientibus, mercatoribus seu quibuslibet aliis, securitatem plenam in ipso regno prestabis, hoc excepto quod antedicto Iohanni de Ibylino, filiis et nepotibus suis, videlicet Iohanni de Cesariis et alii Iohanni de Ybelino, extra regnum Ierosolimitanum securitatem aliquam non indulgeas[b]. Si quid autem adversus eundem Iohannem et suos ac quoscumque alios personaliter in regno ipso morantes habueris questionis, per iudicium regni iustitiam exiges, terre consuetudinibus et assisiis observatis.

Nos igitur compositionem prescriptam gratam habentes, venerabilibus fratribus nostris tam Acconensi[4] quam . . Theatino[5] episcopis nostris litteris dedimus in mandatis, ut si qua iuramenta sunt ab aliquo vel ab aliquibus de regno Ierosolimitano presumpta contra illa, que prius tibi et sepedicto Conrado prestita fuisse noscuntur, publice denuntient non tenere. Quocirca excellentiam tuam affectione qua possumus exhortamur, quatinus diligenter advertens quid tibi honoris et Terre Sancte comodi sit in compositione huiusmodi procuratum, ipsam, ut apostolicam sedem in aliis tuis negotiis sentias promptiorem, diligenter observes et, quantum in te fuerit, inviolabiliter facias observari.

Dat. Viterbii, VIIII Kal. Martii, anno nono.

In eundem fere modum . . magistro[6] et fratribus Hospitalis Ierosolimitani etc. usque: presumpta contra illa, que prius imperatori et sepedicto Conrado prestita fuisse noscuntur, publice denuntient non tenere. Quocirca universitatem vestram rogamus et hortamur attentius, per apostolica scripta precipiendo mandantes, quatinus solerti meditatione pensantes quanta utilitas de observantia compositionis eiusdem

[a]) iura *R.; cf. n. 656, II.* [b]) indulges *R.*

1) *Ottonis de Montebeliardo.* 2) *Boemundus V.* 3) *Cf. n. 673.* 4) *Radolfo.* 5) *Gregorio.* 6) *Guarino.*

proveniat et provenire valeat in futurum, super premissis. quod vigorem et stabilem firmitatem obtineant, efficacis vigilantie studium apponatis; mandatum nostrum taliter impleturi, ut vos felicem statum Terre Sancte diligere evidentia perpendatur operis et vobis fame titulus amplietur.

Dat. ut supra.

In eundem fere modum nobili viro O. comestabulo Acconensi et B[aliano] domino Sydonis et Iohanni de Cesariis.

In eundem modum magistro et fratribus domus sancte Marie Teutonicorum Ierosolimitane.

In eundem modum preceptori et fratribus eiusdem domus.

In eundem modum nobilibus et civibus Acconensibus et aliis regni Ierosolimitani.

In eundem modum .. episcopo Theatino usque: publice denunties non tenere.

In eundem modum .. episcopo Acconensi.

675.

Gregorius IX papa [Henrico] archiepiscopo Nazareno et [Rudolfo] episcopo Acconensi mandat, ut cum discordia inter imperatorem et cives Acconenses et alios homines regni Hierosolymitani sopita sit, excommunicationis et interdicti sententias ob eandem latas relaxent. Cf. n. 674. *1236, Febr. 23.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 110; Lib. IX, 389.
Potthast, Reg. 10103.

.. archiepiscopo Nazareno et .. episcopo Acconensi.

Cum divina operante gratia discordia, que inter karissimum in Christo filium nostrum Fridericum Romanorum imperatorem etc. et nobilem virum Conradum natum suum ex una parte ac cives Acconenses et alios homines regni Ierosolimitani ex alia super diversis articulis vertebatur, nobis mediantibus amicabili sit compositione sopita: presentium vobis auctoritate mandamus, quatinus excommunicationis et interdicti sententias, sique ob hoc in ecclesiasticas et alias regni predicti personas seu loca per quoscumque late fuerint, auctoritate apostolica iuxta formam ecclesie sine difficultate qualibet relaxetis. Quod si non ambo etc.

Dat. Viterbii, VII Kal. Martii, anno nono.

676.

Gregorius IX papa Friderico Romanorum imperatori conqueritur, quod ecclesiae regni Siciliae privilegiis et bonis spolientur earumque pastores exulare cogantur, se purgat de renovatione societatis Lombardiae et de poena in Veronenses pacis violatores promulgata, eumque hortatur, ut excessus corrigi faciat, cum eas ulterius dissimulare non possit. *1236, Febr. 29.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 113—114; Lib. IX, 398.
Potthast, Reg. 10109.

Friderico, Romanorum imperatori semper augusto etc.

Dum preteritorum consideratione futura colligimus, dum ventura in statera precedentium ponderamus, spes firma, quod ad exaltationem ecclesie ac catholice fidei perpetuis paratus temporibus studeas inveniri, in utero mentis pure concipitur, et fidem eorum mendaciis adhibere, qui inter ecclesiam et imperium unitatem a mediatore Dei et hominum ordinatam vulnerare cupiunt, prohibemur. Nam cum olim presentibus venerabili fratre . . Sabinensi episcopo[1] et dilecto filio nostro P[etro] Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, qui ob id ad excellentiam tuam te petente nobisque mandantibus accesserunt[2], nonnullos subversores fidei digna feceris animadversione puniri, cum imperii viribus et regni collectis ecclesie defensionem, super quo sepissime serenitas tua digne preconio laudis attollitur, in propria persona susceperis, et ut eius hostes reprimeres, te multis sumptibus et laboribus fatigaris, cum pluries per nuntios et litteras tuas te de consilio nostro in negotiis fidei et libertatis ecclesiastice ac recuperatione iurium ecclesie et imperii promiseris processurum: cogitatio recta non recipit et ius rationis credere non permittit, ut in virum conversus alium a matre tua avellere cupias libertatis ecclesiastice fulcimentum. Set et argumento, si placet, uti poteris simili, ne per sinistre suspicionis absinthium tuum de nobis amaricari permittas auditum, qui tibi contra eos, qui imperialem potentiam quibusdam versutis dolositatibus non leviter ledere nitebantur, patenter astitimus, qui honorem tuum tam in minore quam in apostolatus officio constituti bona fide, etiam te nesciente, promovimus, quod et facere nunc sicut et hactenus, licet inde multi summurmurent, non cessamus. Nec enim posset ad credulitatem nisi minus sane mentis accedere, ut pia mater ecclesia, que te ex tue utero genitricis ab hiis, qui vite et terre tue moliebantur insidias, potenter eripuit et usque ad hec tempora ad conservationem honoris tui multis sudoribus laboravit, prepotentis dextere brachium presidio sponse Christi celitus deputatum temeritate cuiuslibet suspicionis ammittere et tanti velit laboris meritum vacuare.

Verum super eo, quod te scripsisti exinde non absque ratione mirari, quod circa factum prelatorum regni prius ex solo fuerimus rumore turbati, quam ad tuam notitiam, sicut ex condicto sperabas, fecerimus insinuata perduci, vehementius amiramur, quia si, an dictum a facto vel factum a dicto existentiam sumat, inspicias, quanta sit rei que firmum prebet testimonium veritati ad opinionem distantia, non ignoras. Nam ecce in regno predicto per ministros imperiales nudate privilegio libertatis ecclesie, bonis sacris deputatis usibus spoliate flent, quia ipsarum pastores etiam et ministri, patres et filii, exulare coguntur, carceri mancipantur, et foro ecclesiastico derelicto in examine vetito actiones suscipere, tallias solvere et bona compelluntur ecclesiastica, ut se a vexationibus redimant, exaurire; et si quando eas contingat pastoris solacio viduari, non permittuntur sibi sponsum eligere, viduitatis vestimenta deponere, donec adulterinis alicuius complexibus, qui non canonice set per impressionem electus aut alias intrusus fuerit, extiterint copulate. Ecce ibi catholica fides perit, ex eo heresis inibi precipue vires sumit, quod in ecclesias et personas ecclesiasticas oppressione officialium seviente, eedem predicationis, ex qua maxime confutantur heretici et catholici roborantur, exercere non possunt officium, quia necessario cetera pars edificii corruit, cuius concutitur fundamentum. Ecce de ruina Ierusalem Babilonie menia, de acervo lapidum Syon Agarenorum gimpnasia

1) *Iohanne.* 2) *Cf. n. 580.*

construuntur, et edificia, in quibus divinum nomen excolitur, illuc migrare coguntur, ubi Machometh perditus adoratur[1]. Super quo eo crudelioris nos doloris gladius percutit, quo fortius incircumcisi, quasi in regni medio positi, levius fidem catholicam sue possunt infidelitatis veneno corrumpere, quo maiora exinde contingunt pericula, quod Christiani commiscentur eisdem, paganorum contubernia ab ovili Dominico greges fidelium abigunt, et Ebrei ab Egyptiis sic oppressi eorum quasi dominio subiugantur. Ecce in dicto regno contra pacis inter te et ecclesiam reformate federa quidam nobiles, privati castris et aliis bonis suis, uxoribus et liberis captivatis, loca sua proscripti relinquere, domicilia in aliorum transferre coloniam et ad extremam coguntur inopiam devenire; et dum similis premit afflictio pauperes, id tanto magis Deo displicere putamus, quanto fortius ipsos credimus innocentes. Quid plura? In omnibus hiis ecclesia tanto maiori rubore perfunditur, quanto probabilius premissis discordia causam dare preterita creditur, dum illi, qui adeserunt ecclesie, plus ceteris contra iustitiam opprimuntur. Utinam hec veritatis essent destituta subsidio et mendax inveniretur quilibet hec dicendo, ut et audita non credere ac fidem cogeremur a creditis removere! Sed si verius loquimur, iam pro maiori parte ista non credimus, de quibus opinione cessante certam scientiam obtinemus.

Ceterum ex eo sibi tua serenitas titulum laudis acquirit, quod sicut asseris mentientibus, ut quicquam contra te in renovatione societatis Lombardie[2], in Tuscia vel Verona fuerit per ecclesiam procuratum, credere dedignaris. Nam si Lombardi vel alii tue metu potentie sibi a futuris student casibus precavere et iuxta sapientiam huius mundi aliquid de ecclesia pro sua parte disseminant, per quod sibi favorem acquirere moliantur, si Veronensibus ad bonum pacis per venerabiles fratres nostros .. Reginum[3] et .. Tervisinum[4] episcopos auctoritate nostra reductis[5], et nobili viro Iohanne Fortibrachio[a] sicut mandaveras ipsorum regimen recipere recusante, nobilem virum comitem Raynerium de Marzan[b][6] fidelem nostrum ad nuntiorum utriusque partis instantiam, iniuncto ei quod via procedens regia nequaquam ad sinistram Num. 21,22.
vel dexteram declinaret, in potestatem duximus providendum, non est, quid nobis valeat imputari. Verumtamen sustinere non possumus, quin contra eos, qui, excommunicationum sententiis, iuramentis et penis interpositis vilipensis, potestatem, qui pure se habuit et de sinceritate fidei ab utraque parte publice commendatur, capere et pacem non sunt veriti violare, sicut iustitia exigit, procedamus. Ceterum, si mentiatur iniquitas, quod in Ultramontanis et Italie partibus ecclesie studium tuos procuret impedire processus, imperialis utilitatis res expetit, ut cum opera contrarium protestentur, ora mentientium obstruas et auditum eorum, qui scismatum zizania seminant ut exinde iniquitatis lucra conquirant, oblocutionibus interdicas[7]. Ad hec, quia multiplicatus in aures apostolice sedis clamor de regno predicto veniens et usque in celum sicut credimus iam ascendens nos de preteriti silentii culpa redarguit et ad tuam excellentiam clamare compellit, si nostro forsan excitata clamore lacrimas misericordie manu a gementium maxillis abstergere, doloribus populi regni predicti medelam apponere ac plagas ipsius studeat sicut convenit alligare, celsitudinem tuam rogandam duximus attentius et monendam, quatinus diligenter attendens quantum fame imperiali expediat et ad tui nominis honorem accedat, sic[c], iuxta quod nobis per tuas litteras pluries promisisti, premissa corrigi, et ne in posterum similia pre-

a) Fortibrach *R.* b) Marzañ *R.* c) si *R.*

1) *Cf. n. 494.* 2) *a. 1235, Nov. 5 et 7 facta; Huillard-Bréholles, l. c. t. IV, p. 796—798.* 3) *Nicolaum.* 4) *Tixium.* 5) *a. 1235. April. 18; Ann. Veron. a. 1235, SS. t. XIX, p. 9.* 6) *Raynerius Borgarello de Perusio appellatur ibidem.* 7) *Cf. n. 655.*

sumantur, facias interdici, quod ecclesie ac homines regni predicti, medela post vulnus habita, post fletum consolatione suscepta, se ab huiusmodi miseriis gaudeant respirare. Si enim volueris rationis diligenter examinare iudicium apud tribunal tue mentis, aperte invenies diffinitum, quod nos, qui tibi hactenus plus iusto forsitan deferentes ecclesiis et personis ecclesiasticis iustitiam exhibere distulimus, id sine divine maiestatis offensa, lesione fame et conscientie nostre dissimulare ulterius non valemus.

Dat. Viterbii, II Kal. Martii, pontificatus nostri anno nono.

677.

Gregorius IX papa consulibus et communi Civitatis Castellanae concedit, ut ad pontem in loco Tregi reparandum et equites ad servitium ecclesiae retinendos pedagia exigere possint. *1236, Mart. 7.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 115; Lib. IX, 404.
Potthast, Reg. 10113.

Consulibus et communi Civitatis Castellane.

A nobis vestra devotio requisivit, ut cum velitis reparare pontem in loco, qui Tregi[1] vulgariter appellatur, et etiam ordinare, ut in civitate vestra sint equites semper ad servitium ecclesie preparati[a], ut ad reparationem pontis eiusdem et equos commodius retinendos a transeuntibus pro quolibet homine unum, pro equo duos denarios, sicut olim ponte integro fieri consuevit, recipere valeatis, licentiam vobis concedere dignaremur. Vestris igitur supplicationibus inclinati auctoritate vobis presentium concedimus postulata. Volumus tamen, ut a prestatione exactionis huiusmodi omnes de curia nostra necnon clerici et religiose persone penitus sint immunes, cum dignum sit eos in patrimonio ecclesie prerogativa gaudere, quam eis indulgent etiam principes seculares. Nulli ergo — nostre concessionis etc. Si quis autem etc.

Dat. Viterbii, Non. Martii, anno nono.

678.

Gregorius IX papa Friderico Romanorum imperatori scribit paulo post recessum [Hermanni] magistri Teutonicorum ambassatores Lombardorum ad se accessisse, et cum ad compromittendum parati fuerint, se compromissum recepisse; unde rogat, ut praefatum magistrum cum pleno mandato de compromittendo in manibus ecclesiae ad sedem apostolicam remittat neve interim contra Lombardos procedat. *1236, Mart. 21.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 135; Lib. X, 1. Pertzii exemplar supplevimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1236, § 2.
Potthast, Reg. 10124.

a) *sequitur in R.:* vobis concedere dignaremur.

1) *Hodie rivulus, ad quem Civita Castellana sita est, Treia vocatur.*

Friderico, Romanorum imperatori semper augusto, Ierusalem etc.

Olim nobis imperialis excellentie litteris presentatis, in quibus inter cetera, que de tuo processu magnifico narrabantur, venit in medium, quod de principum sollempni consilio super negotio Lombardie te precise in manibus ecclesie iuxta compromissi formam, quam a te recepimus in Tuscia, poneres, ita tamen quod negotium ipsum ad honorem tuum et imperii commodum usque ad proximo preterite nativitatis Dominice terminum compleretur, alioquin ex tunc, ne tibi et principibus solita illusio fieret per Lombardos, velles cum exercitu partes ingredi Lombardie; quia in eisdem litteris talis extitit adiecta conditio, per quam compromissum penitus tollebatur et tantum non videbatur posse negotium terminari, videlicet ita tamen quod ipsum negotium ad honorem tuum et imperii commodum infra dictum festum nativitatis Dominice compleretur, nos excellentiam tuam, quod super eodem negotio te iuxta memoratam formam precise et sine conditione aliqua in manibus ecclesie poneres, per dilectum filium . . magistrum hospitalis sancte Marie Teotonicorum fecimus ammoneri[1], qui ob id ad nos a tua excellentia destinatus, quia Lombardi diutius expectati nuntios suos infra terminum sibi datum super hoc ad nostram presentiam non miserunt, dicto negotio imperfecto recessit. Cumque infra paucos dies post ipsius recessum ambassatores Lombardorum ad sedem apostolicam accedentes, se legitimo fuisse impedimento detentos firmiter assererent et se ad compromittendum in nos precise paratos offerrent, nos, cupientes pacis commodum procurare, compromissum predictum recepimus et prefatum magistrum ad nos duximus revocandum. Qui transmissis ad nos litteris, quod iussus ad te cogebatur sine mora venire, ad tuam presentiam est reversus. Quocirca[a] excellentiam tuam rogandam duximus attentius et hortandam, quatenus prudenter advertens quod ad instantiam tuam de consilio fratrum nostrorum, patriarcharum trium et prelatorum omnium, qui erant apud sedem apostolicam constituti, negotium Terre Sancte, quod ad te post sedem apostolicam noscitur specialiter pertinere, duximus assumendum, providentes ut orbis terre discordes ad treugam vel concordiam cogerentur, et quod iam ad hoc aliqui ex magnis terre principibus sunt compulsi, quinimmo reges aliqui, multi nobiles et potentes crucis signaculum per Dei gratiam receperunt, prefatum magistrum H., ne dicte terre negotium, quod ad utilitatem ecclesie, imperii ac totius populi Christiani noscitur ordinatum, quod absit, valeat impediri, cum pleno mandato de compromittendo super premissis precise in manibus nostris sine more dispendio studeas destinare; sciturus quod si contra Lombardos, maxime cum se precise in manibus ecclesie posuerint, hoc potissimum tempore procedere molireris, tantam exempli perniciem aliis tribuendo, per quam presumi possit a pluribus, quod ceteros ecclesia fefellisset, id pati equanimiter eandem ecclesiam non deceret, presertim cum super negotio, in quo de tanta gloria Redemptoris agitur, acceptio personarum haberi non debeat, nec aliquid nos deceat perpeti, per quod processus eiusdem posset aliquatenus impediri. Diligenter enim considerare te convenit, quod illi qui excellentie tue contraria consulunt, ad id te nituntur inducere, per quod te illis laboribus involuto, de quibus de facili nequeas expediri, utilitates suas fortius valeant procurare.

Dat. Viterbii, XII Kal. April. pontificatus nostri anno decimo.

---

a) Quocirca — procurare *ex Rayn.*

1) *n.* 657.

In eundem fere modum scriptum est . . magistro hospitalis sancte Marie Teotonicorum usque: valeant procurare. Quocirca mandamus, quatinus dictum imperatorem ad id efficaciter moneas et inducas.

Dat. Viterbii ut supra.

In eundum modum . . episcopo Ratisponensi[1], imperialis aule cancellario.

In eundem modum . . Maguntino[2] et . . Treverensi[3] archiepiscopis.

In eundem modum . . episcopo Ildesemensi[4].

679.

Gregorius IX papa militibus et populo Placentino mandat, ut [Marcellinum] episcopum Acsculanum, pro roboranda concordia ad ipsos missum, benigne recipiant et eius mandatis devote intendant. *1236, Mart. 24.*

Greg. IX Reg. Vol. V. 138; Lib. X. 9.

Militibus et populo Placentino.

Exultamus in Domino et gaudio reficimur salutari, quod ipse, qui est pax vera, diversos in civitate vestra discordiarum parietes copulavit in unum, vos post bella intestina et periculosa dissidia ad pacem per suam misericordiam revocando[5]. Sicut enim immensi doloris aculeus nos urgebat pro innumeris periculis corporum, animarum et rerum, que vobis contingebant continuo ex dissensionibus et scissuris, ita gratum gerimus, quod seminatori zizaniorum et salutis vestre inimico dato repudio, reconciliati reconciliationis actori, salvatori vestro, ad viam redistis ab invio et ad dexteram a sinistra. Cupientes igitur vestrum et civitatis vestre statum esse prosperum et quietum, et augmentum civitatis eiusdem proprium sedis apostolice reputantes, venerabili fratri nostro . . episcopo Esculano, viro provido et discreto, quem ad partes vestras pro pace totius provincie destinamus, specialiter inter alia duximus iniungendum, ut pro concordia inter vos inviolabiliter observanda omnem diligentiam et studium interponat, eam auctoritate apostolica roborando. Sperantes itaque quod per eum, sicut angelum pacis et consilii, desiderium nostrum in hac parte ad effectum
Es. 40.4. perducetur obtatum, prava in directa et in vias planas aspera convertentur, universitatem vestram monendam duximus et hortandam per apostolica scripta mandantes, quatenus eum recipientes benigne ac honeste tractantes, salubribus eius monitis, consiliis et mandatis devote ac humiliter intendere procuretis, ita quod matrem vestram Romanam ecclesiam in devotione vestra letificari contingat et non minus in vobis filialis affectionis inveniat quam speravit, indeque mereamini obtinere in vestris oportunitatibus nostrum auxilium et favorem. Alioquin episcopo ipsi mandavimus, ut auctoritate nostra contra pacis eiusdem violatores sublato appellationis obstaculo[a] procedere non postponat.

Dat. Viterbii, IX Kal. April. anno decimo.

In eundem fere modum scriptum est super hoc eidem episcopo.

---

a) sub apostolica obedientia *in apogr. nostro; cf. p. 475, not. a.*

1) *Sigefrido.* 2) *Sigefrido III.* 3) *Theoderico II.* 4) *Conrado II.* 5) *Ut credimus initio a. 1236; nam in Ann. Plac. Gib. a. 1236, SS. t. XVIII, p. 472 legimus:* Eodem tempore [mense Martio] maior pars militie Placentie extra civitatem exierant et populum et civitatem gueriabant. *et Mart.—Iul. populares, qui cum imperatore steterunt, continenter in civitate praevaluisse videntur; ibid. Cf. n. 685.*

680.

Gregorius IX papa [Marcellinum] episcopum Aesculanum specialiter pro pace Veronensium laborare iubet, mandans ut si necesse fuerit, contra rebelles procedat. *1236, Mart. 27.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 138; Lib. X, 10.

. . episcopo Esculano.

Fraternitati tue presentium auctoritate precipimus, quatinus inter alia, que iniunximus tibi pro pace provincie Lombardie, specialiter pro concordia et pace Veronensium omnem diligentiam et studium interponas, ad hoc sollicita vigilantia et vigilanti sollicitudine intendendo. Licet enim contra violatores pacis, que auctoritate Romane ecclesie reformata fuerat inter ipsos[1], venerabilibus fratribus nostris . . patriarche Gradensi[2] et . . episcopo Regino[3] direxerimus scripta nostra, volumus tamen nichilominus et mandamus, ut et tu contra ipsos, si eorum rebellio id exegerit, auctoritate nostra sublato appellationis obstaculo[a] procedere non postponas.

Dat. Viterbii, VI Kal. Aprilis, anno X.

681.

Gregorius IX papa [Hermanno] magistro Teutonicorum districte praecipiendo mandat, ut pro tranquillitate pacis inter ecclesiam et imperium procuranda sine mora ad sedem apostolicam veniat. Cf. n. 678. *1236, Mart. 27.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 139; Lib. X, 16
Potthast, Reg. Add. I. 10132a—26257.

Magistro domus hospitalis sancte Marie Teutonicorum.

Quoniam ad religionem divina crederis provisione vocatus, ut regis pacifici, mediatoris Dei et hominum, ad concordiam reformandam inter principes mundi huius et Terre Sancte subsidium procurandum efficax cooperator existas, maxime cum apostolice sedis gratiam et karissimi in Christo filii nostri Friderici Romanorum etc. favorem obtineas specialem, oportet te sollicita meditatione pensare, qualiter occurrere pravis machinationibus malignorum et aspera in vias planas et prava dirigere valeas E· 10.4
in directum. Quocirca presentium tibi auctoritate in virtute obedientie, qua nobis et ecclesie Romane teneris, districte precipiendo mandamus, quatinus, sicut caram habes gratiam Dei et nostram, omni mora et excusatione cessantibus ad nostram presentiam venire non differas pro magno honore ecclesie et imperii promovendo et tranquillitate pacis eorundem efficaciter procuranda. Alioquin a culpa nequaquam idereris immunis, si per negligentiam tuam post mandatum nostrum ecclesia vel imperium aut Terra Sancta periculum incurreret vel iacturam, et in tuum et totius tui ordinis grave posset dispendium redundare, si nostris non duxeris in hac parte iussionibus obsequendum, presertim cum multotiens nobis promiseris, quod pro tanto bono ad presentiam nostram accederes, quandocumque a nobis contingeret te vocari.

Dat. Viterbii, VI Kal. April. anno decimo.

a) sub apostolica obedientia *in apogr. nostro; cf. p. 475. not. a.*

1) *Cf. n. 676.* 2) *Angelo.* 3) *Nicolao.*

682.

Gregorius IX papa rectoribus societatis Lombardiae scribit, cum [Hermannus] magister Teutonicorum ante adventum ambassatorum eorum iam recesserit, se ab imperatore petivisse, ut iterum in se compromitteret; ne autem huic negotio impedimentum inducatur, se ad eos [Marcellinum] episcopum Aesculanum mittere; unde mandat, ut eius consiliis super pace regionis devote intendant.

1236, April. 1.

Greg. IX Reg. Vol. V, 137—138; Lib. X, 7.
Potthast, Reg. 10134.

Rectoribus societatis Lombardie.

Solite benignitatis affectu recepimus nuper et audivimus dilectos filios ambassatores vestros, fideles, providos et discretos, qui, prudenter que voluerunt expositis, nomine vestro in nos compromittere curaverunt. Verum quia eis venientibus dilectus filius . . magister domus Teutonicorum, ex parte karissimi in Christo filii nostri Friderici Romanorum etc. destinatus, iam recesserat, cum diutius apud sedem apostolicam expectasset, nos, pro certo tenentes vos in mora dictorum ambassatorum non malitiose set bona fide versatos, ut hii qui mittebantur a vobis venirent cum procuratoribus civitatum omnium partis vestre, statim dicto magistro mandavimus, ut rediret. Sed eo se super hoc per litteras et nuntium excusante, quod revocatus ab imperatore se reputante contemptum, sine speciali eius mandato id facere non valebat, ipsi imperatori, ut in nos iterum compromitteret, direximus scripta nostra[1], sperantes quod consueta benivolentia nostras exhortationes et consilium amplectetur. Quia vero nec decet nec expedit aliquid attemptari, quod negotio impedimentum vel difficultatem inducat, vosque de malitia vel incautela exinde notari possitis, venerabilem fratrem nostrum . . episcopum Esculanum, virum providum et discretum, ad partes vestras duximus destinandum, credentes quod sicut angelus pacis et consilii debeat speratum
Es. 40, 4. fructum producere, tranquillitatis videlicet et salutis, prava in directa et in vias planas aspera convertendo. Quocirca universitatem vestram monendam duximus propensius et hortandam, per apostolica vobis scripta precipiendo mandantes, quatinus eum recipientes benigne et honeste tractantes, depositis simultatibus et emulationibus universis, quibus innumera dispendia rerum et corporum ac pericula imminent animarum, salubribus eius monitis, consiliis et mandatis super pace regionis devote ac humiliter intendere procuretis, ita quod matrem vestram Romanam ecclesiam, que pro vobis laborare non desinit reputans vos eius filios speciales, in devotione vestra letificari contingat, nec dolere vel conqueri debeat, quod minus in vobis[a] filialis affectionis invenerit quam speravit. Alioquin, cum pro Terre Sancte negotio in toto orbe Christiano pacem mandaverimus observari et ad hoc etiam quosdam coegerimus principes et
Prov. 20, 10. magnates, nec apud nos pondus et pondus, mensura esse debeat et mensura, episcopo ipsi mandavimus, ut auctoritate nostra contra inobedientes et rebelles sublato appellationis obstaculo[b] procedere non postponat.

Dat. Viterbii, Kal. April. anno decimo.

a) vos *R.* b) sub apostolica obedientia *in apogr. nostro; cf. p. 175, not. a.*

1) *n.* 678.

683.

Gregorius IX papa potestatibus, communitatibus, comitibus et aliis baronibus Lombardiae mandat, ut [Marcellini] episcopi Aesculani consiliis super pace regionis devote intendant. Cf. n. 682.

1236, April. 2.

Greg. IX Reg. Vol. V, 138; Lib. X, 8.
Potthast, Reg. Add. I, 10135a—26258.

Potestatibus,
communitatibus, comitibus ac aliis baronibus
Lombardie.

Infallibilis experientie plenitudo plene vos instruit et docet etiam circumpositos et remotos, quam sincere vestram provinciam diligamus et statum eius quietum et prosperum affectemus, salutem vestram augmentum sedis apostolice reputantes. Non enim pro vobis laborare cessavimus, set pro pace dicte provincie indefessa sollicitudine duximus laborandum, destinatis multotiens propter hoc de latere nostro legatis et nuntiis, qui animi nostri scientes et sequentes affectum, ad id omni diligentia totisque viribus intenderunt. Quia vero adhuc non fuit datum desuper, quod desiderii nostri studium desideratum haberet effectum, huius laboris calicem nondum gustare desistimus, urgente nos fervente quam circa vos gerimus caritate ac multorum periculorum timore, que solent ex dissidiis animabus, rebus et corporibus imminere. Hac igitur consideratione inducti, cum mater filii uteri sui oblivisci non valeat, venerabilem fratrem nostrum .. Esculanum episcopum, virum providum et discretum, ad partes vestras duximus destinandum, credentes quod sicut angelus pacis et consilii debeat speratum fructum producere, tranquillitatis videlicet et salutis, prava in directa et in Is. 40, 4. vias planas aspera convertendo. Quocirca universitatem vestram etc. ut supra usque: procedere non postponat.

Dat. Viterbii, IIII Non. April. anno decimo.

In eundem modum potestatibus, communitatibus, comitibus et aliis baronibus marchie Tervisine.

In eundem modum potestatibus, communitatibus, comitibus et aliis baronibus Romaniole.

In eundem modum .. potestati et populo Mediolanensi.

In eundem modum .. potestati et populo Cremonensi.

In eundem fere modum scriptum est .. episcopo Esculano usque: in vias planas aspera convertendo, ita quod fructus tranquillitatis de circumspectione tua proveniat qui speratur. Ceterum, si qui forsitan obstinato animo tibi super hoc duxerint resistendum, cum merito proponamus eos, quos devotos inveneris et ad tua consilia et mandata paratos, in benedictionibus prosequi et paterna gratia confovere, in reliquis vero velut causam Christi et populi Christiani turbantibus talia nullatenus tolerare, nec apud nos pondus et pondus etc. ut supra [1].

---

1) *Eodem die etiam potestatem et populum Placentinos monet, ut episcopi Aesculani mandata de facto Rollandi fratris ordinis Praedicatorum [cf. n. 556 et 559] adimpleant; Potthast. Reg. 10135.*

684.

Gregorius IX papa [Marcellinum] episcopum Aesculanum communitates excommunicationi vel interdicto supponere vetat, nisi forte Veronenses et Placentinos et turbatores pacis eorum. Cf. n. 680. *1236, April. 3.*

Greg. IX Reg. Lib. X, 12. Hanc epistolam ineditam, quae inter apographa Pertzii non extat, V. Cl. E. Winkelmann debemus, qui eam a Pertzio ex Reg. Vatic. exscriptam putans in Acta Imperii ined. nuper publicata non recepit nobisque liberalissime transmisit. Proponimus eam ex apographo a V. Cl. I. Ficker ex Cod. Bonon. col. XXXVII, n. 67 sumpto; legitur etiam, ut E. Winkelmann monet, inter Fontaniniana Bibl. Archiv. Venet. n. 650, f. 242.

Episcopo Esculano.

Quamvis tibi per litteras nostras iniunxerimus, ut contra inobedientes et rebelles auctoritate nostra procedas, prohibemus tamen, ut sine speciali mandato nostro communitates nullo modo excommunicationi vel interdicto supponas, prohibitione huiusmodi ad Veronenses seu Placentinos aut turbatores pacis eorum facte vel etiam faciende nullatenus proroganda.

Dat. Viterbii, tertio Nonas Aprilis, pontificatus nostri anno decimo.

685.

Gregorius IX papa militibus et populo Placentino scribit, cum quidam pacem inter eos factam violaverint, se [Marcellino] episcopo Aesculano iniunxisse, ut formam pacis inspiciat, et si eam utilem inveniat, eam observari faciat, alioquin eam corrigat vel de novo reformet; mandat, ut eius consiliis intendant. Cf. n. 679. *1236, April. 5.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 139; Lib. X, 13.
Potthast, Reg. Add. I, 10136a—26259.

Militibus et populo Placentino.

Es. 57.19 Etsi libenter hiis, qui longe sunt et qui prope, pacis consilia cogitemus ac ubique subortas sopire discordias ac sopitas conservari iuxta officii nostri debitum cupiamus, specialiter tamen civitatis vestre, utpote sedis apostolice filie specialis, cuius scissura per compassionem Romane ecclesie corda scidit et turbatio graviter nos turbavit, pacem multo desiderio affectamus, et tam animorum vestrorum quam corporum sinceram cupimus, si Dominus dederit, unitatem. Inde est, quod audito nuper quod inter vos pax esset actore pacis dante operam reformata, exultavimus pro vobis in Domino et ei gratiarum retulimus actiones. Set quanto nobis de reformatione pacis maius attulerat gaudium letus rumor, tanto fuimus gravius conturbati postmodum, intellecto quod quidam vestrum pacis federa violarant. Cupientes igitur et tranquillitati civitatis eiusdem, cuius augmentum proprium sedis apostolice reputamus, et quieti vestre, quorum inquietudo nos inquietat non modicum, paterna sollicitudine providere, venerabili fratri nostro . . Esculano episcopo, viro provido et discreto, de cuius fide ac puritate plenam fiduciam obtinemus, quem ad partes vestras pro pace totius provincie destinamus, inter alia duximus iniungendum, ut formam pacis facte inter vos sibi faciens exhiberi, si eam secundum Deum pro communi utilitate partium invenerit esse factam, ipsam faciat inviolabiliter observari; alioquin vel corrigat eam, si fieri

poterit, prout communi utilitati partium viderit expedire, vel de novo inter vos pacis federa studeat reformare. Et ut melius et liberius absque alicuius impedimenti obstaculo premissis valeat imminere, compescens violentiam quamlibet et omnem reprimens vim armorum, undecumque venientes in subsidium partium arceat, existentes in civitate ipsa pro cuiusquam vestrum subsidio ad propria redire compellat, contradictores etc. Ceterum, quia speramus, quod per eum quasi per pacis angelum iuxta nostrum desiderium prava in directa et aspera convertentur in plana, universitatem (Es. 40,4.) vestram monendam duximus et hortandam, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus ipsum recipientes ilariter et honeste tractantes, eius salubribus monitis, consiliis et mandatis devote ac humiliter intendatis, ita quod matrem vestram Romanam ecclesiam in devotione vestra letificari contingat et non minus in vobis filialis affectionis inveniat quam speravit, indeque mereamini obtinere in vestris oportunitatibus nostrum auxilium et favorem.

Dat. Viterbii, Nonis April. anno decimo[a].

686.

Fridericus Romanorum imperator Gregorio IX papae ad eius querelas respondet[1]*: si in regno Siciliae ab ecclesiis et personis ecclesiasticis debita curiae suae deposcat, si demania sua ad fiscatia revocet, si cum locis venerabilibus permutet, si ius electionum progenitoribus suis debitum reservet, se nulli facere iniuriam sed iure suo uti; iniurias, in quas interdum officiales sui nimio zelo accensi prolabantur, sibi imputari non debere, et gratissimum sibi esse, quod per [Hermannum] magistrum Teutonicorum apud sedem apostolicam existentem iisdem iniunctum sit; eo quod Sarracenos e montibus Siciliae remotos in media Christianorum planitie collocaverit, et huic insulae utilitatem se attulisse et id effecisse, ut iam tertia pars eorum ad fidem catholicam reducta sit; quod papa contra Veronenses ad excommunicationis sententiam procedere velit, se ob honorem ecclesiae dissuadere, cum nonnulli sint, qui ipsum hanc civitatem sub praetextu petitionis obsidum societati Lombardiae aggregare velle arbitrentur; denique de negotio regni Cypri*[2] *et [Geroldi] patriarchae Hierosolymitani*[3] *se responsurum promittit, cum in Italiam reversus sit.*

1236, April. 16.

Greg. IX Reg. Vol. V, 162–163; Lib. X, 107.
Böhmer-Ficker, Reg. Frid. II, n. 2149.

687.

Gregorius IX papa [Henrico III] episcopo Eichstetensi mandat, ut excommunicationis sententiam in comitem de Tollestein promulgatam relaxet.

1236, April. 27.

Greg. IX Reg. Vol. V, 149; Lib. X, 55.
Potthast, Reg. 10147.

a) nono *R.: mendum scriptoris Reg., quae res et ex epistolis praecedentibus et ex ordine Reg. apparet.*

1) *Cf. n. 676.* 2) *Cf. n. 656, II.* 3) *Qua de re agatur, neque in prioribus epistolis papae neque alibi commemoratum invenimus; cf. n. 702.*

Eistensi episcopo.

Transmissa nobis nobilis viri .. comitis de Tollest.[a][1] conquestio patefecit, quod tu in eum nulla competenti monitione previa sine causa rationabili contra generalis statuta concilii auctoritate propria excommunicationis sententiam promulgasti. Ideoque mandamus, quatinus, si est ita, dictam excommunicationis sententiam infra octo dies post susceptionem presentium sine qualibet difficultate relaxes: alioquin dilectis filiis .. de Brunebach[2], .. de Eberach[3] et .. de Keishem[4] abbatibus Cisterciensis ordinis Herbipolensis et Augustensis diocesum nostris damus litteris in mandatis, ut ipsi ex tunc, sufficienti ab ipso super hiis pro quibus excommunicatus habetur cautione recepta, iuxta formam ecclesie sententiam relaxantes eandem, et iniungentes ei quod de iure fuerit iniungendum, audiant siquid fuerit questionis, et appellatione remota debito fine[b] decidant, et faciant quod decreverint auctoritate nostra firmiter observari; proviso attentius ut si pro manifesta offensa sit prolata sententia, nisi prius ab excommunicato sufficiens prestetur emenda, nullatenus relaxetur.

Dat. Viterbii. V Kal. Maii, pontificatus nostri anno X.

688.

Gregorius IX papa [Raymundum VII] comitem Tolosanum increpat, quod pacem inter ecclesiam et Ludovicum IX regem Francorum ex parte una et ipsum ex altera initam et statuta contra haereticos edita violaverit, eique mandat, ut haec corrigat et proximo mense Martio in subsidium Terrae Sanctae transfretet, ibidem per quinquennium moraturus; alioquin excommunicationis sententiam in eum innovatum iri.

1236, April. 28.

Greg. IX Reg. Lib. X, 58. Edimus hanc epistolam ex Rayn. Ann. eccl. a. 1236, § 39—44, suppletam et correctam ex Teulet, Layettes du trésor des chartes, t. II, p. 314, n. 2445 [T.], qui epistolam eodem die de eadem re ad archiepiscopum Viennensem directam, quam Rayn. § 44 commemorat, ex apographo circa a. 1250 vel postea facto proposuit. Haec epistola cum ea, quam Rayn. dat, excepto fine ad verbum concordat.

Potthast, Reg. 10151.

Nobili viro comiti Tolosano spiritum consilii sanioris.

Olim ad apostolice sedis perlato notitiam, quod in partibus Albigensibus vineam Domini tribulus et urtica repleverant, et in terram Iuda rex Babilonie veniens templum Domini vasis aureis catholice fidei spoliaverat, illuc felicis recordationis Innocentius et Honorius predecessores nostri cultores, qui ex ipsa herbas pestilentes vomere predicationis excerperent, et[c] clare memorie Ludovicum regem Francie et alios de regno suo crucis signaculo insignitos, qui mucrone iustitie a templi sanctuario sordes contaminationis eraderent, destinarunt, sperantes quod ibi botrus catholice fidei in calicem Domini comprimendus erumperet, et Ierusalem expurgata regem pauperem
Matth. 21, 5. sedentem super pullum asine subiugalis cum palmis recipiens et floribus exultaret. Cumque[d] ad id dicti predecessores nostri plurimum laborantes non potuissent proficere,

a) Tollest. *R.* b) de fi *R.* c) et *deest ap. Rayn. et T.* d) *ita T.*, cum *Rayn.*

1) *Dollnstein ex occidente civitatis Eichstadt.* 2) *ex occidente civ. Würzburg.* 3) *ex occidente civ. Bamberg.* 4) *ex septentrione civ. Donauworth.*

et laborem eorum nostrorum peccatorum crederentur merita vacuasse, nos, attendentes quod omne quod est ab improbo labore devincitur, et Pharao ut liberet Israelem, non nisi plagis contritus pluribus emollitur, humeros nostros huius laboris fasci subiecimus et venerabilem fratrem nostrum Portuensem episcopum, tunc Sancti Angeli diaconum[a] cardinalem[1], commisso sibi legationis officio, ad partes illas duximus destinandum: qui, eo faciente qui bonum opus aspirando prevenit et prosequitur adiuvando, maxillas eorum, qui inconsutilem Christi tunicam lacerabant, in freno cohibuit, vulpeculas parvulas, que Dominicam demoliebantur vineam, intercepit, et ut fides catholica statui antiquo plene posset restitui, in pace, inter ecclesiam et carissimum in Christo filium nostrum Francie regem illustrem ex parte una et te ex altera ipsius studio reformata[2], et concilio propter hoc Tolose habito[3] nonnulla statuta edidit, ac ad heresim fortius confutandam Tolose sacre pagine et aliarum artium studium ordinavit.

Verg. Ge. I. 145. — Psal. 31.9. — Cant. 2,15.

Verum quia immundus spiritus domum, a qua eiectus fuerat, scopis mundatam, rursus ingredi nititur, et Pharao liberatos Hebreos iterum sibi subiugare conatur, post ipsius recessum venerabilibus fratribus nostris, primo videlicet episcopo Tornacensi[4] et postmodum archiepiscopo Viennensi[5], apostolice sedis legatis, ut super catholicorum grege noctis vigilias vigilantes lupos a Dominico coercerent ovili, duximus legationis officium committendum. Set ecce, quod verebamur accidit et timor quem timebamus evenit. Nam sicut ex insinuatione ipsius archiepiscopi et aliorum prelatorum sue legationis accepimus, fratrem Guillelmum Arnaldi ordinis[b] fratrum Predicatorum, qui auctoritate nostra et dicti archiepiscopi contra hereticos inquisitionis exercebat officium et summo studio laborabat, ut educto obstetricante ipsius manu colubro tortuoso, prodirent in lucem opera tenebrarum, a civitate Tolosana vicarius tuus et consules civitatis eiusdem, qui ne contra hereticos procedatur diversa difficultatum obstacula interponunt, post illatas sibi multas iniurias non sine turpi violentia eiecerunt, facientes[c] in eadem civitate et ipsius suburbio voce preconia interdici, ne quis venerabili fratri nostro episcopo[6] et clericis Tholosanis aliquid dare vel vendere seu ipsis in aliquo communicare commercio aut in eorum auderet servicio remanere, et ne quis fratribus Predicatoribus benefacere aut eis presumeret elemosinas erogare. Iidem quoque consules domum ipsius episcopi, eo ibidem infirmante teque presente in civitate predicta, per apparitores suos violenter invadere, equos et alia ex ea extrahere, quosdam canonicos et clericos Tholosanos in cathedrali ecclesia et ipsius claustro ac dicta domo graviter vulnerare, verberibus et aliis diversis afficere iniuriis non verentes, et facientes ecclesiarum domos cum magna diligentia custodiri, ne per aliquos ad eos possent vite necessaria introduci, de civitate ipsa dictos episcopum et clericos suos compulerunt exire, et prohibentes ibidem verbum Dei predicari publice vel audiri, de mandato tuo, ut asserebatur ab ipsis, priorem et conventum fratrum Predicatorum ex ea per violentiam expulerunt.

Matth. 12.44. — Luc. 2,8. — Iob. 26.13.

Tu vero, qui iuxta formam predictorum concilii et pacis ecclesias et viros ecclesiasticos defendere, iura et libertates ipsorum integre conservare, ac ad confutandos hereticos efficax prebere consilium, et eos capientibus certam solvere pecunie quanti-

a) *ita T.;* subdiaconum *Rayn.* b) ordinis *addidimus ex T.* c) facientes — expulerunt *ex T.*

1) *Romanum; primum ab Honorio III a. 1225, Febr. et iterum a Gregorio IX a. 1228, Mart. illuc missus fuerat, Potthast, Reg. 7358, 7360, 7361 et 8150.* 2) *a. 1229, April. 12; Vaissete, Hist. de Languedoc, ed. Tolosana a. 1879, t. VI, p. 632 et sequ.* 3) *a. 1229, Nov., ibid. p. 652.* 4) *Waltero, sub finem a. 1230 vel Ian. a. 1231, ibid. p. 665.* 5) *Iohanni, exeunte a. 1233 vel Ian. a. 1234, ibid. p. 675; cf. Potthast, Reg. 9365.* 6) *Raymundo.*

tatem, nec non magistris Tolose regentibus usque ad certum tempus annis singulis exhibere salarium, ac cum pluribus burgensibus et militibus terre tue in Terre Sancte transfretare subsidium iuramento prestito tenebaris, salarium ipsum predictis magistris, propter quod prefatum studium dicitur dissolutum, subtrahens et formas iniquas, statutis nostris et iuri contrarias, circa hereticorum inquisitionem ad eorum favorem postulans observari, inquisitionem hereticorum multipliciter impedis, et plures in terra tua hereticos condempnatos publice habitare permittis, et eis aliunde ad terram ipsam confugientibus securum refugium exhibens, suspectos et diffamatos de heresi consiliarios et familiares tecum habens, ipsos ad publica promovere officia [non dubitas nec][a] in premissis contra dicta statuta vel pacem ac prestitum[b] iuramentum venire; et sicut ex consideratione factorum tuorum conicitur, hereticorum fautorem, receptatorem, defensorem et eorum fautoribus non veritus te favorabilem exhibere, super hiis sepe monitus te corrigere non curasti; ex quo plures iniquitatis filii sumentes audaciam, nonnullos sacerdotes et alios viros catholicos, qui zelo fidei persequebantur hereticos, in iniuriam divini nominis occiderunt, multi etiam perditionis filii abnegata fide catholica se constituerunt hereticos, nonnulli contumelias et dampna gravia ecclesiis, ecclesiasticis ceterisque catholicis viris negotium fidei prosequentibus multipliciter intulerunt; tuque pluries requisitus vindictam iustitie noluisti in malefactores huiusmodi exercere.

Cumque propter quosdam de predictis et aliis excessibus in personam tuam et dictos consules tanquam hereticorum fautores venerabiles fratres nostri archiepiscopus Narbonensis[1], Carcassonensis[2] et Tolosanus episcopi et dictus frater W. auctoritate sua et nostra diversas excommunicationis sententias protulissent, et idem frater sententiam excommunicationis in ipsos a se latam per capellanos ecclesiarum et fratres Minores Tolosanos mandasset diebus dominicis et festivis publice nunciari, iidem consules, capellanis ipsis, quia firmiter proposuerant huiusmodi mandato parere, ex prefata civitate de nocte violenter expulsis, fratres ipsos, quia iuxta formam eiusdem mandati predictas sententias nunciarunt, exinde atrocibus minis expellere et quosdam ex ipsis verberare usque ad effusionem sanguinis presumpserunt. Quid plura? Tu et consules ipsi, ut divini nominis adversarios et fidei vos exhiberetis catholice inimicos, diversa banna et statuta, vel destitutiones potius edidisse, et ne quis coram inquisitore hereticorum compareret de fide sua vel alterius responsurus, sub pena rerum et corporum publice inhibuisse et alia plura fecisse dicimini, quibus fidei et pacis status evertitur et libertas ecclesiastica enervatur. Cum igitur, quo predicta in maiorem attemptata sunt perniciem fidei, eo minus a nobis debeant[c] sub silentio preteriri, mandamus, quatenus premissa omnia ad mandatum predicti legati per te corrigas et ab eisdem consulibus et aliis hominibus tuis potestate tibi tradita facias emendari, ac in dicte Terre Sancte subsidium cum eisdem burgensibus et militibus in proximo futuro Martio non differas te transferre, ibi iuxta formam pacis per quinquennium moraturus. Alioquin eidem legato nostris damus litteris in mandatis, ut te ac alios predictos ad premissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellat, et prefatas sententias in singulis sue legationis ecclesiis omnibus diebus dominicis et festivis pulsatis campanis et candelis accensis auctoritate nostra usque ad satisfactionem condignam faciat solenniter innovari.

Dat. Viterbii, IV Kal. Maii, anno X.

a) *tale quid deest ap. Rayn.; ap T:* promovere officia in premissis [non veritur *(sic)*, et] contra *etc.* b) *ita T.;* prepositum *Rayn.* c) *ita T.:* debent *Rayn.*

1) *Petrus.* 2) *Clarinus.*

689.

Gregorius IX papa [Sigefrido III] archiepiscopo Moguntino mandat, ut [Landolfo] electo Wormaciensi, si canonicum aliquod non obsistat, munus consecrationis impendat.
1236, Mai. 5.

Greg. IX Reg. Vol. V, 151; Lib. X, 69.
Potthast, Reg. 10157.

Archiepiscopo Maguntino.

Per litteras tuas, an ad consecrationem dilecti filii Warmaciensis electi procedere debeas, quesivisti. Cum igitur ad instantiam karissimi in Christo filii nostri Friderici Romanorum imperatoris etc. venerabilibus fratribus nostris .. Ildesemensi[1] et .. Ratisponensi[2] episcopis inquisitionem super quibusdam de prefato electo commiserimus faciendam[3], nec fuerit in ipsa processum, illo interim bonis episcopalibus spoliato, propter quod idem personaliter ad sedem apostolicam laboravit, fraternitati tue mandamus, quatinus ne Warmaciensis ecclesia taliter maneat destituta pastore, assumptis duobus vel tribus suffraganeis tuis eidem electo, si aliquid canonicum non obsistit, munus consecrationis impendas.

Dat. Viterbii, III Nonas Maii, anno X.

690.

Gregorius IX papa [Wilhelmo] episcopo quondam Mutinensi concedit, ut cum assensu [Hermanni Balk] praeceptoris et fratrum ordinis Teutonicorum in Prusciae partibus morantium ibidem dioceses limitare et tres de fratribus Praedicatorum episcopos instituere valeat. *1236, Mai. 30.*

Greg. IX Reg. Lib. X, 88. Edimus hanc epistolam ex Rayn. Ann. eccl. a. 1236, § 61, collatam cum Voigt, Cod. dipl. Prusc. t. I, p. 46, n. 47 [V.].
Potthast, Reg. 10173.

Episcopo quondam Mutinensi penitentiario nostro, apostolice sedis legato[a].

Cum exultatione spiritus intellecto, quod divina faciente potentia tantum de Pruscie partibus sit Christiano dominio subiugatum, ut ibidem possint limitari dioceses et episcopi institui ac eisdem congrue de bonis temporalibus provideri, presentium tibi auctoritate concedimus, ut Deum habendo pre oculis, de consilio et assensu dilectorum filiorum[b] preceptoris et fratrum hospitalis sancte Marie Theutonicorum in partibus illis morantium, in eisdem partibus limitare dioceses et tres de fratribus ordinis Predicatorum dumtaxat ibidem instituere valeas, ac eosdem etiam, adscito canonico episcoporum numero, consecrare.

Dat. Interamne, III Kal. Iunii, anno X.

a) *forma inscriptionis ex V.* b) *ita V.*, dilecti filii *Rayn.*

1) *Conrado II.* 2) *Sygefrido.* 3) *Cf. n. 659.*

691.

Gregorius IX papa Friderico Romanorum imperatori nuntiat se ad pacem promovendam [Iacobum] episcopum Praenestinum in Lombardiam destinasse, eius vero petitionem de dirigendo illuc [Alberto] patriarcha Antiocheno exaudire non potuisse; monet, ut [Hermannum] magistrum Teutonicorum pro concordia reformanda sine dilatione ad sedem apostolicam transmittat. *1236, Iun. 10.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 161; Lib. X, 103. Pertzii exemplar supplevimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1236, § 6.
Potthast, Reg. 10184.

Friderico, Romanorum imperatori semper augusto, Ierusalem et Sicilie regi illustri.

Accedentem ad sedem apostolicam dilectum filium magistrum Rogerium canonicum Salernitanum nuntium tuum benigne recepimus, et tam ea que idem coram nobis proponere voluit quam que tue littere continebant, intelleximus diligenter. Verum[a] cum olim ad nostram notitiam pervenisset, quod in Lombardiam processus suos imperialis celsitudo dirigeret, nos illum, qui sola Deo placita efficere ac omni personarum acceptione remota pacem desideraret et concordiam promovere, illuc dirigere cupientes, venerabilem fratrem nostrum episcopum Prenestinum ad partes Lombardie de fratrum nostrorum consilio providimus destinandum; de quo firmam potes fiduciam gerere, quod cum a se sua et suos propter Deum abdicaverit et semetipsum eius servitio totaliter dedicarit, ad ea dumtaxat studebit procedere, quibus honorem ecclesie possit ac imperii confovere, sicut ex ipsius operibus colligere poteris evidenter; et si qui[b] aliud suggerant, imperialis excellentia auditum malevolis interdicat. Tandem vero litteris tuis receptis, petitionem tuam de mittendo ad partes ipsas venerabilem fratrem nostrum . . patriarcham Antiochenum propter ea que premisimus nequivimus exaudire. Ad hec, cum plurimum honori tuo expedire credatur, ut adventum tuum dilectus filius . . magister hospitalis sancte Marie Teutonicorum Ierosolimitane precedat, excellentiam tuam monendam duximus attentius et hortandam, quatinus magistro iniungens eidem quod faciem tuam itinere festinato preveniens ad nostram venire presentiam non postponat, ipsum nobiscum de hiis, que ad honorem ecclesie et imperii pertineant, tractaturum sine dilatione transmittas. Credimus enim, si nostris detur stare consiliis, ea nos Deo adiuvante disponere, quibus confusis pacis emulis concordia inter ecclesiam et imperium reformata indissolubiliter valeat observari.

Dat. Interamn. IIII Id. Iunii, anno decimo.

692.

Gregorius IX papa [Hermanno] magistro Teutonicorum scribens miratur, unde suspicetur, quod contra imperatorem procedere velit; pergens ei verbis mutatis idem quod imperatori in epistola praecedenti exponit. *1236, Iun. 10.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 161; Lib. X, 104.
Potthast, Reg. 10179; sed male sub Iun. 1.

a) Verum — interdicat *ex Rayn.* b) quid *Rayn.*

Magistro hospitalis sancte Marie Teutonicorum.

Ab arbore fici edisserens parabolam Dominus, cum eius ramos teneros et nata folia iam videmus, esse docet estatem in ianuis, presumptiones prohibens et locum auferens coniecturis, quas nec solita signa preveniunt et communiter accidentia non precedunt. Porro cum in singularibus et futuris indeterminata sit veritas, non debet suspitio mentes inquietare discretas, que tunc rectius de prudenti corde repellitur, cum ipsam exitus habere contrarios opera preterita protestantur. Cum enim nobis pluries litteris tuis, ne contra carissimum in Christo filium nostrum Fridericum Romanorum imperatorem etc. procedamus, suggesseris, mirari compellimur, nescientes unde quod contra eum velimus procedere, suspicaris, quia nec ex tenore litterarum nostrarum quibus ipsum ad reformandam pacem cum Lombardis monuimus colligi, nec ex processu nostro aliud potuit demonstrari, nisi quod salvo honore ecclesie exaltationem ipsius et imperii studuerimus promovere, ab illorum relatibus, qui ad depressionem ipsius suum direxere propositum, nostrum sicut bene nosti penitus avertentes auditum. Ex quo convenit, ut de illo, qui favorabilis hactenus fuisse dinoscitur, talia minime presumantur. Ad hec ante receptionem imperialium litterarum de fratrum nostrorum consilio disponentes, ut venerabilis frater noster . . Prenestinus episcopus, qui mundi vanitatibus abdicatis sola Deo placita efficere, qui omni personarum acceptione remota pacem desiderat et concordiam promovere, et de quo imperiali celsitudini fiducialiter suggeras, ut ab ipso omnem rancorem suspitionis avertat, in Lombardiam ad dandum super pace opem efficacem et operam transmittatur, imperatorem eundem super mittendo illuc venerabilem fratrem nostrum . . patriarcham Antiochenum non potuimus exaudire. Verum cum idem imperator ad partes ipsas in proximo dicatur esse venturus, per apostolica tibi scripta mandamus et bona fide consulimus, quatinus faciem eius itinere festinato preveniens ad nostram venire presentiam non postponas, nobiscum super hiis, que ad honorem ecclesie ac imperii pertineant, tractaturus. Credimus enim, secundum quod tuis nobis litteris intimasti, tecum ea Deo adiuvante disponere etc. ut supra usque in finem.

Matth. 24.32.

Dat. ut supra.

693.

Gregorius IX papa praelatis Lombardiae, marchiae Tervisinae et Romaniolae infra enumeratis mandat, ut [Iacobum] episcopum Praenestinum legatum suum, quem ad eos pro incremento libertatis ecclesiasticae, statu imperii et praecipue dictarum provinciarum reformando, pravitate haeretica abolenda et negotio Terrae Sanctae procurando miserit, devote recipiant. — Idem fere scribit comitibus, marchionibus aliisque ibidem constitutis.

1236, Iun. 10.

Greg. IX Reg. Vol. V, 161—162; Lib. X, 105 et 106. Nonnulla menda correximus ex epistola n. 701 [A], quae eundem fere tenorem habet.

Potthast, Reg. Add. I, 10184; epistolas eandem formam ac n. 691 habere putavit.

I.

Aquilegensi[1] et Gradensi[2] patriarchis, . . Mediolanensi,[3] . . Ravennati[4] et . . Ianuensi[5] archiepiscopis eorumque suffraganeis, ac . . Papiensi[6], . . Placentino[7] et . . Ferrariensi[8] episcopis et abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, archipresbiteris, prepositis et aliis ecclesiarum prelatis per eorum civitates et dioceses constitutis.

Nescit circa filios patris utiari[a] benignitas, set in amore semper incrementa suscipit ac eorum continuis vacare profectibus non desistit. Sic et nunc conditor singulorum sicut a diebus antiquis, si tamen cineris ad Deum et facture sit comparatio ad factorem, quos ad ymaginem et similitudinem suam condidit ac unigeniti sui sanguine pretioso redemit, superhabundanti benedictione prosequitur et a periculorum incursibus pretuetur, ipsis assidua salutis procurando remedia, per que et in presenti quietis solatio foveantur et inposterum felicitatis eterne dulcedine satientur. Sane idem per eundem unigenitum, qui cum esset in terris pro humani salute generis constitutus, innumeris miserationum operibus populorum multitudinem multiformiter recreavit, de ineffabili pietate providit, ut quia ipso ad patris gloriam redeunte tenebrarum princeps multis erat tentationum aculeis renatos fonte baptismatis turbaturus, vicarium[b] in terra relinqueret et singulari potestate preditum et remediorum multitudine preminenti dotatum, cuius et ceterorum, quos apostolice pretulit excellentia[c] dignitatis, sollicitudine vigilanti pax orbi terre fieret et ad celi proficiendi patriam plena possibilitas proveniret. Nunc vero illo sedente ad dexteram magestatis, dat per eos, qui dispositione divina sunt ad sponse precellentis obsequium, videlicet sancte matris ecclesie, deputati, ut doctrina virtutum cunctis reddatur amica fidelibus, pax eisdem adveniat et incumbat desiderium consequendi premia supernorum. Hinc est, quod cum Lombardie, marchie Tervisine et Romaniole provincie fuerint nobis dolentibus dudum in dissidii constitute discrimine, quare plura quam deceat explicari litteris accidisse pericula dinoscuntur, nos, sicut confidimus illius inspiratione spiritus faciente, qui sanctis dedit apostolis mundum posse dirigere in status gloriam salutaris, digne providimus, ut illuc unum de dignioribus membris ecclesie, videlicet venerabilem[d] fratrem nostrum episcopum Prenestrinum apostolice sedis legatum, qui a longis retro temporibus sibi pro thesauro eligens que sunt carnis et seculi a se penitus abdicari, in divini timore ac amore nominis haberi studuit non remissus, concesso sibi plene legationis officio, mitteremus, sperantes ut quo superno regi pie vite meritis gratior esse dinoscitur, eo que sunt salutis et gratie facilius et felicius operetur. Rogamus itaque universitatem vestram et hortamur in domino Iesu Christo, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus per opera gratitudinis explicare solliciti, quanta vobis circa Deum sit fidei puritas ac devotionis sinceritas erga sedem apostolicam continuis honoribus per fidelium multitudinem attollendam, predictum episcopum, in quo personam nostram recipi volumus et filiali reverentia pertractari, quasi pacis angelum devote ac ilariter admittentes, ipsum omni quo scitis et potestis honore prosequi[e] sollicita diligentia procuretis, et[f] sibi super hiis, que ad honorem Dei et ecclesie ac libertatis ecclesiastice faciunt incrementum, nec non ad ea per que status imperii et precipue dictarum provinciarum valeat salubriter faciente Domino reformari, ac super

a) *i. e.* otiari. b) *ita A.*: quod vicarium *R.* c) *ita A.*: et excellentia *R.* d) venerabilem *deest in R.* e) *ita A.*: prosequi *deest in R.* f) *ita A.*: et *deest in R.*

1) *Bertholdo.* 2) *Angelo.* 3) *Guillelmo.* 4) *Theoderico.* 5) *Ottoni III.* 6) *Rodobaldo.* 7) *Aegidio.* 8) *Rolando.*

pravitatis heretice maculis abolendis et etiam Terre Sancte negotio, quod sibi tanto specialius procurandum commisimus, quanto ad promotionem illius nos pre cunctis teneri viventibus reputamus, efficaciter intendatis, scituri quod per hoc et gratiam superne benedictionis aquiritis, et nos vobis non modicum ad condigne retributionis premium laudabiliter obligatis. Alioquin sententiam, quam ipse tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctore Domino inviolabiliter observari.

Dat. Interamn. IV Idus Iunii, anno decimo.

II.

Comitibus, marchionibus, potestatibus, consiliis et communitatibus per Lombardiam, marchiam Tervisinam et Romaniolam constitutis.

Patris eterni filius, redemptor dominus Iesus Christus, qui cum esset in terris pro humani salute generis constitutus, innumeris etc. usque: proveniret. Nunc vero sedens ad dexteram maiestatis etc. usque in finem ut in alia.

Dat. ut supra.

694.

Gregorius IX papa Fridericum Romanorum imperatorem rogat, ut nepotem regis Tunici ad sedem apostolicam pro recipiendo baptismi sacramento accedere volentem sed iniuste in regno detentum dimitti faciat. *1236, Iun. 23.*

Greg. IX Reg. Vol V, 168; Lib. X, 125.
Potthast, Reg. 10198, sub Iun. 24.

Friderico, Romanorum imperatori etc.

Quidam nepos[1] regis Tunici[2], apertis in agnitionem veritatis intelligentie sue oculis colirio verbi Dei, ad nostram pro recipiendo baptismi sacramento presentiam accedebat. Set cum intellexissemus eundem captum ac detentum a tuis, pro liberatione ipsius direximus detentoribus scripta nostra, mandantes ut cum in tribus anni festivitatibus excommunicatos denuntiemus publice omnes illos, qui spoliant vel capiunt seu detinent ad sedem apostolicam accedentes et redeuntes ab ipsa[3], eum restituerent libertati. Verum cum ipsi mandatis non duxerint obsequendum, quia non decet imperialem excellentiam factum huiusmodi tolerare, utpote quod in Creatoris redundat iniuriam et manifeste fidei obviat et saluti, serenitatem tuam rogamus et hortamur attentius, quatinus quid fame tue expediat, quid honori prudenter attendens, cum nichil hoc esset aliud quam profectus fidei impedire, prefati regis nepotem dimitti facias nec impediri permittas, quominus ad nos accedere valeat libere ac secure. Quod autem idem religionem nolit[a] assumere ac alia, que de ipso sicut accepimus tue magnitudini sunt relata, noveris penitus esse falsa[4].

Dat. Interamn. VIIII Kal. Iulii, anno decimo.

---

[a]) velit *R.; cf. Huillard-Bréholles, l. c. t. V, p. 255, ubi imperator dicit:* diligenter quesitus, si baptizari velit, omnino negat.

1) *Abdul-Aziz nomine; Winkelmann, Fried. II, t. II, p. 108, not. 3.* 2) *Yahia-Abu-Zakaria.* 3) *Cf. n. 306.* 4) *Quid imperator responderit, colligas ex n. 700 et 703.*

695.

Gregorius IX papa [Iacobo] episcopo Praenestino mandat, ut si in curia imperatoris praesens fuerit, detractores ecclesiae revincat, sin vero ibidem adesse non possit, hanc sollicitudinem [Gualae] episcopo Brixiensi vel G[regorio] subdiacono aliisve imponat; mittit ei scripta, in quibus gravamina ecclesiis regni Siciliae et quibusdam aliis illata contineantur.

1236, Aug. 17.

Greg. IX Reg. Vol. V, 186; Lib. X, 195.
Potthast, Reg. Add. I, 10227a—26265.

.. episcopo Penestrino, apostolice sedis legato.

Qualiter super negotio Lombardie venerabilibus fratribus nostris .. Mediolanensi[1] et .. Ravennati[2] archiepiscopis et suffraganeis eorum scribamus[3], in litteris, quas ad eos dirigimus, videre poteris evidenter. Ceterum de tue circumspectionis prudentia spem certam et indubitatam fiduciam obtinentes speramus, immo probabili presumptione tenemus, quod cum linguam tibi dederit Dominus eruditam nec sit in (2. Tim. 2,9) ore tuo verbum Domini alligatum, ut scias contradictores revincere, si in curia carissimi in Christo filii nostri Friderici etc. presens fueris, omnia divina gratia suffragante ad honorem Dei et ecclesie ac bonum statum imperii discretione ac maturitate previa prosequaris. Si vero casu aliquo in eadem curia te contigerit non adesse, ne Romana ecclesia inexcusata remaneat, quam rerum gestarum veritas sufficienter excusat, venerabili fratri nostro Brixiensi episcopo seu dilecto filio G. subdiacono et capellano nostro, quibus super hoc dirigimus scripta nostra[4], vel alicui archiepiscoporum seu suffraganeorum ipsorum, prout magis expedire videris, cum eorundem archiepiscoporum et suffraganeorum consilio sollicitudinem huiusmodi laboris imponas; proviso prudenter ut si in tantum ebullierit aliquorum procacitas detractorum, quod dictus imperator vel sui aperte, quod non credimus, in detractionem ecclesie aperuerint ora sua, ut detractionum iaculis velut silicis vel adamantis illisione, videlicet veritatis ratione, retunsis, puritas ecclesie clarius eniteseat, inspectis scriptis et litteris, que nuper devotioni tue transmisimus et que tibi sub bulla nostra mittimus interclusa, in quibus gravamina illata ecclesiis et personis ecclesiasticis regni Sicilie et quibusdam aliis continentur[5], quorum quedam secundum formam pacis inter eundem imperatorem et ecclesiam reformate[6] infra tres menses a tempore facte monitionis, si esset in regno, et extra regnum in Ytalia infra quatuor, ac extra Ytaliam infra quinque menses debuerat revocasse, et si monitus infra statutos terminos huiusmodi non revocaret gravamen, incurreret certam penam, omni cautele studio et diligentie maturitate servatis ac deliberatione prehabita diligenti, si opus fuerit et magna necessitas id exposcat, omnia deducantur in medium, et qualiter fides Deo et ecclesie sit servata, in excusationem ecclesie proponatur. Tu vero tamquam vir virtutis et gratie sic verbo et opere cum protestatione iuris et honoris imperii discrete ac circumspecte te habeas, quod nulla ex actibus tuis possit contra ecclesiam iusta occasio detractionis assumi. Confidimus autem in Domino et in potentia virtutis eius speramus, quod eo gressus tuos (Num. 21,22.) feliciter dirigente sic via regia studebis incedere, quod Deo ad gloriam, ad exaltationem ecclesie et ad honorem nominis tui cedet.

Dat. Reate, XVI Kal. Septembris, pontificatus nostri anno X.

---

1) *Wilhelmo.* 2) *Theoderico.* 3) *n. 699.* 4) *n. 696 et 698.* 5) *n. 700.* 6) *Cf. litteras principum imperii a. 1230, Iul. 23 datas; LL. t. II, p. 270.*

696.

Gregorius IX papa [Gualae] episcopo Brixiensi mandat, ut cum in curia imperatoris fuerit, detractores ecclesiae revincat. Cf. n. 695.

1236, Aug. 17.

Greg. IX Reg. Vol. V, 186; Lib. X, 196.

. . episcopo Brixiensi.

Qualiter super negotio Lombardie etc. ut supra usque: revincere[a], fraternitati tue per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatinus, sicut apostolice sedis et nostram gratiam caram habes et proprium zelaris honorem, cum fueris in curia karissimi in Christo filii nostri Friderici etc., si forte idem imperator vel alii publice vel latenter temptaverint ecclesie Romane detrahere, tanquam filius benedictionis et gratie, qui matris tue teneris iniuriam propulsare instructus tam ex hiis que in eisdem litteris continentur quam alias, prout honori ecclesie videris expedire, spiritu fortitudinis roboratus assumens verbum pro omnibus, ut quasi omnes loquantur per unum, contra detractores ecclesie viriliter te opponas ac malignantium calumpnias secundum datam tibi a Deo gratiam veritatis ratione revincas, ita quod diligentie tue studium titulis prompte devotionis accrescat, et nos circumspectionis tue prudentiam possimus in Domino merito commendare.

Dat. ut supra.

697.

Gregorius IX papa [Guillelmo] archiepiscopo Mediolanensi et suffraganeis eius mandat, ut cum in curia imperatoris fuerint, unum ex suis, quem ad hoc magis idoneum noverint, assumant, ut detractores ecclesiae revincat. Cf. n. 695.

1236, Aug. 17.

Greg. IX Reg. Vol. V, 186; Lib. X, 197.

. . archiepiscopo Mediolanensi et suffraganeis suis.

Qualiter super negotio Lombardie vestre devotioni scribamus, ex transmissis ad vos litteris colligere poteritis evidenter. Ceterum quia etc. ut supra usque: obtinemus[b], ne quid in commisso vobis negotio inordinatum fieri contingat, set omnia discretione ac maturitate previa ad honorem Dei et ecclesie vestra circumspectio prosequatur, mandamus, quatinus unum ex vobis, quem ad hoc magis idoneum esse noveritis, assumatis, ut cum fueritis in curia etc. usque: detrahere, instructus a vobis tam ex hiis que in eisdem litteris continentur etc. usque: veritatis ratione revincat, ita tamen quod omnia de consilio venerabiis fratris nostri . . episcopi Penestrini, legati sedis apostolice, disponantur.

Dat. ut supra.

In eundem modum . . archiepiscopo Ravennati et suffraganeis suis.

[a]) *sed* verbis competenter mutatis *addendum est; nam sic credimus legendum:* usque: evidenter. Ceterum quia de tue — alligatum, scias contradictores revincere. [b]) *ubi in n. 695 legitur:* obtinentes.

698.

Gregorius IX papa Gregorium subdiaconum de mandato in priori epistola contento certiorem facit, eique iniungit, ut si quis illorum negligens fuerit, ipse hunc laborem assumat. Cf. n. 695. *1236. Aug. 17.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 186; Lib. X, 198.

Gregorio subdiacono et capellano nostro.

Qualiter super negotio Lombardie venerabilibus fratribus nostris . . Mediolanensi et . . Ravennati archiepiscopis et suffraganeis eorum scribamus, in litteris, quas ad eos dirigimus, videre poteris evidenter. Ceterum, ne quid in commisso eis negotio etc. ut supra usque in finem, verbis competenter mutatis. Ne vero predictis archiepiscopis et suffraganeis negligentibus Romana ecclesia inexcusata remaneat, quam rerum gestarum veritas sufficienter excusat, in defectu[a] aliorum nullo sollicitudinem huiusmodi assumente, tamquam filius benedictionis et gratie, qui matris tue teneris iniuriam propulsare, laborem proponendi et resistendi diligentiam constanter assumas, ita quod sollicitudinis tue studium titulis prompte devotionis accrescat, et nos circumspectionis tue prudentiam possimus in Domino merito commendare.

Dat. ut supra.

699.

Gregorius IX papa [Guillelmo] archiepiscopo Mediolanensi et suffraganeis eius enarrat, quid pro pace Lombardiae et negotio Terrae Sanctae egerit; mandat iis, ut cum in curia imperatoris fuerint, haec ad excusationem ecclesiae eidem exponant, eumque moneant, ne contra [Iacobum] episcopum Praenestinum moveatur, quod pacem inter cives Placentinos reformaverit, cum hac re imperii iura non violaverit. Cf. n. 695.

1236. Aug. 19.

Greg. IX Reg. Vol. V, 185—186; Lib. X, 194.
Potthast, Reg. 10228; cf. Add. I. p. 2107.

. . archiepiscopo Mediolanensi et suffraganeis suis.

Quam intentionem in negotiis karissimi in Christo filii nostri Friderici etc. et specialiter in negotio Lombardie gesserimus hactenus et geramus, is novit plenius,
Psal. 32.15. qui finxit corda hominum singillatim, licet forsan aliqui corde perversi ab incentore malorum omnium instigati contrarium asseverent. Sane[1] dudum eiusdem imperatoris nobis litteris presentatis, in quibus de principum sollempni consilio super eodem negotio Lombardie iuxta formam compromissi, quam ab eo receperamus in Tuscia, precise in manibus ecclesie se ponebat, ita tamen quod negotium ipsum ad honorem suum et imperii commodum usque ad proximo nunc[b] preterite nativitatis Dominice terminum compleretur: quia in litteris ipsis talis erat adiecta conditio, per quam compromissum penitus tollebatur, et non videbatur infra prefixum terminum tantum posse negotium terminari, nos eundem imperatorem, ut super ipso negotio se iuxta premissam formam precise et sine conditione aliqua in manibus ecclesie poneret, per

a) defectum *R.* b) tunc *R.*

1) *Cf. n. 657.*

dilectum filium . . magistrum hospitalis sancte Marie Teutonicorum fecimus ammoneri; qui ob id a predicto imperatore ad nostram presentiam destinatus, quia Lombardi diutius expectati nuntios suos ad nos super hoc infra datum sibi terminum non miserunt, dicto negotio imperfecto recessit. Cumque infra paucos dies post recessum ipsius ambassatores Lombardorum ad sedem apostolicam accedentes se legitimo fuisse impedimento detentos constanter assererent, et se ad compromittendum in nos precise paratos offerrent, nos, cupientes iuxta officii nostri debitum pacis comodum procurare, predictum compromissum recepimus et prefatum magistrum ad nos duximus revocandum; qui ab imperatore vocatus ad eius presentiam est reversus. Unde cum olim ad instantiam ipsius imperatoris de consilio fratrum nostrorum, trium patriarcharum et prelatorum omnium, qui tunc erant apud sedem apostolicam constituti, negotium Terre Sancte duxerimus assumendum, providentes ut orbis terre discordes ad treuguam vel concordiam cogerentur, et quod erant ad hoc aliqui ex magnis terre principibus iam compulsi, quinimmo rex Navarre[1], multi nobiles et potentes crucis signaculum per Dei gratiam receperunt: ipsum imperatorem tam per litteras quam per venerabiles fratres nostros . . Maguntinum et . . Treverensem archiepiscopos, . . Ratisponensem et . . Ildesemensem episcopos ac eundem magistrum moneri fecimus diligenter[2], ut ne dicte terre negotium, quod ad utilitatem ecclesie, imperii et totius populi Christiani fuerat ordinatum, quod absit, impediri contingeret, dictum magistrum cum pleno mandato de compromittendo super premissis precise in manibus nostris ad nos sine more dispendio destinaret; sciturus quod si contra Lombardos, maxime cum se precise in manibus ecclesie posuissent, hoc potissimum tempore procedere moliretur, tantam exempli perniciem aliis tribuendo, per quam presumi posset a pluribus, quod ceteros ecclesia fefellisset, id pati equanimiter eandem ecclesiam non deceret, presertim cum super negotio, in quo de tanta gloria Redemptoris agitur, acceptio personarum haberi non debeat, nec aliquid perpeti nos deceret, per quod processus eiusdem negotii posset aliquatenus impediri. Ceterum imperialis celsitudinis responsione pendente, nuper audito quod versus Lombardiam dirigeret gressus suos, antequam ad nos de legato petendo ipsius littere pervenissent[3], ad liberationem Terre Sancte totis affectibus aspirantes, de fratrum nostrorum consilio venerabilem fratrem nostrum . . episcopum Penestrinum, virum utique approbatum, qui a longis retro temporibus que sunt carnis et seculi a se penitus abdicatis, non remissus haberi studuit in timore divini nominis et amore, et qui omni personarum acceptione remota pacem desiderat et concordiam promovere, ad partes illas quasi pacis angelum providimus destinandum, ea sibi promovenda specialiter committentes[4], que ad honorem Dei et ecclesie ac libertatis ecclesiastice faciunt incrementa, illa quoque per que status imperii et precipue Lombardie, marchie Tervisine et Romaniole posset auctore Domino salubriter reformari, nec non et abolere maculas heretice pravitatis, ac negotium Terre Sancte, quod sibi tanto specialius procurandum commisimus, quanto ad promotionem illius nos teneri pre cunctis viventibus arbitramur.

Quia vero adhuc non desunt, qui inter sanctum et prophanum minime discernentes nituntur zizania seminare, et ut possint irrogare iniurias, pacem turbant, fraternitatem vestram, de qua indubitatam fiduciam obtinemus, monendam duximus et hortandam, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus, sicut habetis caram gratiam apostolice sedis et nostram, in unum vobis omnibus congregatis, secundum datam vobis a Deo prudentiam ex hiis que premisimus et aliis prout expedire videritis prudenter vos invicem informantes, nostri animi puritatem ad excusationem nostram et ecclesie iamdicto imperatori, cum in curia sua fueritis, omnes unanimes pari voto et

1) *Theobaldus.* 2) *n. 678.* 3) *Cf. n. 691 et 692.* 4) *Cf. n. 693.*

voce concordi fideliter exponatis. Nec moveatur imperialis serenitas nec turbetur, si inter cives Placentinos pax extitit reformata[1], quia cum idem legatus pro reformatione pacis inter cetera fuerit destinatus, si eo qui est pax nostra misericorditer inspirante quod[a] pax discordantibus reddebatur, ipse vocatus ab eis interponere partes suas ad bonum pacis iuxta officii sui debitum denegasset, fuisset iniunctum sibi officium non absque peccati macula et inobedientie nota transgressus, quin potius videretur pacem, que ipso non procurante fiebat, in anime sue periculum impedire; et tamen quicquid in reformatione pacis huiusmodi factum fuit, totum factum est imperatoris et imperii iure salvo. Ecce enim in ore vestro dedimus verba nostra, ut hiis, qui latenter vel publice temptaverint ecclesie puritati detrahere, vos, sicut filii qui matris vestre iniuriam tenemini propulsare, prout expedire videritis honori ecclesie, tam verbo quam opere viriliter opponentes, sic discrete et circumspecte procedatis in omnibus, cuncta de ipsius legati consilio disponendo, imperiali excellentie fiducialiter suggerentes, ut ab ipso legato rancorem omnem suspitionis avertens, eum tanquam honorabile apostolice sedis membrum studeat prout decet imperialem magnitudinem honorare, quod diligentie vestre studium titulis vestre devotionis accrescat, et nos circumspectionis vestre prudentiam possimus in Domino merito commendare.

Dat. Reate, XIIII Kal. Sept. anno decimo.

In eundem modum . . archiepiscopo Ravennati et suffraganeis suis.

700.

Series gravaminum ecclesiae contra imperatorem, quam papa episcopo Praenestino transmisit. Cf. n. 695.

Greg. IX Reg. Vol. V, 1. Ut V. Cl. A. Mau quaerentibus nobis communicavit, haec series et n. 702 f. 1 leguntur, f. 1'—7 index Lib. IX sequitur, f. 7'—8' vacua sunt, f. 9 prima epistola Lib. IX incipit; f. 1—8 quaternionem fuisse putat, id quod cum volumen a bibliopego arte constrictum sit, pro certo dici nequeat. Ex quo sequitur, hoc scriptum ad Lib. IX non pertinere, sed postea in Reg. relatum esse. Id hoc loco inserendum apparet ex eo quod imperator in n. 701 ad omnia gravamina, quattuor tantummodo exceptis, per ordinem respondet. Eandem seriem, nonnullis gravaminibus auctam, nonnullis deminutam, papa a. 1238 Herbipolensi, Wormatiensi, Vercellensi et Parmensi episcopis transmisit, ut imperatorem rationem de iis reddere iuberent, qua de re vide eorum relationem a. 1238, Oct. 28 papae directam in Matth. Par. Chron. maior. ed. Luard, t. III, p. 551—562; cf. etiam Winkelmann, Fried. II. t. II, p. 100 et sequ.

In regno ecclesie per ministros imperiales nudantur privilegio libertatis.

Item ecclesie spoliantur bonis sacris usibus deputatis.

Item prelati et subditi exulare coguntur et carceri mancipantur.

Item in foro seculari respondere ac tallias solvere compelluntur.

Item, ut a vexationibus se redimant, compelluntur bona ecclesiastica exaurire.

Item non permittitur, ut provideatur de pastoribus ecclesiis viduatis.

Item per impressionem officialium imperialium rectores ecclesiis preponuntur et, quod est deterius, rectores ab ecclesiis suis eiciuntur a laicis et alii substituuntur.

Item unus clericus est taliter assecutus duodecim ecclesias in episcopatu Teanensi, et idem totidem vel plures habet in diversis aliis episcopatibus[2].

a) quod *deest in R.*

1) *Mense Iul., unde civitas imperatori rebellis facta est; cf. Ann. Plac. Gib. a. 1236, SS. t. XVIII, p. 173.* 2) *Ad id imperator in n. 701 non respondet.*

Item oppressione officialium seviente predicatio pro fide et subsidio Terre Sancte prohibetur, quare heresis pululat et fides perit.

Item de ecclesiarum lapidibus Agarenorum gimnasia construuntur[1].

Item Christiani paganorum dominio subiugantur.

Item in regno contra pacis federa nobiles castris et bonis propriis spoliantur.

Item eorum uxoribus et liberis captivatis, loca sua tanquam proscripti relinquere compelluntur.

Item in aliorum transire coloniam compelluntur et ad extremam inopiam devenire.

Quod fiat iustitia Beneventanis coram arbitris et interim non offendantur.

Quod a comite Tolosano, qui excommunicatus est et quasi pro heretico habitus, nullum auxilium requirat, ne notam alicuius possit suspitionis incurrere.

Quod Alatrinus subdiaconus et capellanus suis est beneficiis spoliatus, et magister Iohannes de Sancto Germano[2] spoliatus est beneficio suo.

Quod ecclesias civitatis Sorane reparari permittat.

De castro Montis Regalis destructo, quod fuit constructum a rege Willelmo ad tuitionem ecclesie.

De restituendis bonis[a] ecclesie Montis Regalis.

De ecclesia Cathaniensi[3].

De ecclesia Squillacensi, cuius bona fere omnia sunt occupata.

De ecclesia Cephaludensi et episcopo eius eiecto.

De ecclesia Melfiensi.

De monasterio sancti Iohannis in Lamis[4], cui fere ablata sunt omnia que habuit.

De monasterio Terre Maioris[5], quod omnino est destructum.

De monasterio Mileti[6].

De monasterio sancte Eufemie[7].

De hominibus ablatis universis ecclesiis per iniustas inquisitiones.

De prelatis ecclesiarum et abbatibus Cisterciensis et aliorum ordinum, qui coguntur per singulos menses dare certam summam pecunie pro constructione novorum castrorum.

De possessionibus fere universis ecclesiis ablatis.

De ecclesiis et beneficiis subtractis clericis occasione tertiarie, et quod pertineant ad collationem principis, qui ea canonice fuerunt adepti.

De personatibus, qui dantur indignis et iuvenibus, qui non faciunt residentiam.

Quod prelati non audent procedere contra usurarios occasione constitutionis imperialis.

De episcopo Giracensi[8], qui fuit scutifer camerarii et factus est episcopus et simul accepit omnes ordines et nondum pervenit ad tricesimum annum.

De quatuordecim clericis de castro Averse expulsis, et quod ecclesia, in qua erant, data est scutifero magistri Iohannis de Lauro[9].

Quod in ecclesiis vacantibus de mandato imperiali conceduntur primo et secundo vacature.

De Iudeis[b] ablatis quibusdam ecclesiis.

a) bonis *deest in R.* b) Iudecis *R.*

1) *Cf. n. 494.* 2) *ut p. 596, not. 2.* 3) *ut not. 2.* 4) *sancti Iohannis Rotundi in Capitanata, dioc. Sipontina.* 5) *Torre Maggiore ibidem, dioc. San Severo.* 6) *in Calabria ulteriore prope Tropaeam.* 7) *ibidem prope Nicastro. Imperator in n. 701 de 'monasteriis' Mileti et sanctae Eufemiae loquitur, a. 1238 autem de 'ecclesiis'.* 8) *Giracium, hodie Gerace, in ea Calabriae parte, quae ad meridiem et ortum solis spectat.* 9) *ut not. 2.*

Quod episcopi non permittuntur facere notarios publicos, sicut consueverunt.

Quod in terris noviter constructis non permittuntur edificari ecclesie.

Quod multe ecclesie a fundamentis sunt dirute.

De archidiacono Salernitano sine causa expulso.

De filio[1] regis Tunici liberando, qui veniebat ad apostolicam sedem recepturus baptismatis sacramentum, qui in iniuriam fidei catholice et contemptum ecclesie Romane captivus tenetur; quia quod suggestum fuit de rege Tunici, quod motus esset contra fratres Minores et alios religiosos et Christianos pro nepote suo, qui dicebatur abductus, verum non fuit, set omnes illi sunt in regno suo in pace.

701.

Fridericus Romanorum imperator Gregorio IX papae scribens miratur, quod cum ipsum rogaverit, ut contumaciam Lombardorum per censuram ecclesiasticam coerceret, per G[regorium] de Romania capellanum, eius nuntium, quasdam petitiones de violato iure ecclesiarum regni Siciliae aliisque rebus pro responso receperit. Contra omnia crimina per ordinem se defendit, nuntians, cum curia, quam Melfiae congregari iusserit, per quorundam astutiam impedita fuerit, se tam [Thomae de Aquino] comiti Acerrarum et [Henrico de Morra] magistro iustitiario quam familiaribus suis[2] mandare, ut curia solemni denuo congregata querelas audiant iisque finem debitum imponant. Denique monet, papam defectum aliquem circa restitutionem libertatum et iurium causari non debere, cum ipse Civitatem Castellae contra commune fratrum suorum consilium et conscientiam suam restituere sibi denegaverit[3]. *1236, Sept. 20.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 198–200; Lib. X, 250.
Bohmer-Ficker, Reg. Frid. II, n. 2197.

702.

Gravamina imperatoris contra papam et argumenta, quibus papa se expurgat.

Greg. IX Reg. Vol. V. 1. Hoc scriptum in Reg. post n. 700 legitur, a quo in apographo Pertzii linea tantum separatum est. Id hoc loco inserendum credimus: nam 1) nihil in eo commemoratur, quod, quoad scimus, post aestatem a. 1236 factum est, 2) cum, ut ex n. 703 comperimus, imperator c. Sept. praeter n. 701 aliam epistolam papae direxerit, in qua inter cetera de processu episcopi Praenestini conquestus est, valde nobis probabile est eum ibidem alia quoque gravamina, quae eo tempore contra ecclesiam habuit, quasi gravaminibus ad gravamina respondendo, enumerasse. His litteris receptis papam Gregorio de Romania vel alii nuntio apud imperatorem commoranti hoc scriptum ad expurgationem ecclesiae transmisisse rebus optime convenit.

De repetitione Civitatis Castelle[3].

Imperator iuravit hanc et alias possessiones defendere contra omnes homines et, si qua possessionum ad manus deveniret ipsius, restituere.

---

1) nepote *recte infra et in n. 701 et 694.* 2) *Scil. Panormitano et Capuano archiepiscopis, qui cum praedictis a. 1235–1239 in absentia imperatoris procurationem regni habebant. Num episcopus Ravellensis, qui ab a. 1237 tertius familiarium nominatur, iam hoc tempore in numero eorum referri debeat, non constat: cf. Winkelmann in Forsch. z. deutschen Gesch. t. XII, p. 552.* 3) *Cf. Winkelmann, Fried. II. t. II, p. 111 et Ficker, Ital. Forsch. t. II, 135.*

De molestatione abbatis Sancti Vincentii[1].

Abbatem Sancti Vincentii vocavit dominus papa accusatum a monachis super dilapidatione et aliis excessibus, non retribuens ei malum pro eo quod imperatori adheserat.

De restitutione ablatorum cuidam Ferentinati[2].

Homini Ferentinati precepit sua restitui.

De impediendo iure, quod habet imperator in electionibus regni.

Paratus est dominus papa servare formam, que facta est super electionibus regni inter dominos Innocentium et Honorium Romanos pontifices et imperatorem[3].

De revocatione sententie interdicti, quod tulerat archiepiscopus Ravennas[4] in terra Syrie.

Sententia interdicti revocata fuit propter periculum terre, et quia parati erant probare post appellationem legitimam latam fuisse[5].

De favore dato patriarche Ierosolimitano[6] ab ecclesia Romana.

Propter imperatorem, quia videbatur patriarcha suspectus eidem, privatus fuit legationis officio et quasi in exilio modo usque detentus[7].

De fratre Iohanne[8] ordinis Predicatorum, qui vocabat se rectorem et ducem Verone[9] quasi auctoritate ecclesie Romane.

Frater Iohannes ordinis Predicatorum, qui pacem fecit Veronensibus, sine conscientia domini pape pacem fecit, et si vocavit se rectorem vel ducem, dominus papa nescivit.

De potestate data Veronensibus ab ecclesia Romana.

Potestas Veronensibus non fuit data a domino papa, set partes elegerunt eum[10].

De favore dato contra partem imperatoris a potestate Veronensium R[aynerio] Bulgarello[a].

Testimonium habet potestas Veronensium ab Azolino et parte sua, quod fideliter se habuit nec cessit in partem.

De legato suspecto misso in Lombardiam[11].

Quod legatus litteris suis gravabat partem imperatoris.

Quod procuravit pacem Placentinorum contra imperatorem.

Legatus, vir iustus et timens Deum, desiderans pacem et procurans quietem provincie, nichil fecit vel procuravit nisi salvo iure imperii et sine cuiusquam preiudicio.

703.

Gregorius IX papa Friderico Romanorum imperatori ad querelas de processu [Iacobi] episcopi Praenestini prolatas respondet et argumenta, quibus ad suam purgationem usus est, refellit: in memoriam ei redigit imperatores examinationi apostolicae subiacere,

a) bulgar̄ *R.*

1) *Hunc esse arbitramur Oddorinum [Oderisium ap. Böhmer-Ficker, Reg. Frid. II, n. 2371] abbatem Sancti Vincentii de Vulturno, quem imperator [a. 1238, c. Iul. 15] fidelem suum appellavit: Winkelmann, Acta Imp. ined. p. 637, n. 821: cf. etiam Huillard-Bréholles, l. c. t. V, p. 250.* 2) *Ut videtur de Ferentino in Capitanata.* 3) *Cf. diplomata imperatoris a. 1213. Iul. 12 et a. 1219, Sept. data; Böhmer-Ficker, l. c. n. 705, 706 et 1050.* 4) *Theodericus.* 5) *Cf. n. 656.* 6) *Geroldo.* 7) *Cf. n. 475 et 686.* 8) *de Vincentia.* 9) *a. 1233; cf. Winkelmann, Fried. II, t. I, p. 420–422.* 10) *Cf. n. 676.* 11) *Scil. Iacobo episcopo Praenestino; cf. n. 699 et 703.*

cumque fortiter monet, ut iniurias Romanae et regni Siciliae ecclesiis illatas emendare studeat vel timeat, ne Deus ab eius processibus oculos avertat. *1236, Oct. 23.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 200—203; Lib. X, 253. Pertzii exemplar [P.] supplevimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1236, § 8—11 et 17—25, adhibito Huillard-Bréholles, l. c. t. IV, p. 914 [H. B.], qui Collectione Laporte du Theil usus est.
Potthast, Reg. 10255.

Friderico, Romanorum imperatori etc.

Si memoriam beneficiorum conditoris eterni, que per ministerium sponse sue in sublimes personas et humiles largiter emanarunt, humane ingratitudinis oblivio non deleret, si[a] dominus noster Iesus Christus, iudex vivorum et mortuorum, iudicaturus apertis libris conscientie et revelatis tenebrarum operibus universos, ut Dominus timeretur, origo virtutum, fides, inconcussa persisteret, opera statera iustitie ponderaret: Psal. 72.9. verba sub veritatis signaculo clauderentur et os contra Deum non poneretur in celum, unde tonitrua prodeunt et fulgura contra persecutores suos sepe mittit Deus et dominus ultionum. Sane ex pluribus litteris ad nos et fratres nostros nuper ab imperiali excellentia destinatis[1] plura collegimus, que si stylus mitigasset humilior et amaritudinem pagine dulcorasset affectus reverentie filialis, virtus discretionis sub manna dulcedinis irascibilem spiritum temperasset et imago Dei, que resultat in speculo rationis, ac similitudo eius, que per affectum bonum et zelum rectitudinis in potentiis anime naturalibus invenitur, non fuissent sic scribendo forsitan deformate. Set inter cetera epistole tue textum, qui[b] processum venerabilis fratris nostri . . Penestrini episcopi, apostolice sedis legati, detestabilem et enormem asserit, nosque totius culpe eidem obiecte principio vel saltem participio non carere conscribit, iustitie norma non sequitur et iustificata in suis operibus veritas detestatur. Cum enim ad exemplum mediatoris Dei et hominum, qui ut pacem inter Deum et hominem reformaret, formam suscipere non est dedignatus humanam, scissuras scismatis ad integritatem reducere unitatis sedes apostolica teneatur, nostre quo Deo et homini astringimur servitutis officium in Lombardiam pro sedanda imperii et Lombardorum discordia compulit destinare legatum, qui et dissidentes ad imperiale mandatum reconciliatos reduceret et inter populos discordantes pacis federa reformaret. Nec illud nostrum tam sanctum, tam salubre potuit impedire set potius debuit adiuvare propositum, quod te in Lombardiam pro extirpanda heretica pravitate, subsidio Terre Sancte et recuperatione iurium ecclesie ac imperii nec non pro reformatione pacis proclamabas esse venturum. Nam si te ad id imperii reformatio invitavit, nos causa imperii, cuius deformatio in dispendium ecclesie Romane redundat, ecclesiarum utilitas, que longum sub bellorum fluctibus discidium patitur, et animarum periculum, pro quibus possessori celi et terre ad ratiocinium obligamur, ad procuranda bona concordie debuerunt fortius excitasse. Unde nichil de tuo iure usurpasse, de tuo nichil, licet contrarium asseras, occupasse officio credimur, si nos, de quorum consilio te ad id in principio, medio et fine procedere, sicut pluries promisisti[2], decuerat, prompti nostrum summo creditori exolvere debitum invenimur.

Quare premissa more artificis, cuius considerationi se primitus offerunt que ultimo in operatione concurrunt, diligentius attendentes, illum, ut per eum nostrum impleremus ministerium, elegimus in hac parte ministrum, qui eo tibi et quibuscumque discordantibus minori posset haberi ratione suspectus, quo eius mens terrenis desideriis

a) si — deformate *ex Rayn.* b) *P.*; testimonium, quod *H. B.*

1) *Cf. n. 701 et p. 598 lin. 28.* 2) *Cf. n. 488, 495 et 497.*

absoluta suis actibus fermenti minus ingereret odii vel amoris, qui se ipsum et sua relinquens in divini amoris altitudinem evolasset. Quis illius sinceritati rugam suspicionis obicere, quis illius puritatem nevo duplicitatis opposito poterit obfuscare, quem suscepta professionis beate religio carni et mundo abstulit, quem Deo fructus laudabilium operum et vite sanctitas commendavit? Nec enim locus originis recte contra eum in suspicionis argumentum inducitur[1], cum non bonitas hominis deformetur a loco, set potius loci malitia per hominem reformetur. Probat hoc, quod nec pietati Christi quicquam mundus subtraxit impius, nec celum fecit sanctum demonem nec hominem paradisus. Genus etiam ad tuam intentionem non sufficere, immo nec proficere creditur, quia frustra in illō parentele vitia condempnantur, qui per conversationis sancte munditiam a patria et parentibus, quasi in virum mutatus alium, factus est penitus peregrinus. Quid plura? Frustra quid ad probationem alicuius inducitur, quod illud nec frequenter nec inseparabiliter comitatur. Suffragatur autem ad hoc testimonium dilecti filii . . magistri hospitalis sancte Marie Teutonicorum[2], et ei, quod[a] alia vice ipsum cum dilecto filio nostro Ottone Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diacono cardinali transmissum[3] tibi suspectum fuisse asseris, refragatur, cum ipsum nichil fecisse, unde celsitudini imperiali suspectus merito deberet haberi, coram nobis publica voce dixerit et eum circa observationem iustitie plurimum commendarit. Erubescere igitur poterit novus logycus de nobis mali alicuius initium vel participium paralogismo concludere, cuius falsitatem etiam imperiti de longe speculantes possunt luce clarius improbare, cum publice bonum et manifesta boni species fuerit, quod legatus ad reformandam pacem inter te ac Lombardos a nobis destinatus accessit, cui nichil posse[b] credimus imputari, si eo presente sedata sint intestina bella Placentie, si alique civitates Lombardie, cladibus preliorum oppresse, ad pacis fuerint dulcedinem invitate. Quinimmo tibi ad infamiam reputatur, quod, ecclesia suo[c] prefato mediante legato, pacem imperii dedigneris vel non patiaris potius reformari. Set est fortasse qui dicat, quod dum contra fas et licitum episcopum prefatum tuis non habes votis omnino propitium, eum imperialibus extimes desideriis inimicum, et quo equalius eundem ad quodlibet oppositorum extremum, ut utraque unum efficiat, declinare perspexeris, eo fortius ipsum celsitudinis tue profectibus contrarium suspiceris. De quo, si placet, obtrectationis cessent obloquia, cuiuslibet prudentis et boni principis moribus inimica, qui sic ius suum discrete prosequitur, quod in nullius, presertim timentis Deum et episcopi, detractionem armatur. Verum ne aliqua de sede apostolica vere vel apparenter excellentie tue querela consurgat, tibi contra predictum legatum, quem[d] nondum probatio seu confessio obiecti criminis et ignoti convincit, experiri volenti sumus iustitiam exhibere parati.

Ceterum, ne super imperialis celsitudinis de cohercenda, ut tuis verbis utamur, contumacia Lombardorum petitione[e] responsionem videamur per oblivionem vel negligentiam distulisse, dictus magister tibi satisfacere potuit, de cuius consilio dilectum filium G.[4] subdiaconum et capellanum nostrum ad tractandum de pace duximus destinandum. Quare responsio tibi grata non poterat fieri, per quem tractatum concordie contingebat penitus impediri. Nec etiam nobis de obiecta eis contumacia constitit, ad quos pro facto imperii mandatum apostolicum, cui superba cervice restiterint, nullatenus emanavit; quinimmo compromissum in manus nostras venerabili fratre nostro . . patriarcha Antiocheno[5] procurante teque petente firmantes, etsi infra tempus nunciis tuis pro tua voluntate prefixum ad nostram presentiam venire nequiverint, maculam tamen

a) *Ragn. et H. B.*: qui *P.* b) *Ragn. et H. B.*: circa posse *P.* c) *P.*: seu *Ragn. et H. B.* d) *P.*: que *Ragn. et H. B.* e) *P.*: petitione *deest ap. Ragn. et H. B.*

1) *Episcopus Placentiae, quam civitatem ab imperatore abalienaverat, natus erat.* 2) *Hermanni.* 3) *a. 1232; cf. n. 466.* 4) *Gregorium de Romania.* 5) *Alberto.*

erga te, si dici potest, commisse contumacie per sequentis obedientiam compromiss a se videntur penitus abstersisse [1].

Igitur si nostre te faceres [a] doctrine discipulum [b], si apostolici processus circa honorem tuum sepe sepius habiti imitareris exemplum, iusta monita nostra super commissis in regno corrigendis excessibus, pluries ab annis preteritis replicata et toties passa repulsionis iniuriam, ad debitum exauditionis admitteres, iniusta quoque, que nunquam tibi credimus ex certa scientia direxisse, procul ab imperialis limine concessionis arceres. Set ecce super facto ecclesiarum regni, quod tibi in litteris nostris primo directis [2] sub genere indefinite proponitur, quod ad hoc non tenearis quasi dubia respondere, a te reali responsione preterita vocali commentario incongrue respondetur [3], tum quia frustra requiritur, ut singularia speciei vel specialia fidem faciant generi, cum genus et species manifestam ex se prebent notitiam veritati, et cum individuorum scientia quasi ex infinitate confunditur, ad doctrinam universalium supervacue singularia colliguntur; tum quia que in primis litteris sub indefinita, in se tamen aliorum definita notitia fuere proposita, ex superabundanti in litteris nostris ad te secundo currentibus [4] per multa fuerunt particularia declarata, sicut in epistola tua responsiva [5] conicitur, que in se ipsa quibusdam particularibus verbaliter respondendo, quod in premissis falsum implicet, improbatur; cuius pollicitis de satisfactione prestanda quibusdam ecclesiis et personis, sicut [c] non in principio, sic in fine non credimus, qui simili promissione delusos multoties nos dolemus. Indigne ergo super oppressionibus predictarum ecclesiarum et hominum regni, in quo nullus manum vel pedem absque tuo movet imperio, affirmativam nostre propositionis negativa ignorantie imperialis interimis, quibus consensum vel originem prestitisse, cum nuntiis et litteris apostolicis ac clamoribus passorum iniurias, eas tuis auribus pluries inculcatas non solum scire set etiam plene potueris emendare, minime dubitaris. Quod ex illo tuarum litterarum tenore manifeste colligitur, qui pro iurium conservatione tuorum te nonnulla immutasse circa ecclesias, et tibi super non restituenda eis possessione ablata nostrum in facto Civitatis Castelle suffragari magisterium suffragatur [d], cum in causa tua superioris debueris expetiisse et expectasse iudicium; nisi forte vulgus respondeat, quod iuxta placitum terminos regum transgrederis, dum contra ius aggrederis officia sacerdotum. Qualiter autem contra conscientiam nostram, ut asseris, denegata tibi possessionis civitatis predicte intentioni [e] tue opituletur restitutio, non videmus, cum cives Castellani, qui se tibi violato sacramento fidei, ignorante ecclesia, prodiderunt, excellentie tue nullum ius per hoc in seipsis acquirere, nullum nobis circa possessionem, cum iurisdictionem civitatis et civium quasi possideret ecclesia, prodendo potuerunt preiudicium generare; male namque agitur, cum dominis [f] prediorum, si tantum [g] precario possidentibus non requiritur possessionis initium, leges possessionum evertere et extraneis iura conferre valeant possessorum. Et ideo, si prudenter attenderes, quod
Gen. 2,9 lignum vite est in paradisi medio positum, sic in centro tuorum finium prudenter persisteres, quod nequaquam incaute ad iudicanda secreta conscientie nostre, cuius
Ioh. 16,20 iudex in celo est conscius in excelsis, proprie ruinam conscientie metuens evolasses, cum regum colla et principum submitti videas genibus sacerdotum, et Christiani imperatores subdere debeant executiones suas non solum Romano pontifici, quin etiam aliis presulibus non preferre [6], nec non Dominus sedem apostolicam, cuius iudicio

a) P.: feceris *Rayn. et H.B.* b) *quae sequuntur usque ad finem ex Rayn. et H.B.* c) sicut sic *Rayn. et H.B.* d) *sic Rayn. et H.B.* e) intentionis *Rayn.* f) *H.B.*: dominiis *Rayn.* g) tanto *Rayn. et H.B.*

1) *Cf. n. 678.* 2) *n. 676.* 3) *n. 686.* 4) *n. 700.* 5) *n. 701.* 6) *Alludit ut videtur ad epistolam, quam imperator ad regem Franciae de rebellione Lombardorum et de intercessione papae direxerat; Bohmer-Ficker, Reg. Frid. II, n. 2160.*

orbem terrarum subicit, in occultis et manifestis a nemine iudicandam, soli suo iudicio reservavit. At fortassis ignoras, quod Oza morte percutitur, eo quod arcam Domini 2 Reg. 6, 7. inclinatam manu temeraria sustinere conabatur, et tribus Chaath, que vasa tabernaculi Num. 4, 15. propriis involuta portabat humeris, paribus addicitur detrimentis, si tabernaculum solius Aaron dispositioni commissum ingredi vel vasa sanctuarii, priusquam involuta fuerint, ulla curiositate audeat intueri. Quare si te ad notoria facta tua speculanda reduceres, non solum de nostra, immo iudicare de conscientia etiam cuiuslibet tui subditi dubitares. Ergo quia de conscientia agitur, ut contra conscientiam secundum conscientiam procedatur, cum nostre fuisset conscientie liquidum, quod de reddendis possessionibus ecclesie Romane ad te pervenientibus pluries prestiteras iuramentum, non videbatur esse boni filii a patre petere, quod nec salva conscientia poteras detinere, eo quod nec ecclesia vitium spoliantis incurrerit, cui commoda sui iuris constitutionis beneficium integra reservavit. Nec est verisimile in hac parte nos fratrum nostrorum consilium despexisse, cum super hoc nuntii tui inceptum prosequi noluissent[a] iudicium; et ideo nondum erat in his eorum consilium requirendum.

Esto preterea quod ecclesiis cum principibus permutare, sicut in tuis litteris[b] excusationem allegas, utroque iure conceditur; inique tamen ad dampnosam et non voluntariam huiusmodi celebrationem contractuum, presertim sine superioris assensu et contra iuramentum de non alienandis ecclesiasticis possessionibus, quas pro animarum salute relictas sic alienantes et recipientes sacrilegii crimen incurrunt, prestitum, compelluntur, quia quod in ecclesiarum favorem iure permittitur fieri, non debet ad lesionem earum per iniuriam retorqueri[c]. Esto quod aliqua beneficia vacantia conferas; ut curam tamen animarum illis annexam committere valeas, ius spirituale, quod non cadit in laicum, non permittit, et in locum viventium, quos a gradu suo nec propria culpa nec sui iudicis sententia deicit, alios substitui ius datum celitus interdicit. Esto quod in collatione beneficiorum morientibus succedas, ut dicis, episcopis: maiorem in hoc ipsis non adipisceris potestatem, nec nos ob id, qui eis viventibus conferre beneficia non collata potuimus, iam te locum tenente ne dicamus usurpante pontificis, apostolice amittimus plenitudinem potestatis. Venerabilis insuper frater noster Cephaludensis episcopus, archidiaconus Salernitanus et Sorane civitatis ecclesie, dum eos ad examen nostre considerationis adducimus, quare isti[d] perpetui exilii et ille perpetue patiantur ruine dispendia, ignoramus, nisi quod dum contra pacem inter te ac ecclesiam reformatam spiritualia sicut secularia iudicas, dum eos, qui suo domino stant aut cadunt, non convictos nec confessos, pena iudicium preveniente[e], condemnas, divini iudicii thronum aggrederis, et leges, quibus digne submittitur principatus, a lare patrio exulare compellis. De illo, qui se Geracensem dicit episcopum, tacemus ad presens, quem electio canonica pretermissa vel per impressionem habita ecclesie Geracensi[f] matrimonialiter alligare non potuit, cuius consecratio, forma ecclesiastica sicut dicitur destituta, nec sibi executionem officii contulit nec ipsum illius ecclesie vel alterius episcopum esse fecit. Vincula vero nepotis regis Tuneti, si ea recta acie considerationis inspiceres, in quantam iuris et divini nominis contumeliam compeditum alligent, plene scires, quia indigne seductus asseritur, qui ad notitiam vere fidei aliquo inducente vel Deo potius inspirante vocatur; quin potius, quantum[g] probationes, quod preter offensam regis eiusdem et non circumventus ad nos accederet recepturus baptismatis sacramentum, expostulas, aperte colligitur.

a) voluisset *Rayn. et H. B.: cf. ep. a. 1239, Iul. 1:* nuntiis eius inceptum iudicium recusantibus prosequi. b) litteris *deest ap. Rayn.* c) *H. B.;* retorquere *Rayn.* d) *H. B.;* iste *Rayn.* e) preveniens *Rayn.* f) *H. B.;* Terracensis *Rayn.* g) *Rayn. et H. B.: locus mutilus, ut videtur; fortasse:* quam indigne.

Et idem clara multorum voce utinam non dicatur, quod apostolos et discipulos veritatis non sine Magistri iniuria manifesta innuis seductores, qui inimicos crucis Christi ad agnitionem lucis eterne monitis invitarunt salutaribus et invitant, et ex eo tacite asseris non debere Deo contra hominem obediri, quod dictum nepotem credis debuisse prefati regis licentiam prestolari, cum tibi non liceat ignorare, quod tantus est favor baptismatis, ut etiam servos, sicut a iugo criminis, sic invitis dominis infidelibus et eos converti nolentibus a catena eximat servitutis. Utinam lex Domini Deut. 4, 20. convertens animas sic omnes fideles seduceret, quod eos de fornace ferrea Pharaonis eductos ad vere fidei notitiam evocaret! Utinam omnes fideles sic suos superiores offenderent, quod ad auditorium celeste vocati preconi parerent Dominico et in se tam salutari contumacia suorum offensam principum provocarent! Tolosano comiti etsi lata in eum excommunicationis sententia nequiverit privilegium immunitatis afferre vel iuri tuo preiudicium generare, debuit tamen ei favorem communionis imperialis auferre, quam sibi nequibas preter anime tue periculum, que tibi omni thesauro debet esse carior, indulgere, ut hoc saltem rubore perfusus, ad sinum matris rediret ecclesie et tibi sine salutis tue dispendio posset debitum servitium exhibere.

Ceterum, ne nostro quod verum est patefaciente responso dicta exaggerare cogamur et gesta, calamo nostro brevitatem indicimus, et ne super eo quod de lege regia et episcopis scripseras, honorem tuum obice veritatis exasperet, prohibemus. Set vade ad tuorum memoriam predecessorum et inspice, transi ad felicis recordationis Constantini, Caroli Magni, Arcadii et Valentiniani imperatorum exempla et ea diligentius speculare, ubi infallibilis solutionis[a] conclusio sine instantia super premissis accipitur, ubi reprobanda false opinionis assumptio confutatur. Illud autem minime preterimus, toti mundo publice manifestum, quod predictus Constantinus, qui singularem super universa mundi climata monarchiam obtinebat, una cum toto senatu et populo, non solum Urbis set in toto imperio Romano constituto, unanimi omnium accedente consensu, dignum esse decernens, ut sicut principis apostolorum vicarius in toto orbe sacerdotii et animarum regebat imperium, sic in universo mundo rerum obtineret et corporum principatum, et existimans illum terrena debere sub habena iustitie regere, cui Dominum noverat in terris celestium regimen commisisse, Romano pontifici signa et sceptra imperialia, Urbem cum toto ducatu suo, quam sparsis in ea pecuniis nobis Iob. 40, 18. turbare moliris[1], illius sequens exemplum qui absorbens fluvium non miratur, et sperans quod Iordanis influat in os eius, suo est voto fraudatus, nec non et imperium cure perpetuo tradidit, et nefarium reputans, ut ubi caput totius Christiane religionis ab imperatore celesti disponitur, ibidem terrenus imperator potestate aliqua fungeretur, Italiam apostolice dispositioni relinquens, sibi novam in Grecia mansionem elegit; de qua postmodum in persona prefati magnifici Caroli, qui iugum a Romana ecclesia vix ferendum impositum pia debere docuit devotione portari, sedes apostolica transferens in Germanos, predecessoribus tuis, sicut et in tua persona recolis esse factum, in consecrationis et inunctionis munere, nichil de substantia sue iurisdictionis imminuens, imperii tribunal supposuit et gladii potestatem in subsecuta coronatione concessit; ex quo iuri apostolice sedis et non minus fidei ac honori tuo derogare convinceris, dum factorem proprium non agnoscis.

Ex eo autem non modicam notam indevotionis incurris, quod nobis et fratribus nostris sacrilegii maculam conaris impingere, quia eos quibus a te ecclesie ac ecclesiastica

a) solutio *Ragn.*

1) *Alludit ad seditionem a Petro Fraiapane pro parte imperatoris contra papam in Urbe motam; Rycc. de S. Germ. a. 1236, SS. t. XIX, p. 374. Circa mensem Sept. concitata esse videtur, cum in n. 700 non commemoretur.*

beneficia conferuntur reputantes indignos, de tuo videmur iudicio disputare, non attendens quod sacerdotes Christi regum et principum omnium fidelium patres et magistri censentur. Nonne miserabilis insanie esse cognoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum conetur arguere, a quibus non solum in terris set in celis sese ligari posse institutione divina docetur? Omnes enim, nisi quorum oculus aliquo erroris pulvere obturatur, agnoscunt, quod cum tu ipse apostolice examinationi, sicut testantur premissa, subiaceas, multo fortius de illorum possumus indignitate cognoscere, qui de manu tua noscuntur dignitatem aliquam suscepisse, eo quod quidquid speciei subicitur, de illo genus necessario predicatur. Hoc in personis ecclesiasticis negari non potest, quibus nos ex constitutione divina preficimur; imperialis vero potentia ex sola usurpatione in huiusmodi in iniuriam divini nominis aliquoties dominatur, in eo rhetorico fucata colore quod apud reges terrarum et principes de ecclesia, que usque modo non modicum imperiali pepercit honori, te depositurum querelas[1], quibusdam apud eos iam depositis[2], comminaris. Premissa quoque, quantumcumque sint gravia, quantumcumque a iuris tramite sint remota, minora tamen in oculis nostris respectu illius iniurie reputantur, que creatori nostro in hoc evidentius irrogatur, quod turbis undecumque collectis Crucifixi fidem et nomen publice predicari, ne qua ex hoc tuo contingant regno dispendia, non permittens, recuperationem Terre Sancte et crucis negotium impedis, ad cuius consummationem contra consilium tuum de bonis tuorum conferri fidelium interdicis. Quocirca celsitudinem tuam rogandam duximus et monendam, quatenus sub potenti manu Dei, cui clara sunt abscondita tenebrarum, sic humiliari procures, sic omnes sponse sue iniurias studeas emendare, quod te taliter exaltasse eum nequaquam peniteat et sue maiestatis oculos a tuis processibus non avertat, nosque de imperialibus profectibus possimus non inmerito in Domino gratulari[a].

Dat. Reate, X Kal. Novemb. anno decimo.

704.

Gregorius IX papa praelatis Lombardiae, marchiae Tervisinae et Romaniolae infra enumeratis mandat, ut [Raynaldum] episcopum Ostiensem et Th[omam] presbyterum cardinalem, quem pro incremento libertatis ecclesiasticae, statu imperii reformando, pravitate haeretica abolenda et negotio Terrae Sanctae procurando ad eos mittat, benigne recipiant. *1236, Nov. 29.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 206; Lib. X, 276.
Potthast, Reg. 10268.

Aquilegensi[3] et . . Gradensi[4] patriarchis, . . Mediolanensi[5], . . Ravenati[6] et . . Ianuensi[7] archiepiscopis eorumque suffraganeis ac . . Placentino[8] et . . Ferrariensi[9] episcopis, abbatibus, decanis, archidiaconis, archipresbyteris et aliis ecclesiarum prelatis per Lombardiam, marchiam Tervisinam et Romaniolam constitutis.

Dei et hominum mediator dominus Iesus Christus, qui cum esset in terris pro humani salute generis constitutus, innumeris miserationum operibus populorum multi-

a) *P.:* gloriari *Rayn. et H.B.*

1) *Hoc quoque in epistola p. 598 lin. 28 commemorata extitisse videtur.* 2) *Vide supra p. 602, not. 6.* 3) *Bertholdo.* 4) *Angelo.* 5) *Wilhelmo* 6) *Theoderico.* 7) *Ottoni III.* 8) *Aegidio.* 9) *Rolando.*

tudinem multiformiter recreavit, de inefabili pietate providit, ut quia ipso ad Patris gloriam redeunte tenebrarum princeps multis erat temptationum aculeis renatos fonte baptismatis turbaturus, vicarium in terra relinqueret et singulari potestate preditum et remediorum multitudine preminenti dotatum, cuius et ceterorum, quos apostolice pretulit excellentia dignitatis, sollicitudine vigilanti pax orbi terre fieret et ad Hebr. 1.3. celi perveniendi patriam plena possibilitas proveniret. Nunc vero idem sedens ad dexteram maiestatis dat per eos, qui dispositione divina sunt ad sponse precellentis obsequium, videlicet sancte matris ecclesie, deputati, ut doctrina virtutum cunctis reddatur amica fidelibus, pax eisdem adveniat et incumbat desiderium consequendi premia supernorum. Hinc est, quod cum Lombardie provincia fuerit nobis dolentibus dudum in dissidii constituta discrimine, quare plura quam deceat explicare litteris accidisse pericula dinoscuntur, nos, sicut confidimus illius inspiratione spiritus faciente, qui sanctis dedit apostolis mundum posse dirigere in status gloriam salutaris, digne providimus, ut ad ipsam provinciam duos de dignioribus membris ecclesie, videlicet venerabilem fratrem . . episcopum Ostiensem et dilectum filium nostrum Th. tituli Sancte Sabine presbyterum cardinalem, quorum publicis vacare laudibus superfluum reputamus, concesso sibi in Lombardia, marchia Tervisina, Romaniola et partibus Venetiarum plene legationis officio, mitteremus, sperantes ut quo plenius ipsos Dei sapientia virtutum insignibus dotasse dinoscitur, eo que sunt salutis et gratie facilius et felicius operentur. Rogamus itaque universitatem vestram et hortamur in domino Iesu Christo per apostolica scripta mandantes, quatinus per opera gratitudinis explicare solliciti, quanta vobis circa Deum sit fidei puritas ac devotionis sinceritas erga sedem apostolicam continuis honoribus per fidelium multitudinem attollendam, legatos eosdem, in quibus personam nostram recipi volumus et filiali reverentia pertractari, quasi pacis angelos devote ac ilariter admittentes, ipsos[a] omni quo scitis et potestis honore prosequi sollicita diligentia procuretis, et sibi super hiis que ad honorem Dei et ecclesie ac libertatis ecclesiastice faciunt incrementum, nec non ad ea per que status imperii et precipue dicte provincie valeat salubriter faciente Domino reformari, ac super pravitatis heretice maculis abolendis et Terre Sancte negotio, quod eis tanto specialius procurandum commisimus, quanto ad promotionem illius nos pre cunctis teneri viventibus reputamur, efficaciter intendatis: scituri quod per hoc et gratiam superne benedictionis aquiritis et nos vobis non modicum ad condigne retributionis premium laudabiliter obligatis. Alioquin sententiam, quam ipsi tulerint in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctore Deo inviolabiliter observari.

Dat. Interamn. III Kal. Decembris, anno decimo.

In eundem modum marchionibus, comitibus, potestatibus, consiliis et communitatibus per Lombardiam, marchiam Tervisinam et Romaniolam constitutis.

705.

Gregorius IX papa [Nicolao] Rigensi, [Hermanno] Torpatensi et [Henrico] Osiliensi episcopis significat, se magistro et fratribus ordinis Teutonicorum praeceptorem et fratres militiae Christi de Livonia cum omnibus bonis uniendos duxisse et statuisse, ut ipsi et

a) et ipsos *R.*

ceteri fratres ordinis praedicti sub diocesanorum et aliorum praelatorum suorum iurisdictione consistant.

1237, Mai. 14.

Greg. IX Reg. Lib. XI, 64. Edimus hanc epistolam ex Rayn. Ann. eccl. a. 1237, § 64, correctam et suppletam ex Turgenevii Russ. Mon., t. I, p. 19, n. 53 [T], qui Reg. usus est.
Potthast, Reg. 10348.

. . Rigensi, . . Tarbatensi, . . Osiliensi episcopis.

Grato dilectorum filiorum[a] . . magistri[1] et fratrum hospitalis[b] sancte Marie Theutonicorum religionis odore se per mundi climata diffundente, provenit de gratia Redemptoris, quod eadem est et apostolice sedi cara non modicum et dilecta multitudini fidelium populorum. Inde fit, quod dilecti filii[c] . . preceptor et fratres militie Christi de Livonia, ex signis evidentibus presumentes iam dicti hospitalis collegium in virtutum amplexibus esse multipliciter studiosum, pluries magistrum eundem, ut eos suo incorporaret ordini, per nuntios et speciales litteras affectuose sicut accepimus exorarunt, a[d] nobis tandem illud idem post casum lugubrem, quem in occasu magistri[2] et quinquaginta fratrum eiusdem militie ac peregrinorum plurium, paganorum seviente perfidia, noviter pertulerunt[3], una vobiscum per flebiles litteras suppliciter postulantes, spe sibi proposita quod cum prefati magister et fratres strenuam et famosam habeant in sua domo militiam, thesauro pretiosius arbitrantem animam pro illo ponere, qui suam pro redemptione fidelium noscitur posuisse, divina suffragante potentia provenire valeat, quod ipsi ad invicem, si unum ovile fuerint, cito partem oppositam dextera conterent triumphante, ibi celebrem reddituri patris eterni filium, ubi colentium potestates aëreas infinita multitudo periit animarum. Nos igitur, qui nichil gratius ampliatione catholice fidei reputamus, digne volentes ut eorum preceptoris et fratrum pium desiderium ad effectum perveniat exoptatum, quinimmo plena credulitate tenentes quod fratribus hospitalis eiusdem apponet Dominus in Livonia reperiri magnificos, quos sua virtute reddidit in Prussie partibus ad victoriam expeditos, ipsorum ordini memoratos preceptorem et fratres[e] de fratrum nostrorum consilio uniendos duximus cum bonis omnibus eorundem, auctoritate apostolica statuentes ut ipsi et ceteri fratres predicti hospitalis sancte Marie Theutonicorum, qui pro tempore fuerint in Livonia, sicut hactenus sub diocesanorum et aliorum prelatorum suorum iurisdictione consistant[f], non obstantibus indultis memoratis magistro et fratribus privilegiis libertatis; et si forte aliquis eorundem fratrum per aliquem iam dictorum diocesanorum vel prelatorum sententia excommunicationis aut suspensionis astrictus in locum alium transferatur, tamdiu vitetur a fratribus et suspensus etiam habeatur, donec excommunicatori vel suspendenti satisfaciat, ut tenetur. Decernimus etiam, ut que ibidem pro libertate ecclesiarum vel neophytorum aut pro statu terre sunt per sedem apostolicam ordinata vel per ipsam imposterum ordinari contigerit, ab eisdem fratribus in Livonia constitutis inviolabiliter observentur, et prefata terra, que iuris et proprietatis beati Petri esse dinoscitur, per eos aut alios nullius unquam subiciatur dominio potestatis. Volumus tamen, ut indulta supradictis preceptori et fratribus a sede apostolica ante huiusmodi unionem in suo robore perseverent. Rogamus itaque fraternitatem vestram et hortamur in domino Iesu Christo mandantes, quatinus pensato prudenter quod vacare procurandis dicte terre profectibus vobis ratione multiplici debeatur, omnem quam

a) dilecti filii *Rayn. et T.* b) *T.*; hospitalis *deest ap. Rayn.* c) *T.*; dilectus filius *Rayn.* d) *T.*; a *deest ap. Rayn.* e) *T.*; fratrem *Rayn.* f) *hucusque Rayn., quae sequuntur ex T.*

1) *Hermanni.* 2) *Volquini.* 3) *a. 1236, Sept. 22 in pugna contra Lituanos; Voigt, Gesch. Preussens t. II. p. 336.*

potestis opem detis et operam, ut ex unione huiusmodi superna propitiante[a] gratia desiderata possit utilitas exoriri. Ceterum fratres hospitalis eiusdem in Livoniam duce Domino processuros illa prosequemini gratia et favore, ut gaudentes in vobis affectionis paterne recepisse dulcedinem, se ad exhibitionem reverentie filialis[b] promptos exhibeant et condigne cultu gratitudinis cunctis placere temporibus non desistant, nosque, dum plantationis nove palmites et antique optatam in Livonia fructuum[c] producere senseri-
Gen. 27.27. mus ubertatem, cum exultatione dicere valeamus: Ecce odor filiorum nostrorum, sicut odor agri pleni, cui Dominus benedixit! Ecce deliciarum vinea, honoris et honestatis venusta floribus, digna semper et benedictione nostra refici et celestis imbre gratie iugiter irrigari! [1]

Dat. Viterbii, II Idus Maii, anno XI.

706.

Gregorius IX papa [Ludovico IX] regi Francorum de excessibus [Raymundi VII] comitis Tolosani scribit, praecipue quomodo cives Massiliae, qui contra [Raymundum Berengarii] comitem Provinciae dominum suum rebellaverint, in homines suos receperit eosque in iniquitate sua defendat; rogat, ut eum ab hac re desistere et male temptata emendare cogat. *1237, Mai. 20.*

Greg. IX Reg. Lib. XI, 101 Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1237, § 35—36. Potthast, Reg. 10361.

Gregorius etc. illustri regi Francie.

Ex parte carissimi in Christo filii nostri Iacobi Aragonum regis illustris et nobilis viri comitis Provincie nostris est auribus intimatum, quod cum civitas Marsilie, que noscitur ad ipsius comitis dominium pertinere, eidem comiti rebellis existens se nobili viro comiti Tolosano non sine magña perfidia et temeritate subiecerit et ab ipsius comitis Provincie iurisdictione proditionaliter se subtrahere minime dubitarit, idem comes Tolosanus cives Marsilie in homines suos minus iuste recipiens, non solum eos in hac iniquitate defendere, set contra prefatum comitem Provincie ac ipsius terram insurgens, eum multipliciter molestare presumit, contra ipsum ut creditur ob illud rancore concepto, quod idem comes Provincie dictum comitem Tolosanum olim ad mandatum ecclesie in obsidione Avinionis cum clare memorie Ludovico patre tuo, pro defensione fidei et ecclesiastice libertatis zelo fidei ac devotionis accensus, studuit impugnare [2]. Quare cum dictus rex ad expugnandos Saracenos et obsidendam civitatem Valentie signo crucis assumpto proposuerit potenter accedere, ac eundem comitem Provincie, cui nulla potest ratione deesse, multis ex causis defendere teneatur, idem rex, ne a tam sancto proposito retardetur, et prefatus comes Provincie nobis humiliter supplicarunt, ut super hoc providere curaremus eidem. Ceterum ad audientiam nostram venerabili fratre nostro archiepiscopo Viennensi [3] apostolice sedis legato insinuante pervenit, quod dicto comite Tolosano salarium debitum magistris Tolose regentibus contra iuramentum super hoc prestitum non solvente, Tolosanum studium in detrimentum ac subversionem fidei Christiane, cum ex hoc heretica pravitas ibi fortius invalescat,

a) propitiante *T.* b) reverentia filiales *T.* c) fructum *T.*

1) *In eundem fere modum [Wilhelmo] episcopo quondam Mutinensi aliisque scripsit; cf. Rayn. § 65 et Perlbach, Preuss. Reg. n. 152 et 153.* 2) *a. 1226.* 3) *Iohanne; cf. n. 688.*

irreparabiliter dissipatur. Ipsius quoque baiulus venerabilem fratrem nostrum Vasionum[1] episcopum, confectum senio, genere nobilem, de domo sua turpiter eiciens castrumque ac civitatem ecclesie sue sibi auferens, alia dampna gravia multiplicesque iniurias irrogavit eidem. Dictus etiam comes detestanda salinarum pedagia, que pater suus olim abiuraverat, in terra Venexini de novo instituens ac in multis Dei ecclesiam et eius prelatos vexare presumens, ausu sacrilego ecclesiarum bona et redditus occupat, nec sepe monitus a prefato archiepiscopo aliquid de hiis emendare procurat. Propter que licet excommunicationis sententia sit ligatus, absolutionem tamen, vel potius claves ecclesie, vilipendens, multa hiis contra Deum et ecclesiam presumit peiora committere, que grave esset presentibus explicare. Nos igitur attendentes, quod si predictus rex contra eosdem Sarracenos hac retardatus occasione procedere non valeret, utilitas, quam ex hoc Christiane fidei credimus proventuram, ex mora hostibus Christi vires sumentibus fortiores, forsitan deperiret, et ex hoc tanta possent guerrarum pericula in Albigensium ac Provincie partibus suboriri, quod nisi antequam amplius invalescant, occurratur eisdem, vix aut numquam ex postfacto ipsis salutari remedio poterit obviari, negotium quoque pacis et fidei, ad quorum observationem dictus comes Tolosanus in manu venerabilis fratris nostri Portuensis episcopi[2], tunc apostolice sedis legati, iuramento prestito se astrinxit, grandi discrimini subderetur, eo quod durante inibi guerrarum turbine fidem nostram possent heretici securius expugnare. Terre insuper Sancte subsidium, ad quod etiam ipse comes se transferre tenetur, grande quod absit exinde incurreret detrimentum, ob id quod in prefatis guerris et discordiis ipsum comitem expendere oporteret ea, que nunc deberet sue transfretationis usibus reservare, idemque comes semper inveniretur ad transfretandum inhabilis, si tempus sibi concessum a nobis non conservationi licite set consumptioni prohibite potius deputaret: serenitatem regiam rogandam duximus et hortandam *etc.*[3]

Dat. Viterbii, XIII Kal. Iunii, anno XI.

707.

Gregorius IX papa Friderico Romanorum imperatori nuntiat, se postquam audiverit, quae [Hermannus] magister Teutonicorum et P[etrus] de Vinea sibi retulerint, [Raynaldum] episcopum Ostiensem et Th[omam] tituli Sanctae Sabinae presbyterum cardinalem cum plenae legationis officio in Lombardiam misisse: monet eum, ut quae sint devoti filii circa ecclesiam prosequatur. *1237, Mai. 23.*

Greg. IX Reg. Lib. XI, 88. Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1237, § 5. Potthast, Reg. 10375.

Friderico, Romanorum imperatori semper augusto, Ierusalem et Sicilie regi illustri.

Diligenter auditis que dilecti filii[a] magister hospitalis sancte Marie Theutonicorum et magister P. de Vinea coram nobis et fratribus nostris ex parte tue celsi-

[a]) dilectus filius *Rayn.*

1) *Vaison, dép. Vaucluse.* 2) *Romani, tunc S. Angeli diaconi cardinalis.* 3) *'Addit preces, ut Raymundum sua auctoritate a tuendis Massiliensium partibus abducat, ac male ab eo tentata emendare studeat'. Rayn. — Idem praeterea monet, papam de eadem re Francorum reginae, Tolosano, Britanniae et Marchiae comitibus ac pluribus aliis litteras misisse, sicut post hanc epistolam in Reg. legatur. Epistolam ad comitem Tolosanum directam edidit ex authentico Teulet, Layettes du trésor des chartes. t. II, p. 339. n. 2514, verbis quidem cum ea, quam nos proponimus, congruentem sed cum nota chronologica:* XV Kal. Iun.

tudinis retulerunt[1], digne providimus, ut cum inter alios terre principes te specialem ecclesie filium reputemus, et tue diligamus prosperitatis augmentum, pro tua et imperii fovenda iustitia venerabilem fratrem episcopum Ostiensem et dilectum filium nostrum Th. tituli Sancte Sabine presbyterum cardinalem in Lombardiam cum plene legationis officio mitteremus, corde gerentes ut quicquid tuis infundatur auribus linguis fallacibus detractorum, operis effectu pateat, quod de tuis secundum Deum procurandis honoribus aliquid opportunis temporibus mater ecclesia non omittat. Provideat itaque tua serenitas, ut et tu circa ipsam sic que sunt devoti filii prosequaris, quod et Deum tibi constituas digne propitium et ab eadem ecclesia optatam percipias affluentiam gratiarum.

Dat. Viterbii, X Kal. Iunii, anno undecimo[a].

708.

Epistola encyclica Gregorii IX papae ad varias Lombardiae civitates directa, qua iis mandat, ut pro pace inter ipsos et imperatorem reformanda in octavis instantis pentecostes [Iun. 14] procuratores sufficienter instructos Mantuam transmittant, qui omni occasione remota mandatis [Raynaldi] episcopi Ostiensis et Th[omae] presbyteri cardinalis, quos cum plenae legationis officio illuc destinaverit, parere possint.

1237, Mai. 23.

Greg. IX Reg. Vol. V, 290: Lib. XI, 89. Hanc epistolam, quam Rayn. Ann. eccl. a. *1237, § 3—4 non integram sub* VIII Kal. Iulii *proposuit, V. Cl. A. Mau ex Reg. Vatic. nobis exscripsit.*
Potthast, Reg. 10376 et 10378.

. . potestati et consilio Mediolanensi.

Scitis et scimus, quod nos super hiis, que inter imperialem excellentiam et vos et Lombardos vertuntur, sollicitudinem patris habentes, diversa studuerimus invenire consilia et experiri labores, ut eisdem finis posset laudabilis annuente Domino provenire. Idem autem tanto plenius et nunc efficere volumus, quanto dilationi locus de cetero non occurrit, et karissimo in Christo filio nostro F. Romanorum imperatori etc., a nobis per speciales nuntios requirenti ut sibi ex nostro assistamus officio, deesse in suo iure non possumus, qui sumus omnibus in iustitia debitores, quinimmo quia in omnem eventum expedit, ut vitato discrimine imminenti, que sunt causa discordie, pro vestra et tranquillitate imperii ac pro dirigendo feliciter Terre Sancte negotio divina providentia faciente salubriter sopiantur. Ideoque presentium vobis auctoritate mandamus et bona fide consulimus, quatinus post susceptionem earum procuratores vestros Mantuam transmittatis, super predictis ita sufficienter instructos et pro parte vestra plenum mandatum habentes, ut omni subterfugio et occasione seu necessitate vos iterum consulendi postpositis, consiliis, monitis et mandatis venerabilis fratris episcopi Ostiensis et dilecti filii nostri Th. tituli Sancte Sabine presbyteri cardinalis, quos ad partes ipsas propter hoc cum plene legationis officio providimus destinandos, parere possint in omnibus reverenter; sollicite provisuri ut dicti procuratores in octavis instantis pentecostes[2] Mantue valeant inveniri, cum timendum sit, quod si expeditio

a) *ita in R., ut V. Cl. A. Mau nobis scripsit:* Iulii *Rayn., qui etiam annum non annotavit.*

1) *Cf. epistolam imperatoris a. 1237, circa Febr. datam; Bohmer-Ficker, l. c. n. 2225.* 2) *Ap. Huhn, Coll. monum. vet. et rec. t. I p. 135, n. XII:* post octavam sancti Iohannis, *i. e. post Iul. 1.*

huiusmodi negotii ex quacunque causa modo, quod avertat Dominus, postponatur, id possit imminere periculi, quod vix in posterum multis laboribus poterit aboleri.

Dat. ut supra.

In eundem modum . . potestati et consilio Alexandrino.

In eundem modum . . potestati et populo Novariensi.

In eundem modum . . potestati et consilio Brixiensi.

In eundem modum . . potestati et consilio Vercellensi.

In eundem modum . . potestati et consilio Placentino.

In eundem modum . . potestati et consilio Bononiensi.

In eundem modum . . potestati et consilio Laudensi.

In eundem modum . . potestati et consilio Cumano.

In eundem modum . . potestati et consilio Faventino.

In eundem modum . . potestati et consilio Mantuano usque: procuratores idoneos pre manibus habeatis, ita sufficienter etc. usque: sollicite provisuri, ut quantum in vobis est, super hiis provenire valeat quod optamus, cum timendum sit etc. usque in finem.

709.

Gregorius IX papa [Raynaldo] episcopo Ostiensi et Th[omae] presbytero cardinali mandat, ut universos per Lombardiam, marchiam Tervisinam et Romaniolam constitutos inducant, ne guerram inter se facere praesumant. *1237, Mai. 31.*

Greg. IX Reg. Lib. XI, 80. Hanc epistolam, quam Rayn. Ann. eccl. a. 1237 § 1 commemorat, damus ex Sarioli, Ann. Bologn. t. III, II, p. 169, n. 616 et Coll. Laporte du Theil ap. Huillard-Bréholles, l. c. t. V, p. 78, qui Reg. exscripserunt.
Potthast, Reg. 10381.

Episcopo Ostiensi et Th. tituli Sancte Sabine presbytero cardinali, apostolice sedis legatis.

Presentium vobis auctoritate mandamus, quatenus universis potestatibus, consiliis, rectoribus et populis[a] civitatum seu locorum per Lombardiam, marchiam Tervisinam et Romaniolam constitutis districtius inhibere curetis, quod inter se ad invicem aliquam guerram facere non presumant: contradictores et rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo.

Dat. Viterbii, II Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno XI.

710.

Gregorius IX papa Henrico de Ravello senescalco imperiali in Provincia mandat, ut a molestatione [Iohannis] archiepiscopi et ecclesiae Arelatensis desistat; alioquin [Arnaldum II] episcopum Nemausensem cum ad id compulsurum esse. *1237, Aug. 8.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 313; Lib. XI, 181.
Potthast, Reg. 10427.

a) *H. B.;* prepositis *Sar.*

Nobili viro Henrico de Ravello, senescalco imperiali in Provincia, spiritum consilii sanioris.

In hoc potissime signa paterne dilectionis exprimimus, quod cuilibet filiorum ecclesie devitare divine voluntati contraria suggeramus. Cum igitur sicut accepimus tu, non advertens quod Deo reputatur exhibitum quicquid alicui suorum contingat fieri ministrorum, venerabilem fratrem nostrum . . archiepiscopum Arelatensem et ecclesiam suam ac terras eiusdem cum quibusdam aliis divino timore carentibus graviter persequaris, nobilitatem tuam rogamus et hortamur attentius mandantes, quatinus a predictorum archiepiscopi et ecclesie ac terrarum omni prorsus molestatione desistens, sicut divinam gratiam diligis, in nullo presumas offendere statum ecclesiastice libertatis. Alioquin venerabili fratri nostro episcopo Nemausensi nostris damus litteris in mandatis, ut te ad id monitione premissa[a] per censuram ecclesiasticam appellatione remota previa[b] ratione compellat.

Dat. Viterbii, VI Idus Augusti, anno undecimo.

. . potestati et populo Avinionensi spiritum consilii sanioris; consilio et populo Arelatensi et nobili viro comiti Provincie[1], ut archiepiscopo Arelatensi contra Henricum de Ravello subsidium ferant.

711.

Gregorius IX papa Assisinatibus potestatem et alios officiales eligendi facultatem concedit. *1237, Sept. 3.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 321; Lib. XI, 220.
Potthast, Reg. 10442.

. . potestati, consilio et populo Asisinati.

Quia vos filios reputamus ecclesie speciales, prompti libenter habemur ad gratiam, quam vobis fore perpendimus oportunam. Vestris igitur supplicationibus inclinati, ut in civitate vestra potestatem et alios officiales sicut cetere civitates ducatus Spoletani libere creare possitis, non obstante ordinatione contraria per sedem apostolicam confirmata, vobis auctoritate presentium concedimus facultatem[2]. Nulli ergo — nostre concessionis etc. Siquis autem etc.

Dat. Viterbii, III Nonas Septemb. anno undecimo.

712.

Gregorius IX papa [Wilhelmo] episcopo quondam Mutinensi mandat, ut litem [Henrici] Lubusensis, [Henrici] Misnensis, [Conradi III] Caminensis et [Gernandi] Brandeburgensis episcoporum, de limitibus dioecesium suarum contendentium, dirimat. *1237, Sept. 7.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 325; Lib. XI, 238.
Potthast, Reg. 10444.

a) *ita correctius ap. Huillard-Bréholles, l. c. t. V, p. 108 pro* previa *apogr. nostri.* b) *ita ibid. pro* predicta.

1) *Raymundo Berengario IV.* 2) *Haec concessio ad verbum iam in n. 644 legitur.*

. . episcopo quondam Mutinensi, apostolice sedis legato.

Onus suscepti regiminis nos induxit, ut omnes actus nostros per equitatis semitas dirigentes, delatis ad nos implicitis questionibus explicatis, ius suum cuique postulanti tribui faciamus. Cum igitur venerabiles fratres nostri . . Lubusensis, . . Misnensis, . . Caminensis et . . Brandeburgensis episcopi super limitibus suarum diocesum sicut convenit non distinctis inter se ad invicem sepe contendant, prout eiusdem Lubusensis presentata nobis petitio continebat, et propter hoc ipsi et eorum ecclesie dampna gravia sustineant et iacturas et pericula etiam proveniant animarum: nos, cupientes contentionem huiusmodi amputari et indempnitati eorum ac animarum saluti paterna clementia provideri, negotium ipsum tue providentie, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, duximus committendum, per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus personaliter ad locum accedens, vocatis qui propter hoc fuerint evocandi, sic predictas dioceses equitate previa provide limitare procures, cuilibet episcoporum ipsorum suo iure servato, quo quemlibet statuas manere contentum, quod sollicitudinem tuam possimus exinde non inmerito commendare; contradictores etc.

Dat. Viterbii, VII Idus Septembris, anno undecimo.

713.

Gregorius IX papa Fridericum Romanorum imperatorem rogat, ut cum crucesignati Franciae et aliarum provinciarum parati sint proximo festo beati Iohannis Baptistae [Iun. 24] in Terram Sanctam transire, iis in omnibus ad passagium opportunis consilium et auxilium impendat; mittit ad eum de hac re Th. monachum Sancti Anastasii de Urbe.

1237, Nov. 2.

Greg. IX Reg. Vol. V, 331; Lib. XI, 281. Pertzii exemplar supplevimus ex Rayn. a. 1237, § 80—82. Potthast, Reg. 10477.

Friderico, Romanorum imperatori semper augusto, Ierusalem et Sicilie regi illustri.

Inclinavit celos in auxilium nostrum descendens Altissimus, zelique gladio potenter 2. Reg. 22,10
accinctus ipsum elimat et elimatum exacuit, ut Terram Sanctam de manibus impiorum eripiat ac unigeniti sui pedibus inimicos ipsius pro scabello supponat. Porro ipsum, Hebr. 10,13.
qui etsi principaliter, non tamen solus hoc certamen aggreditur, comitum, baronum, militum et aliorum crucesignatorum Francie et diversarum provinciarum innumerabilis exercitus comitatur, vindicare Redemptoris qui effusus est sanguinem et pro Christi iniuria paratus sumere de Christi hostibus ultionem: qui ne a tam salubri proposito contraria et perversa possent demonis vel hominis suggestione subverti, se ad transeundum in terram predictam in festo beati Iohannis Baptiste proximo futuro, in necessitatem voluntate transfusa, duplici obligarunt vinculo iuramenti; propter quod a nobis instanter expostulant, ut ad eorum in termino predicto passagium apostolice sedis inclinemus et tuum precibus inducamus assensum. Habet autem favorem illorum petitio comitem et ex sua parte in suum adducit patrocinium rationem, quod quanto magis differtur predicte terre subsidium, tanto ipsam periculosius opprimit et vires fortiores sumit impietas paganorum, crucesignati etiam, quorum quidam[a] possessiones

[a]) quidem *Rayn.*

suas pro apparatu suo sunt compulsi distrahere, nonnulli vero inopem victum longi temporis in sustentationem transmarini itineris effundere sunt coacti, huiusmodi apparatum in necessariis coguntur vite consumere, sicque ex hoc ad prefatum subsidium reddentur inhabiles et efficientur ex mora, que semper paratis nocuit[1], ad transitum impotentes, et si nunc oblatum renuimus ordinatione divina subsidium, cum iterato invocabitur Dominus, forsan precibus nostris divina subtrahet maiestas assensum. Nunquid non merito nobis irascitur Dominus, si eius gladium a suorum hostium sanguine prohibemus? Nunquid, si ex culpa nostra Dominicus gladius in vaginam revertitur, iterum secundum humane dispositionis beneplacitum exeretur? Legimus Cant. 5,6. enim, quod sponsa, que pulsanti sponso pessulum ostii non statim aperuit, eo declinante quesivit illum postmodum, nec invenit. Quocirca serenitatem tuam rogandam duximus attentius et monendam, quatenus id ad examen imperialis providentie referens, et processurum ex dilatione dispendium et ex processu commodum proventurum in libra rationis appendens, in hac parte crucesignatis eisdem assentias et eis in navigiis, portubus, victualibus et aliis ad passagium opportunis consilium, auxilium tribuas et favorem, ut sicut eiusdem terre liberatio tuum et dilecti filii nostri nobilis viri Conradi nati tui respicit honorem et commodum, sic te precipuum in numero sentiat adiutorum[a], et a Deo, cuius in hoc nichilominus causam[b] prosequeris, ad retributionis iustorum participium admittaris. Ad hoc autem negotium diligentius et efficacius apud imperialem excellentiam prosequendum fratrem Th.[c] monachum Sancti Anastasii de Urbe Cisterciensis ordinis, virum providum et discretum, ad tuam presentiam destinamus.

Dat. Laterani, IV Non. Novemb. anno undecimo.

714.

Gregorius IX papa Fridericum Romanorum imperatorem rogat, ut Theod. monacho Sancti Anastasii de Urbe credat, quae ipsi de negotio Terrae Sanctae proponat. Cf. n. 713.

1237, Nov. 4.

Greg. IX Reg. Vol. V, 335; Lib. XI, 285.
Potthast, Reg. 10478.

Friderico, Romanorum imperatori etc.

Cum pro negotio Terre Sancte fratrem Theod. monachum Sancti Anastasii de Urbe Cisterciensis ordinis, virum providum et discretum, ad tuam presentiam destinemus, imperialem excellentiam duximus attentius exorandam, quatinus ei super hiis, que coram serenitate tua ex parte nostra super eodem negotio proponenda duxerit, fidem indubitatam adhibere procures.

Dat. Lateran. II Non. Novemb. anno undecimo.

715.

Gregorius IX papa [Landoni] archiepiscopo Messanensi mandat, ut si imperator induci nequiverit, ut crucesignatis Franciae proximo festo beati Iohannis Baptistae trans-

a) *ita R.;* adiutorem *Rayn.; hucusque ex Rayn.* b) circa causam *R.* c) *ita in apogr. Pertzii; Huillard Bréholles, l. c. t. V, p. 128* Thomam; *minus recte, nam in n. 714 idem* Theod. *vocatur.*

1) *Cf. Lucani Phars. I, 281.*

fretare paratis in navigiis aliisque rebus auxilium impendat, sollicite procurare studeat, ut iis in alio passagio statuendo hoc promittat. *1237. Nov. 4.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 335; Lib. XI, 286.
Potthast, Reg. 10479.

. . archiepiscopo Messanensi.

Accedentes ad apostolicam sedem nuntii crucesignatorum Francie nobis cum instantia supplicarunt, ut cum ad transeundum in Terram Sanctam in festo beati Iohannis Baptiste proxime futuro se duplici obligarint vinculo iuramenti, ad eorum in termino predicto passagium nostrum inclinemus et karissimi in Christo filii nostri Friderici Romanorum etc. precibus inducamus assensum; propter quod nos attendentes, quod quanto magis etc. ut supra in CCLXXXIV littera[1] usque: impotentes, eundem imperatorem duximus attentius exorandum, ut id ad examen etc. usque: sentiat adiutorum. Ideoque fraternitatem tuam rogandam duximus et monendam, per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus super hoc apud dictum imperatorem interponens efficaciter partes tuas, ipsum ad id prudenter inducas. Quod si ad hoc induci nequiverit, apud eundem, quod nobis et crucesignatis eisdem voluntatem suam super hoc per suas patentes litteras plene rescribens, ipsis in alio passagio statuendo in navigio et aliis premissis promittat consilium, auxilium et favorem, sollicite studeas procurare, ita quod ex hoc diligentiam tuam merito commendemus.

Dat. ut supra.

In eundem modum . . magistro hospitalis sancte Marie Teutonicorum[2].

716.

***F**ridericus Romanorum imperator Gregorio IX papae scribit, cum crucesignati Franciae ad monita sua[3] passagium a primo venturo beati Iohannis usque ad sequentis anni festum distulerint, se iis promisisse, quod eos de prorogatione passagii ultra terminum[a] supradictum rogaturus non sit, quin potius per regnum transituris in omni consilio et auxilio adesse intendat, qua de re iis litteras bulla aurea munitas indulserit[4].*

1237. Dec. 7.

Greg. IX Reg. Vol. VI, 67; Lib. XII, 360[5].
Böhmer-Ficker, Reg. Frid. II, n. 2296.

717.

***G**regorius IX papa Bartholomaeo et Andreae Octaviani capellanis suis mandat, ut in potestatem, consiliarios, Aldebrandinum dictum balivum et populum Viterbiensem, nisi iidem ad*

[a]) *ita R., ut V. Cl. A. Mau nobis scripsit; ap. Rayn. a. 1238, § 37* triennium.

1) *n. 713.* 2) *Ut Rayn. a. 1237, § 83 monet, 'porro ad Senonensem et Rothomagensem archiepiscopos scripsit [Lib. XI, 287], si Fridericus ad traiectionem instruendam adduci non posset, Francos cruce insignitos etiam sacramento adeundo itineri obstrictos ad sequentem annum rem differre iuberent'.* 3) *i. e. imperatoris; ap. Bohmer-Ficker, l. c. male 'auf des pabstes veranlassung'.* 4) *Bohmer-Ficker, l. c. n. 2297.* 5) *Epistola circa annum post receptionem Reg. inserta est*

mandatum ecclesiae humiliter revertantur, excommunicationis et interdicti sententias promulgent. *1237. Dec. 8.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 339–340; Lib. XI, 312.

Bartholomeo et Andree Ottaviani capellanis nostris.

Es. 19,14 In medio Viterbiensium spiritum vertiginis videtur Dominus miscuisse, dum in omnibus suis operibus erraverunt sicut ebrii et vomentes. Ipsi enim, quasi gens consilio perdita in quibus non est penitus disciplina, tamquam ingratitudinis filii, immo velut proditores iniqui, non contenti quod lege nature contempta, reiecta disciplina iustitie et observatione fidei relegata variis proditionum generibus ad mortem invicem se venantur, contra nos et Romanam ecclesiam matrem suam, que pluries eos a multis angustiis liberavit et ut eos redimeret effudit quodammodo semet ipsam, extento collo et erecta cervice rebellionis spiritum assumentes, sic impudentes, sic superbe contra se provocare offensam divini nominis presumpserunt, quod iniquitates ipsorum pene sunt notorie toti mundo, immo transcendunt iam nubes scelera eorundem, que nos absque animi periculo et dispendio fame nostre impunita transire sub dissimulatione ulterius non valemus. Nam sic eos propria excecavit malitia, quod nec ipsos compescuit nostra et fratrum nostrorum presentia[1], quorum saltem facies erubescere debuerunt, nec inhibitio pluries inculcata et excommunicationis sententia, in .. potestatem, consilium, Aldebrandinum, qui se gerit pro balivo Viterbiensium, ac sequaces eorum a nobis prolata, potuerunt aliquatenus refrenare, quin cum sint attrite frontis et impudibundam faciem[a] assumpserint meretricis, humanum sanguinem manus eorum crudelis effunderet ac alia diversa indigna relatu maleficia perpetraret:
Ephes. 5,6. propter quod non immerito formidatur, ne in eos tamquam in filios diffidentie veniat ira Dei et gladium suum exacuat sicut fulgur ac agat de ipsis iudicium manus sua, quoniam si terra consurgeret contra eos et ipsa etiam elementa coniurarent in eorum
Ierem. 29,18. exidium et ruinam, ut essent cunctis gentibus in sibilum et stuporem, ultio de ipsis sumi non posset sufficiens sive digna. Licet igitur non debeamus[b] ad eos monitiones dirigere set potius ultiones, ut per flagella condigna eorum flagitiis revelatis memoriale ipsorum cunctis audientibus abhominabile redderetur, cupientes tamen proniores inveniri
Habac. 3,2. ad veniam quam ad iram, illius secuti doctrinam qui cum iratus fuerit misericordie recordatur, devotioni vestre mandamus, quatinus Viterbium personaliter accedentes potestatem, consiliarios, eundem Aldebrandinum et populum Viterbiensem moneatis attentius et efficacius inducatis, ut super hiis, pro quibus predicti potestas, consiliarii et Aldebrandinus ac sequaces eorum censuram ecclesiasticam incurrerunt, et super omnibus offensis et iniuriis Romane ecclesie irrogatis precise, pure et absolute ad mandatum ecclesie humiliter revertantur. Quod si facere noluerint a vobis moniti diligenter, prefatos potestatem, consiliarios, Aldebrandinum, balivos artium universos ac sequaces eorum denuntietis excommunicationis sententie subiacere ac civitatem Viterbiensem supponatis ecclesiastico interdicto, et faciatis utramque sententiam usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari, easdem per omnes civitates et loca, in quibus expedire videritis, sollempniter publicatas singulis diebus dominicis et festivis pulsatis campanis et candelis accensis publice innovando. Et quia ubi contemptus augetur, pena gravior est augenda, volumus et mandamus, ut si iamdicti Viterbienses in huiusmodi pertinacia duxerint persistendum, civitatem eandem per

a) frontem *R.; cf. n. 719.* b) debemus *R.*

1) *A medio mense Mart. usque ad initium mensis Oct. huius anni Viterbii commoratus est; vide Potthast.*

totum patrimonium diffidetis, ita quod res et bona eorum, ubicumque fuerint, impune capiantur et detineantur, donec redeant ad mandatum, et eisdem Viterbiensibus vicinarum civitatum et locorum faciatis commercia interdici: contradictores etc.: expresse contestantes eisdem, quod si nec sic ad mandatum nostrum curaverint prona mente redire, contra eos spiritualiter et temporaliter aggravare curabimus alias taliter[a] manus nostras, ut quibuscumque culpa ipsa fuit in scandalum, pena sit in exemplum.

Dat. Lateran. VI Idus Decemb. pontificatus nostri anno undecimo.

In eundem fere modum nobilibus viris comitibus, baronibus, potestatibus, rectoribus, militibus et universis fidelibus nostris per patrimonium constitutis usque in finem. Quia vero filii non possunt matris opprobria illi exprobrantium equanimiter sustinere, et vos tamquam devotos ecclesie Romane filios non potest non comedere zelus eius, universitati vestre sub debito fidelitatis districte precipiendo mandamus, quatinus cum a nobis super hoc fueritis requisiti, ad predictorum Viterbiensium superbiam conterendam vos potenter et viriliter accingatis.

Dat. ut supra.

718.

Gregorius IX papa [Uberto] episcopo Comensi mandat, ut Rudolfo de Grifenstein, qui necem [Berchtoldi] episcopi Curiensis commiserit, eiusque complicibus terminum transfretandi in Terram Sanctam usque ad proximum festum beati Iohannis Baptistae [Iun. 24] proroget. *1237, Dec. 23.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 312; Lib. XI, 323.
Potthast, Reg. 10490.

. . episcopo Cumano.

Intellecta dudum atrocitate horrendi facinoris, quod nobilis vir Rodulphus de Grifenstein lator presentium in nece[b] bone memorie . . Curiensis episcopi[1] diabolo instigante commisit, et eodem Rodulpho cum humilitate petente reconciliari ecclesie matri sue, inter cetera, que sibi dilectus filius frater Rain.[2] penitentiarius noster post impensum ei iuxta formam ecclesie beneficium absolutionis sub debito prestiti iuramenti mandavit, iniunxit eidem, ut signo crucis assumpto in proximo tunc generali passagio statuendo a Romana ecclesia transfretaret in subsidium Terre Sancte, per certum terminum in eiusdem terre obsequio moraturus. Nos quoque, suggesto nobis postmodum quod indulta ei dilatio esset periculum allatura, tibi dicimur mandavisse, ut ipsum ad transfretandum absque more dispendio per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo[c] coartares[3]. Ceterum, quia sicut ex parte sua fuit propositum coram nobis, sic ipsum ad transfretandum in assignatione termini artavisti, lata in eum et predictos qui cum eo fuerant excommunicationis sententia, si cum eis in assignato sibi termino non transiret, quod nec sarcinulas suas componere nec alias sibi poterat in necessariis providere, mandamus, quatinus, si est ita, lata in eum excommunicationis sententia iuxta formam ecclesie relaxata, terminum ei usque ad festum

a) aliter *R.* b) necem *R.* c) sub apostolica obedientia *apogr. Pertzii: cf. p. 475, not. a.*

1) *a. 1233, Aug. 25 interfecti.* 2) *Hunc esse credimus Raynerium poenitentiarium, qui in litteris pontificalibus saepius commemoratur; cf. Sbaralea, Bull. Franc. t. I, p. 189, not. a.* 3) *Summarium huius epistolae a. 1235, Iul. 28 datae legitur ap. Rayn. a. 1235, § 19; minus accurate ap. Potthast, Reg. 9976.*

beati Iohannis proximo venturum[1] studeas prorogare, mandans eidem nobili ut exinde non recedat absque sedis apostolice licentia spetiali, et suis ut ad minus per biennium in servitio predicte terre morentur. Si vero transire in predicto termino non curarit, ipsum dilatione ac excusatione cessantibus in excommunicationis sententiam reducere non postponas et facias eam per loca, in quibus expedire videris, solempniter publicari, processurus nichilominus contra eos, prout videris expedire.

Dat. Lateran. X Kal. Ianuarii, anno XI.

719.

Gregorius IX papa episcopo Balneoregiensi mandat, ut civitatem Viterbiensem propter eius facinora sententiae interdicti supponat. Cf. n. 717.

1238, Ian. 11.

Greg. IX Reg. Vol. V, 345—346; Lib. XI 342.
Potthast, Reg. 10496.

. . episcopo Balneoregensi.

Ioh. 20,27. Si contra Viterbienses, iniquitatis filios, terra consurgeret et iniquitates eorum celi sydera revelarent ac manifestarent ipsorum scelera toti mundo, ut non solum homines
Ierem. 29,18. set etiam elementa ipsa coniurarent in eorum excidium et ruinam, ut essent cunctis gentibus in sibilum et stuporem, ultio de illis sumi non posset sufficiens sive digna. Nam sic eos propria excecavit malitia, quod nec ipsos compescuit nostra et fratrum nostrorum presentia, quorum saltem facies erubescere debuerunt, nec inhibitio pluries inculcata et excommunicationis sententia, in . . potestatem, consilium et Aldebrandinum, qui se gerit pro balivo communitatis Viterbii, ac sequaces eorum a nobis prolata, potuerunt aliquatenus refrenare, quin cum sint attrite frontis et impudibundam faciem assumpserint meretricis, humanum sanguinem manus eorum crudelis effunderet ac alia diversa indigna relatu maleficia perpetraret; et licet illos, ut redirent ad mandatum ecclesie, per dilectos filios Bartholomeum et Andream Octaviani capellanos nostros moneri fecerimus diligenter, ipsi, eligentes perire potius quam parere, id efficere pertinaciter renuerunt; propter quod iidem capellani prefatos potestatem, consiliarios, Aldebrandinum, balivos artium universos ac sequaces eorum denuntiaverunt excommunicationis sententie subiacere. Ut igitur acrior pena pungat quos nulla penitus hactenus penitudo compunxit, nos civitatem ipsam et cives per totum patrimonium diffidantes, ita quod res et persone ubicumque fuerint licite capiantur et detineantur impune, donec redeant ad mandatum, rectore loci, potestate vel domino, qui hec fieri prohibuerit, ipso facto excommunicationis sententiam incursuro, fraternitati tue per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatinus sicut apostolice sedis et nostram gratiam caram habes et proprium zelaris honorem, civitatem Viterbiensem supponas visis presentibus sententie interdicti, et tam eandem quam predictam excommunicationis sententias facias usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari, utramque per omnes civitates et loca, in quibus expedire videris, sollempniter publicatas singulis diebus dominicis et festivis pulsatis campanis et candelis accensis publice innovando, ac civitatem et cives predictos per totum patrimonium denuntiari facias diffidatos, et eisdem Viterbiensibus vicinarum civitatum

1) *Papa epistolam imperatoris Dec. 7 datam [n. 716], qua ei nuntiarit crucesignatos Franciae terminum transfretandi usque ad festum beati Iohannis a. 1239 prorogasse, nondum recepisse videtur.*

et locorum commercia interdici, ac universos clericos cuiuscumque religionis vel ordinis de civitate ipsa exire compellas, sex duntaxat sacerdotibus, tribus de Predicatorum et tribus de Minorum fratrum ordinibus, relictis ibidem, qui penitentiam morientibus et parvulis baptisma ministrent, ad eam nullatenus reversuri absque nostra licentia speciali: contradictores etc.

Dat. Lateran. III Id. Januar. anno undecimo.

720.

Gregorius IX papa R. de Supino crucesignato, rectori ducatus Spoletani, qui ad Viterbiensium superbiam conterendam sponte se obtulerit, plenam suorum peccaminum veniam indulget. *1238, Ian. 16.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 319; Lib. XI, 355.

. . nobili viro R. de Supino[a] crucesignato, rectori Spoletani ducatus.

Cum olim de superni dispositione consilii pro subsidio Terre Sancte non solum terram relinquens set personam etiam devotus exponens de manibus nostris assumpseris signum crucis, ac postmodum propter instantem necessitatem imperii Romanie magno discrimini subiacentis ad commonitionem nostram in subsidium eiusdem imperii votum huiusmodi duxeris commutandum, et nunc tamquam devotus ecclesie filius illatas a Viterbiensibus iniurias ecclesie matri tue non valens equanimiter sustinere, ad illorum superbiam conterendam sponte obtuleris temetipsum: nos zeli tui fervorem dignis in Domino laudibus commendantes ac prosequentes actionibus gratiarum, plenam tibi tuorum peccaminum, de quibus veraciter corde contritus et ore confessus es, veniam indulgemus, similem universis vere penitentibus et confessis, qui tecum collaborando in huiusmodi obsequio sponse Christi decesserint, indulgentiam largientes.

Dat Lateran. XVII Kal. Februarii, anno XI.

721.

Gregorius IX papa [Uffoni] archiepiscopo Lundensi et [Nicolao] episcopo Roskildensi significat, [Waldemarum] regem Danorum a se petivisse, ut pro concordia inter reges Danorum et Sclavos reformanda quandam neptem suam B[arnimo] duci Pomeraniae, cui eadem in quarto gradu attinere dicatur, in matrimonium tribuere sibi liceat; mandat iis, ut de his veritatem inquirant. *1238, Ian. 29.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 355; Lib. XI, 380.
Potthast, Reg. 10512.

. . archiepiscopo Lundensi et . . episcopo Roskildensi.

Karissimi in Christo filii nostri . . illustris regis Danorum lecta coram nobis petitio continebat, quod cum inter clare memorie reges Danorum ex parte una et

a) Supin *R.*

Sclavos ex altera gravis discordia sit et fuerit ab antiquo, ex qua multa corporum et animarum pericula acciderunt, de consilio peritorum habuit, quod pro reformanda inter ipsos et Sclavos eosdem concordia salutari quandam neptem suam[1] nobili viro B. duci Pomeranie, cui eadem in quarto gradu attinere dicitur, tribuat in uxorem. Quare dictus rex nobis humiliter supplicavit, ut eidem perficiendi parentelam huiusmodi de benignitate solita licentiam largiremur. Quia vero nobis non constitit de premissis, fraternitati vestre, de qua plenam in Domino obtinemus fiduciam, per apostolica scripta mandamus, quatinus inquisita super premissis diligentius veritate, quod inveneritis, nobis fideliter rescribatis, ut vestra relatione sufficienter instructi, quod super hoc expedire viderimus, disponamus[2].

Dat. Lateran. IV Kal. Februarii, pontificatus nostri anno XI.

722.

Gregorius IX papa Friderico Romanorum imperatori conqueritur, quod officiales eius castrum Aquaevivae ecclesiae Romanae speciale occupaverint et iurisdictionem indebitam in Marchia sibi vindicaverint: rogat, ut haec emendari faciat.

1238, Mart. 4.

Greg. IX Reg. Vol. V, 362; Lib. XI, 418.

Friderico, Romanorum imperatori semper augusto, Ierusalem et Sicilie regi illustri.

Adhuc instant pessimi, qui ab incentore malorum omnium instigati inter te ac Romanam ecclesiam matrem tuam, que te ab uberibus lacte dulcedinis educavit, suscitare materiam scandali molientes, in offensam ipsius ecclesie non absque multorum scandalo inofficiose prosiliunt, interesse non tuum prosequi set ipsorum proprium arbitrantes, et pensando diabolo suggerente quod in aqua turbida piscantur confidentius emuli piscatores. Nuper enim officiales tui, forsan citra conscientiam tuam, metas officii excedendo ad iura sedis apostolice manus temerarias extendentes, castrum Aquevive[3] ipsius ecclesie speciale presumptione dampnabili occuparunt, et ipsum occupatum pro sua voluntate tenentes ac iurisdictionem indebitam in Marchia sibi temere vendicantes, ponunt banna, proponunt edicta, faciunt prohibitiones, ac alia de facto ibidem exercere nituntur, ac si ad eos in terra ecclesie huiusmodi iurisdictio pertineret. Attende igitur, fili karissime, et considera, si hec sunt equanimiter toleranda, si absque dampno conscientie ac fame dispendio possumus conniventibus oculis pertransire. Ne vero in matre tua periculose dissimules, quod iuste in alio nullatenus tolerares, et culpas officialium tuorum facias proprias per consensum, cum error cui non resistitur approbetur: imperialem excellentiam rogamus, monemus et hortamur attentius, quatinus premissa sic efficaciter et sic celeriter facias emendari et huiusmodi presumptores debita severitate percelli, quod hec de conscientia tua non esse operum exhibitione demonstres et nobis nulla propter hoc turbationis materia relinquatur. Nos enim contra presumptores eosdem nichilominus auctore Domino officii nostri debitum exequemur.

Dat. Lateran. IIII Non. Martii, anno undecimo.

1) *Mariannam nomine filiam Alberti comitis de Orlamunde; cf. Klempin, Pomm. U.B. t. I. p. 275–282.* 2) *a. 1238, Sept. 4 papa petitam licentiam concessit; Potthast. Reg. 10652.* 3) *In meridionali Marchiae parte.*

723.

Arbitrium Iohannis tituli Sanctae Praxedis presbyteri cardinalis de pecunia, quam Huguicio Iohannis Icte et Leo fratres, cives Romani, quondam T[heoderico] archiepiscopo Coloniensi mutuo dederant. *1238. Mart. 5.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 367—368; Lib. XI, 162.

Huguicioni Iohannis Icte et Leoni fratribus, Romanis[1].

In nomine Domini. Nos Iohannes miseratione divina tituli Sancte Praxedis presbyter cardinalis notum fieri volumus universis presentem paginam inspecturis, quod cum causa, que super quadam pecunie quantitate inter Huguicionem Iohannis Icte et Leonem fratrem suum, cives et mercatores Romanos, ex una parte et venerabilem patrem Coloniensem archiepiscopum ex altera vertebatur, nobis esset a domino papa commissa, predicto Huguicione pro se et procuratoris nomine pro Leone prefato ac Theoderico procuratore archiepiscopi memorati in nostra presentia constitutis, idem Huguicio libellum parti adverse in hac forma porrexit: 'Coram vobis, venerande pater domine cardinalis, quem dominus papa dedit partibus auditorem, peto ego Huguicio Iohannis Icte pro me et fratre meo Leone, cuius sum procurator, quod cum nos domino T. Coloniensi archiepiscopo in Romana curia existenti[2] tantam mutuaverimus pecunie quantitatem, quod idem confessus est se nobis teneri in mille centum quinquaginta marcis bonorum, novorum et legalium sterlinguorum, tredecim solidis et quatuor sterlingis pro marca qualibet computatis, et eandem reddere nobis aut uni nostrum aut certo nostro nuntio tunc in proximis nundinis sancti Aigulfi promiserit[a], quatuor diebus antequam clamaretur: Hare! Hare![3], tali tenore adiuncto quod si dictis loco et termino non solveret, teneretur de singulis nundinis in nundinas solvere marcam unam pro singulis decem marcis cum expensis unius mercatoris, cum uno equo et uno serviente usque ad solutionem totius debiti, cum dampno, expensis et interesse: unde peto, ut cum in dicto termino nec postea fuerit eadem summa soluta, venerabilem patrem . . nunc Coloniensem archiepiscopum[4], qui eidem successit in onere et honore, ad solutionem plenariam dictarum mille centum quinquaginta marcarum compellatis, et peto ipsum condempnari iuxta conventionem ad satisfactionem dampnorum, expensarum et interesse, que omnia extimo duodecim milia marcarum, salvo iure etc.[b]' Set dictus procurator litem contestando negavit vera esse in libello narrata et dixit petita fieri non debere. Lite igitur coram nobis legittime contestata et ab utraque parte prestito calumpnie iuramento, dictus Huguicio suam intentionem super sorte petita tam per litteras dicti T. Coloniensis archiepiscopi quam per publica instrumenta in iudicium coram nobis producta fundavit, exceptiones quasdam parte altera opponente, in quarum probatione in diversis sibi Pruvini[c], Bononie et Rome terminis assignatis defecit. Nos igitur auditis hinc [inde][d] propositis, quia prefatus Huguicio confessus est in iudicio coram nobis, quod principalis et vera sors predicti mutui tan-

[a]) promisit *R.* [b]) *authenticum ita fere perrexisse videtur:* addendi, si maiora fuerint dampna, expense et interesse; *cf. ep. a. 1240, April. 21 et Ficker, Ital. Forsch. t. IV. p. 328.* [c]) Pruvin *R.* [d]) inde *deest in R.*

1) *Forma inscriptionis indicare videtur arbitrium a papa confirmatum esse.* 2) *Hic a. 1212 post depositionem suam Romam profectus erat, ubi ut restitueretur, frustra laboravit. De debitis ab eo contractis cf. Ficker, Engelbert der Heilige, p. 58.* 3) *Nundinae sancti Aigulfi Pruvini [Provins, dep. Seine et Marne] mense Sept. habebantur. Finem earum indicebat praeco, qui stratas percurrens Hare! Hare! clamabat. Iubainville, Hist. des ducs et des comtes de Champagne, t. III. p. 233 et 234.* 4) *Henricum.*

tum nungente octoginta tres marce extitit sterlinguorum, et se ac memoratum fratrem suum expendisse ducentas octoginta marcas sterlinguorum in advocatorum salariis et aliis necessariis pro eodem recuperando debito preeunte nostra taxatione iuravit, nec non dampna propter hoc multiplicia incurrisse, que triginta septem marcarum excedebant valorem, recepto domini pape mandato ad sententiam proferendam, habito etiam prudentum virorum et specialiter venerabilis fratris domini Egidii Sanctorum Cosme et Damiani diaconi cardinalis consilio, partem dicti archiepiscopi et ipsum archiepiscopum, qui multotiens et perentorie ad sententiam audiendam citatus nec venit nec misit idoneum responsalem, non obstante ipsius absentia corporali, in mille trecentis marcis bonorum, novorum et legalium sterlingnorum tredecim solidis et quatuor sterlingis pro marca qualibet computandis, ipsis civibus condempnamus, in ceteris aliis in libello contentis partem archiepiscopi et ipsum archiepiscopum sententialiter absolventes. Unde ad futuram memoriam presens scriptum per manus Andree scriniarii fieri fecimus, nostri et venerabilis fratris[a] domini Egidii cardinalis iamdicti sigillorum munimine roboratum.

Actum Rome, anno Domini MCCXXXVIII, indictione XI, mense Martii, die V, pontificatus domini Gregorii IX pape anno undecimo.

Lata fuit hec sententia in palatio Augusti[b], in presentia magistri Bernardi, domini Petri Moronti, magistri Caputferrei clericorum, et dominorum Odonis Iordani, Iohannis Andree, Iacobi de Cataldo et Iohannis Rustici militum, ad hec testium rogatorum.

Et ego Andreas sancte Romane ecclesie scriniarius de mandato venerabilis patris domini Iohannis tituli Sancte Praxedis presbyteri cardinalis predicti hanc sententiam scripsi et signum feci.

724.

Gregorius IX papa Fridericum Romanorum imperatorem rogat, ut crucesignatis, qui in subsidium periclitantium Latinorum contra Graecos schismaticos et haereticos se accinxerint, favorabilem se exhibeat. *1238, Mart. 12.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 365; Lib. XI, 117.
Potthast, Reg. 10534.

Friderico, illustri Romanorum imperatori semper augusto etc.

Postquam Grecorum populus ab obedientia Romane ecclesie declinavit, non solum contra eandem ecclesiam scisma fovit, verum etiam sic degeneravit de filio in privignum et vanis ac variis diversarum heresum nexibus se ingessit, quod Greciam pene totam heretice pravitatis zizania infecerunt, propter quod in abhominationibus suis contra eos Dominus ad iracundiam provocatus, ut super eum[c] sanguis veniret
Matth. 21,41 ipsius, vocavit electos suos, et ingressi sunt portas eius, per quos perditis male malis vineam suam locavit aliis agricolis excolendam, tradens Grecorum imperium in manibus Latinorum; pro cuius conservatione[d] quanto sudore laboratum sit hactenus quantoque labore sudatum, imperialem excellentiam credimus non latere. Set peccatis exigentibus adeo diminuta est et diminuitur potentia Latinorum, invalescentibus contra eos graviter inimicis, quod nisi celeriter eidem imperio succurratur, Latinis ipsis

a) patris *R.* b) Auguste *R.* c) *ita R.* d) observatione *R.*

irreparabile personarum et rerum imminet detrimentum, immo universis catholicis confusio et opprobrium sempiternum. Quia vero nimis esset non solum impium set etiam inhumanum, si reliquias Latinorum, que remanserunt ibidem, ab inimicis Dei et ecclesie perire, dum potes succurrere, patereris, presertim cum excellentie imperialis intersit huiusmodi superborum humiliare superbiam, qui contra Deum principaliter et Romanam ecclesiam calcaneum dampnabiliter erexerunt: imperialem celsitudinem rogamus, monemus et hortamur attentius, adiurantes per dominum Iesum Christum, quatinus Christi fidelibus, qui divinitus inspirati ad commonitionem nostram assumpto vivifice crucis signo se contra predictos scismaticos et hereticos in eiusdem imperii subsidium magnanimiter accinxerunt, te favorabilem exhibens, eis tam in securo conductu, si opus fuerit, quam alias iuxta magnitudinem tuam tanquam princeps catholicus impendas consilium, auxilium et favorem: ad quod melius et efficacius promovendum dilectum filium magistrum Gregorium subdiaconum et notarium nostrum, virum utique providum et expertum, ad tuam presentiam duximus destinandum, rogantes attentius ut ipsum oculo sereno respiciens, eius monitis, immo nostris potius acquiescas, et que tibi ex parte nostra dixerit, credere ac efficaciter studeas adimplere.

Dat. Lateran. IIII Idus Martii, anno undecimo.

725.

Gregorius IX papa Friderico Romanorum imperatori scribit, quam vanis conatibus enisus fuerit, ut Graecos schismaticos ad unitatem catholicam reduceret, eumque rogat, ut crucesignatis, non tam pro subsidio imperii Constantinopolitani quam pro fide catholica defendenda accinctis, liberum transitum per terram suam indulgeat.

1238, Mart. 17.

Greg. IX Reg. Vol. V. 361; Lib. XI. 113. Pertzii exemplar supplevimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1238, § 25.

Potthast, Reg. 10542.

Friderico, Romanorum imperatori semper augusto, Ierusalem et Sicilie regi illustri.

Considerantes olim quod Grecorum ecclesia ab obedientia matris sue, sedis apostolice, separata ex eo vitam videbatur amittere catholice fidei, quod a capite suo, ecclesia scilicet Romana, in qua Dominus fidei et totius status ecclesiastici magisterium posuit, non timuit segregari, quia nec ramus vivit, qui a radice seiungitur, nec membrum vitam retinet, quod a corpore separatur, considerantes quod cum ecclesia sponsa Christi sit unica, que in beato Petro apostolorum principe non dubitatur esse fundata, quisquis aliam ecclesiam extra istam constituit seu credit posse constitui, certum est eum a vita vere fidei in mortem heresis separari: provida deliberatione timuimus, ne dicti Greci, quos ab ecclesia Dei transportavit in synagogam sathane alluvio scismatis, impetu torrentis obruti in abyssum precipitarentur heretice pravitatis. Propter quod exemplo summi pastoris ovem perditam ad ovile Dominicum propriis cupientes Luc. 15, 5.
humeris reportare, ad Vatacium, dictum patriarcham Nicenum[1], prelatos et clerum

1) *Germanum.*

sibi subditos fratres Predicatores et Minores in lege divina plene peritos transmisimus[1], paternis apud ipsos monitis et precibus insistentes, ut a somno mortis exurgerent, et fugientes a ventura ira, illucescente illis superne claritatis lumine, se unioni catholice reformarent. At ipsi, sicut ex ipsorum fratrum veridica relatione percepimus, diversos contra fidem orthodoxam proponentes errores et obturantes more aspidis aures suas, nullis potuerunt induci monitis, ut in viam redirent ecclesiastice unitatis. Super quo vehementi dolore turbati, ne frustra sit nobis evellendi et plantandi celitus collata potestas, contra dictum Vatacium scismaticum et eius fautores, qui excommunicati a nobis semel in annis singulis nuntiantur, quia ipsorum vulnera sanare huiusmodi non potuit medicina, non tam pro subsidio Constantinopolitani imperii quam pro corroboranda et defendenda fide catholica in partibus orientis, multos principes, barones et milites signo crucis fecimus insigniri, cultoris evangelici
Luc. 13 8. sequentes exemplum, qui primo circa ficum sterilem fodiens et mittens stercora, illam tempore sequenti succidit, nisi poma produxerit expectata. Quare serenitatem tuam apostolicis nuntio et scripto rogavimus, ut crucesignatis predictis per terram tuam transitum liberum indulgeres. Verum cum, sicut intelleximus, precibus nostris obicem difficultatis opponas, imperialem celsitudinem sicut iterum sic attentius rogandam duximus et monendam, quatenus prudenter attendens quod huiusmodi denegando transitum apud Deum anime ac apud homines fame tue, eo quod dictos scismaticos in suo videreris errore fovere, incurreres detrimentum, crucesignatis Constantinopolitane civitati succurrentibus per terram prefatam et imperium transitum concedas liberum et securum. Alioquin scire te convenit, quod ecclesia non posset conniventibus oculis pertransire, quod in subversionem fidei catholice contingeret attemptari[a]. Ad hoc autem melius et efficacius promovendum dilectum filium magistrum G[regorium] subdiaconum et notarium nostrum, virum utique providum et expertum, ad tuam presentiam duximus destinandum, rogantes attentius ut ipsum oculo sereno respiciens, eius monitis, immo nostris potius acquiescas, et que tibi ex parte nostra dixerit, credere ac efficaciter studeas adimplere, imperialis voluntatis beneplacitum nobis exinde nichilominus rescripturus.

Dat. Lateran. XVI Kal. April. anno undecimo

726.

Gregorius IX papa Agnetem [Adelasiam][2] donnicellam, dominam Turritanam, de obitu viri sui consolatur, eamque hortatur, ut viro sedi apostolicae fideli nubat.

1238, April. 30 et Mai. 1.

Greg. IX Reg. Vol. VI, 12; Lib. XII, 68.
Potthast, Reg. Add. I. 10589a — 26279 et 10589b — 26280.

Nobili mulieri Agneti donnicelle, domine Turritane.

Clare memorie viri tui[3] obitu intellecto, nos ipsi non potuimus non dolere, cum et personam ipsius sincera dileximus in Domino caritate et te, quam in Christo sincere diligimus, tanti viri didicerimus solacio destitutam. Set in hoc consolationem accepimus et te ipsam volumus consolari, quia ipsum in bona contritione et devota

a) *Inc...usque ex Rayn.*

1) *Cf. Rayn. a. 1233, § 1—15 et notam Ioh. Dom. Mansi ad § 1.* 2) *Ita in chartis ipsa se appellat; cf. Münch. König Enzio, p. 302 et sequ.* 3) *Ubaldi Vicecomitis.*

confessione intelleximus obiisse. Unde nobilitatem tuam monemus et hortamur attentius, quatinus prudenter attendens quam fallax sit mundus, vita brevis, finis dubius, horribilis exitus et terribilis tandem iudex, non indulgeas lacrimis set orationibus et elemosinis potius vaces pro mortuo apud Deum. Ceterum, cum non expediat tibi et terre tue, ut coniugio careas, set nubas in Domino et vaces filiis procreandis, volumus, ut de nostro consilio et mandato talem in virum recipias, qui et nobilitati tue gratus et nobis merito sit acceptus, ac terram et iura tua prout expedit in forti manu et extento brachio tueatur. Et ut melius et efficacius ad honorem et utilitatem tuam quod intendimus compleatur, presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus per fidelem nuntium et discretum, cui etiam consentiendi in virum et iurandi in animam tuam si opus fuerit potestatem concedas, voluntatem tuam nobis celeriter rescribere non postponas.

Dat. Lateran. II Kal. Maii, anno duodecimo.

In eundem fere modum . . abbati Sacrariensi [1] Camaldulensis ordinis Plovacensis diocesis usque in finem. Ideoque mandamus, quatinus eandem domnicellam ad id efficaciter moneas et inducas. Et quia non expedit, ut terra sua, que est Romane ecclesie specialis [2], ad manus alicuius deveniat, qui non sit fidelis sedis apostolice ac devotus, ei sub fidelitatis [a] et pena excommunicationis firmiter inhibere procures, ne cum aliquo contrahat absque nostra licentia speciali.

Dat. Lateran. IV Nonas Maii.

727.

Gregorius IX papa Henricum ducem Silesiae et Cracoviae monet, ut excessus Henrici patris sui mortui sibi displicere operum exhibitione demonstret, eique mandat, ut [Fulconi] archiepiscopo et ecclesiae Gnesnensi de damnis et iniuriis illatis plenam satisfactionem impendat et ab ipsorum oppressionibus penitus conquiescat.

1238, Mai. 25.

Greg. IX Reg. Vol. VI, 23; Lib. XII, 127. Edimus hanc epistolam ex Rayn. Ann. eccl. a. 1238, § 56–58, suppletam et correctam ex Theiner, Mon. Pol. t. I, p. 33, n. 71 [T], qui Reg. exscripsit. Potthast, Reg. 10605.

Gregorius etc. nobili viro Henrico duci Zlesie et Cracovie.

Cupientes ut ab adolescentia tua timori Domini et amori assuefaciens temetipsum, apud Deum et homines sic proficias sapientia et etate, ut patris tui vestigia (Luc. 2,52) presertim in oppressionibus ecclesiarum et clericorum non imitanda relinquens, ecclesias et personas ecclesiasticas pio semper et prompto venereris affectu, libenter te salubribus monitis premunimus, que tanto altius cordi tuo debent infigi, quanto fortius honorem tuum respiciunt et salutem; et qui dux es aliis constitutus, ducatum tuum et quicquid habes, immo quicquid es, ab universorum domino recognoscens, sic te ipsum per rectitudinis viam ducas, quod ab eius beneplacitis non recedas.

a) *ita R.*

1) *Sive Saccariensi; monasterium postea desolatum est; Fara, de chorogr. Sardiniae, p. 61.*
2) *Cf. Münch, l. c.*

Sane[a] olim non absque mentis amaritudine intellecto, quod nobiles viri duces Polonie homines cathedralium et aliarum ecclesiarum Gneznensis provincie angariis, perangariis et vectigalibus graviter affligendo, ipsos, ut venatores eorum in domibus suis reciperent ac eis procurationes indebitas exhiberent, nec non in expeditionibus suis propriis militarent stipendiis ac eorundem munitionibus et domibus construendis insisterent, contra iustitiam coarctabant, et alias per eos tam enormiter gravabantur, quod nec suis poterant vacare negotiis nec prefatis ut tenentur ecclesiis deservire, ac[b] nichilominus ab eis et ipsorum officialibus indifferenter tanquam proprii servi eorundem compellebantur obsequiis et iudiciis subiacere: venerabili fratri nostro . . episcopo quondam Mutinensi penitentiario nostro, apostolice sedis legato, litteras nostras direximus, continentes ut aliqua consuetudine, que corruptela dicenda est potius, non obstante, prefatos duces ab huiusmodi molestiis dictorum hominum coherceret[1]. Cumque dictus episcopus ad instantiam venerabilis fratris nostri . . Gneznensis archiepiscopi, prout idem[c] in nostra proposuit presentia constitutus, quondam Henricum ducem Zlesie et Cracovie patrem tuum super huiusmodi oppressionibus pluries ac peremptorie ad suam presentiam citavisset, quia nec per se nec per procuratorem idoneum coram eo voluit comparere, ad frivole appellationis diffugium se convertens, in eum exigente ipsius contumacia excommunicationis sententiam promulgavit. Eodem igitur archiepiscopo et predicti[d] patris tui procuratoribus apud sedem apostolicam constitutis, dilectum filium nostrum E[gidium] Sanctorum Cosme et Damiani diaconum cardinalem eis concessimus auditorem; coram quo aliquandiu litigato, nos, volentes eidem patri tuo sine iuris lesione deferre, ipsum per . . abbatem de Stragov[e] et collegas suos ad cautelam absolvi mandavimus et citari, ut[f] coram nobis per se vel per procuratorem idoneum certo termino compareret, super principali facturus et recepturus, quod iustitia suaderet[2]. Set ipsi formam mandati apostolici non servantes, licet ipsum iuxta formam eis traditam citavissent certo ei termino assignato, per alium tamen ipsum de facto, cum de iure non possent, absolvi fecerunt perperam[g] ad cautelam. Cum autem in prefixo termino nullus pro eo, etiam post terminum expectato, nisi dumtaxat ad impetrandum et contradicendum comparuerit procurator, dilectus filius noster S[tephanus] tituli Sancte Marie Transtyberim presbyter cardinalis, super hoc a nobis deputatus auditor, ipsum merito reputans contumacem, eundem in expensis legitimis, quas dictus archiepiscopus a tempore citationis emisse fecerat, condempnavit. Tandem vero quidam, qui pro procuratoribus se gerebant, mandatum sufficiens exhibentes, recepto ab archiepiscopo supradicto libello tam super exactionibus et gravaminibus antedictis quam dampnis in villis, possessionibus, hominibus ac rebus aliis sibi et Gneznensi ecclesie irrogatis nec non et expensis factis a tempore mote litis, super ipso coram eodem cardinali aliquandiu ad invicem litigarunt; set antequam rumor de dicti patris tui obitu[3] ad nostram notitiam pervenisset, ad litis contestationem non potuit perveniri. Ut ergo eiusdem patris tui excessus huiusmodi tam detestabiles et enormes displicere tibi operum exhibitione demonstres, nobilitatem tuam rogamus, monemus et hortamur attentius per apostolica scripta mandantes, quatenus de gratia in gratiam et de virtute proficiens in virtutem, de illatis eisdem archiepiscopo et ecclesie dampnis et iniuriis irrogatis plenam satisfactionem impendens, ab ipsorum oppressionibus et molestiis penitus conquiescas, ita quod eidem archiepiscopo nulla contra te iuste querele

a) *hucusque cc T.* b) *T.; ac deest ap. Rayn.* c) *Rayn;* id *T.* d) *T.;* predicto *Rayn.* e) *T.;* Stragon *Rayn.* f) *T.:* ut *deest ap. Rayn.* g) *Rayn.:* perpetuam *T.*

1) *a. 1236, Iun. 17; Potthast, Reg. 10190; cf. 10191.* 2) *a. 1237, Sept. 29; Potthast, Reg. 10456.* 3) *a. 1238, Mart. 19 mortuus erat; Grünhagen, Reg. in Cod. dipl. Sil. t. VII, p. 192.*

materia relinquatur, et nos devotionem tuam possimus merito commendare. Alioquin non immerito poteris formidare, ut iam dictum patrem tuum, qui ob huiusmodi oppressiones vinculo fuit excommunicationis astrictus, exhumari de cimiterio ecclesie faciamus, et sententias, quas archiepiscopus memoratus et suffraganei sui ob defensionem iurium ecclesiarum suarum et ecclesiastice libertatis in te ac terram tuam rite duxerint promulgandas, inviolabiliter observari, alias contra te spiritualiter et temporaliter iuxta tuorum meritorum exigentiam niehilominus processuri[a].

Dat. Later. VIII Kal. Iun. anno XII.

728.

Gregorius IX papa Ludovicum IX regem Francorum hortatur, ut sedem apostolicam filialis devotionis gratitudine prosequatur; addit se effectum interdicti in ecclesiam Bellovacensem prolati tam diu suspendendum duxisse, donec eidem ecclesiae de pastore provisum fuerit. *1238, Mai. 26.*

Greg. IX Reg. Vol. VI, 20—21; Lib. XII, 108.
Potthast, Reg. 10607.

. . illustri regi Francorum.

Si tua regalis sublimitas principes orbis circumspiciat universos, inveniet se a Deo inter ceteros exaltatam, qui ex gratia sua et meritis, que clare memorie progenitores tui in conspectu eius fecisse noscuntur, regnum tuum, benedictum ab eo, dilatare magnifice est dignatus, augens tibi gratiam in presenti et gloriam preparans in futuro. Pro eo enim quod iidem progenitores tui ad factorem suum habuere puro corde respectum et veritatem, mansuetudinem et iustitiam servaverunt, tu quoque tamquam heres legitimus ipsis in timore Domini, et non solum in hiis set etiam in ecclesie matris tue devotione succedis: tam illos quam te oleo exultationis pre participibus Hebr. 1,9.
tuis unexit fecitque tibi nomen grande supra nomen magnorum qui sunt in terra, tibi et regno tuo in rore celi et terre pinguedine benedicens. Sic Gen. 27,28.
autem regnum ipsum Dominus stabilivit et in devotione Romane ecclesie matris tue adeo radicavit, quod semper in ea ipso faciente permansit et ab eius beneplacitis nullo umquam sicut credimus sit tempore discessurum, quia licet interdum immissiones per angelos malos fiant, qui ut operas suas ingerant et actus extollant, Psal. 77,49.
famam, quantum in eis est, aggravant aliorum et etiam benefacta depravant, dicentes bonum malum et malum bonum, ac lucem tenebras et tenebras lucem prava interpretatione ponentes, nos tamen, qui sathane non iniuramus[b] astutias, pro certo credimus, immo probabili presumptione tenemus, quod serenitas regia, huiusmodi detractionibus velut nubibus aquilone fugatis, illius seduci se fallaciis non permittet, quia fides tua supra petre posita firmamentum nec convelli[c] potest ventorum detractionum incursibus, nec matris tue caritas, quam habet ad te tamquam ad specialem filium, vulnerari. Nam si in speculo rationis facta perspicias aliorum, in eo considerare poteris evidenter, quod hii, qui exultant cum malefecerint et in Prov. 2,14
rebus pessimis gloriantur, affectionum suarum querunt habere consortes et desideriorum socios iniquorum. Si etiam eiusdem matris tue puritatem attendas, invenies, quod in eius actibus non dubie presumptionis est locus set experientie certitudo, nec est de

a) *T.:* processura *Rayn.* b) *i. e.* ignoramus: *nisi mendum scriptoris.* c) *ita Rayn. a. 1238, § 43:* conveni *in apogr. nostro.*

illius intentione querendum, qui nichil agit in tenebris set in luce, ut eius sint opera manifesta; arbor enim a fructu cognoscitur et caritas ab effectu. Tu ergo, fili karissime, a devotione sedis apostolice matris tue, quicquid suggeratur ab aliquo, nullo unquam turberis impulsu, set eam, que te sincero cordis affectu diligit et honorat, tu quoque filialis devotionis gratitudine prosequaris. Ceterum venerabili fratre nostro .. Claromontensi episcopo[1] nuntio tuo et regalis excellentie litteris gratanti affectione receptis, et tam ipsarum serie litterarum quam hiis que idem episcopus super relaxatione interdicti ecclesie Belvacensis ex parte tua nobis exposuit intellectis etiam diligenter, quia te inter ceteros reges catholicos et principes Christianos speciali caritate diligimus ac per hoc tuis deesse desideriis, quantum cum Deo possumus, non valemus, effectum illius interdicti tue devotionis obtentu tamdiu duximus suspendendum, donec eidem ecclesie provisum fuerit de pastore, parati semper ea efficere, que honorem tuum respiciant et augmentum.

Dat. Lateran. VII Kal. Iunii, anno duodecimo.

In eundem fere modum . . illustri regine Francorum[2] usque: ab effectu. Ceterum venerabili fratre nostro Claromontensi episcopo etc. usque: augmentum. Quia vero, quanto circa nos et Romanam ecclesiam tua regalis sinceritas maioris gerit devotionis affectum, tanto in se devotos[a] debet etiam filios in devotione sedis apostolice fortius solidare, celsitudinem tuam rogamus, monemus et hortamur attentius ac obsecramus in domino Iesu Christo, quatenus apud eundem natum tuum, ut talibus oblocutionibus aures aliquatenus non inclinet, crebris monitionibus et sedulis exhortationibus efficaciter elabores.

Dat. ut supra.

In eundem fere modum . . archiepiscopo Rothomagensi[3] usque: augmentum. Quia vero te tamquam nobile ecclesie Dei membrum et columpnam immobilem ecclesie Gallicane non potest zelus non comedere matris tue nec potes opprobria illi exprobrantium equanimiter sustinere, mandamus, quatinus prudenter attendens in machinationibus huiusmodi quid agatur, cum non solum ad conculcandam libertatem ecclesiasticam, set utinam non ad evertendam fidem catholicam intendatur, in quo tanto fortius set tamen cautius opponere te oportet, quanto cernis apertius in hoc periculum commune versari et sic quasi proprium prosequeris interesse, tam apud eundem regem quam apud karissimam in Christo filiam nostram . . reginam Francorum illustrem matrem eius sedulis monitionibus et crebris exhortationibus secundum datam tibi a Deo prudentiam efficaciter elabores[b], ut idem rex tamquam princeps catholicus et devotus huiusmodi oblocutionibus aures aliquatenus non inclinet; mandatum autem nostrum tam diligenter, tam efficaciter studeas adimplere, quod diligentie tue studium clareat per effectum et nos sinceritatis tue zelum possimus merito commendare.

Dat. Lateran. VII Kal. Iunii, pontificatus nostri anno duodecimo.

729.

Gregorius IX papa [Adelasiae] domnicellae Turritanae scribit se Guelfum de Porcaria ei providisse matrimonialiter copulandum, eique mandat, ut procuratorem de matrimonio contrahendo ad sedem apostolicam transmittat. Cf. n. 726. 1238, Mai. 31.

Greg. IX Reg. Vol. VI, 22; Lib. XII, 121.

a) devota *R.* b) elaboret *R.*

1) *Hugone.* 2) *Blanchae.* 3) *Petro de Collemedio*

Nobili mulieri donnicelle Turritane.

De statu persone ac terre tue ad Romanam ecclesiam pertinentis, quem tranquillum esse cupimus et quietum, gerentes sollicitudinem specialem, nobilem virum Guelfum de Porcaria, apostolice sedis devotum filium et fidelem, strenuum et potentem, cuius providentia et consilio terra ipsa poterit bene regi et prospere gubernari, tibi providimus matrimonialiter copulandum. Quocirca nobilitatem tuam monemus attentius et hortamur ac per apostolica tibi scripta mandamus, quatinus aliquem procuratorem, qui de matrimonio inter te ac dictum nobilem contrahendo in anima tua prestare valeat iuramentum, ad presentiam nostram transmittere non postponas, sub pena excommunicationis et privationis totius terre tue districtius inhibentes, ut, cum eadem terra specialiter beati Petri iuris existat, propter quod aliquem suspectum non debes in virum assumere, qui ecclesie iura valeat perturbare, ad contrahendum cum aliquo matrimonium non procedas sine mandato nostro vel licentia speciali [1].

Dat. Lateran. II Kal. Iunii, anno duodecimo.

In eundem fere modum . . archiepiscopo Turritano usque: licentia spetiali. Quocirca mandamus, quatinus dictam donnicellam ad id, quam diligentius poteris, moneas et inducas, efficacem opem et operam impendendo.

Dat. ut supra.

In eundem modum . . episcopo Empuriensi.

In eundem modum nobili viro P[etro] iudici Arborensi.

730.

Gregorius IX papa Fridericum Romanorum imperatorem iterum rogat, ut Petrum Sarracenum de Andreocta, civem Romanum, nuntium [Henrici III] regis Anglorum ad sedem apostolicam missum, quem captum detineat, libertati restituat; mittit ad eum de hac re [Ardingum] episcopum Florentinum.

1238, Iun. 3.

Greg. IX Reg. Vol. VI, 24; Lib. XII, 129.
Potthast, Reg. 10610 et Winkelmann, Acta Imp. ined. p. 523, n. 654.

Friderico, Romanorum imperatori semper augusto, Ierusalem et Sicilie regi illustri.

Nuper imperialem excellentiam apostolicis litteris exorasse meminimus, ut nobilem virum Petrum Sarracenum de Andreocta, civem Romanum, a te prout tue celsitudini placuit carcerali custodie mancipatum, ob reverentiam apostolice sedis et nostram pristine restitueres libertati. Super quo eo facilius exaudiri credidimus, quo fortius te ad id induci ex dilectione, quam ad karissimum in Christo filium nostrum . . Anglie regem illustrem cognatum tuum, qui eum pro suis negotiis ad sedem

1) *Circa Oct. eiusdem anni Enzio filio naturali imperatoris nupsit.*

mittebat apostolicam[1], habere crederis, sperabamus. Verum quia si quod absit eiusdem liberationem nobilis impediri contingeret, ex hoc forsan ille posset articulus difficultatis emergere, quem nobis et tibi esset difficillimum emendare. serenitatem tuam sicut iterum sic attentius monendam duximus et rogandam, quatinus dictum civem, quem facinus culpe non alligat, tua clementia a catena indebite captivitatis absolvat, ut ipsius remissio facilis in cuiusdam opponatur probationis indicium, quod illius captio de tue non processerit beneplacito voluntatis. Ut autem affectum, quem ad dictum civem gerimus, tibi evidentius ostendamus, ecce venerabilem fratrem nostrum . . episcopum Florentinum, virum providum et discretum, nobis et fratribus nostris merito sue probitatis acceptum, quem benigne recipere et audire procures, ad id efficacius exequendum de dictorum fratrum consilio ad tuam presentiam destinamus[2].

Dat. Lateran. III Non. Iunii, anno duodecimo.

731.

Gregorius IX papa [Iacobo] episcopo Praenestino mandat, ut si [Raymundus VII] comes Tolosanus beneplacitis ecclesiae se coaptet, eundem a censuris absolvat, recepta sufficienti cautione quod in proximo generali passagio cum aliis Ultramontanis transfretaturus sit, in obsequio Terrae Sanctae per triennium moraturus.

1238, Iun. 9.

Greg. IX Reg. Vol. VI, 74. Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1239, § 72—73. Potthast, Reg. 10758; male ad a. 1239.

Episcopo Prenestino, apostolice sedis legato.[3]

Nobilis vir comes Tolosanus per nuncios suos et litteras nobis humiliter supplicavit, ut cum gerat in votis, deposito crucis vexillo quam de manu venerabilis fratris nostri Portuensis episcopi[4], tunc apostolice sedis legati, recepit[5], et remisso sibi quinquennii tempore quo de mandato ipsius episcopi morari[a] tenetur in partibus transmarinis, ipsam cum devotione ac humilitate assumere, ut videatur illam gerere spontaneus non coactus, prout ipsam gerunt alii catholici, qui ad Terre Sancte subsidium voluntarie se accingunt, ad partes illas cum aliis nobilibus magnanimiter in generali passagio transiturus ac moraturus ibidem sicut ei Dominus inspirabit, eius in hac parte desiderio annuere curaremus. Carissimus quoque filius noster rex Francorum illustris pro eodem comite nobis per venerabilem fratrem nostrum Claromontensem episcopum[6] fecit nichilominus supplicari, ut ipsum haberemus in suis iustis petitionibus commendatum. Licet igitur eidem regi, quem inter ceteros orbis principes sin-

a) moram *Rayn.*

1) *Cf. Matth. Paris. Chron. maiora a. 1239 ed. Luard, t. III, p. 526 et Huillard-Bréholles, l. c. t. V, p. 255.* 2) *Responsum imperatoris ap. Winkelmann, l. c. p. 312, n. 351.* 3) *Huic papa a. 1238, Mai. 13 legationem in partibus Albigensibus et Tolosanis commiserat; Huillard-Bréholles, l. c. t. V. p. 270, not. 1; sed imperatore impediente hoc anno illuc non pervenerat: Winkelmann, Fried. II, t. II, p. 112; cf. duas epistolas imperatoris ap. Böhmer-Ficker, l. c. n. 2355 et 2356. Aug. 10 eiusdem anni Guido episcopus Soranus in partibus illis legatione fungitur: Potthast, Reg. 10641.* 4) *Romanum.* 5) *a. 1229, April. 12: Vaissete, Hist. de Languedoc, ed. Tolosana a. 1879, t. VI. p. 633.* 6) *Hugonem; cf. n. 728.*

ceritatis brachiis amplexamur, in iis, que a nobis iuste duxerit postulanda, favorem velimus apostolicum quantum cum Deo possumus impertiri, quia tamen idem comes Dominum, ecclesiam et ecclesiasticas personas ac ecclesiasticam libertatem multoties et in multis noscitur graviter offendisse, propter quod multiplici excommunicationis vinculo est astrictus, sic tam regis quam comitis predictorum supplicationibus annuere nos oportet, ne dissolvatur omnino nervus ecclesiastice discipline; ideoque mandamus, quatenus si dictus comes nostris et ecclesie Romane beneplacitis taliter se coaptet et in eo signa devotionis appareant adeo manifesta, quod se apostolice sedis gratia merito dignum reddat, sicut per eosdem nuncios obtulit se facturum, postquam per te, cui absolutionem ipsius committimus, iuxta formam tibi traditam fuerit absolutus, recepta per eundem regem de consilio venerabilium fratrum nostrorum Senonensis[1] et Rothomagensis[2] archiepiscoporum, quibus super hoc scripta nostra dirigimus, preter iuratoriam sufficienti et idonea cautione, quod in proximo generali passagio[3] cum aliis Ultramontanis iuxta sue nobilitatis potentiam transfretabit, in obsequio dicte terre per triennium moraturus, redeundi ex tunc licentiam presentium sibi auctoritate concedas, ita videlicet quod si contra premissa venerit, in nullo sibi concessa licentia suffragetur, set pro inconcessa potius habeatur[4].

Dat. Lat. V Id. Iun. anno XII.

732.

Gregorius IX papa Arnaldo canonico Sanctae Mariae ad Gradus Moguntinae studendi adhuc in iure canonico et civili per triennium et percipiendi, exceptis quibusdam distributionibus, per ipsum tempus proventus suos ecclesiasticos facultatem concedit.

1238, Sept. 28.

Greg. IX Reg. Vol. VI, 55; Lib. XII, 282.
Potthast, Reg. 10660.

Arnaldo canonico ecclesie sancte Marie ad Gradus Maguntine.

Querentibus in agro studii scientie margaritam, que domum Domini multipliciter decorat[a], libenter nos favorabiles exhibemus, et annuimus, quantum cum Deo possumus, supplicationibus eorundem. Cum igitur, sicut in nostra proposuisti presentia constitutus, de licentia tui capituli studio iuris canonici et civilis per quadriennium duxeris insistendum et satis laudabiliter profeceris in eodem eique adhuc desideres insudare: nos tuis devotis supplicationibus benignum impertientes assensum, studendi adhuc in iure per triennium et percipiendi per ipsum tempus proventus tuos ecclesiasticos, exceptis distributionibus que consueverunt tantum residentibus et hiis qui intersunt horis canonicis ministrari, tibi huiusmodi studio insistenti auctoritate presentium concedimus facultatem. Nulli ergo nostre concessionis etc. Siquis autem etc.

Dat. Anagnie, IIII Kal. Octobris, anno duodecimo.

In eundem fere modum . . decano et . . thesaurario Sancti Petri et W. de Echeburn. canonico Maguntino usque: facultatem. Ideoque mandamus, quatinus

a) et decorat *in R. repetitum.*

1) *Walteri.* 2) *Petri de Collemedio.* 3) *Scil. a. 1239, Iun. 24; cf. n. 716.* 4) *'De quibus etiam ad S. Ludovicum Francorum regem binas literas exaravit: praeterea archiepiscopis, episcopis ac principibus eorum locorum viris legatum suum honorifice exciperent imperavit.' Rayn.*

predictos proventus faciatis ei iuxta concessionis nostre tenorem integre ministrari; contradictores etc. Quod si non omnes etc.

Dat. Anagnie, IIII Kal. Octobris, anno duodecimo.

733.

Gregorius IX papa [Guidoni] Cameracensi et [Waltero] Tornacensi episcopis scribit de redemptione votorum Herberti crucesignati et amicorum eius.

1238, Nov. 26.

Greg. IX Reg. Vol. VI, 60; Lib. XII, 316.

Cameracensi et Tornacensi episcopis.

Cum, sicut ex parte nobilis viri Herberti crucesignati nobis extitit intimatum, quidam eius consanguinei et amici numero fere viginti vestrarum diocesum sub ea conditione receperint signum crucis, videlicet ut in Terre Sancte vel Constantinopolitani imperii subsidium se transferrent vel iuxta facultates proprias redimerent vota sua, mandamus, quatinus redemptiones votorum ipsorum, si voluntas eorum ad id accesserit, eidem nobili in dicti imperii proficiscenti succursum faciatis integre assignari, concessa illis indulgentia que Terre Sancte subvenientibus in generali concilio est concessa.

Dat. Lateran. VI Kal. Decembris, anno duodecimo.

734.

Gregorius IX papa [Guidoni] episcopo Cameracensi mandat, ne Balduinum comitem Namucensem heredem imperii Romaniae et bona eius molestari permittat.

1238, Dec. 1.

Greg. IX Reg. Vol. VI, 60; Lib. XII, 315.

. . episcopo Cameracensi.

Quia illum gaudere favore apostolico convenit, qui Dei et ecclesie obsequio totaliter se exponit, mandamus, quatinus nobilem virum Balduinum comitem Namucensem, heredem imperii Romanie, qui personam suam ecclesie servitiis ab annis teneris laudabiliter deputavit, et bona sua, que in imperio Alamanie et regno Francie obtinet, non permittas ab aliquibus indebite molestari; molestatores huiusmodi per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstante constitutione de duabus dietis edita in concilio generali.

Dat. Lateran. Kalendis Decembris, anno duodecimo.

735.

Gregorius IX papa [Iacobum Teupolum] ducem et civitatem Venetorum propter devotionem eorum erga ecclesiam Romanam sub protectione sua suscipit.

1238, Dec. 5.

Greg. IX Reg. Lib. XII, 325. Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1238, § 71, adhibito Ughelli, Ital. sacra, t. V, p. 1265.

Potthast, Reg. 10677.

Duci Venetorum[a].

Sacrosancta Romana ecclesia, que pie matris affectu in caritatis visceribus Christi fideles amplectitur universos, prerogativa gratie specialis confovere debet ac defensare devotos, ut et hii sinceritatis sue digna premia consequantur et alii eorum exemplo ad devotionem sedis apostolice provocentur. Cum igitur civitas Venetorum erga Romanam ecclesiam matrem suam, sicut certo rerum experimento probatur, reverentiam, devotionem et fidem semper habuerit et habeat specialem[1], nos tuis supplicationibus, quas libenter admittimus, inclinati personam tuam et civitatem eandem in devotione sedis apostolice persistentes sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti patrocinio communimus[2]. Nulli ergo — nostre protectionis etc. Si quis etc.

Dat. Later. Non. Decemb. anno XII.

736.

Gregorius IX papa Sophiam relictam ducis Meraniae, quae voto perpetuae castitatis emisso Deo famulari desideret, cum omnibus bonis sub protectione sua suscipit.

1238, Dec. 14.

Greg. IX Reg. Vol. VI, 61; Lib. XII, 339.

Nobili mulieri Sophie, relicte bone memorie . . ducis Miranie[3].

Promerente tue puritate fidei te specialem inter ecclesie filias[b] reputari, dignum fore providimus, ut in hiis que pie postulas tibi favorabiles existamus. Cum igitur tu, sicut accepimus, inspirationis divine gratia faciente voto perpetue castitatis emisso desideres, quod intenta caritatis operibus in humilitate spiritus virtutum domino famuleris, nos tuis devotis precibus inclinati personam et familiam tuas cum

a) *haec inscriptio deest ap. Rayn. et Ugh.; supplevimus eam ex iis, que iidem annotarunt.* b) filios *in apogr. Pertzii.*

1) *Nov. 30 eiusdem anni Venetorum et Ianuensium civitates per legatos, qui 'Romae apud Lateranum in quadam camera domini papae' convenerant, foedus per novennium inierant, quo inter alia invicem promiserant se aliquam pactionem cum imperatore nisi de consensu papae facturos non esse; Huillard-Bréholles, l. c. t. V, p. 1223.* 2) *Eodem anno papa etiam Ianuenses sub protectione sua recepit; Ann. Ian. a. 1238, SS. t. XVIII, p. 189.* 3) *In familia ducum Meraniae Sophiam non invenimus nisi uxorem Henrici marchionis Istriae, qui, filius Bertholdi IV ducis Meraniae, a. 1228 mortuus erat. De eadem cf. etiam Notas Diessenses a. 1256, SS. t. XVII, p. 326. Ad hanc papam has litteras direxisse arbitramur.*

omnibus bonis, que impresentiarum rationabiliter etc. usque: communimus. Nulli ergo nostre protectionis etc. Si quis autem etc.

Dat. Lateran. XIX Kal. Ianuarii, anno duodecimo.

In eundem fere modum . . Sichemensi[1] et . . de Wolkelderode[2] abbatibus Halberstatensis et Maguntine diocesum usque: sub beati Petri et nostra protectione duximus admittendam. Quocirca discretioni vestre[a] per apostolica scripta mandamus, quatinus predictam nobilem super hiis non permittatis contra protectionis nostre titulum ab aliquibus indebite molestari; molestatores etc.

Dat. ut supra.

737.

Gregorius IX papa Hedwidi de Sebhet viduae Moguntinae diocesis villam de Werd, quam ei Hermannus iunior et Henricus landgravii Thuringiae servitiorum obtentu, quae beatae Elisabeth cum adhuc viveret fideliter impenderit, liberali contulerint pietate, confirmat. *1238, Dec. 14.*

Greg. IX Reg. Vol. VI, 64; Lib. XII, 340.
Potthast, Reg. 10680.

Hedwidi de Sebhet vidue Maguntine diocesis.

Iustis petentium etc. usque: complere. Cum igitur dilecti filii nobiles viri Hermannus iunior et Henricus lantheravii Turingie tibi servitiorum obtentu, que beate Helysabet cum adhuc viveret devote ac fideliter impendisti, villam de Werd Maguntine diocesis, prout spectabat ad eos, tibi, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, liberali contulerint pietate: nos devotionis tue precibus inclinati donationem ipsam ratam habentes et firmám, villam eandem, sicut eam iuste possides et quiete, tibi auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc.

Dat. Lateran. XIX Kal. Ianuarii, anno duodecimo.

In eundem fere modum . . preposito et . . decano Sancti Castoris in Confluentia Treverensis diocesis etc. usque: possidet et quiete, sibi duximus confirmandam etc.

Dat. ut supra.

738.

Gregorius IX papa Ottonem militem de Lichtenhagen Numburgensis diocesis, qui mundo renuntiaverit, itemque filium eius, donec XXV annos natus fuerit, sub protectione sua suscipit. *1238, Dec. 14 et 16.*

Greg. IX Reg. Vol. VI, 64; Lib. XII, 341.

a) tue *R.*

1) *E meridie civ. Eisleben.* 2) *Ex oriente civ. Muhlhausen.*

Ottoni militi de Lihetinhagin Numburgensis diocesis.

Laudabiliter, sicut accepimus, ut invenias anime tue requiem, elegisti seculi fluctuationem effugere ac vite residuum studio penitentie deputare. Ut igitur huiusmodi pium desiderium nobis faventibus deduci valeat ad effectum, presertim cum, sicut asseritur, tres partes bonorum tuorum, reliqua unico tuo dimissa filio adhuc in etate tenera constituto, piis locis reliqueris ad honorem omnium conditoris, nos devotionis tue precibus inclinati personam tuam etc. in modum protectionis usque: communimus; statuentes ut idem filius tuus, donec ad legitimam viginti quinque annorum etatem pervenerit, sub apostolice sedis tutela et defensione consistat[a]. Nulli ergo – nostre protectionis etc.

Dat. ut supra.

Scriptum est super hoc conservatoribus, . . episcopo et . . preposito Mesburgensi et . . abbati de Sichem Cisterciensis ordinis Alberstatensis diocesis. Viduis et orphanis, quorum etc. Cum igitur, sicut accepimus, dilectus filius Henricus quondam advocatus de Gera et I[utta] relicta ipsius etc.[1]

Dat. Lateran. XVII Kal. Ianuarii, anno duodecimo.

739.

Gregorius IX papa [Conrado II] episcopo Hildeshemensi mandat, ut si ecclesia de Winthusen Halberstadensis diocesis ordinis sancti Augustini in suo ordine reformari non possit, in ipsam Cisterciensem ordinem inducat. *1238, Dec. 15.*

Greg. IX Reg. Vol. VI, 63–64; Lib. XII, 337.

. . episcopo Ildesemensi.

Cum sit in affectione nostra precipuum, ut ecclesiarum bona continuum suscipiant incrementum, dolentes si contrarium videatur accidere, studemus eadem a perditionis discrimine preservare. Sane mirantes accepimus, quod licet in ecclesia de Wintusen[2] Alberstatensis diocesis ordinis sancti Augustini religio refloruerit ab antiquo, nunc tamen canonice ac clerici seculares manentes ibidem post carnis desiderium abeuntes ac lascivis modis et motibus frequentare loca illicita non verentes, vitam ducunt detestatione tanta notabilem et turpitudine nimia displicentem, ut sint vicinis opprobrium et extraneis in derisum, nolentes ad amorem virtutum exurgere, quamquam ipsos ad hoc plures Deum timentes sollicite studuerint ammonere. Super hoc igitur providere salubriter cupientes mandamus, quatinus personaliter accedens ad locum et habens pre oculis reverentiam omnium conditoris, inquisita super hiis diligentius veritate, si repereris quod dicta ecclesia in suo non possit ordine refor-

a) consistant *R.*

1) *Hanc epistolam ad praecedentem non spectare manifestum est, in Reg. autem ita legi, ut a nobis proponitur, V. Cl. A. Mau quaerentibus nobis affirmavit. Scriptor Reg. quattuor epistolas habuit, quas confudit: 1) Ottoni de Lichtenhagen, 2) ep., qua pro eodem conservatores constituuntur, 3) Henrico quondam advocato de Gera et I. relictae eius, 4) ep., quam supra ad n. 1 annexam invenimus. Authenticum epistolae 4 extat, Potthast, Reg. 10682; nam licet in eius inscriptione pro episcopo Merseburgensi Numburgensis legatur, sine dubio eadem epistola est. Ep. 3 Mau in Reg. reperire non potuit.* 2) *Ex occidente civ. Quedlinburg.*

mari, in ipsa ordinem Cisterciensem inducas, illis ex predictis, qui iam dicti ordinis habitum recipere noluerint, in locis aliis sui ordinis collocatis; contradictores etc.; proviso quod super hoc Alberstatensis ecclesia conservetur indempnis.

Dat. Lateran. XVIII Kal. Ianuarii, pontificatus nostri anno duodecimo.

In eundem fere modum .. abbatisse de Quidelengemburg[1] Alberstatensis diocesis usque: sancti Augustini, que tibi subiecta pleno iure dicitur, religio etc. usque: exurgere, quamquam plures Deum timentes eos ad hoc sollicite etc. usque: cupientes venerabili fratri nostro .. episcopo Ildesemensi dedimus in mandatis, ut personaliter etc. verbis competenter mutatis usque: contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellas. Verum quia per te posse provenire creditur, ut eadem ecclesia in statum laudabilem deducatur, devotioni tue in virtute obedientie precipiendo mandamus, quatinus sine preiudicio iuris tui operam diligentem adhibeas, ut quod iniunximus eidem episcopo, per cooperationis tue subsidium facile perveniat ad effectum.

Dat. ut supra.

740.

Gregorius IX papa [Herberto] abbati Sanctae Genoferae Parisiensis mandat, ut B[runonem] praepositum Lubicensem et scabinos, iuratos et commune civitatis Magdeburgensis ad mutuum Bonacurae, Iacobo et Paulo Subectarii civibus Romanis solvendum per censuram ecclesiasticam compellat.

1239, Mart. 1.

Greg. IX Reg. Vol. VI, 71; Lib. XII, 401.

.. abbati Sancte Genovefe Parisiensis.

Cum dilecti filii Bonacura, Iacobus et Paulus Subectarii cives Romani B. preposito Lubicensi, apud apostolicam sedem pro scabinorum, iuratorum et communis civitatis Magdeburgensis, quorum nuntius et procurator existit, procurandis[a] negotiis constituto, renuntianti expresse constitutioni de duabus dietis edite in concilio generali et exceptioni fori[2], habenti super hoc ab eis et de mutuo contrahendo mandatum, trecentas quinquaginta marcas sterlinguorum, sicut idem prepositus in nostra confessus est presentia, mutuarint certis sibi loco et termino persolvendas, tam eodem preposito quam communitate predicta in solidum obligatis, prout in litteris inde confectis plenius continetur: discretioni tue de prepositi eiusdem assensu precipiendo mandamus, quatinus si de pecunia ipsa eisdem civibus non fuerit statutis ad hoc loco et termino satisfactum, tu ex tunc prepositum, scabinos, iuratos et commune prefatos, non obstantibus constitutione et exceptione iamdictis et indulgentia, si quam habent, quod non possint excommunicari vel interdici nisi de mandato sedis apostolice speciali, ut civibus ipsis de memorata pecunia cum iustis et moderatis expensis ac debita restauratione dampnorum, usuris omnino cessantibus, satisfaciant ut tenentur, monitione previa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas.

Dat. Lateran. Kalendis Martii, anno duodecimo.

a) pro procurandis *R.*

1) *Gertrudi de Amfurt.* 2) *Vide Richter, Kirchenrecht, ed. sexta, p. 618, § 223.*

741.

Gregorius IX papa [Petro] archiepiscopo Rotomagensi et suffraganeis eius scribit, se Fridericum dictum imperatorem pro excessibus suis excommunicasse et loca, ad quae venerit, interdicto subiecisse; mandat iis, ut has sententias publicari faciant.

1239. April. 7.

Greg. IX Reg. Vol. VI, 149. Litterae de secunda excommunicatione imperatoris separatim collectae modo appendicis Lib. XIII adiunctae sunt.
Potthast, Reg. 10724.

. . archiepiscopo Rothomagensi et suffraganeis eius.

Sedes apostolica, sicut totus fere orbis facti evidentia didicit, Fridericum dictum imperatorem, ex quo ipsum ex utero matris excepit genibus, affectu materno prosequens lactavit uberibus et humeris baiulavit, quem olim omni pene destitutum auxilio et dubiis tantum derelictum eventibus suo recepit patrocinio confovendum, opponens se potenter invasoribus regni sui, qui in terram eius oculos aviditatis iniecerant, cuius iam fines ingressi eam absque ullo defensionis obstaculo usurpabant, et defendens eundem ab insidiantibus vite sue, qui emuli salutis ipsius conabantur animam eius extinguere et de terra ipsius memoriam abolere. Cumque idem protectionis ecclesiastice clipeo premunitus, persone et regni sui bone memorie G[regorio] de Gualgano[a] tituli Sancte Anastasie presbytero cardinali a sede apostolica per multos annos deputato custode, maioris metas attigisset etatis, tandem ad altioris dignitatis apicem per eam extitit sublimatus. Set diligentie studium circa personam eius impensum, labores plurimos, quos ecclesia subiit propter eum, quoad ipsum, perdidisse videtur, cum tot beneficiorum sit immemor, tante gratie sit ingratus, et utinam illius ingratitudinis non excederet terminos, per quam perceptorum bonorum existeret negatione contentus! Porro licet offensa quelibet aculeos doloris importet, illa tamen iaculo graviori percellit, in qua pro gratia ingratitudo rependitur et pro beneficiis maleficia compensantur. Verum quantumcumque ipsum apostolica sedes dilexerit et et supreme culmine potestatis erexerit secularis, suis tamen exigentibus culpis, de quibus quamquam pluries a nobis monitus satisfacere non curavit, coacti fuimus, licet inviti, animadvertere in eundem[1]. Nam etsi Adam divina providentia excellentia dignitatis et auctoritatis extulerit, cui omnia animantia terre subiecit, quia tamen sui iussa preteriit, eius excessibus non pepercit. Que autem a dicto Friderico pro tot bonis sibi collatis ecclesia retributionis premia reportarit, universitatem vestram volumus non latere, pauca de multis presenti pagina declarando[2]. In Urbe siquidem gravem seditionem movit, exinde nos et fratres nostros totis viribus nisus excludere, ut sic apostolice sedis honorem deprimeret ac libertatem ipsius penitus conculcaret, contra iuramenta prestita veniendo. Et venerabilem fratrem nostrum . . Penestrinum episcopum[3], dum ipsum ad partes Albigentium disponeremus pro corroboratione fidei catholice destinare, per quosdam suos fideles in via impediri mandavit. Cathedrales[4]

a) Gualgañ *R.*

1) *Dominica palmarum, Mart. 20, excommunicatio primum pronuntiata et coena Domini, Mart. 24, innovata est: cf. Potthast, Reg. p. 908. Formula excommunicationis, quam Rayn. a. 1239, § 1 etiam in Reg. legi contendit, ibidem, ut V. Cl. A. Mau nobis scripsit, non exstat: tenor, quem Rayn. dat, ad verbum ex Ann. Stadens. a. 1239, SS. t. XVI, p. 363, ex codice qui ibidem Cod. 2 appellatur, sumptus est.* 2) *De sequentibus articulis cf. formulam supra commemoratam, ubi plures enumerantur.* 3) *Iacobum: cf. n. 731.* 4) *Cf. n. 700 et 703.*

etiam et alias vacantes ecclesias regni sui nequaquam ordinari permittit, in animarum periculum et grave detrimentum ipsarum, eas et quasdam alias nichilominus spoliando fere omnibus bonis suis, et tallias ac exactiones indebitas prelatis, religiosis et aliis clericis secularibus imponendo. Nobilibus quoque pauperibus, orphanis et viduis usque ad exinanitionem extremam deductis, eos ad modicum dura et crudelis exactorum suorum acerbitas non patitur respirare, et sic totum fere regnum, quod est speciale patrimonium beati Petri, pro quo iuramento fidelitatis apostolice sedi tenetur et ipsius ligius vassallus existit, quantum in eo est, in favillam quasi et cinerem iam redegit; quod si postquam monitus fuerit a nobis, non duxerit corrigendum, nos super hoc actore Domino, sicut expedire videbimus, procedemus. Insuper negotium impedit Terre Sancte nec non etiam imperii Romanie. Preterea cum tempore concordie inter ipsum et ecclesiam reformate in manibus sedis apostolice legatorum iuraverit ecclesie obedire preceptis, ipse mandatum receptum ab eis, quod terram ecclesie vel terras eorum, quos tunc ad suas manus tenebat, aut ipsorum personas nullatenus caperet, occuparet seu etiam devastaret, adimplere contempsit, terram ecclesie occupando, videlicet in Lombardia Ferrariam, Bondenum, Pigonagam et Bondenum[1], terram quidem Sardinie[2] et Massam Lunensis diocesis[3] capiendo et eiciendo illos, quos ad manus suas ecclesia reservavit, et devastando terras ipsorum, licet ex tunc in eum presentem ipsi legati excommunicationis sententiam tulerint, si super hiis non faceret quod mandarent. Idem etiam nepotem regis Tunisi ad Romanam ecclesiam pro percipiendo sacri baptismatis lavacro accedentem ac dilectum filium P[etrum] Sarracenum nobilem civem Romanum, ex parte karissimi in Christo filii nostri . . illustris regis Anglie[4] ad apostolicam sedem missum, et filium eius carceri detinet mancipatos[5].

Quia vero super hiis et quampluribus aliis excessibus pluries a nobis monitus correctionis medelam non sentiens, cum suarum sint ulcera indurata culparum, cotidie deteriora committere non veretur, nos[a] hec absque Christi offensa preterire sub dissimulatione ulterius non valentes, de fratrum nostrorum consilio ex parte Dei omnipotentis, cuius vicem in terris gerimus licet immeriti, et auctoritate beatorum Petri et Pauli apostolorum eius ac nostra in eum et omnes illos, qui in premissis vel alias contra Romanam ecclesiam sibi prestiterint consilium, auxilium vel favorem, excommuni-
1. Cor. 5,5. cationis et anathematis sententiam duximus promulgandam, tradentes ipsum sathane in interitum carnis, ut spiritus eius in die Domini salvus fiat, omnes qui ei fidelitatis iuramento tenentur decernendo ab observatione iuramenti huiusmodi absolutos, et firmiter prohibendo ne sibi fidelitatem observent, donec fuerit vinculo excommunicationis astrictus. Ad hec civitates, castra, villas et alia loca ad que ipse pervenerit, quamdiu ibi fuerit, ecclesiastico subicimus interdicto, ita quod publice vel secreto nullum ibi divinum officium celebretur, indulgentia vel privilegio quolibet non obstante, omnesque, qui eidem presumpserint celebrare vel potius prophanare divina, pene depositionis perpetuo decernimus subiacere, universis patriarchis, archiepiscopis et episcopis, abbatibus etiam et aliis ecclesiarum prelatis districtius inhibentes, ne vocati ad eum vadant nec cum ipso morentur. Alioquin debitam non effugient ultionem. Quocirca universitatem vestram monemus et hortamur attentius, per apostolica vobis scripta in virtute obedientie firmiter precipiendo mandantes, quatinus nullum sibi prestantes consilium, auxilium vel favorem, predictam excommunicationis et anathematis sententiam singulis diebus dominicis et festivis pulsatis campanis et candelis accensis ac genera-

a) nobis *R.*

1) *Intelligas:* Bondenum vetus, Pigonagam et Bondenum novum: *cf. p. 115, lin. 25.* 2) *Cf. n. 729.* 3) *Hanc quoque terram ecclesiae fuisse testantur diplomata ap. Münch, König Enzio, p. 302.* 4) *Henrici III.* 5) *Cf. n. 730.*

liter alia omnia, que presentibus continentur, solempniter publicare ac nuntiare curetis et faciatis simili modo per vestras civitates et dioceses publicari et etiam nuntiari; mandatum nostrum taliter impleturi, quod de negligentia redargui aliquatenus non possitis et nos contra vos alias procedere non cogamur. Ceterum cum prefatus Fridericus de aliis magnis et gravibus sit plurimum infamatus, nos dante Domino super hiis suo loco et tempore procedemus, prout in talibus negotii natura requiret. Verum quia terroris sonitus semper est in auribus impiorum, et etiam quando pax est, insidias (Iob. 15,21.) suspicantur, eo quod turbata conscientia semper seva presumit, idem Fridericus, prius quam sententia excommunicationis lata esset in ipsum, quasdam fratribus nostris decrevit litteras transmittendas pro parte inferius annotatas, que post eandem latam sententiam ipsis presentate ad nostram et eorundem notitiam pervenerunt. Unde quia voluit Dominus occulta cordis eius detegere, qui manifestat abscondita tenebrarum et (I. Cor. 4,5.) cordium secreta revelat, ex ipsarum tenore litterarum aperte colligitur[a], quam gerat devotionem ad Romanam ecclesiam matrem suam, quam ad summum pontificem et fratres eius ac sedem apostolicam reverentiam habeat, cuius ratione regni vassallus existit: contra nos enim et ipsos conspirasse videtur, ex quo quantum et quale crimen incurrerit, satis patet. Inter cetera vero, que sua continebat epistola, hec habebantur inserta[1]:

'Propter quod non indigne dolemus, si pater apostolicus offendere tam graviter nos intendat, ut dum in constantem virum tam vehemens cadat iniuria, etsi patienter ferre velimus, immanitas negotii non permittat[b], quin ad ultiones, quibus cesares uti solent, facti violentia nos impellat. Veruntamen dum consideramus impatientiam procedentis et difficultatem attendimus offensoris, si ex equo liceret privatas exercere vindictas, quas[c] in hominem, per quem scandalum venit, et in sui participes sanguinis compensare possemus, ut in ipsum et suos attemptata nostre sedis iniuria redundaret, tolerabilius duceremus. Set cum nec ipse nec tota propter hoc sua passura progenies tanti forent, ut culmen imperii zelaret ultionem ipsorum, cumque sedis auctoritas audacie sibi frena relaxet et tot venerabilium fratrum moles eum in concepta fovere pertinacia videatur, angit nos altiori mente turbatio, quod dum nos intendamus a persequente defendere, oporteat nos defendendo gravius offendere resistentes.'

In premissis autem negotium ecclesie vobis duximus attentius commendandum, ut ipsum tamquam proprium assumentes, ad fidei catholice robur, conservationem ecclesiastice libertatis et totius populi Christiani quietem efficaciter intendatis.

Dat. Lateran. VII Id. Apr.[2] anno XIII.

In eundem modum universis archiepiscopis et episcopis tam exemptis quam aliis[3].

In eundem fere modum regibus, ducibus, comitibus et aliis nobilibus usque: Quocirca nobilitatem vestram monemus et hortamur attente in domino Iesu Christo, quatenus ipsum iam excommunicatum a nobis et separatum ab ecclesie unitate cures[d] in omnibus evitare, nullum sibi prestantes consilium, auxilium vel favorem, ita quod affectum, quem habetis ad ecclesiam matrem vestram, possimus cognoscere per affectum, et nos in tuis oportunitatibus invenias favorabiles et benignos. Ceterum cum prefatus F. etc. usque in finem.

---

a) *ita Matth. Par. in ep. sub not. 3 commemorata;* colligi *R.* b) permittit *R.; unde* — permittit *in ep. citata.* c) *ita ibidem;* que *R.* d) *V. Cl. Mau teste in Reg. allocutio ita variatur.*

1) *Cf. epistolam imperatoris Mart. 10 scriptam, Huillard-Bréholles, l. c. t. V, p. 283.* 2) *Rayn., qui duo fragmenta huius epistolae non integra Ann. suis a. 1239, § 13, 15 et 16 inseruit, alterum sub* VII Id. Apr., *alterum sub* Idus April. *proposuit. Ut V. Cl. A. Mau nobis affirmavit, in Reg.* VII Id. Apr. *legitur.* 3) *Epistola* O[ttoni] Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diacono cardinali, apostolice sedis legato, *directa* tertio Idus Aprilis *consignata est, Matth. Paris. Chron. maior. a. 1239 ed. Luard, t. III, p. 569. Ex quo apparet non omnes huius tenoris epistolas eodem die datas esse; cf. infra sub Mai. 22.*

742.

Gregorius IX papa [Henrico] archiepiscopo Remensi et suffraganeis eius mandat, ut excommunicationis et anathematis sententias in Fridericum dictum imperatorem promulgatas publicari faciant, et omnes crucesignatos et alios, qui eidem Friderico auxilium praestiterint, excommunicent. *1239, April. 7.*

Greg. IX Reg. Vol. VI, 149–150; in appendice Lib. XIII sub n. 741 commemorata.
Potthast, Reg. 10721, sub Mart. 21; ubi epistola ad archiepiscopum Mediolanensem et suffraganeos eius missa adducitur, in qua mandatum de crucesignatis: ferendo excommunicationis — non obstante *deest.*

Archiepiscopo Remensi et suffraganeis suis.

Cum nuper in Fridericum dictum imperatorem exigentibus culpis suis, pro eo quod idem super hiis a nobis diligenter monitus et frequenter non solum satisfacere non curavit set corde nequiter indurato iugiter etiam deteriora committit, de fratrum nostrorum consilio excommunicationis et anathematis sententiam sollempniter promulgantes, omnes, qui ei fidelitatis iuramento tenentur astricti, ab eiusdem observatione iuramenti decreverimus absolutos, districtius inhibendo ne sibi fidelitatem observent, donec fuerit vinculo excommunicationis astrictus: universitatem vestram monemus et hortamur attentius, per apostolica vobis scripta in virtute obedientie firmiter precipiendo mandantes, quatinus huiusmodi excommunicationis et anathematis sententiam singulis diebus dominicis et festivis pulsatis campanis et candelis accensis sollempniter publicare ac absolutionem et inhibitionem nuntiare curetis, ea per civitates et dioceses vestras publicari similiter facientes et etiam nuntiari[1], ferendo excommunicationis sententiam in omnes crucesignatos et alios, qui predicto Friderico vel per se vel per alios, cum armis maxime, auxilium prestiterint vel favorem, apostolice sedis indulgentia, qua noscitur prohiberi ne quis crucesignatos eosdem excommunicare audeat, non obstante; mandatum nostrum taliter impleturi, quod ex hoc affectum, quem ad Romanam ecclesiam habere debetis, plenius cognoscamus et de negligentia redargui aliquatenus non possitis.

Dat. Lateran. VII Idus April. anno tertiodecimo.

In eundem modum aliis archiepiscopis et episcopis de regno Francie.

In eundem modum archiepiscopo Salzburgensi[2] et quibusdam aliis usque: nuntiari, ferens sententiam excommunicationis in omnes, qui sibi per se vel per alios contra Christianos, maxime cum armis, auxilium prestiterint vel favorem.

In eundem modum episcopis Marchie usque: nuntiari, mandantes potestatibus consiliariis et communitatibus civitatum sub pena mille marcarum, ne nuntios predicti Friderici iam excommunicati a nobis admittant aut consilium convocent propter eos nec bannum recipiant ex ipsius parte propositum vel observent, ferendo nichilominus excommunicationis sententiam in ipsos et omnes, qui venire presumpserint contra ista.

Dat. ut supra.

In eundem modum O[ttoni] Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diacono cardinali et aliis apostolice sedis legatis usque: nuntiare curetis et faciatis per omnes terras legationis vestre publicari similiter et etiam nuntiari, ferentes[a] sententiam excommunicationis in omnes, qui sibi per se [vel per alios][b] contra Christianos, maxime cum

[a]) *vel* ferendo *ut in prima:* facientes *R.* [b]) vel per alios *deest in R.; vid. supra.*

1) *Certe formulam excommunicationis p. 637, not. 1 commemoratam cum hac epistola iis transmisit.* 2) *Eberhardo II.*

armis, auxilium prestiterint et favorem; mandatum nostrum taliter impleturus[a], quod diligentiam tuam commendare merito debeamus.

Dat. ut supra.

In eundem fere modum nobili viro B[alduino] heredi imperii Constantinopolitani et aliis comitibus, baronibus et nobilibus usque: astrictus, nobilitatem vestram monemus et hortamur attentius in domino Iesu Christo, quatinus ipsum iam excommunicatum a nobis et separatum ab ecclesie unitate curetis in omnibus evitare, nullum sibi prestantes consilium, auxilium vel favorem, ita quod affectum, quem habetis ad ecclesiam matrem vestram, possimus cognoscere per effectum, et nos in vestris opportunitatibus inveniatis favorabiles et benignos.

Dat. ut supra.

743.

Gregorius IX papa [Henrico] episcopo Secoviensi, abbati de Walderbach et priori Praedicatorum de Frisaco causam [Ottonis II] ducis Bavariae contra [Conradum] episcopum Frisingensem, qui in ipsum excommunicationis et interdicti sententias contra iustitiam protulerit, terminandam committit. *1239, April. 15.*

Greg. IX Reg. Vol. VI, 102; Lib. XIII, 17.
Potthast, Reg. 10730.

. . episcopo Secowensi, . . abbati de Waltebac[1] Cisterciensis ordinis et priori ordinis fratrum Predicatorum de Frisaco[2] Ratisponensis et Salzburgensis diocesum.

Nobilis vir . . dux Bawarie transmissa nobis petitione innotuit, quod cum venerabilis frater noster . . Frisingensis episcopus in ipsum excommunicationis et in terram eiusdem interdicti sententias auctoritate ordinaria contra iustitiam protulisset, tandem post diversas litteras propter hoc hinc inde ad iudices diversos a nobis obtentas prefatus episcopus super hoc et quibusdam aliis articulis ad venerabilem fratrem nostrum . . Chimensem episcopum[3] et te, frater episcope, ac . . abbatem de Agmunde[4] Salzburgensis dioecesis nostras impetravit litteras, continentes ut tu et dicti collegę facientes vobis easdem litteras et processus per eas habitos presentari, detentores ad exhibitionem eorum per censuram ecclesiasticam compellendo, causam, si de partium voluntate procederet, iudicio curaretis vel concordia terminare; alioquin ipsam ad nos remitteretis sufficienter instructam, preligentes partibus terminum competentem, quo per se vel procuratores idoneos nostro se deberent conspectui presentare. Quare prefatus dux nobis humiliter supplicavit, ut cum eedem littere sint obtente, dum procurator ipsius esset in itinere constitutus propter hoc ad nostram presentiam veniendi, ne per cavillosa diffugia contingat negotium prorogari et ut iudicium sine suspitione procedat, duos ex predictis iudicibus amoventes, unum obtentu ipsius et ex officio nostro subrogare alium curaremus. Nos igitur ipsius ducis precibus inclinati, eisdem episcopo et abbate remotis, vos, filii abbas, ad petitionem ducis eiusdem, et prior, ex officio nostro loco subrogantes ipsorum, mandamus, quatinus in causa ipsa, nisi sit ad litis contestationem processum, iuxta priorum continentiam litterarum appellatione remota ratione previa procedatis. Quod si non omnes – , duo etc.

Dat. Lateran. XVII Kal. Maii, anno tertiodecimo.

[a]) *iam p. 639, not. d allocutionem ita variatam vidimus.*

1) *A civ. Regensburg ad orientem et septentrionem.* 2) *In Carinthia, ex septentrione civ. Klagenfurt.* 3) *Albertum.* 4) *Scil. de Admont in Stiria, Conradum nomine.*

744.

Gregorius IX papa praelatis et aliis Christi fidelibus regni Franciae mandat, ut Senensibus de ipsorum debitis sine speciali mandato suo satisfactionem nullatenus impendant. *1239, April. 28.*

Greg. IX Reg. Vol. VI, 104; Lib. XIII, 30

. . archiepiscopis et episcopis et ecclesiarum prelatis ac nobilibus viris et aliis Christi fidelibus per regnum Francie constitutis.

Maledictionis filii populus Senensis, multorum beneficiorum immemores que sunt multotiens a benignitate sancte matris ecclesie consecuti, nuper ipsam preter spem et meritum graviter offendere presumpserunt. Ut igitur per experientiam doceantur agnoscere, quid eis boni per devotionis provenire studium, quidve mali possit per ingratitudinis vitium imminere, mandamus, quatinus dictis Senensibus ex nunc de ipsorum debitis absque nostro speciali mandato satisfactionem nullatenus impendatis, pretextu detentionis huiusmodi nullum dampnum imposterum incursuri.

Dat. Lateran. IV Kal. Maii, anno XIII.

In eundem modum eisdem per Alamanniam constitutis.

In eundem modum eisdem per regnum Anglie constitutis.

745.

Gregorius IX papa [Philippo Vicedomino] potestati, consiliariis et communi Ianuensium concedit, ut per litteras apostolicas extra districtum civitatis suae ad iudicium trahi nequeant. *1239, April. 28.*

Greg. IX Reg. Vol. VI, 104; Lib. XIII, 33.
Potthast, Reg. 10739; sub Mai. 9.

. . potestati, consiliariis et communi Ianuensium.

Sincere devotionis affectus, quem ad nos et Romanam ecclesiam habere vos novimus, laudabiliter promeretur, ut vestris petitionibus, quantum cum Deo possumus, annuamus. Cum igitur propter guerrarum discrimina, que nunc imminent provincie Lombardie, civitatem Ianuensem et districtum ipsius absque periculo personarum et rerum non possitis exire, vestris precibus inclinati, ut per litteras nostras extra civitatem ipsam et districtum eiusdem vos et cives vestri ac homines de districtu prefato trahi ad iudicium non possitis, auctoritate vobis presentium indulgemus, nisi de huiusmodi indulgentia fecerint mentionem, presentibus usque ad nostrum beneplacitum valituris. Nulli ergo – nostre concessionis etc. Siquis autem etc.

Dat. Lateran. IIII Kal. Maii[1], anno XIII.

1) *Ita, V. Cl. A. Mau affirmante, in Reg. legitur; in Libro iurium reipubl. Gen. [Hist. patr. monum.] t. I, p. 979, n. 718, ubi epistola certe ex authentico relata est,* VII Idus Maii. *Notam chronologicam in Reg. mendose adscriptam esse conicere non licet, cum neque in duabus praecedentibus epistolis neque in duabus sequentibus eadem inveniatur.*

746.

Gregorius IX papa iudicibus, scabinis et communi civitatis Coloniensis concedit, ut per litteras apostolicas ad loca suspecta citari nequeant. *1239, Mai. 20.*

Greg. IX Reg. Vol. VI, 107; Lib. XIII, 16.
Potthast, Reg. 10744.

Iudicibus, scabinis et communi civitatis Coloniensis.

Filialis et singularis devotio, quam civitas Coloniensis ad Romanam habuit ecclesiam ab antiquo et adhuc habere dinoscitur ad nos ipsos, nos ammonet propensius et inducit, ut in hiis, que a nobis secundum Deum duxeritis postulanda, favorem vobis debeamus apostolicum impertiri, quia nobis et ecclesie Romane reputamus accrescere, quod vestris utilitatibus impertimur. Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis, quod nonnulli, qui nomen Domini recipere in vacuum non formidant, multipliciter vos molestant et frequenter per litteras apostolicas vos faciunt ad loca suspecta citari, ad que propter viarum discrimina et inimicitias capitales secure accedere non valetis, ut sic causas indefensas etiam iustissimas relinquatis vel compositionem subeatis iniquam aliquando et dampnosam seu vexationem redimere compellamini malignorum. Cum igitur causas quas committimus sic velimus fine debito terminari, quod neutra partium contra iustitiam aggravetur, vestris devotis precibus inclinati presentium vobis auctoritate concedimus, ut per litteras apostolicas, quas contra vos impetrari contigerit, ad loca huiusmodi compelli accedere non possitis inviti. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Si quis autem etc.

Dat. Lateran. XIII Kal. Iunii, anno tertiodecimo.

747.

Gregorius IX papa [Aimaro] archiepiscopo Ebredunensi et suffraganeis eius idem quod archiepiscopo Rotomagensi April. 7 [n. 741] scribit. *1239, Mai. 22.*

Greg. IX Reg. Vol. VI, 150: in appendice Lib. XIII sub n. 741 commemorata.

. . archiepiscopo Ebredunensi et suffraganeis suis.

Sedes apostolica, sicut totus fere orbis etc. ut in prima[1] usque in finem.

Dat. Lateran. XI Kal. Iunii, anno tertiodecimo.

In eundem modum archiepiscopo Cantuariensi[2] et suffraganeis suis.
In eundem modum archiepiscopo Rothomagensi[3] et suffraganeis suis.
In eundem modum archiepiscopo Lugdunensi[4] et suffraganeis suis.
In eundem modum archiepiscopo Eboracensi[5] et suffraganeis suis.
In eundem modum archiepiscopo Senonensi[6] et suffraganeis suis.
In eundem modum archiepiscopo Turonensi[7] et suffraganeis suis.
In eundem modum archiepiscopo Remensi[8] et suffraganeis suis.
In eundem modum archiepiscopo Burdegalensi[9] et suffraganeis suis.

1) *Scil. huius appendicis.* 2) *Edmundo.* 3) *Petro, cuius nomen per errorem hic iterum commemoratum esse videtur, cum iam April. 7 [n. 741] eiusdem tenoris epistola ei missa sit; cf. p. 496, not. 2.* 4) *Aimerico.* 5) *Waltero.* 6) *Waltero.* 7) *Iuhello.* 8) *Henrico.* 9) *Geraldo.*

In eundem modum archiepiscopo Bituricensi[1] et suffraganeis suis.
In eundem modum archiepiscopo Ianuensi[2] et suffraganeis suis.
In eundem modum archiepiscopo Bisuntino[3] et suffraganeis suis.
In eundem modum universis abbatibus et fratribus Cisterciensis ordinis.
In eundem modum universis abbatibus et fratribus Cluniacensis ordinis.
In eundem modum universis abbatibus et fratribus Premonstratensis ordinis.
In eundem modum universis prioribus et fratribus ordinis Predicatorum.
In eundem modum universis ministris et fratribus ordinis fratrum Minorum[4].

748.

Gregorius IX papa [Goswino] decano maioris ecclesiae, thesaurario Sanctorum Apostolorum et scholastico Sancti Georgii mandat, ut de proventibus ecclesiarum et monasteriorum civitatis et dioecsis Coloniensis octo milia marcarum per spatium sex annorum percipiant et hanc pecuniam in debita ecclesiae Coloniensis solvenda convertant.

1239, Mai. 28.

Greg. IX Reg. Vol. VI, 109; Lib. XIII, 62.

..decano maioris ecclesie...thesaurario Sanctorum Apostolorum et scolastico Sancti Georgii Coloniensis.

Sortitur genitrix discrimina sobolis et materni dispendii filius non est expers. Nativi quidem affectus federis prosperitatis sibi communicant et adversitatis eventus. Si ergo amoris innati copula reliquum passionis alterius reddit compassione participem, solvit nature vinculum, si unus alterius gravamina non partitur. In auxilium itaque indigentis filii debent matris exuberare suffragia et in matris egentis subsidium debet sue possibilitatis extrema filius experiri. Sane dilectus filius . . Coloniensis electus[5] in nostra proposuit presentia constitutus, quod ecclesia Coloniensis tanto premitur onere debitorum, quod nisi ei per apostolice sedis providentiam celeriter succurratur, verendum est, ne absorbeatur penitus voragine usurarum, ad quarum solutionem ipsius redditus vix sufficere dinoscuntur. Quare nobis humiliter supplicavit, ut in huius necessitatis articulo ipsi ecclesie, cui tanto magis compatiendum existit, quanto minus novit paupertatis incommoda sustinere, que nobilitate pollet et gaudere consuevit bonorum temporalium ubertate, paterni manum auxilii porrigere curaremus. Dignum igitur reputantes, ut membra capiti debeant subvenire ac ecclesie subiecte maioris ecclesie tamquam matris onera comportare, nos ipsius supplicationibus inclinati de omnibus proventibus ecclesiarum, monasteriorum et ecclesiasticarum dignitatum, prebendarum quoque ac aliorum ecclesiasticorum beneficiorum Coloniensis civitatis et diocesis, ecclesiis exemptis exceptis, summam octo milium marcarum percipiendam per sex annorum spatium sibi pro debitorum solutione dictorum duximus concedendam. Ideoque in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatinus eam integre colligentes, imponendo singulis onus iuxta proprias facultates, et apud vos fideliter conservantes, ut nichil de ipsa penitus possit ad aliquem alium devenire, in eorundem

1) *Philippo.* 2) *Ottoni III.* 3) *Godefredo II.* 4) *Sbaralea, Bull. Francisc. t. I, p. 260, n. 291, hanc epistolam ad verba n. 741 in extenso proponens, etiam notam chronologicam* VII Idus Aprilis *adscripsit; neque vero, sicut ex premissis patet, pro certo dici potest eam quoque April. 7 datam esse.* 5) *Conradus de Hochstaden.*

debitorum solutionem per manus vestras totaliter convertatis, ita quod Deo et nobis dignam possitis reddere rationem: contradictores etc. Volumus autem, ut quicquid super hiis duxeritis faciendum, nobis vestris litteris rescribatis. Quod si non omnes etc.

Dat. Lateran. V Kal. Iunii, anno XIII.

749.

Gregorius IX papa universos magistros et fratres domus Teutonicorum reprehendit, quod adversario ecclesiae favorem impendant, iisque mandat, ut ab his se cohibeant: alioquin privilegiis concessis eos privandos esse. *1239, Iun. 11.*

Greg. IX Reg. Vol. VI, 112; Lib. XIII, 74.

Universis magistris et fratribus domus sancte Marie Teutonicorum.

Non iniuste miramur nec indigne movemur, quod cum vos et domum vestram gerentes[a] specialiter in visceribus caritatis, vobis et per vos eidem domui multa magnaque privilegia et indulgentias duxerimus concedenda, vos, sicut ad aures nostras quorundam fide dignorum relatione pervenit, nostre dilectionis obliti et gratie prorsus ingrati, malum nobis pro bono reddentes, adversario ecclesie fidem catholicam impugnanti et conculcanti ecclesiasticam libertatem consilium et favorem impenditis, contra honestatem modestie regularis, qua nobis et sponse Christi, ecclesie sacrosancte, debetis in omnibus filialem reverentiam exhibere, animos devotorum ab obsequio et devotione ipsius ecclesie molientes pro posse vestro subvertere ac eos ad illius sathane obsequium et amorem, vestre salutis et fame prodigi, revocare. Nolentes autem tante ingratitudinis vitium propter periculum precipue animarum, quod ex hoc noscitur imminere, sub dissimulatione, que valde perniciosa existeret, pertransire, universitatem vestram monemus et hortamur attentius in virtute obedientie districte precipiendo mandantes, quatinus dilectionem et gratiam nostram provide recolentes, a premissis, ex quibus indignationem divinam et nostram indubitanter incurritis, saltem suscepte religionis affectu curetis vos de cetero taliter cohibere ac verbo et opere apostolice sedis et nostris beneplacitis coaptare, quod studio future conversationis culpas abholere preteritas merito valeatis. Alioquin, quia sunt culpe in quibus est culpa relaxare vindictam, noveritis vos et domum vestram omnibus privilegiis et indulgentiis, que vobis et domui eidem concessimus, perpetuo fore privandos.

Dat. Lateran. III Idus Iunii, anno XIII.

750.

Gregorius IX papa [Henrico] archiepiscopo Remensi et suffraganeis eius fuse scribit, encyclicae, quam Fridericus imperator [a. 1239, April. 20][1] propalavit, seriatim et

a) geretes *R.*

1) *Bohmer-Ficker, Reg. Frid. II, n. 2431.*

ad capitula respondens calumniasque, quas ibidem iste congessit, in adversarium retorquens. *1239, Iul. 1.*

Greg. IX Reg. Vol. VI, 150—153; in appendice Lib. XIII sub n. 741 commemorata. Hanc epistolam, cum in Matth. Paris. Chron. maior. a. 1239 et alibi ea legatur, Pertzius non descripsit, nihil annotans nisi inscriptionem, notam chronologicam et appendicem, quae incipit: In eundem modum. *Quia vero magni refert primam et optimam formam huius epistolae penitus nosse, V. Cl. A. Mau rogavimus, ut tenorem, quem Matth. Paris proposuit, cum Reg. conferat; qui accuratissime id conficiens, permultas Matth. lectiones emendare potuit.*

Potthast, Reg. 10766; sub Iun. 20; vide quod in fine a nobis annotatum est.

. . archiepiscopo Remensi et suffraganeis eius.

Apoc. 13,1 et sequ. Ascendit de mari bestia blasphemie plena nominibus, que pedibus ursi et leonis ore deseviens ac membris formata ceteris sicut pardus, os suum in blasphemias divini nominis aperit, tabernaculum eius et sanctos qui in celis habitant similibus impetere iaculis non omittit. Hec unguibus et dentibus ferreis cuncta confringere et suis pedibus universa desiderans conculcare, ad diruendum murum catholice fidei occultos olim paravit arietes, at nunc apertas machinas instruit, Ismaelitarum ginnasia animas interimentia construit, et in Christum, humani generis redemptorem, cuius testamenti tabulas stilo pravitatis heretice nititur abolere, fama testante consurgit. Igitur ammirari desinite omnes, ad quos ab hac bestia contra nos edita perveniunt obloquia blasphemie, si nos omni Deo servitute subiecti detractionum sagittis impetimur, cum nec ab hiis obprobriis immunis Dominus relinquatur. Ammirari desinite, si iniuriarum in nos mucronem exerit, qui ad perdendum de terra nomen Domini iam assurgit. Set potius ut eius resistere aperta veritate mendaciis ac illius confutare fallacias puritatis argumento possitis, caput, medium et finem huius bestie Fr. dicti imperatoris diligenter inspicite, et in eis abominationes dumtaxat invenientes et scelera, contra ipsius dolos sinceros animos scuto veritatis armate, attendentes qualiter sinceritatem apostolice sedis et nostram, litteris per diversa climata mundi transmissis, pollutis nisus maculare narratibus, dictus F., figulus falsitatis, modestie nescius et pudoris ignarus, nec veritate confusus nec aliquo perfusus rubore mentitur, quod nos ipsum, nobis in minori officio constitutis amicum, pristinos fidem et mores adepto apostolatus officio relinquentes, quia, sicut sacramento prestito et lata in ipsum excommunicationis sententia tenebatur, prefixo tempore in Terre Sancte succursum infirmitate non potuit prohibente transire, vinculo excommunicationis astringere, postulatum ab ipso sanitate resumpta absolutionis beneficium denegare, ipsumque in dictum transeuntem subsidium, per nuntios et legatos nostros litteras processui contrarias . . soldano[1] mittentes, impedire curavimus, ut sic esset de regni Ierosolimitani recuperatione concepta frustratus, regnum Sicilie, pro eo quod Rainaldus olim filius . . ducis Spoleti[2] preter ipsius conscientiam terram invasit ecclesie, nos iniuste et violenter intrasse ac ipsius homines provocasse ad periurium falso conqueritur, seque de Siria in Apuliam redeuntem illate iniurie omisisse vindictam, acceptasse concordiam et redisse ad matrem ecclesiam gloriatur. Licet autem hec figmenta publica notitia reprobet, quia tamen nonnunquam rectitudinis sedem velatum occupat in aure sincera mendacium, apud quam pro se veritas non invenit advocatum: ne in corda vestra falsitas quacunque possit fraude subrepere, dignum est vos verum rei per nos geste modum et ordinem non latere, qui dictum F., ante et postquam apostolice nostros subiecimus humeros servituti, sub vulpe latentem omni curavimus gratia prosequi, donec spe que patri de filio solet innasci sublata, idem F. fremens in magnitudine sua et ex adepta fortitudine infronitus, matri

(1 Macc. 1 15 — in margine ad „Ismaelitarum ginnasia")

1) *Scil. Babyloniae, El-Kamil nomine.* 2) *Conradi.*

ecclesie pro bonis mala retribuit, et in eam, quam fucatis delinivit aliquando verborum fallaciis, virus effundere caude aculeo more scorpionis incepit. Apoc. 9,10.

Nam cum olim[1] Terre Sancte necessitas, predicta sententia et iuramentum ac prefixus terminus transitum eius exposcerent, et illud idem multa milia crucesignatorum ipsum Brundusii expectantia cum instantia postularent, idem dictos crucesignatos inibi, donec sub ignoti aëris intemperie diversis lugende mortis casibus periere, detinuit, et periurium ac excommunicationis sententiam gratis incurrens, infirmus fide set sanus corpore, ut securius mentiretur Deo et ecclesiam falleret, omisso promisso passagio in in lecto egri diebus aliquibus simulati recubuit ac Terram Sanctam incursibus hostium Christi exponere minime dubitavit, ex eo nullo dolore perculsus, quod ibi clare memorie Turingie langravius, utinam non veneni poculo, sicut mundus clamat! extitit interemptus. Cumque de conficta egritudine et aliis premissis nobis per litteras prelatorum ibi morantium constitisset, ne, discipline virga tanto subtracta facinori, nos et apostolica sedes redderemur inde notabiles, crucesignatorum mortem et Terre Sancte pericula deplorantes et cupientes saltim in altero ecclesie lacrimas dextra debite consolationis abstergi, ipsum late in eum de consensu suo auctoritate bone memorie H[onorii] pape predecessoris nostri excommunicationis sententie subiacere denuntiavimus, summo prestolantes desiderio ut eum postmodum emendatum tantorum relevationi[a] dampnorum optatam prestare operam audiremus, litteris nostris offerentes eidem quod impertiremur sibi iuxta formam ecclesie absolutionis beneficium, quam cito iter arriperet in prefate terre succursum. Set ipse, in cuius erat super hiis pectore cura minor[2], claves ecclesie parvipendens, non absolutus in Siriam transiit. Ubi[3] cum soldano, solis sibi meniis Ierusalem restitutis et illi grandi ad impugnationem Christianorum transmisso equorum et armorum exennio[b], fedus feriens et templum Dominicum Sarracenorum ibi laudes exclamantium Machometi cure relinquens, ex defensore mutatus in hostem, venerabilem fratrem nostrum patriarcham Ierosolimitanum et Templarios pro viribus impugnavit. Illud autem non debet ad sane mentis credulitatem accedere, quod eum in recuperatione regni Ierosolimitani nos vel legati nostri, cum ad hoc multo labore sudaverit grandiumque ecclesia subierit onera expensarum, studuerimus impedire. Set istud in notitiam omnis terre pervenit, quod idem F., sicut in Sirie partibus in propria persona Dei persequebatur ecclesiam, sic citra mare ipsam diversis tribulationibus dicti Rainaldi ministerio, quem contra consilium nostrum suum in regno vicarium reliquerat, affligebat; cuius terram cum litteris aurea bulla munitis, pecunia et vassallis ipsius F. prefatus Rainaldus invadens, nonnullos sacerdotes et clericos suspendere, mutilare ac fustibus cedere, necnon, statu nostro turbato, Perusium[c] partem ipsius terre occupare presumpsit. Quem licet fideles et devoti nostri, non valentes id ulterius sustinere, a parte terre predicte, Christo sponse sue indulgente victoriam, eiecissent, quia tamen idem R. nequaquam ab incepta persecutione cessabat, consultius extimantes, si originalis malitie venas inciderent, quam quod iam exsiccati torrentis impetus novis repleri rivulis expectarent, dictum regnum Sicilie, quod est spirituale patrimonium ecclesie, ne inde nos percuterent iacula unde potius erat expectandum subsidium, intraverunt; multique ex ipsius regni habitatoribus obedientes apostolice sedi nequaquam ob id reputari debent periurium incurrisse, cum a iuramento fidelitatis, quod eidem F. prestiterant, ex lata in eum excommunicatione absoluti fuissent. Dicto quoque F. redeunti de partibus transmarinis et ad sinum matris ecclesie revertenti pietatis aperuimus apostolice gremium, ipsique ad expetitam inclinati concordiam absolutionis beneficium curavimus impertiri.

---

a) relevatione *R.*; revelatione *Matth. Par.* b) exēnio *R.* c) Perusii *R.*

1) *Cf. n.* 368. 2) *Versus pentameter.* 3) *Cf. n.* 380—381 *et* 397.

Ad hec idem mendacii filius, falsitates falsitatibus cumulans, ut quo plura mendaciorum retia orditus fuerit, eo gravioribus se doleat periculis irretitum, de nobis mendaci scriptura pronuntiat, quod ei, ut Lombardiam pacificus et inermis intraret, promittentes
E. 10,1 quod aspera sibi converteremus in plana, pro sua confusione suggessimus, et non permisimus[a] obice nuntiorum et litterarum nostrarum intentionis sue metas attingere. Ac deinde, quia sibi potentia non suffragabatur armorum, in regnum redire coactus, ad instantiam nostram Romanos tunc Viterbium impugnantes diffidasse et in Viterbiensium subsidium strenuam misisse militiam se falso asserit: nosque scripsisse Romanis id preter conscientiam nostram fieri, et cum ipsis eo irrequisito reformasse concordiam in querelam adducit, novo sibi blanditus mendacio, quod dissidentibus iterum ab ecclesie pace Romanis, idem non vocatus cum Corrado nato suo, quem nobis obtulerit obsidem, ad presentiam nostram personaliter veniens et arbitrio nostro motam inter ipsum et Lombardos discordie causam exponens, terram sedis apostolice occupatam eius iuri restituit et libertatem ecclesiasticam in statum primum et debitum reformavit. O utinam iste falsidicus esset vir habens spiritum! O utinam huiusmodi propositio falsitatis verum habuisset eventum! Ipsius vero negotium, quod per venerabilem fratrem nostrum archiepiscopum Ravennatem de restituendis ei et dicto Corrado iuribus ipsis in regno Ierosolimitano subtractis ordinatum fuerat, nos, quam cito delata potuit numerari pecunia, destruxisse, fidelibus suis, quos non sine ecclesiarum incendiis et hominum stragibus hostilis devastabat insultus, ipsius interdixisse succursum, et ob id nos nuntium noluisse vel litteras destinare, contrarius veritati conqueritur. Ac Civitatem Castelle contra formam pacis et fratrum nostrorum consilia in sui iuris preiudicium detineri a nobis, suis exarare litteris stilo mendacii non veretur.

Quanquam autem hiis figmentis modica veritas intermixta aliquid coloris adiciat, ut tamen intelligatis apertius, quod totam huius commenti seriem non modica falsitatis adiectio decolorat, pro certo scitote, quod cum, sicut nunc ex temporum eventu convincitur, discrete menti verisimilius videretur ipsum de Lombardis suum potius consequi propositum potuisse, si se illis, quos populorum numerositas profunditasque vallorum, armorum copia ac murorum reddit altitudo munitos, pietatis patrem exhibuisset et clementie dominum, quam si trementibus pro culpa imposita subditis ultionis exerto mucrone terribilis in cuneis occurreret armatorum, ei nos, qui bona pacis procurare tenemur, bona fide suasimus, ut armate militie omisso terrore sub indictarum omissione penarum et beneficiorum oblatione illos ad imperii devotionem reduceret. Qui etsi in Lombardiam famulis stipatus inermibus accessisset, quia tamen consilii fidelis oblitus in partem Cremonensium cedens actor factus est scismatis, scissamque in discordias Lombardiam fortius scindere et Mediolanenses a se terroribus et minis abigere studuit, quos cum adversa parte ad unitatem trahere potius debuit in funiculis caritatis, non est quod nostre imputetur innocentie, si spe frustratus in Apuliam rediit, ipso spei concepte interitum procurante. Post hec super tuitione libertatis ecclesiastice, super extirpanda heretica pravitate nostris beneplacitis paratum se obtulit[1]; ad quem recurrens littera nostra respondit, quod cum in regno suo, ubi nullus manum vel pedem absque ipsius movet imperio[2], in fidem catholicam heresis latius venena diffunderet et libertas ecclesie quasi penitus conculcata iaceret, non credebatur capiti salutis adhibere remedium, qui pedem suo reddiderat contactu morbosum. Sicque responsum

[a]) permissus *R*.

1) *Cf. n. 188, 195 et 197.* 2) *Sed haec verba a. 1236, Oct. 23, p. 602, lin. 21, imperatori scripsit; in litteris adhuc extantibus, quae in fine a. 1232 et initio a. 1233 eidem missae sunt, neque haec neque sequentia leguntur.*

huiusmodi lapsu modici temporis approbante, audito quod quidam pravo seducti consilio ecclesie terram intrare volebant, in Siciliam, quasi fuga capta ne rupta promissio eum falsitatis argueret, protinus abiit[1], ac contra illos verbo vel opere in aliquo non processit, nobis improperans quod revertentes ad Urbem Romanos filios speciales ecclesie ad matris devotionem paterna curavimus diligentia revocare. Idem insuper, intellecto quod illos ab ecclesie caritate seiungere quidam iniquitatis filii nitebantur, et excogitato quod facilius hanc et ipsos[a] opprimeret, si prefatam caritatem acerbius fraude solita vulneraret, nobis tunc Reate presentibus ad sedem cucurrit apostolicam[2] etiam non rogatus, ubi sub multa humilitate promittens quod terram ecclesie perditam in primum statum reduceret et ipsam pro viribus defensaret, in Tuscia, ad quam vires suas contulit, recuperationem cuiusdam castri[3], quod ad ius ecclesie modico reduci labore poterat, impedivit. Et cum adhuc manus tradentis nobiscum essent in mensa, cum Luc. 22,21. hostibus ecclesie, sicut ex consequentia facti et litteris suis, que a nobis in tante proditionis testimonium reservantur, aperte convincitur, hoc signo dato Iude[b] vicarius pepigit[c], ut ipso certo die exinde recedente[4], illi ad arma consurgerent et beati Petri patrimonium occuparent. Videte igitur, que nobis sub pardi varietate iste mons Ierem. 51,25. pestifer devotionis obsequia prestitit. Attendite, quales ecclesie famulatus occultus hostis impendit, qui in ecclesiasticum transformari non erubuit famulum, ut nobis efficacior fieret ad nocendum.

Pro firmo tamen tenere vos cupimus, quod nos, hiis sub dissimulatione preteritis, circa ipsum adhuc non permittentes immutari affectum apostolice puritatis, per dictum archiepiscopum[5], commisso sibi legationis officio, iura ei et prefato Corrado in eodem regno Ierosolimitano mandavimus subtracta restitui. Qui licet id fecerit, quia tamen formam sibi datam, propter quod ab eo ad nos extitit appellatum, excedens, Terram Sanctam, quod non est auditum a seculo, post appellationem huiusmodi sententie supposuit interdicti, nos, attendentes quod ob id in maximum eiusdem terre periculum peregrini ex ipsa recederent et alii inceptos ad illam transitus retardarent, dictam sententiam, que utpote lata post appellationem legitimam ipso iure nulla fuerat, in omnibus aliis prefati archiepiscopi intacto remanente processu, sufficienti a baronibus, nobilibus et communitatibus regni predicti cautione recepta, in omni sinceritate de fratrum nostrorum consilio duximus relaxandam[6]. Quod ergo ipse de nobis ob hoc labiis pollutis obloquitur, vester animus non turbetur, quia cum sit vas repletum vitiorum spurcitia, ea que ipsius infecerunt animum putat in aliis criminum desevire tormenta; ex quo cum malorum obprobria laudem, laudes quoque obprobrium resonent, a viro, cuius fere omnis lingua clamat infamiam, fame suggillationibus impeti eligimus multo fortius quam laudari. Set forsan maculam opinionis sue hiis credit abolere convitiis, qua se dum Viterbii moraretur inficiens, a facie hostium ecclesie non verecundus aufugit, et ad defensionem suorum fidelium, quos ipsius hostes in oculis eius[d] obsederant, et obsessorum terram nullo prohibente vastarant, affirmans suum per nos ad illos interdici progressum, imperialis honoris prodigus, set timore prohibitus non accessit; ex eo innocentiam nostram accusans, quod ad evitanda huiusmodi guerrarum dispendia nuntium a latere nostro non misimus[7]. Set nec mirum, cum eo tempore status ecclesie multiplici fuisset persecutorum afflictione turbatus. Venimus autem ad Civitatem Castellanam[8], cuius cives se illi violato sacramento fidei, ecclesia ignorante, prodentes,

a) *in rasura eadem manu scriptum.* b) *ita optime coniecit W. Meyer in Forsch. z. d. Gesch. t. XIX. p. 76;* inde *R. et Matth. Par.* c) pepig̃ *R.;* g̃ *in rasura eadem manu scriptum est.* d) *litterae* ei *in rasura eadem manu scriptae sunt.*

1) *Cf. n. 510.* 2) *a. 1234, Iun.* 3) *Raspampani ex occidente Viterbii.* 4) *a. 1234, Sept.* 5) *Ravennatem, Theodericum nomine; cf. n. 594.* 6) *Cf. n. 656.* 7) *Cf. Bohmer-Ficker, l. c. 2048a.* 8) *Città di Castello; cf. p. 598, not. 3 et p. 602.*

nullum ius ei per hoc in seipsis acquirere, nullum nobis circa possessionem, cum iurisdictionem civitatis et civium quasi possideret ecclesia, prodendo potuerunt preiudicium generare, quia illi, a quibus, alteri potius quam sibi possidentibus, non requiritur possessionis initium, leges possessionum evertere et extraneis iura conferre nequeunt possessorum. Necnon qui de reddendis possessionibus ecclesie Romane ad eum pervenientibus pluries iuramentum prestiterat, satis improvide a nobis videbatur petere, quod non poterat absque periurio retinere. Nec credi debet in hoc nos, sibi omnimodam coram arbitris vel alio modo iustitiam exhibere paratos, fratrum nostrorum despexisse consilium, quod, nuntiis eius inceptum iudicium recusantibus prosequi, non fuerat requirendum: quimpotius hanc petitionem ea duntaxat fraude intentasse proponitur, ut sic ei obloquendi de ecclesia et pacem inter ipsam et eum initam irritandi occasio preberetur.

Illud quidem, quod super facto imperii inter cetera sua detestabilis testatur epistola, noster edisserit hiis litteris calamus, ut quo pluribus eius fictio cognita fuerit, eo fortius ex suo maneat comento confusus, dum de nobis obtrectat, quod ad nostram translato notitiam eum ad recuperanda iura imperii cum multis bellatorum intrare milibus Lombardiam, sibi, ne Italiam intraret armatus et de negotio Lombardorum in nos precise compromitteret, apostolico scripto mandavimus, ut illud perpetuo suspendere vel ius imperii libere suffocare possemus, contra ipsum venerabilem fratrem nostrum Penestrinum episcopum[1], per quem eius vacuaremus propositum, transmittentes, sibi impedimentis clandestinis per legatos et litteras nostras per orbem undique procuratis. Iste vero, cui, ne veritatem fateri aut enarrare possit, iudicium a divina forsan est indignatione negatum, sicut obtrectationes persone nostre non verecundatur ex falsis assumere, sic et excusationes suas ex similibus propositionibus non veritus ordinare, se per nuntios suos, venerabilem fratrem nostrum Panormitanum archiepiscopum[2] et quosdam alios, ad apostolicam sedem missos devotionem omnimodam super ecclesiastica libertate et reformandis ecclesie et imperii iuribus obtulisse[3], nosque id acceptantes et promittentes a cuiuslibet ipsius impedimento cessare, nuntiis suis ad eum redeuntibus dilecto filio Gregorio de Monte Longo, notario nostro, in suorum eversionem fidelium legationis officium commisisse[4] asserit: ipsoque nichilominus ad nos prefatos archiepiscopum et alios nuntios suos ad sedem apostolicam remittente et offerente satisfactionem omnimodam, nos eum, contradicente saniori parte fratrum nostrorum, contra traditiones sanctorum patrum et sollempnem morem ecclesie iniuste excommunicasse falso concludit, pro sua confusione subiungens se nos, beati Petri vicarium, iudicem non habere, quasi velit asserere nos concessa apostolorum principi carere clavium potestate.

Quesumus igitur, libram rationis assumite, et in ea perpetratis per dictum F. contra ecclesiam excessibus et beneficiis que ab ipsa recepit appensis, clarius hec
Psal. 73,14 videte, quod licet draco iste, qui ad illudendum nobis formatus et in escam populo Ethyopum datus existit, aquas persecutionum in subversionem ecclesie ex ore quasi fluvium miserit, apostolica tamen sedes ipsius nequitiam inextimabili beneficiorum misericordia superavit. Nam olim cum ab annis teneris illorum morsibus, qui terram eius et sanguinem sitiebant, in cuna confusionis expositum, parentum et amicorum solatio penitus pene nudum videns mater ecclesia, protinus circa ipsum nutricis et baiule officium executa, illum pallio apostolice protectionis operuit, de laqueo venantium eripuit, multis sudoribus, multis laboribus et expensis ad regni solium et coronam imperii sublimavit. Insuper hoc ei fecisse modicum reputans, et sibi regnum Ieroso-

1) *Iacobum.* 2) *Berardum.* 3) *a. 1238, c. Aug., cf. Bohmer-Ficker, l. c. n. 2374a.*
4) *a. 1238, Aug. 6 [?]; cf. Potthast, Reg. Add. I, 10630a—26284 et Winkelmann in Forsch. z. d. Gesch, t. XII, p. 274, not. 2.*

limitanum subici et illum undique per orbem exaltari procurans, licet ab eodem se multiplici[a] lesam afflictione doleret, a paucis tamen retroactis temporibus sibi contra Henricum natum eius, qui partem non modicam Alamannie eius iurisdictioni subtraxerat, potenter astitit, et inflictorum sibi per eum oblita vulnerum ipsum quasi de novo in imperatorem erigens, Theutoniam apostolicis litteris ipsius desiderio reformavit[1], hiis ac aliis que non sufficimus recordari beneficiis ipsius construens munimenta decoris. Set iste baculus impiorum, terre malleus universe, conturbare (Ierem. 50,23) terram, regna concutere et orbem desertum ponere cupiens, libertatem ecclesiasticam in dicto regno Sicilie[2] in obprobrium servitutis extreme deducens, et ecclesias, quas ut earum teneritudine suum ventrem impleret, quasi iam penitus exossavit, sordidis oneribus et angariis opprimens, eas bonis sacris deputatis usibus spoliavit, personas ecclesiasticas carceri mancipat ipsosque in examine vetito actiones suscipere, tallias solvere et bona ecclesiastica, ut se a vexationibus redimant, exaurire et postremo exulare coartat; ecclesias pastorum solacio viduatas non permittit sibi sponsum eligere, viduitatis vestimenta deponere, donec alicuius adulterinis amplexibus per impressionem extiterint copulate. De Christianorum habitaculis construens menia Babilonis et edificia, in quibus divinum nomen excolitur, illuc transferens, ubi Machometus perditus adoratur, turbis undecumque collectis Crucifixi fidem et nomen publice predicari in eodem regno prohibuit. Recuperationem Terre Sancte et negotium crucis impediens, ad eius consummationem de bonis suorum conferri fidelium interdixit. Contra iuramentum prestitum et pacis inter ipsum et ecclesiam reformate federa nobiles privatos castris et aliis bonis suis, uxoribus et liberis captivatis, loca sua proscriptos relinquere, domicilia in aliorum transferre coloniam, nutritos in croceis amplexari stercora et ad extremam coegit inopiam devenire. Necnon dum afflictione comprimit simili pauperes, id tanto fortius Deo displicere putamus, quanto verius ipsos credimus innocentes. Quid plura? Baronibus, militibus et aliis hominibus eiusdem regni Sicilie ad fortunam et conditionem servorum inaudita crudelitate redactis, iam pro maiori parte ipsius regni habitatores non habent de proprio, unde stramine vili quiescere, nuditates suas rudi sacco contegere vel ventrem pane possint miliacio saturare.

Cumque ululatus et clamores dictorum ecclesiarum et hominum a tempore dicti H. predecessoris nostri ecclesie aures continua deploratione pulsassent, et iam vix possemus eos absque lesione conscientie sub dissimulatione transire, ipsum super correctione dictorum scelerum non semel set pluries nuntiis et litteris nostris monuimus, ac longa patientia temporibus expectavimus retroactis, si forsitan oculos suos ad celum erigeret, et exutus veterem novumque indutus hominem manus suas a tanta perpetratione facinorum cohiberet. De petita insuper emendatione dubii adhuc, volentes statum eius processu prospero gratulari, eo Lombardiam cum armis intrante mandavimus, ut in locis pro quacumque causa interdicto subiectis ipso presente interdictum minime servaretur, eundem F. nostris litteris ammonentes, ut, ne crucis negotium, quod ad utilitatem ecclesie, imperii et totius populi Christiani fuerat ordinatum, impediri valeret, precise in nos compromitteret, ne si contra Lombardos armata manu procedens tantam daret exempli perniciem, presumeretur a pluribus, quod ceteros ecclesia fefellisset[3]. Ceterum, quia reintegrare scissuras scismatis nostre incumbit officio servitutis, pro sedanda imperii et Lombardorum discordia dictum Penestrinum episcopum, commisso sibi legationis officio, illa consideratione potissime duximus destinandum, ut sibi et quibuscumque discordantibus minori haberetur ratione suspectus, quo suis actibus minus fermenti odii vel amoris ingereret, qui a mundo et carne ex

a) ″multiplici ″se R.; *quae notae transmutationem verborum significare videntur. MAC.*

1) *Cf. n. 630 et 631.* 2) *Cf. n. 700 et 703.* 3) *Cf. n. 657 et 678.*

susceptione sancte religionis abstractus in divini amoris altitudinem evolasset. Noster igitur detractor respondeat, quid ex hoc nobis et eidem episcopo poterit imputari, si Placentie inter patres, filios, affines, consanguineos et germanos ordinata concordia, eo presente et protestante quod id salvis honore et iuribus imperii et imperatoris et quorumlibet aliorum fieret, consumationem accepit[1]. Quinimmo idem blasphemus intelligat sibi ad infamiam merito reputari, quod cum ad ipsius et nuntiorum suorum instantiam venerabilem fratrem . . Ostiensem episcopum et dilectum filium nostros T. tituli Sancte Sabine presbyterum cardinalem pro pace iuxta formam acceptatam ab eisdem nuntiis inter Lombardos et imperium reformanda ad partes misissemus easdem[2], idem, dictis legatis petita et ampliora adimplere paratis et delusis nobis, reformationem pacis per ipsos noluit acceptare. Ecce nunc intelligite, qualiter imperii iura conculcavimus. Ex premissis advertite, qualiter hic a nobis fuerit impeditus, qui longo et inani labore suos et suorum humeros decrevit potius conteri, quam passus extiterit per nos iura imperii reformari. Preterea idem, illatis ecclesie non contentus iniuriis[a], data quibusdam rebellibus nostris non modica summa pecunie, seditionem contra nos in Urbe molitus pluries commovere, ut nobis et fratribus nostris a sede nostra repulsis et concusso capite fidei, quod superedificavit Dominus, impulsu eius F. rueret leviori. Ferrariam et quasdam alias terras ecclesie in Lombardia contra iuramentum prestitum temere veniens occupavit[3]. Super quo et aliis nos credens detinere verbis inanibus, dictos Panormitanum archiepiscopum et alios nuntios suos cum litteris de credentia ad nostram duxit presentiam delegandos. Quibus offerentibus nobis satisfactionem super premissarum offensarum emendatione verbalem, ante et post ipsorum a curia nostra recessum terram Sardinie et Massam Lunensis diocesis occupare, ad Romanam pertinentes ecclesiam, non omittens, ipso facto, ne ultra eius expectaremus correctionem, edocuit, ac non debere fidem sibi vel suis nuntiis adhiberi operis evidentia demonstravit. Ex quo id solum in conscientia sua legens, quod cor eius ad conterendum ecclesias et catholicam fidem dirigitur, de nobis, quibus se iam quocumque fraudis vellere occultare non potest, non immerito suspicatur, quod ipsius potentiam habentes iusta ratione suspectam, cum melius sit ante tempus occurrere quam post inflicta vulnera remedium invenire, ad avertendas suorum progressuum semitas officium legationis dicto notario[4] commiserimus; qui nequaquam iuxta ipsius suspitionem id fecimus, set ut per eum bellorum cladibus, animarum corporumque periculis obviare possemus.

Ex premissis igitur et aliis nequeuntes de ipsius correctione sperare et dolentes nos eius promissionibus totiens fuisse delusos, prefatum F. de fratrum nostrorum consilio sententia excommunicationis duximus innodandum; qui quamquam ex hoc perditum intellectum resumere et coram Deo potius humiliari deberet, eo tamen amplius inde furens, quo iam suam confusionem agnoscens veretur fortius, ut ecclesie Iob 26,13 obstetricante manu educatur coluber tortuosus, nos ex persone nostre meritis indignos asserens qualibet officii auctoritate papalis, per nos predicta ligari sententia minime potuisse suis presumptuose litteris asserit; et nos, qui temporibus nostris patrimonium ecclesie per gratiam Dei non modicum ampliavimus, super dilapidatione bonorum ecclesiasticorum, inordinato dispensationum processu, receptione munerum et avaritie vilitate redarguit, ac contra eum ex illo, quod contrahendis inter . . neptem nostram et Henricum naturalem eius filium sponsalibus petitum subtraxit assensum, provocari falso confingit: illud apertius mentiens, quod Lombardis contra eum et imperium

a) iniuriis non contentus *R.; vide supra.*

1) *Cf. n.* 699. 2) *Cf. n.* 704 *et* 707—709. 3) *Cf. n.* 741. 4) *Scil. Gregorio de Monte longo.*

corporale prestiterimus iuramentum, seu quod totius orbis decimas, Terre Sancte utilitatibus reservatas, convertere promiserimus in eius compendium, si arbitrio nostro negotium exponeret Lombardorum. Fatemur etenim nos defectu meritorum nostrorum indigne Christi esse vicarium; fatemur nos oneri tanto insufficientes existere, quod humana conditio non potest absque divino suffragio supportare; nichilominus tamen vices nobis commissas, prout melius nostra permittit fragilitas, exequentes, secundum quod locorum, temporum, personarum et negotiorum qualitas et natura requirunt, disponenda disponimus et cum excellentibus personis pure et secundum Deum, cum necessitas id exposcit, de nostre potestatis plenitudine dispensamus. Verumtamen non est dolor, qui sic profundo gladio eius feriat animum, sicut quod dum terminos regum transgreditur, non potest aggredi officia sacerdotum. Propter quod idem, qui pro auri fame dictum regnum Sicilie iam redegit in cinerem, credens ex se, qui omni tempore vite sue paucis pure, pluribus vero iustitiam pretii venalitate corruptus exhibuit, quod in persona sua resuscitans magum Simonem luto temporalium maculare posset ecclesie puritatem, ut sic in spiritualibus crassari et in suis permitteretur sordibus remanere, murum integritatis ecclesie multis modis et specialiter oblatione castrorum ac parentela inter suos et nostros contrahenda, pro qua nos per quosdam magnos prelatos et nuntios suos pluries requisivit, temptavit infringere. Nunc vero quia id nulla instantia nulloque ingenio, sicut est in curia nostra quasi notorium, a nobis potuit obtinere, quimpotius se cum suis perditioni relictum artium suarum fallaciis in peius proficere iam agnoscit, quasi nesciat ultra quid faciat, se ipsum mendacio suo in aliorum detractione deturpat, more meretricis Egyptie, que Ioseph invitavit ad stuprum et ab ipso contempta apud virum suum volens accusavit invitum.

Unum quidem est, de quo, etsi pro homine perdito sit dolendum, letari non modicum et Deo regratiari debetis, quod volente Domino, qui diutius occultari non patitur umbram mortis, iste, qui gaudet se nominari preambulum Antichristi, non expectans propinquum sue confusioni iudicium, manibus propriis effosso suarum abhominationum pariete, per dictas litteras eius suarum producit in lucem opera tenebrarum, in eis constanter proponens quod per nos, tanquam Christi vicarium, vinculo excommunicationis astringi non potuit. Sicque affirmans non esse apud ecclesiam a Domino beato Petro et eius successoribus ligandi atque solvendi traditam potestatem, dum heresim asserit, proprio sibi argumento concludit, consequenter ostendens quod male sentiat de ceteris fidei orthodoxe articulis, dum ecclesie, super quam fides fundata consistit, auferre nititur concessum verbo Dei privilegium potestatis. Set quia minus bene ab aliquibus credi posset, quod se verbis non illaqueaverit oris sui, probationes in fidei victoriam sunt parate, quod iste rex pestilentie a tribus barattatoribus, ut eius verbis utamur, scilicet Christo Iesu, Moyse et Machometo, totum mundum fuisse deceptum, et duobus eorum in gloria mortuis, ipsum Iesum in ligno suspensum manifeste proponens[1], insuper dilucida voce affirmare vel potius mentiri presumpsit, quod omnes illi sunt fatui, qui credunt nasci de virgine Deum, qui creavit naturam et omnia, potuisse; hanc heresim illo errore confirmans, quod nullus nasci potuit, cuius conceptum viri et mulieris coniunctio non precessit, et homo nichil debet aliud credere, nisi quod potest vi et ratione nature probare. Hec et alia multa, quibus verbis et factis catholicam fidem impugnat, suo loco et tempore, sicut et decet et expedit, manifeste poterunt comprobari. Quocirca universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, in virtute obedientie districte precipiendo mandantes,

1) *Imperatorem haec verba locutum esse testimoniis nunquam demonstratum est, eum autem ita locutum non esse neque loqui potuisse, id quod Winkelmann, Fried. II, t. II, p. 135 putat, probatu non minus difficile est. Ea quidem, quae de virginitate Mariae disseruisse eum infra asseveratur, ab eius mente et ratione cogitandi non abhorrent.*

quatinus ne dictus F. corda fidelium fallacibus verbis subvertere vel contagione sui possit quomodolibet gregem Dominicum maculare, clero et populo vobis subditis supradicta plene ac fideliter exponatis.

Dat. Lat. Kal. Iulii[1], anno XIII.

In eundem modum universis archiepiscopis et episcopis.

In eundem modum . . illustri regi Francie etc. usque: comprobari, verbis competenter mutatis. Quocirca serenitatem regiam monendam duximus et hortandam, quatinus supradicta tibi facias diligenter exponi, ne regalis innocentie puritas possit verbis fallacibus maculari.

In eundem modum universis regibus.

751.

Gregorius IX papa ecclesiae Valentinae ad preces Wilhelmi procuratoris eiusdem concessiones et libertates, a pontificibus et imperatoribus Romanis aliisque eidem indultas, confirmat. *1239, Iul. 7.*

Greg. IX Reg. Vol. VI, 124–125; Lib. XIII, 122.
Potthast, Reg. 10775.

Willelmo procuratori ecclesie Valentine.

Hiis que Dei ecclesiis conferuntur libenter adicimus apostolici muniminis firmitatem, ut intemerata consistant, que nostro fuerint presidio communita. Sane in nostra proposuisti presentia constitutus, quod quidam imperatores Romani concesserunt ecclesie Valentine[2] civitatem Valentinam cum suburbiis suis et territorio, et quicquid infra eius ambitum et extra in toto episcopatu Valentino continetur, comitatum videlicet, forum, mercatum, monetam, stratas, naulos, tolonea, castra, castella, villas, vicos, areas, servos, ancillas, tributarios, foresta, silvas, venationes, furnos, molas, molendina, aquas, aquarum decursus, campos, prata, pascua, terras cultas et incultas et commune forum agentium et sustinentium causas tam civiliter quam criminaliter, ita quod episcopus vel electus, qui pro tempore ibi fuerit, in civitate et suburbiis, castris et villis propriis ipsius ecclesie ordinariam iurisdictionem, in aliis vero locis episcopatus ipsius per appellationem vel in defectu[a] dominorum ipsam valeat exercere. Nos itaque tuis devotis supplicationibus inclinati concessiones super hiis et aliis a dictis

[a]) defectum *R.*

1) *Cum ap. Rayn. a. 1239, § 26 haec epistola 'ad omnes praesules, reges ac principes Christianos' missa* Kal. Iulii *consignata sit et Matthaeus Paris. Chron. maior. a. 1239, ed. Luard, t. III, p. 590—608 eandem* archiepiscopo Cantuariensi et suffraganeis eius *directam sub nota chronologica* duodecimo Kal. Iunii *proposuerit, Huillard-Bréholles, l. c. t. V, p. 340* duodecimo Kal. Iulii *legendum coniecit, brevius temporis intervallum superesse opinatus, quam ut ad encyclicam imperatoris, April. 20 Tervisii scriptam, iam Mai. 21 mature et singulatim ad capitula a papa responsum fuerit; quam coniecturam Potthast accepit. Certe errant; nam encyclica illa c. Mai. 5 in curia esse potuit, et quindecim dierum spatium ad exarandum responsum suffecit. Praeterea, ut W. Meyer in Forsch. z. d. Gesch. t. XIX, p. 75 attulit, in tribus codicibus Bibl. Monac. haec epistola cum inscriptione* episcopo Bononiensi *sub* VII Idus Iunii *continetur, et ap. Bzorium, Ann. eccl. a. 1239, § 6 eadem* suffraganeis ecclesiae Hierosolymitanae *directa sub* Later. Nono *[sic]* Iulii *adducitur; quam epistolam Potthast, Reg. 10774,* Nonis Iulii *legens, sub Iul. 7 inseruit, id quod fieri non licet, nam si n. 751 fides adhiberi debet, papa Iul. 7 Anagniae erat. Quomodocunque nota chronologica ap. Bzorium emendanda est, papam variis temporibus huius tenoris epistolas destinari iussisse apparet.* 2) *Cf. privilegium a. 1238. Nov. ab imperatore eidem Wilhelmo concessum: Bohmer-Ficker, l. c. n. 2401.*

imperatoribus pie ac provide factas ecclesie memorate, sicut in eorum privilegiis plenius continetur, necnon libertates et immunitates, tam a Romanis pontificibus predecessoribus nostris quam ab imperatoribus, regibus ac aliis Christi fidelibus rationabiliter indultas eidem, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo — nostre confirmationis etc. Si quis autem etc.

Dat. Anagnie, Non. Iulii, anno XIII.

752.

Gregorius IX papa potestatem, consilium et commune Ravennatium, cum contra Fridericum dictum imperatorem fidem et libertatem ecclesiasticam defensent, sub protectione sua suscipit. — [Theoderico] archiepiscopo Ravennati hoc nuntiat, mandans ne eos molestari permittat. 1239, Iul. 26 et 15.

Greg. IX Reg. Vol. VI, 118; Lib. XIII, 99 et 100.
Potthast, Reg. Add. I, 10778 a — 26292 et 10777.

I.

. . potestati, consilio et communi Ravennati.

Cohercere nequitiam, iustitiam defensare oculis Redemptoris acceptum non modicum creditur, set catholicam fidem defendere et ecclesiasticam protegere libertatem tanto Deo gratius reputatur, quanto plus salutis in fide humanum genus consequi, quantoque fortius Deum in ecclesie libertate credimus honorari; propter quod dignum esse decernimus, si defensores ecclesie scuto defensionis apostolice protegamus, ut dum eis congruam meritorum vicem rependimus, alios ad apostolice sedis obsequia invitemus. Hinc est, quod cum contra Fridericum dictum imperatorem fidem et ecclesiasticam libertatem salutari ducti consilio defensetis, nos personas et civitatem vestras in devotione ecclesie persistentes nec non alia bona, que impresentiarum rationabiliter possidetis, sub beati Petri etc. usque: communimus. Nulli ergo — nostre protectionis etc. Si quis autem etc.

Dat. Anagnie, VII Kal. Augusti, anno tertio decimo.

In eundem fere modum nobili viro Paulo Traversario[1] usque: incursurum.

Dat. Anagnie, Idibus Iulii.

II.

. . archiepiscopo Ravennati.

Cohercere nequitiam etc. usque: invitemus. Hinc est, quod cum dilecti filii . . potestas, consilium et commune Ravennatum contra Fridericum dictum imperatorem etc. usque: suscepimus. Quocirca mandamus, quatinus eos contra protectionis nostre tenorem super hiis non permittas ab aliquibus indebite molestari; molestatores etc.

In eundem fere modum . . episcopo Cerviensi[2] pro nobili viro Paulo Traversario etc. usque in finem.

In eundem fere modum Sinibaldo tituli Sancti Laurentii in Lucina presbytero cardinali, marchie Anconitane rectori, usque: invitemus. Quocirca mandamus, qua-

1) *Hic Iun. 22 partem imperatoris de civitate Ravenna expulerat; Bohmer-Ficker, l. c. n. 2149, b.*
2) *Iohanni III.*

tinus Ariminenses et omnes alios de Romaniola, qui contra Fridericum dictum imperatorem fidem et ecclesiasticam libertatem defendere et ad devotionem ecclesie venire curaverint, sub apostolica protectione vice nostra recipias et eos in huiusmodi proposito persistentes super bonis, que impresentiarum rationabiliter possident, non permittas ab aliquibus indebite molestari: molestatores etc.

Dat. ut supra.

753.

Gregorius IX papa [Conrado II] Hildeshemensi et [Eccardo] Merseburgensi episcopis et abbati Portensi Cisterciensis ordinis mandat, ne [Henricum] lantgravium Thuringiae et quosdam alios, qui ad instar fratrum de Poenitentia carnem suam crucifigere elegerint, ab aliquibus molestari permittant. 1239, Iul. 27.

Greg. IX Reg. Vol. VI, 118; Lib. XIII, 101. Edimus hanc epistolam ex Rayn. Ann. eccl. a. 1239, § 64 et Sbaralea, Bull. Francisc. t. I, p. 271, n. 299.
Potthast, Reg. 10778.

. . Ildesemensi et . . Merseburgensi episcopis et . . abbati de Porta[1] Cisterciensis ordinis.

Gaudemus in Domino, quod, sicut accepimus, eo misericorditer inspirante dilectus filius nobilis vir lantgravius Turingie et quidam alii terre sue a noxiis retrahi et dirigi ad salutaria cupientes, adinstar fratrum qui dicuntur de Penitentia elegerunt cum vitiis et concupiscentiis suis crucifigere carnem suam, ut sub temporalis vite compendio regi militantes eterno, ab eo celestis beatitudinis stipendia consequantur. Dignum igitur reputantes ut tales prerogativa gaudeant gratie specialis, mandamus, quatenus eis favorabiliter assistentes, non permittatis ipsos contra pium eorum propositum ab aliquibus temere molestari, ne in tam digno Domini famulatu valeant impediri: molestatores huiusmodi per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo; constitutione de duabus dietis edita[a] in concilio generali non obstante. Quod si non omnes hiis exequendis interesse potueritis, duo vestrum ea nichilominus exequantur.

Dat. Anagnie, VI[b] Kal. Aug. anno XIII.

754.

Gregorius IX papa [Iohanni] ministro fratrum Minorum in Saxonia mandat, ut cum [Henricus] lantgravius Thuringiae et [Gertruda] uxor eius a se petierint, ut ipsis sacerdotem concederet, qui confessiones eorum audiat, aliquem de fratribus suis ad hoc deputet. 1239, Iul. 28.

Greg. IX Reg. Vol. VI, 118; Lib. XIII, 102.
Potthast, Reg. 10779.

. . ministro fratrum Minorum in Saxonia.

Dilecti filii nobilis vir . . lantgravius Turingie et . . uxor eius, cupientes se divine gratie per opera digne penitentie coaptare, nobis humiliter supplicarunt, ut

a) editis *Sb.* b) *ita Sb.; recte, ut Pertzius annotavit:* VII *Rayn.*

1) *Schul-Pforta prope Naumburg.*

aliquem religiosum sacerdotem concederemus eisdem, qui confessiones eorum audiat et iniungat eis penitentiam salutarem. Nos igitur pium eorum propositum favore benivolo prosequentes mandamus, quatinus ad hoc aliquem de fratribus tuis, quem idoneum esse cognoveris, studeas deputare, qui nostra fretus auctoritate que premissa sunt diligentius exequatur ac nobilem predictum absolvat, si eum invenerit pro violenta iniectione manuum in clericos et religiosas personas vel incendiis seu rapinis late sententie canonem incurrisse vel imposterum incurrere contingat eundem: proviso quod passis dampna et iniurias satisfaciat competenter, et si eiusdem nobilis fuerit gravis et enormis excessus, mittatur ad sedem apostolicam absolvendus.

Dat. Anagnie, V Kal. Augusti, anno XIII.

755.

Gregorius IX papa [Uffoni] archiepiscopo Lundensi et [Iohanni] episcopo Burgulano et archidiacono Lundensi mandat, ut [Wiceslaum] principem, maiorem et populum Rugianorum a pravis usurarum lucris, quae poddas vulgariter appellent, desistere faciant.

1239, Aug. 25.

Greg. IX Reg. Vol. VI, 120; Lib. XIII, 107.
Potthast, Reg. 10783.

.. archiepiscopo Lundensi et .. episcopo Burgulano[1] et .. archidiacono Lundensi.

Sua nobis venerabilis frater noster .. Roseildensis episcopus[2] petitione innotuit, quod nobilis vir .. princeps, .. maior et populus terre Rugianorum in Sclavia Roseildensis diocesis quandam pravam consuetudinem observantes, que corruptela potius est censenda, huiusmodi usurarum lucra que poddas vulgariter appellant sequuntur, quod videlicet creditor a debitore certam quantitatem annone, lini et aliarum rerum, que longe plus quam in duplo pecuniam mutuatam excedunt, recipit annuatim, nec hoc contentus a debitore pro filia sua, quam nuptui tradere forte voluerit, quinque solidos recipit. Alioquin ei tradere ipsam filiam nuptui non licebit. Simili quoque modo pro quolibet animali, quod debitor ipse vendiderit, certam creditori persolvet pecunie quantitatem. Si vero debitor ante mutuate sortis solutionem viam fuerit universe carnis ingressus, talis detestanda conditio transit ad singulos heredes, ita ut si eorum aliquis solvendo non fuerit, supponitur[a] ei in iudiciali foro fasciculus straminis, a quo presentibus habitatoribus terre sue deicitur et in perpetuam creditoris redigitur servitutem. Verum cum usurarum lucra utriusque testamenti pagina detestetur, eosdem rogandos duximus attentius et monendos, nostris eis dantes litteris in mandatis, ut prefatam servitutis abusionem de cetero non servantes, ab huiusmodi omnino lucris usurarum desistant. Quocirca mandamus, quatinus si dicti princeps, maior et populus mandatum nostrum neglexerint adimplere, vos eos ad id monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota ratione previa compellatis, proviso ne in aliquam universitatem dicte terre Rugianorum excommunicationis etc. Quod si non omnes —, duo vestrum etc.

Dat. Anagnie, VIII Kal. Septembris, anno XIII.

---

a) *ita R.*

1) *de Boerglen, i. e. Aalburgensi.* 2) *Nicolaus.*

756.

Gregorius IX papa E[rico] filio W[aldemari] regis Daniae indulget, ut Iuttam filiam [Alberti] ducis Saxoniae, licet eadem ipsum in quarto consanguinitatis gradu attingat, in matrimonium ducere possit. 1239, Aug. 31.

Greg. IX Reg. Vol. VI, 122; Lib. XIII, 112.
Potthast, Reg. 10784.

Nobili viro E. nato karissimi in Christo filii nostri W. Dacie regis illustris.

Ex parte karissimi in Christo filii nostri W. Dacie regis illustris patris tui nobis extitit intimatum, quod cum inter ipsum et nobilem virum ducem Saxonie gravis fuisset exorta discordia et ex ea multe strages hominum, multarum terrarum desolatio et gravia pericula emergerent animarum, idem rex, attendens quod aliter non poterat hiis periculis obviari, cum eodem duce convenit, ut Iuitam filiam ipsius ducis tibi traderet in uxorem. Quare nobis humiliter supplicavit, ut cum dicta Iuita prefati ducis filia te in quarto gradu consanguinitatis attingat, super hoc providere paterna clementia curaremus. Ipsius igitur regis, quem inter ceteros orbis principes specialis prerogativa dilectionis amplectimur, precibus inclinati tibi, quod eandem Iuitam iamdicti ducis filiam in uxorem ducere valeas, impedimento non obstante huiusmodi, auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo – nostre concessionis etc. Si quis autem etc.

Dat. Anagnie, II Kal. Septemb. anno XIII.

757.

Gregorius IX papa [Petro] episcopo Castellano mandat, ut Ezelinum de Romano per excommunicationis et interdicti sententias compellat, ut possessiones et iura ecclesiae Tervisinae, quae occupaverit, eidem restituat. 1239, Nov. 20.

Greg. IX Reg. Vol. VI, 129; Lib. XIII, 148.
Potthast, Reg. 10809.

. . episcopo Castellano.

Sicut venerabilis frater noster . . episcopus Tervisinus[1] sua nobis conquestione monstravit, Ezelinus de Romano, Dei et ecclesie inimicus, Asili et Montis Beluni castra, arcem Braidem Roccamque Cornute[2] necnon villas, curias, possessiones et alia iura ecclesie Tervisine, spreto fidelitatis iuramento quo tenetur eidem, per violentiam occupavit et ea occupata detinet ac restituere contradicit. Quocirca mandamus, quatinus, si est ita, dictum Ezelinum, ut castra et alia supradicta cum fructibus perceptis ex eis vel qui potuissent percipi ecclesie predicte infra mensem post monitionem tuam restituat ut tenetur, per excommunicationis in personam et in terram eius interdicti sententias appellatione remota compellas, faciens utramque sententiam usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Dat. Lateran. XII Kal. Decemb. anno XIII.

1) *Tiriius.* 2) *Loca a civitate Tervisina inter septentrionem et occidentem sita.*

758.

Gregorius IX papa eidem mandat, ut Ezelinum de Romano excommunicatum, nisi infra mensem ad mandatum ecclesiae redierit, omnibus feudis, quae a Tervisina aliisque ecclesiis obtineat, privare studeat. *1239, Nov. 20.*

Greg. IX Reg. Lib. XIII, 149.

Eidem.

Cum sicut accepimus Ezelinus de Romano, Dei et ecclesie inimicus, diversis excommunicationum sententiis auctoritate apostolica suis culpis exigentibus sit astrictus et in ipsis per triennium et amplius perstiterit, dampnabiliter claves ecclesie contempnendo: quia dignum est, ut quos Dei timor a malo non revocat, temporalis saltem cohereeat disciplina, mandamus, quatinus eundem, nisi a te monitus diligenter infra mensem ad mandatum ecclesie redierit prona mente, omnibus feudis, que tam a Tervisina quam aliis ecclesiis dinoscitur obtinere, studeas auctoritate nostra privare, ipsum privatum eis nichilominus nuntiando, expresse sibi ex parte nostra contestans, quod nos ex tunc in eum tanquam in hereticum et contemptorem ecclesie clavium procedemus.

Dat. ut supra.

759.

Gregorius IX papa [Tixio] episcopo Tervisino scribit se omnes concessiones a Friderico dicto imperatore Ezelino de Romano aut aliis de bonis ecclesiae Tervisinae factas irritas decernere. *1239, Nov. 20.*

Greg. IX Reg. Vol. VI, 130; Lib. XIII, 150.

. . episcopo Tervisino.

Haberi rata nolentes que ab impio Friderico dicto imperatore, Dei et ecclesie inimico, excommunicato a nobis exigentibus culpis suis, temere sunt presumpta, omnes concessiones seu investituras factas ab eo Ezelino de Romano excommunicato aut aliquibus aliis de castris, possessionibus, iurisdictionibus, iuribus et rebus aliis ad tuam et alias ecclesias civitatis et diocesis Tervisine spectantibus irritas esse decernimus et inanes, privilegiis et instrumentis confectis exinde nullam obtinentibus penitus firmitatem.

Dat. ut supra.

760.

F[erdinandus] rex Castellae Gregorio IX papae devotionem suam erga sedem apostolicam exponit, eique nuntiat se W. abbatem Sancti Facundi destinare, ut cum licentia ipsius ad imperatorem ecclesiae reconciliandum partes suas interponat. *1239, Dec. 4.*

Greg. IX Reg. Vol. VII, 8; Lib. XIV, 38.
Raynaldi Ann. eccl. a. 1239, § 41—42.

Littere regis Castelle ad dominum papam.

Sanctissimo patri ac domino Gregorio, divina providentia sacrosancte Romane ecclesie summo pontifici, Fr[edenandus], Dei gratia rex Castelle, Toleti, Legionensis, Galitie et Cordube, cum debito famulatu pedum oscula beatorum. Novit ille, qui (Sap. 1,6.) nichil ignorat, qui scrutator est cordium et cognitor secretorum, quod sincere mentis desiderio, non minus devoto quam debito, cor nostrum ad honorem vestrum estuat et ad exaltationem aspirat. Nec mirum, quem constat in terris vicarium Iesu Christi et vices gerere veri Dei, incrementum et gloriam sedis apostolice, progenitorum nostrorum sequendo vestigia, quantum sufficimus affectantes[a], que cunctis per orbem fidelibus sacratissimum fidei pabulum habundanter erogat[b] et sapienter ministrat, per quam nos et universi Christi fideles, tam reges quam alii, celestis spei propinari nobis et credimus et desideramus augmentum: pro qua fide pugnamus et stamus adversus inimicos eiusdem, hereses extirpando et nos ceterorum inimicorum, qui errores suos armis contendunt defendere, insultibus et conflictibus non absque gravi periculo corporaliter opponendo. Hec igitur et quamplurima alia duriora, que non duximus litteris committenda, tum quia longum esset et superfluum enarrare, tum etiam ne laudem propriam querere videamur, pro Christi nomine dignum ducimus sustinenda, (Psal. 104,11.) ut funiculus hereditatis Domini dilatetur et honor pie matris sedis apostolice per ministerium nostrum, etsi non obtatum vel debitum, saltem aliquantulum suscipiat incrementum. Nam si sacrosanctam Romanam ecclesiam, que nos semper dilexit et fovit in visceribus caritatis, et requisita non solum propitiam set promptam se exhibuit circa promotionem nostram specialium exuberantia gratiarum, quantumcumque sincere diligimus, mercedem non credimus nos habere, immo etiam modicum reputamus, si eidem in suis necessitatibus assistamus et pro ea et personam et regna quibuscumque discriminibus exponamus. Sane multorum relatione didicimus, quod nobis postmodum papalis littera demonstravit, imperatorem in sacrosanctam Romanam ecclesiam, que eum curiosa nutrivit et mirabiliter exaltavit, multipliciter deliquisse et eam adeo ad (Iob. 19,21.) iracundiam provocasse, quod opus fuit, ut manu Domini tangeretur. Nunquid pati potest pia mater, et non compatitur filius? Nunquid dolet sedes apostolica, et exultare potest fidelis? Nunquid turbato capite membra vigere noscuntur? Attamen quia non (Psal. 76,10.) obliviscitur misereri Dominus nec in ira misericordiam continebit, ex quo semel cepi- (Gen. 18,27.) mus, loquemur parum ad Dominum, de dubiis negotiorum eventibus non[c] magis anxii quam de facto imperatoris, quem quantum cum Deo possumus multipliciter tenemur diligere, obtenta prius venia et concessa licentia, ut[d] mansuetudo patris penitentem recuperet filium et ecclesia suo non careret athleta, partes nostras interponere curaremus. Ad hoc autem competentius exequendum venerabilem ac dilectum W. abbatem Sancti Facundi[1], virum circumspecte providentie et honestum, de quo propter sue prerogativam honestatis plene confidimus, quem cum esset causa visitandi Romanam ecclesiam in itinere constitutus, ad nos revocavimus, deliberatione habita ad vos propter hec et alia duximus destinandum, ut securi de eius honestate et industria eundem confidenter ad imperatorem ex parte nostra, si expedire videritis, vel ad nos etiam remittatis cum vestre in omnibus et per omnia beneplacito voluntatis. Ipse enim, quod

a) *ita etiam Rayn. in Reg. legit; minus concinne scriptum est, nam expectamus:* Nec mirum, si eius, quem *etc.* affectamus. b) *ita Rayn.;* eructuat *apogr. nostrum.* c) non *deest in R.* d) quatinus *vel tale quid ante* ut *in R. excidit.*

1) *Hodie Sahagun, a civitate Legionensi ad meridiem et orientem.*

a sanctitate vestra iniunctum sibi fuerit, sicut novimus et sumus in pluribus iam experti, devote ac fideliter exequetur.

Dat. Burgis[a], IIII die Decembris[1], reg. exp.[b]

761.

Idem ad eundem scribit se Fridericum filium suum ad imperatorem destinare, ut bona, quae Beatrici matri eius iure successionis competant, ab eodem recipiat; rogat, ut ei auxilium et favorem suum impertiatur. Cf. n. 760. *1239, Dec. 4.*

Greg. IX Reg. Vol. VII, 9; Lib. XIV, 39.
Huillard-Bréholles, l. c. t. V, p. 545.

Idem rex eidem.

A sanctitatis vestre memoria non credimus excidisse, quod cum tempore dulcis memorie regine Beatricis[2] filiole vestre bona, que sibi iure successionis competebant, ab imperatore, qui ea detinebat, pro Fr. filio nostro sepe et sepius petissemus, quia ipse reddere recusabat, ad paternitatem vestram recursum habuimus, vestrum super hoc consilium et auxilium implorantes. Ad quod, sicut patrem decet iustitie et Iesu Christi vicarium, solite benignitatis clementia respondistis, quod vestrum nobis non deesset consilium, promittendo nichilominus quod faceretis nobis exhiberi iustitie complementum. Verum cum idem imperator saniori ductus consilio postmodum nobis sepe significandum duxerit, quod bona petita paratus erat reddere, si eundem Fredericum, quem mater etiam sua in extremis posita sub quadam obtestatione illuc destinandum insserat, sibi mittere curaremus: nos, attendentes quod nocuit differre paratis[3], tum propter maternam hereditatem obtinendam, quam ad servitium Romane ecclesie eum habere volumus, tum propter alias causas urgentissimas, quas[c] venerabilis abbas et religiosus vir dilectus noster . . G. abbas Sancti Facundi magnificentie vestre plenius exprimet, de prudentum virorum consilio eundem duximus destinandum, viva voce firmiter precipientes eidem et sub pena paterne gratie iniungentes, quatinus more progenitorum suorum, regum et imperatorum Ispanie, honorem et exaltationem Romane ecclesie procuret et diligat et ei semper sit obediens et devotus. Sane si idem imperator, quod non credimus, eandem hereditatem sibi reddere contradicat aut differat, paternitati vestre affectuosas preces porrigimus petentes humiliter et devote, quatinus eum sub defensione vestra, cui ipsum committimus, protegentes, vestrum eidem dignemini impertiri auxilium et favorem[4].

Dat. Burgis[d], IIII die Decembris, reg. exp.[e]

---

a) Burḡ *R.* b) Reḡ exp̄ *R.* *Hoc compendium saepius in notis chronologicis litterarum regis Ferdinandi invenitur, sed plerumque post locum, ubi litterae datae sunt. Merino, Escuela paleogr. p. 215, id dissolvit* regia exparte, *Manuel Rodriguez, Memorias etc. de Fernando III, varias lectiones habet:* regis expensis, rege exprimente, rege expediente *etc. In* Reḡ *verbum 'rex' contineri apparet ex eo, quod ibidem p. 473, 488, 510, 517 in chartis Alfonsi infantis* Inf. exp. *legitur. Semel in charta regis* canc. exp. *invenimus; ibidem p. 256.* c) que *R.* d) Burḡ *R.* e) Reḡ exp̄ *R.*

1) *Annum colligimus ex eo, quod epistola c. Mai. a. 1240 in Reg. relata est.* 2) *Beatrix, filia Philippi regis Teutonicorum, a. 1235 mortua erat.* 3) *Cf. Lucani Phars. I, 281.* 4) *Fridericus ille a. 1240, April. Fogiae apud imperatorem erat; Rycc. de S. Germ. a. 1240, SS. t. XIX, p. 379. Cf. etiam epistolam imperatoris ad regem Castellae a. 1240, c. April. missam; Böhmer-Ficker, l. c. n. 3020.*

762.

Berengaria regina Castellae et Toleti Gregorio IX papae pro exuberantia bonitatis erga se et filium suum gratias agit, eique notum facit W. abbatem Sancti Facundi ad sedem apostolicam accedentem ei quaedam, quae litteris commendare noluerit, fiducialiter declaraturum esse. Cf. n. 760. *1239, Dec. 5.*

Greg. IX Reg. Lib. XIV, 40. Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1239. § 13—14.

Littere regine Castelle ad dominum papam.

Sanctissimo patri ac domino Gregorio, divina providentia sacrosancte Romane ecclesie summo pontifici, Berengaria, Dei gratia regina Castelle et Toleti[1], pedum oscula beatorum cum reverentia filiali tam debita quam devota. Pro multiplici gratia, quam ex multa vestre exuberantia bonitatis ego et filius meus a sanctitate vestra tam sepe recepimus, nec petita multoties set oblata, dignum ducens ad gratiarum saltem actiones assurgere, condigne nequeo, dum erga me et meos vestram dignationem attendo, dum penso vestre promptitudinem pietatis: quod quidem gratius mihi foret rebus efficere quam verbis aut litteris declarare. Set quia ad presens quod volo non valeo, non propter aliquem cordis defectum aut rerum indigentiam mundanarum, set expectando potius vestre beneplacitum voluntatis, pro tot beneficiis grates interim reddo vestre magnitudini quantas possum, maiestatem vestram totis mentis affectibus implorando, ut iuxta devotionis affectum, quam ego et filius meus erga vos semper habuimus et habemus, aliquid mihi dignetur innuere, quod vestre voluntati sedeat[a], immo quicquid vestre placuerit sanctitati, iuxta vestrum beneplacitum per omnia et in omnibus exequendum. Hoc autem apud benignitatem vestram reticendum non credo, quod quia vobis non scribo frequentius, non ex minori devotione provenit, set propter verecundiam quam contraxit sexus femineus a natura, et reverentiam que debetur vicario Iesu Christi: novit enim Dominus, quod dum mentis oculis papalis claritatem intueor puritatis, mentis intuitum quasi quidam fulgor reverberat ad scribendi desiderium retardandum, et stupore comprehensa quodammodo presumptionem reputo
Matth. 9, 20. attemptare saltem vestri tangere fimbriam vestimenti. Veruntamen quanto frequentius vestras litteras reciperem aut mandatum, tanto gratius foret mihi et tanto plenius mee satisfieret voluntati. Nunc autem grates Domino refero, quia opportunitatem habeo per venerabilem ac dilectum W. abbatem Sancti Facundi, virum providum et discretum, qui alias erat ad vestram presentiam accessurus, quedam, que litteris commendare nolui, secure ac fiducialiter declarandi, qui ea licentius vobis exponere et voluntatem nostram latius poterit aperire.

Datum Burgis, V die Decemb.

763.

Gregorius IX papa [Bertholdo] patriarchae Aquilegiensi scribit se ei ad preces B[elae] Ungariae et C[olomani] Ruthenorum regum indulgere, ut postquam ad sedem apostolicam iter arripuerit, ab excommunicationis vinculo, quo Friderico dicto imperatori

a) *sic.*

1) *Mater Ferdinandi regis erat.*

adhaerendo astrictus teneatur, per [Petrum] episcopum Castellanum absolvatur; mandat ei, ut quam citius veniat. — Episcopo Castellano mandatum suum de hac re mittit.

1239, Dec. 19.

Greg. IX Reg. Vol. VI. 133; Lib. XIII, 180 et 181.

N. I ap. Ughelli Ital. sacr. t. V. p. 89, qui ep. Honorio III perperam attribuit; recte ap. de Rubeis, Mon. eccl. Aquil. p. 711 et Cappelletti, Le chiese d'Italia, t. VIII, p. 287. Cf. Potthast, Reg. 10830, et 10808, ubi argumentum cum prava nota chronologica Nov. 19 legitur.

I.

. . patriarche Aquilegensi spiritum consilii sanioris.

Speravit Romana ecclesia mater tua, ut facte tibi ab ea gratie non ingratus et beneficiorum non immemor a sede apostolica perceptorum, non solum in offensam ipsius nullatenus prosilires, verum etiam murum pro ea te opponeres ascendentibus ex adverso. Set tu prout convenit non attendens, Friderico dicto imperatori, Dei et ecclesie inimico, iuste a nobis suis exigentibus meritis multis ex causis excommunicationis vinculo innodato, ausu dampnabili communicare tam in divinis officiis[1] quam in osculo et in mensa contemptis ecclesie clavibus presumpsisti. Licet igitur hec sit culpa in qua culpa est relaxare vindictam, et facilitas que facilitatem venie demeretur, quia tamen personas karissimorum in Christo filiorum nostrorum B. Ungarie ac C. Rutenorum regum illustrium nepotum tuorum inter ceteros reges catholicos et principes Christianos speciali quadam prerogativa dilectionis et gratie amplexamur, propter quod non valemus ipsorum regum devotioni negare, in quo debemus secundum Deum alium quemcumque catholicum principem exaudire, hanc tibi pro eorundem serenitatis honore gratiam faciemus, ut postquam ad nos iter arripueris veniendi, ab excommunicationis vinculo, quo propter hoc teneris astrictus, per venerabilem fratrem nostrum . . Castellanum episcopum, cui super hoc scripta nostra dirigimus, iuxta formam ecclesie absolvaris. Quare presentium tibi auctoritate de fratrum nostrorum consilio precipiendo mandamus, quatinus quam citius poteris venire ad nostram presentiam non postponas.

Dat. Lateran. XIIII Kal. Ianuar. pontificatus nostri anno XIII.

II.

. . episcopo Castellano.

[Cum][a] patriarcha Aquilegensis, pro eo quod Friderico etc. usque: in mensa[b], et quia eundem excommunicatum denuntiare publice pretermisit, prout a nobis receperat in mandatis, licet hoc coram pluribus duxerit exequendum, ad nostram etiam presentiam protinus non accedens, prout ex parte nostra sibi fuerat demandatum, auctoritate nostra vinculo fuerit excommunicationis astrictus, mandamus, quatinus patriarche predicto, postquam iter ad nos inceperit veniendi, iuxta formam ecclesie munus absolutionis impendas humiliter postulanti. Formam autem iuramenti, quod ipse prestabit, de verbo ad verbum nobis per eius patentes litteras suo sigillo signatas et processum tuum super hoc per proprium nuntium nobis quantocius studeas destinare.

Dat. ut supra.

---

a) Cum *deest in R.* b) *Ordo verborum epistolae praecedentis ita immutatus esse videtur, ut* presumpsit, *quod desideramus, in medio positum sit;* contemptis ecclesie clavibus *fortasse exciderunt: cf. ep. a. 1241, Ian. 28.*

1) *Vicentiae in festo pentecostes, Mai. 15; cf. ep. a. 1240, Iul. 7.*

764.

Gregorius IX papa [Iacobo] episcopo Praenestino mandat, ut [Iohanni] archiepiscopo et civitati Arelatensi et [Raymundo Berengario IV] comiti Provinciae, qui ecclesiae contra Fridericum dictum imperatorem constanter assistant, de pecunia legationis suae subveniat. *1240, Ian. 10.*

Greg. IX Reg. Vol. VI, 114; Lib. XIII, 228.
Potthast, Reg. 10838.

. . episcopo Penestrino, apostolice sedis legato[1].

Litteris tuis benigne receptis, earum tenorem ac litterarum venerabilis fratris nostri . . Arelatensis archiepiscopi nec non dilecti filii nobilis viri . . comitis Provincie pleno concepimus intellectu, sollicitudinem tuam circa negotium fidei et ecclesie promovendum dignis in Domino laudibus efferentes[2]. Sane quia decet sedem apostolicam illos favore prosequi ampliori ac prosecutione gratie amplius confovere, quos experta devotio et probata constantia circa ipsam dignos exhibent et acceptos, ut et ipsi letentur ecclesie servivisse ac alii ad eius obsequia eorum invitentur exemplo, mandamus, quatinus predictis archiepiscopo et comiti ac civitati Arelatensi, qui ferventes in negotio Christi eiusque sponse ac fidei catholice ipsis contra Fridericum dictum imperatorem, apertum adversarium eorundem, constanter assistunt, vires sue potentie in eorum auxilium exponentes, de subventione, quam a prelatis et ecclesiis tue legationis recipies, super qua nobis scribere curavisti, prout tua discretio expedire viderit, providere et subvenire procures, ut iidem Christi causam, quam fovere totis viribus inceperunt, feliciter prosequentes, ad optatum finem Domino concedente perducant.

Dat. Lateran. IIII Id. Ianuar. anno XIII.

765.

Gregorius IX papa Rusudae reginae et David nato eius Georgianorum regi scribit, se eis contra Tataros auxilium mittere nequivisse, quia praeter Sarracenos Syriae et Hispaniae etiam in Italia nonnulli apostatantes ecclesiam impugnent.

1240, Ian. 13.

Greg. IX Reg. Vol. VI, 136 137; Lib. XIII, 198. Huius longae epistolae Pertzius partem tantummodo quam infra damus descripsit; quae enim desunt, nullius momenti ad generalem imperii historiam sunt. Epistola legitur integra in Ripolli Bull. Praed. t. I, p. 108, n. 198.
Potthast, Reg. 10841.

Rusude regine et David nato eius Georgianorum regi illustribus.

Eccli. 43 2 Vas ammirabile, sol, opus Excelsi *etc.* Illud quoque in vestris contentum litteris, quod Tatarri hostes catholice fidei vestrum regnum intraverunt, conceptam

1) *a. 1239, Oct. legatus denuo ad principes Occidentis missus erat. Rycc. de S. Germ. a. 1239, SS. t. XIX, p. 378; cf. n. 731.* 2) *a. 1239, Nov. 10 comes Provinciae ecclesiae certum auxilium contra imperatorem et legatus comiti ad id exequendum subventionem de pecunia legationis suae promiserat; cf. chartas de hac re confectas ap. Huillard-Bréholles, l. c. t. V, p. 488 et Winkelmann, Acta Imp. ined. p. 528, n. 662.*

letitiam minuit, et quod vobis dampna gravia intulerunt, acquisitum nobis gaudium vulneravit. Verumtamen in hoc exultationem resumpsimus, quod etsi predictis hostibus terga dederitis, victi tamen finaliter palmam victorie de victoribus reportastis, gravisque illos afflixit dampni periculum, qui arma in vestrum sumere presumpserant detrimentum. Decet autem et vos nobis compati, qui multas persecutiones ab hostibus fidei hoc tempore patimur, quo preter Sarracenos, qui in Ispanie et Syrie partibus fidem impugnant catholicam, nonnulli alii a fide Christi apostatantes et ecclesiam Dei quibus possunt impugnantes viribus, novam perditionis sectam[a] inducere et fidem salutis et redemptionis humane de terra exterminare conantur. Set forsan divina voluntas nos hiis temptationibus ingerit, que nonnunquam bonos per improbos tribulari permittit, ut constantiam et eorum fortitudinem sicut in fornace aurum examinet et omnem de corde iusti peccati rubiginem per huiusmodi tribulationem expurget, quia divini templi edificium lapides minime recipit, quos manus artificis multis tribulationibus non polivit, et ex frumento panis nequaquam conficitur, nisi prius flagello a paleis expurgetur. Sicut enim iusti expurgati premia eterna recipiunt, sic probati ad eterne delicias vite procedunt. Nam populus Israel non prius terram promissionis ingreditur, quam post longi deserti circuitum et multorum victorias hostium dignus eiusdem terre introitu censeatur. Verumtamen speramus, quod redemptor noster post hanc tempestatem tranquillum faciet et adversarios apostolice sedis sub pedibus suis conterere non omittet. Igitur, filii, desinite ammirari, si contra dictos Tatarros ecclesie Romane exercitus in vestrum non venit auxilium, quia id interpositorum Sarracenorum, quos in dicta Syria expugnari mandavimus, prohibuisset improbitas et interiacentium, que vix istos permiserunt ad nos venire rumores, non permisissent intervalla terrarum, nos, quod in succursum vestrum insufficientes extitimus, qui ad defensionem fidei Christiane in Ytalia et dictis Syrie et Ispanie partibus sine intermissione totis viribus laboramus. Ideoque, dum vobis aliter succurrisse nequivimus, nostras sinceritati vestre duximus litteras destinandas, ut qui nostrum ad vos affectum ex expectatis scire non poteratis auxiliis, saltim ex scriptura vobis nostre quam ad vos gerimus innotesceret indicium caritatis *etc.*[1]

Dat. Lateran. Idibus Ianuarii, anno XIII.

766.

Gregorius IX papa militibus castri de Frusinone sententiam, quam R[aynaldus] episcopus Ostiensis de controversia, inter ipsos et populares de corredo vertente, protulerit, confirmat. *1240, Febr. 7.*

Greg. IX Reg. Vol. VI, 141; Lib. XIII, 209.

Militibus castri de Frusinone Verulane diocesis.

Ea que iudicio etc. usque: communiri. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod cum inter vos ex parte una et populares castri de Frusinone ex altera super corredo[2], quod deberi vobis in denariis ab ipsis popularibus dicebatis, coram dilecto filio St. capellano nostro, tunc Campanie Maritimeque rectore, non ex dele-

a) septam *R.*

1) *In fine epistolae eos hortatur, ut quosdam fratres Praedicatorum, quos ad eos mittat, benigne recipiant.* 2) *Haec praestatio cibi sive convivii erat, quae praecipue dominis a vassallis fiebat.*

gatione nostra questio verteretur, idem rector cognitis cause meritis diffinitivam pro vobis contra populares eosdem sententiam promulgavit. a qua ipsi nostram audientiam appellantes, super appellationis sue causa venerabilem fratrem nostrum R. Ostiensem episcopum auditorem a nobis obtinuere concedi. qui habito prudentum consilio predictam sententiam confirmavit ac decrevit executioni mandari, prout in instrumento publico confecto exinde plenius continetur. Quare nobis humiliter supplicastis, ut eandem sententiam apostolico curaremus munimine roborare. Nos igitur vestris postulationibus grato concurrentes assensu, sententiam ipsam provide latam auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo — nostre confirmationis etc. Siquis autem etc.

Dat. Lateran. VII Id. Febr. anno XIII.

767.

Gregorius IX papa hominibus castri Recanatae gratiam et concessionem a S[inibaldo] presbytero cardinali, rectore marchiae Anconitanae, iis factas et antiquas consuetudines, libertates et immunitates confirmat. *1240, Febr. 23.*

Greg. IX Reg. Vol. VI, 114; Lib. XIII, 235.

Hominibus castri Racanate fidelibus nostris Humanatis diocesis.

Efficax vestre devotionis et fidei meretur affectus. ut petitionibus vestris, quantum cum Deo possumus, annuamus. Attendentes igitur fervorem fidei et fidelitatis constantiam, quam ad nos et Romanam ecclesiam intelleximus vos habere, necnon et dampna, que nuper pro conservatione fidelitatis huiusmodi pertulistis, ac per hec volentes vos prosequi gratia et favore. gratiam et concessionem. quas vobis de quibusdam rebus ad ecclesiam Romanam spectantibus fecit dilectus filius noster S. tituli Sancti Laurentii in Lucina presbyter cardinalis, marchie Anconitane rector, prout in instrumento publico confecto exinde continetur, sicut pie ac provide facta est, necnon et antiquas et approbatas consuetudines ac rationabiles libertates et immunitates vestras, sicut eas iuste ac pacifice obtinetis. vobis in devotione ecclesie persistentibus auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Nulli ergo — nostre confirmationis etc.

Dat. Lateran. VII Kal. Martii, anno XIII.

768.

Summaria litterarum a principibus imperii ad Gregorium IX papam de pace inter ipsum et imperatorem restituenda transmissarum. *1240, April. 2 — Mai. 11.*

Greg. IX Reg. Vol. V, 255—256. V. Cl. A. Mau quaerentibus nobis communicavit, has epistolas in fine Lib. X inveniri; f. 255—262 quaternionem quondam fuisse, id quod numeri adiecti testarentur, nunc vero f. 257—260 deesse; f. 256' et 261—262' scriptura vacare. Ex quo apparet epistolas separatim conscriptas et per errorem aliquem a bibliopego cum Vol. V coniunctas esse. Proponimus eas eo ordine, quo in Reg. leguntur.

Ed. Huillard-Bréholles, l. c. t. V, p. 985—991 ex LL. t. II, p. 334—337.

I.

C[onradus] Coloniensis archiepiscopus, L[andolfus] Wormaciensis, L[udolfus] Monasteriensis et E[ngelbertus] Osnaburgensis episcopi, discordiam deplorantes, se papae affuturos esse promittunt, si imperator ad concordiam revocari non possit, id quod eidem se scripsisse nuntiant; rogant, ut Conradum magistrum Teutonicorum pro pace reformanda ad sedem apostolicam transmissum benigne recipiat; se eidem commisisse, ut si de voluntate papae aliquem ex principibus in hoc negotio opportunum viderit, illum sibi assumat.

1240, April. 8.

II.

C[onradus] Frisingensis, F[ridericus II] Eichstetensis et E[geno] Brixinensis episcopi idem scribunt.

III.

B[ertholdus] Argentinensis episcopus idem scribit.

IV.

C[onradus V] Spirensis episcopus idem scribit.

V.

H[ermannus] Herbipolensis episcopus idem scribit. *1240, Mai. 2.*

VI.

Theod[ericus II] Trevirensis archiepiscopus idem scribit.

VII.

H[enricus] lantgravius Thuringiae et comes palatinus Saxoniae idem fere scribit, verbis mutatis; addit se in expectatione fore, donec de responsione papae et imperatoris plenius instruatur. *1240, Mai. 11.*

VIII.

H[enricus] Brabantiae, Matthaeus Lotharingiae, Henricus de Limburg duces, Otto Gelrensis, Henricus Seinensis, Arnoldus de Los, Wilhelmus Iuliacensis, Henricus de Luxelenborc comites et Waleramnus de Limburg idem quod lantgravius scribunt.

1240, April. 2.

IX.

S[igefridus III] archiepiscopus Moguntinus papam rogat, ut iis quae pacis sint clementiam suam acclinet et Conradum magistrum Teutonicorum de his misericorditer audiat; promittit, si praesentia sua opportuna fuerit, laboribus et expensis se exponere paratum se esse. *1240, April. 20.*

X.

S[iboto] Augustensis episcopus papam rogat, ut C[onradum] in magistrum Teutonicorum electum super generali principum et totius Alamanniae petitione audiat et misericorditer discordiam sopiri sinat; se etiam imperatorem cum ceteris principibus commonuisse, ut ad id se inclinet.

XI.

O[tto] dux de Brunswic papam rogat, ut necessitatem totius orbis salubriter intuens C[onradum] magistrum Teutonicorum de compositione facienda internuntium esse concedat; magis idoneum illo haberi non posse, quia alii principes alteri partium forte se redderent suspectos.

XII.

A[lbertus] dux Saxoniae papam rogat, ut ad concordiae unionem accedere dignetur et fratrem Conradum quondam lantgrarium mediatorem existere permittat.

XIII.

I[ohannes] et O[tto] fratres marchiones de Brandeburg verbis mutatis idem fere quod dux de Brunswic scribunt.

769.

Gregorius IX papa [Ugolino] archiepiscopo, priori fratrum Praedicatorum et ministro fratrum Minorum Beneventanis mandat, ut populo Beneventano obligandi regalia ad sedem apostolicam pertinentia usque ad summam quingentarum unciarum auri pro sustentatione rectoris et pauperum habilium ad pugnandum et reparatione murorum terrae suae facultatem concedant. *1240, April. 10.*

Greg. IX Reg. Vol. VII, 3; Lib. XIV, 11.
Potthast, Reg. 10865.

.. archiepiscopo et .. priori fratrum Predicatorum et .. ministro fratrum Minorum Beneventanis.

Ut dilecti filii populus Beneventanus fideles nostri ad defensionem terre sue fortius animentur nec videatur eis deesse auxilii nostri manus, mandamus, quatinus obligandi regalia nostra usque ad summam quingentarum unciarum auri, tam pro sustentatione . . rectoris et pauperum habilium ad pugnandum quam pro reparatione murorum terre eiusdem expendendas per manus vestras, eis auctoritate nostra licentiam concedatis, recepta prius ab ipsis sufficienti et idonea cautione quod oportunitate temporis Domino auctore concessa predicta regalia sine difficultate qualibet liberabunt, nobis quicquid inde feceritis fideliter rescripturi. Quod si non omnes etc., tu ea, frater archiepiscope, etc.

Data Lateran. IIII Idus April. anno XIIII.

770.

Gregorius IX papa iisdem mandat, ut legata et fidei commissa in Terrae Sanctae subsidium relicta in usus pauperum habilium ad pugnandum et in reparationem murorum civitatis convertant. *1240, April. 10.*

Greg. IX Reg. Vol. VII, 3; Lib. XIV, 12.
Potthast, Reg. 10864.

Eisdem.

Invicte fidei et indefesse devotionis affectus, quem dilecti filii populus Beneventanus fideles nostri erga nos et Romanam ecclesiam matrem suam sicut filii benedictionis et gratie laudabiliter exhibent, necnon et angustie ac pressure, quas pene iugiter patiuntur, nobis efficaciter persuadent, ut sicut eos specialis dilectionis et

gratie prerogativa complectimur, ita ipsos in benedictionibus dulcedinis prosequamur. Ut igitur predicti fideles nostri diversarum tunsionibus persecutionum gravati in nostre gratie consolatione se gaudeant respirare, mandamus, quatinus legata et fidei commissa, si qua in Terre Sancte subsidium sunt relicta, in usus pauperum habilium ad pugnandum et in reparationem murorum, expendenda per manus vestras, auctoritate apostolica convertatis; contradictores etc. Quod si non omnes etc.

Dat. ut supra.

771.

Gregorius IX papa Guidoni et Huguicioni filiis et heredibus quondam Raynerii marchionis arbitrium R[aynaldi] episcopi Ostiensis, quo eis possessionem castri Pregii restituit, tenore diplomatis ab eodem episcopo a. 1240, Febr. 25 dati inserto, confirmat.

1240, April. 21.

Greg. IX Reg. Vol. VII, 5; Lib. XIV, 23.

Nobilibus viris Guidoni et Huguicioni, filiis et heredibus quondam Rainerii marchionis.

Ea que iudicio etc. usque: communiri. Sane inter quondam Rainerium marchionem patrem vestrum ex parte una et communitatem et homines castri Pregii [1] ex altera super iurisdictione ac iuribus, que idem pater vester in castro ipso se habere dicebat, et rebus aliis dudum questione suborta, et primo dilecto filio nostro Ottoni Sancti Nicolai in Carcere Tulliano ac secundo dilecto filio nostro E[gidio] Sanctorum Cosme et Damiani diaconis [a] cardinalibus a nobis commissa, tandem venerabilem fratrem nostrum . . Ostiensem episcopum super ea tertio dedimus auditorem. Qui diligenter intellectis hinc inde propositis, diffinitivam pro vobis causam huiusmodi prosequentibus, dicto patre iam viam universe carnis ingresso, de speciali mandato nostro sententiam promulgavit. Cuius tenor talis est:

In nomine domini nostri Iesu Christi amen. Anno nativitatis eiusdem MCCXL, pontificatus domini Gregorii pape noni anno XIII, indictione XIII, mense Februario, die XXV. Suborta inter nobilem virum quondam Rainerium marchionem super iurisdictione ac iuribus, que in castro Pregii ad se pertinere dicebat, redditibus, dampnis datis, iniuriis irrogatis et rebus aliis ex parte una et communitatem et homines castri Pregii ex altera materia questionis, dominus papa venerabilem patrem dominum Ottonem Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconum cardinalem dedit partibus auditorem. Coram quo Zapparonus procurator eiusdem Rainerii contra sindicum seu procuratorem partis adverse libellum obtulit in hunc modum: 'Coram vobis, venerabilis pater domine cardinalis, quem dominus papa dedit partibus auditorem, propono ego Zapparonus nomine nobilis viri Rainerii marchionis, cuius sum procurator, contra Deutesalve, actorem, sindicum seu procuratorem universitatis castri Pregii nomine ipsorum, quod cum ipse marchio esset et sui antecessores fuerint in hac possessione vel quasi omnium infrascriptorum vel singulorum, videlicet quod ab hominibus ipsius castri fiebat eis exercitus, cum mandabant, obediebant eis ut dominis, appellabant ad eos, audiebant et committebant audiendas causas que deferebantur ad ipsos, puniebant homicidia, adulteria, periuria et alia maleficia, percipiebant medietatem

[a]) diaconibus *R.*

1) *Ex septentrione Perusii.*

omnium proventuum et totum lucri, que ad ipsam universitatem seu ad consulatum eorum perveniebant a duodecim denariis supra, succedebant ei vel eis, quos sine herede decedere contingebat, accipiebant bona vacantia tam in eodem castro quam in curia, et imponebant hominibus ipsius castri quandoque collectam, honorabantur, salutabantur et presentabantur tamquam domini ab eisdem, habebant in eodem castro palatium et eius turrem vel cassarum detinebant: ipsi huiusmodi possessione vel quasi omnium predictorum vel singulorum eundem marchionem temere spoliantes, venientem[a] marchionem et nuntios seu procuratores suos, ut uterentur possessione vel quasi predictorum vel singulorum, non admiserunt et volentes uti prohibuerunt, et occupaverunt et perceperunt, seu mandaverunt hominibus ipsius castri, ne de predictis vel singulis predictis marchioni et suis nuntiis seu procuratoribus responderent. Item non permittunt consules, consiliarii et universitas ipsos marchionem et nuntios seu procuratores suos predictum castrum intrare ad percipienda predicta; tam palatium quam cassarum et turrem non sine magno dampno et gravi eiusdem marchionis iniuria destruxerunt. Unde peto ab eodem actore, sindico seu procuratore nomine ipsius universitatis mihi restitui nomine marchionis omnium premissorum vel singulorum possessionem vel quasi cum fructibus inde perceptis et qui percipi potuerunt, et nichilominus michi resarciri dicta dampna et satisfieri de iniuriis sic illatis et de expensis factis et faciendis in lite: fructus perceptos et qui percipi potuerunt et dampna et iniurias extimo mille marcas argenti, salvo iure addendi etc.[b], salvis omnibus rationibus et defensionibus universitatis castri Pregii competentibus.' Deutesalve sindicus et procurator universitatis castri Pregii litem contestando negat narrata vera esse ut narrantur, et dicit petita fieri non debere. Super quo cum per sindicum antedictum lis fuisset legittime contestata et confessiones ac probationes alie hinc inde producte, fuit super hiis inter partes diutius disceptatum. Sane predicto marchione viam universe carnis ingresso, Guido et Huguicio, filii ac successores eiusdem, ac procurator ipsorum huiusmodi negotium prosequentes questionem premissam terminari cum instantia petierunt. Set domino Ottone causa legationis in Anglia de curia recedente, dominus papa eandem causam domino Egidio Sanctorum Cosme et Damiani diacono cardinali audiendam commisit: coram quo cum esset diutius disputatum, ipso domino E. se de curia absentante, dominus papa nobis R. Ostiensi et Velletrensi episcopo predictam causam audiendam commisit. Nos igitur R. Ostiensis et Velletrensis episcopus, cum eadem causa instructa plenarie fuisset ad audientiam nostram perlata, visis omnibus actis iudicii et confessionibus ac probationibus aliis ex utraque parte productis, auditis nichilominus allegationibus, rationibus hinc et inde et omnibus ab utraque parte propositis, postquam fuit ab utraque parte renuntiatum et in dicta causa conclusum, domino pape et fratribus pluries fideliter recitatis, de ipsius domini pape speciali mandato predictos Guidonem et Huguicionem et procuratorem eorum in possessionem vel quasi eorum, que in libello petuntur, restituendos decernimus, et communitatem et homines castri predicti et sindicum eorum ad restitutionem faciendam, ad obediendum et parendum eisdem in premissis per diffinitivam sententiam condempnamus. Pro dampnis vero datis et destructione palatii et turris et cassari nec non pro fructibus inde perceptis et qui percipi potuerunt, partium[c] extimatione premissa et taxationis moderatione secuta, iuramento super eadem extimatione nichilominus prestito a domino Henrico marchione curatore Guidonis et tutore Huguicionis, a nobis predictis minoribus dato ad litem, communitatem et homines antedictos et sindicum eorum ipsorum nomine ad solutionem et restitutionem quingentarum mar-

---

a) quia venientem *R.* b) si maiora fuerint dampna et expense, *vel similia verba in authentico secuta esse videntur; cf. p. 621, not. b.* c) partes *R.*

carum argenti faciendam eisdem Guidoni et Huguicioni ac eorum procuratori nomine predictorum sententialiter condempnamus. Quam sententiam scribi fecimus per Noclerium scriniarium. In cuius rei testimonium et evidentiam pleniorem presens instrumentum sigilli nostri munimine fecimus roborari.

Lata est hec sententia et recitata per dictum dominum R. Ostiensem et Velletrensem episcopum in palatio sanctorum Marcellini et Petri de Urbe coram hiis testibus: scilicet domino Gottifrido de Prefectis domini pape subdiacono et capellano teste, magistro Rogero de Sancto Helia cappellano dicti domini Ostiensis et Velletrensis episcopi teste, magistro Dionisio teste, magistro Roffrido de Benevento teste, magistro Iohanne de Caserta teste, magistro Berardo de Marsia advocato curie teste, Santo de Medicina teste, et Zacharia notario Medicine teste, domino Guidone de Arestino teste, Gottifrido de Porcaria clerico teste, Ambrosio scriniario teste, Tebaldo notario de Panico Bononiensis diocesis teste, Bonaparte Uguicionis Perusino teste, Guillielmo de Patranzano teste, magistro Iohanne Anglico domini pape subdiacono teste, donno Bernardo procuratore monasterii Farfensis teste, Formica cursore comitis Guidonis teste.

Ego Noclerius auctoritate imperiali scriniarius predictis omnibus interfui et hanc sententiam de mandato venerabilis patris domini R. Hostiensis et Velletrensis episcopi scripsi et complevi rogatus.

Nos itaque vestris supplicationibus inclinati sententiam ipsam auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, appellatione a procuratore vel sindico adverse partis interposita non obstante. Nulli ergo — nostre confirmationis etc. Si quis autem etc.

Dat. Lateran. XI Kal. Maii, anno decimo quarto.

772.

Gregorius IX papa Guillelmo comiti palatino mandat, ut ad defensionem suam se accingens in devotione ecclesiae perseveret, ipsumque, T. uxorem et filios eius cum integritate comitatus Ildebrandisci sub protectione sua suscipit. *1240, April. 23.*

Greg. IX Reg. Lib. XIV, 16.

Nobili viro Guillelmo comiti palatino[1].

Etsi ferventibus impiis velut mare Petri navicula tempestatum turbinibus et Es. 57,20. procellarum fluctibus agitetur, speramus tamen in eo, cui venti et mare obediunt, Matth. 8,24. qui[a] procellam convertit in auram, quod tempestates huiusmodi et procelle ipsam, etsi mergere valeant, non submergent, quia residens in ea Dominus iustorum tandem clamoribus excitatus, dum fugat spiritus insultantes et mari ventisque imperat, dabit reddita serenitate tranquillum. In eo igitur fiduciam te ponere cupientes, devotionem tuam monemus et hortamur attente ac per apostolica tibi scripta mandamus, quatinus spiritu forti roboratus constantis animi munimenta suscipiens et ad defensionem tuam magnanimiter te accingens, in fide ac devotione Romane ecclesie matris tue immobiliter perseveres, securus pro certo quod non deerit tibi, si opus fuerit, ipsius ecclesie auxilium oportunum. Et si eandem ecclesiam Romanam cum hostibus suis ad pacem redire contigerit, te ac homines comitatus tui Ildebrandisci ad Romanam ecclesiam pertinentis pacis expertes nullatenus relinquemus. Et ut hoc melius et

---

a) quod *R.* 1) *Tusciae; cf. n. 597 et 598.*

efficacius affectu exequi valeas et effectu, tuam, T. uxoris et filiorum tuorum personas in fidelitate ac devotione sedis apostolice persistentes cum integritate comitatus Ildebrandisci ac omnibus aliis bonis tuis de fratrum nostrorum consilio sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo — nostre protectionis etc. Si quis autem etc.

Dat. Lateran. VIIII Kal. Maii, pontificatus nostri anno quartodecimo.

773.

Gregorius IX papa potestati, consilio et populo Alexandrino scribit se iis, pro eo quod contra Fridericum dictum imperatorem in devotione ecclesiae persistant, dignitatem episcopalem, qua Innocentius III eos privaverit, restituere. 1240, Mai. 10.

Greg. IX Reg. Vol. VII, 8; Lib. XIV, 36. Pertzii exemplar supplevimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1240, § 21.

Potthast, Reg. 10875.

. . potestati, consilio et populo Alexandrino.

Regina mater ecclesia, sponsa inclita summi regis, illum circa filios sibi per regenerationis lavacrum acquisitos ordinem discretionis observat, quod sicut eorum excessus condigna quandoque severitate corrigit, sic et opera devotionis ipsorum oportuna retributione prosequi non desistit. Sane de felicis memorie Alexandri pape predecessoris nostri benignitate processit, quod pie considerans civitatem vestram in honorem principis apostolorum fuisse constructam, ipsam pontificalis dignitatis titulo decoravit, apostolice sedis auctoritate decernens, ut quoniam Alexandrina civitas longe maior est et populosior quam Aquensis, episcopalis sedes de illa, cuius diocesi est contigua, transferretur ad istam. Processu vero temporis pie recordationis Innocentius papa predecessor noster, Alexandrino populo suppliciter postulante ut quod idem Alexander papa provida deliberatione decreverat, faceret executioni mandari, statutum eiusdem taliter moderatus extitit[1], quod Alexandrinam ecclesiam et Aquensem univit, statuens, sicut in confecto super hoc apostolico privilegio continetur, ut unus et idem esset pontifex utriusque, unam et eandem sedem obtinens in utraque. Decrevit etiam, ut si forsan Aquenses contra formam in eodem privilegio declaratam venire presumerent, nisi ad monitionem Romani pontificis sue corrigerent presumptionis excessum, episcopalis sedes de Aquensi civitate in Alexandriam transferretur, et si Alexandrini contra id statutum excederent, nisi ad apostolica monita satisfacerent de excessu, prescripte dissolverentur vincula unionis. Verum cum predictus Innocentius papa[a], pro eo quod vos tunc temporis inimicis ecclesie adhesistis, ad ipsius redire mandatum temere contempnentes, civitatem vestram episcopalis[b] destituerit dignitatis honore[2], nos tandem, attendentes quod diebus istis, quibus per Fridericum dictum imperatorem et divina maiestas offenditur et fides catholica dampnabiliter impugnatur, in devotione ecclesie inconcussi et stabiles perstitistis, ac in affectu vestro geritur, ut ipsa semper in vobis gratos reperire filios gratuletur, de fratrum nostrorum consilio dignitatem eandem civitati vestre restituendam duximus, de gratia speciali

---

a) *quae sequuntur usque ad finem ex Rayn.* b) episcopali *Rayn.; cf. n. 774.*

1) *a. 1206, Iun. 8; Potthast, Reg. 2795.* 2) *a. 1213; cf. Inn. III ep. ed. Baluze, t. II, p. 695 et 775, Potthast, Reg. 4615 et 4713.*

vobis auctoritate presentium concedentes, ut ipsa secundum dicti formam privilegii perpetuis futuris temporibus gaudeatis[1]. Nulli ergo — nostre confirmationis etc. Si quis autem etc.

Dat. Lateran. VI Idus Maii, anno XIIII.

774.

Gregorius IX papa clero, potestati, consilio et populo Aquensi nuntiat se civitati Alexandrinae dignitatem episcopalem restituisse; mandat iis, ut Friderico dicto imperatori nullum auxilium impendant et de iniuriis Alexandrinis illatis infra duos menses nuntios ad sedem apostolicam mittant. Cf. n. 773. *1240, Mai. 10.*

Greg. IX Reg. Vol. VII, 8; Lib. XIV, 37.
Potthast, Reg. 10872 et 10873.

Clero, . . potestati, consilio et populo Aquensi.

De felicis memorie Alexandri pape predecessoris nostri benignitate processit, quod pie considerans Alexandrinam civitatem in honorem principis apostolorum fuisse constructam etc. ut supra usque: unionis. Hac enim predictus I. consideratione ductus Alexandrinos, pro eo quod tunc temporis inimicis ecclesie adheserunt, ad ipsius redire mandatum temere contempnentes, episcopalis destituit dignitatis honore, quam nos exigentibus meritis fidei ac devotionis ipsorum, in quibus ecclesie se hoc potissimum tempore gratos reddere studuerunt, eis restituendam duximus de gratia speciali, concedentes eisdem ut ipsa gaudeant perpetuis futuris temporibus secundum formam privilegii memorati. Verum cum nostri sit desiderii, ut et vos per opera gratitudinis ipsius ecclesie studeatis gratiam promereri, presentibus mandamus, quatinus a persecutione civitatis eiusdem, que sedis apostolice specialis existit, omni occasione postposita desistentes, ac Friderico dicto imperatori, Dei et ecclesie inimico, eiusque fautoribus nullum de cetero contra ecclesiam et ecclesiasticam libertatem impendentes[a] consilium, auxilium vel favorem, speciales nuntios vestros de stando mandatis nostris, super eo sufficiens mandatum habentes quod sepedictam Alexandrie civitatem in nostrum et apostolice sedis contemptum gravibus affecistis iniuriis, infra duos menses post susceptionem presentium ad nostram presentiam destinetis. Alioquin vobis merito imputare poteritis, si culpis vestris exigentibus civitatem vestram contigerit episcopali sede privari.

Dat. Lateran. VI Idus Maii, anno XIIII.

In eundem fere modum . . abbati Sancte Iustine de Sezadio[2] Aquensis dioecesis usque: episcopali sede privari. Quocirca mandamus, quatinus clerum, potestatem, consilium et populum Aquensem ad id attentius moneas et inducas, quod super hoc feceris et inveneris, nobis fideliter rescripturus.

Dat. ut supra.

a) impendatis *R.*

1) *Alexandrini Mai. 18 imperatori se subiecerunt; Bohmer-Ficker, l. c. n. 3107, a.* 2) *Sezzè prope Casale.*

775.

Gregorius IX papa de Buch et de Dobrilugk abbatibus et priori de Buch mandat, ut controversiam de quibusdam locis a W[artislao] duce Pomeraniae Caminensi ecclesiae donatis, quae Lubusensis, Brandeburgensis, Havelbergensis et Suerinensis episcopi in sua diocesi constituta esse contendunt, fine debito terminent. 1240, Mai. 12.

Greg. IX Reg. Vol. VII, 15; Lib. XIV, 81.

. . de Buch[1] et . . de Dorberlu[2] abbatibus et . . priori de Buch Misnensis diocesis.

Onus suscepti regiminis nos inducit, ut omnes actus nostros per equitatis semitas dirigentes, delatis ad nos implicitis questionibus explicatis ius suum cuique postulanti tribui faciamus. Sane venerabilis fratris nostri . . episcopi[3] et dilectorum filiorum capituli Caminensis nobis exhibita petitio continebat, quod cum venerabiles fratres nostri . . Lubusensis[4], . . Brandeburgensis[5], . . Haveldeberdensis[a] [6] et . . Zuerinensis[7] episcopi de Dimin[8], de Tribitim[9], de Brode[10] et alia castra et villas cum pertinentiis suis, que sunt inter flumen quod dicitur Leba[11] versus orientem, et flumen quod dicitur Rekezsan[12] versus occidentem, necnon de Odera et quasdam alias possessiones Caminensis ecclesie a clare memorie W. duce Pomeranie, eiusdem ecclesie fundatore, pia liberalitate donata, prout in ipsis[b] litteris super hoc confectis dicitur plenius contineri, ipsorum singuli in sua contendant diocesi constituta, provideri super hoc sibi a nobis humiliter petierunt. Cupientes igitur contentionem huiusmodi amputari et indempnitati cuiuslibet paterna clementia providere, mandamus, quatinus personaliter accedentes ad locum, vocatis qui propter hoc fuerint evocandi, sic predictas dioceses equitate previa provide limitare curetis, cuiuslibet episcoporum ipsorum suo iure servato, quo quemlibet faciatis manere contentum, quod sollicitudinem vestram possimus exinde non immerito commendare: contradictores etc. Testes etc. Quod si non omnes etc.

Dat. Lateran. IIII Idus Maii, anno XIIII.

776.

Gregorius IX papa [Uberto] episcopo Cumano controversiam inter [Henricum] praepositum et Walterum monachum Sancti Galli de abbatia eiusdem monasterii exortam terminandam committit. 1240, Iun. 2.

Greg. IX Reg. Vol. VII, 14; Lib. XIV, 77.

. . Cumano episcopo.

Sua nobis . . prior, maior et sanior pars monachorum monasterii sancti Galli, ad Romanam ecclesiam ut dicitur nullo medio pertinentis, petitione monstrarunt,

a) *ita R.* b) *an* ipsius?

1) *Ex occidente civ. Misnensis.* 2) *Hodie Dobrilugk, in meridionali parte prov. Brandenburg.* 3) *Conradi III.* 4) *Henricus.* 5) *Gernandus.* 6) *Wilhelmus.* 7) *Theodericus.* 8) *a civ. Greifswald ad meridiem et occidentem.* 9) *Ut videtur Treptow e meridie civ. Demmin.* 10) *prope Neubrandenburg.* 11) *in orientali Pomeraniae parte.* 12) *Recklitz ex oriente civ. Rostock.*

quod cum nuper idem monasterium abbate vacaret[1], idem prior et monachi eiusdem monasterii ad tractandum de futuri substitutione abbatis in capitulo convenerunt, et eis per viam scrutinii procedentibus, iidem prior, camerarius et octo alii, qui maiorem partem in capitulo faciebant, . . prepositum eiusdem monasterii, virum religiosum, providum et honestum, per cuius industriam idem monasterium de bono in melius creditur reformandum, in abbatem canonice elegerunt: et ne quid in huiusmodi electionis preiudicium fieret, ex parte dicti electi ad sedem fuit apostolicam appellatum. Reliqui vero, qui erant minor pars, quorum quidam in eligendo nullam vocem habebant, Walterum eiusdem monasterii monachum, insufficientem penitus et indignum, de facto eligere presumpserunt: quo ad venerabilem fratrem nostrum . . Constantiensem episcopum[2] appellante, idem episcopus, prout erat sibi plus debito favorabilis, licet in dicto monasterio nullam iurisdictionem habeat, appellationi premisse ad nos interiecte non deferens, dicto preposito et eius electoribus absentibus nec vocatis et non cognito de electionum vel eligentium meritis, contra antiquam libertatem ipsius monasterii, quod apostolice sedi est ut asserunt immediate subiectum, de facto, cum de iure non posset, electionem de ipso Waltero presumptam perperam confirmavit, et procuravit eundem non absque gravi eiusdem monasterii detrimento a Corrado nato Friderici dicti imperatoris, qui se facit regem Teutonie appellari, de regalibus investiri, in contradictores et rebelles de facto excommunicationis sententiam ut dicitur proferendo. Pro parte vero dicti Walteri fuit propositum ex adverso, quod cum nuper monasterio ipso pastoris solatio destituto, maior et sanior pars conventus eiusdem monasterii pro celebranda futuri abbatis electione, vocatis qui volebant, debebant et poterant interesse, pariter convenissent, habito super hoc inter eos diligenti tractatu, per viam scrutinii servata forma concilii procedentes, Walterum eundem, virum utique discretum et providum et ad loci regimen evidenter idoneum, in suum abbatem canonice elegerunt; qui mox electioni de se facte consentiens, ne quid attemptaretur in preiudicium iuris sui, ad supradicti Constantiensis episcopi loci diocesani, cui dictum monasterium subesse dicebant, qui erat in possessione confirmandi abbates monasterii memorati, audientiam appellavit. Quatuor autem de monachis conventus eiusdem cum sex non professis, vocem in electione nequaquam habentibus, dictum prepositum in abbatem temere nominarunt. Cumque causa utriusque processus ad prefatum episcopum delata fuisset, idem episcopus cognitis meritis utriusque electionem de prefato Waltero, prout eam invenit rite celebratam ac canonice, confirmavit, nominatione dicti prepositi irrita nuntiata. Quare petebatur a nobis, ut super hiis salubre remedium apponere curaremus. Quia vero nobis non constitit de premissis, mandamus, quatinus relaxatis sententiis excommunicationum iuxta formam ecclesie ad cautelam, si que sunt a dicto episcopo in eundem prepositum et electores ipsius aut in ministeriales eiusdem monasterii occasione huiusmodi promulgate, et veritate de premissis omnibus inquisita, si dictum Walterum ad regimen predicti monasterii contra canonicas sanctiones assumptum ac electionem dicti prepositi de persona idonea canonice inveneris celebratam, ipsam, eodem Waltero a regimine ipsius monasterii prorsus amoto, auctoritate nostra confirmare procures, et prefato preposito facias a monachis et aliis subditis ipsius monasterii obedientiam et reverentiam debitam exhiberi. Alioquin ea rite cassata dicto Waltero, si eius electionem canonicam esse et de persona idonea reperis celebratam, a monachis et subditis predictis obedientiam et reverentiam exhiberi debitam et munus facias benedictionis impendi. Quod si utriusque electionem tamquam minus canonicam reprobari contigerit, tu de persona idonea per electionem canonicam provideri monasterio facias memorato. Interim autem ministeriales ipsius

1) *Conradus de Bussnang abbas a. 1239, Dec. 20 mortuus erat.* 2) *Henricum de Tann.*

monasterii ad relinquendum curam castrorum et aliorum bonorum eiusdem, que ad opus monasterii tenent, ne per hoc illud aliquam lesionem incurrat, donec eidem monasterio de abbate provisum fuerit, compelli aliquatenus non permittas, attentius provisurus ne bona iamdicti monasterii sub dubio litis eventu dilapidari valeant vel consumi. Ceterum, ne dictus prepositus, cum non habeat proprium, sui iuris dispendium patiatur, facias duobus ex ipsis monachis huiusmodi negotium prosequentibus de bonis prefati monasterii expensas necessarias ministrari; contradictores etc.; nullis[a] litteris veritati et iustitie preiudicantibus a sede apostolica impetratis, constitutione de duabus dietis in generali concilio edita non obstante, dummodo ultra tertiam vel quartam pars altera extra suam diocesim auctoritate presentium ad iudicium non trahatur.

Dat. Laterani, IV Non. Iunii, anno decimoquarto.

777.

Gregorius IX papa [Theoderico] archiepiscopo Ravennati, episcopis et aliis eiusdem regionis praelatis mandat, ut Iaquinto capellano, quem rectorem Massae Trabariae constituerit et legationis officio ornaverit, humiliter intendant. Cf. n. 569 et 570.

1240, Iun. 14.

Greg. IX Reg. Vol. VII, 19; Lib. XIV, 111.

.. archiepiscopo Ravennati, .. Aretino[1], .. Castellano[2], .. Urbinati, .. Ariminensi, .. Feretrano[3], .. Bobiensi[4], .. Cesenati[5], .. Foropopuliensi, .. Liviensi[6], .. Faventino[7], .. Ymolensi[8], .. Cerviensi[9] et .. Comaclensi episcopis et abbatibus, prioribus, plebanis et aliis ecclesiarum prelatis per civitates ipsas et earum dioceses constitutis.

Cum de statu et tranquillitate dilectorum fidelium nostrorum de Massa Trabaria paterna sollicitudine cogitantes dilectum filium Iaquintum capellanum nostrum, virum providum et discretum, nobis et fratribus nostris ob sue merita probitatis acceptum, commisso sibi plene legationis officio, eis providerimus in rectorem, universitatem vestram rogandos duximus attentius et monendos, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus ipsum ob reverentiam apostolice sedis et nostram recipientes ilariter et honeste tractantes, eidem tanquam legato vestro humiliter intendatis, ita quod ipse propter hoc ad dilectionem vestram artius obligetur, et nos devotionem vestram debeamus exinde merito commendare. Alioquin sententiam, quam idem rite tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Dat. Lateran. XVIII Kal. Iulii, anno XIV.

a) *in apogr. nostro:* Nullis lit v et in pre a se a impe consti de du di in g conci edi non ob dummodo vel (*sic*) ter vel quar pars al extra suam diocesim auc pre ad indi non trahatur.

1) *Marcellino.* 2) *I. e. de Città di Castello, Azzoni.* 3) *I. e. de Montefeltre, Hugolino.* 4) *I. e. Sarsinatensi, qui interdum et Bobiensis vocabatur; episcopo Rufino II nomen erat.* 5) *Manzino.* 6) *Henrico.* 7) *Iacobo.* 8) *Mainardino.* 9) *Iohanni III.*

778.

Gregorius IX papa Bartholomaeo et Oddoni fratribus, civibus Perusinis, potestatem a fratre Bono Vicino cubiculario suo concessam, qua pro damnis irrogatis bona Fuliginatium aliorumque sequacium Friderici dicti imperatoris capere iis liceat, confirmat.

1240, Iul. 1.

Greg. IX Reg. Vol. VII, 13; Lib. XIV, 71.

Bartholomeo et Oddoni fratribus, civibus Perusinis.

Ex parte vestra fuit propositum coram nobis, quod Fuliginates, de Spello [1], Mevania [2] et quorundam aliorum castrorum communitates[a], sequaces Friderici dicti imperatoris Dei et ecclesie inimici, super quibusdam vineis, possessionibus[b], quantitate bladi et rebus aliis dampna vobis plurima irrogarunt, propter quod dilectus filius frater Bonus Vicinus cubicularius noster capiendi de bonis ipsorum, qui rebelles existentes ecclesie a nobis sunt diffidati, usque ad satisfactionem plenariam vobis tribuit potestatem, prout in litteris inde confectis plenius continetur. Nos igitur vestris devotis precibus inclinati, quod per eundem fratrem in hac parte provide factum est ratum habentes et firmum, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo — nostre confirmationis etc. Si quis autem etc.

Dat. Lateran. Kal. Iulii, anno XIIII.

779.

Gregorius IX papa S[inibaldo] tituli Sancti Laurentii in Lucina presbytero cardinali, marchiae Anconitanae rectori, mandat, ut sedem episcopalem Auximanam, pro eo quod populus Auximanus Friderico dicto imperatori adhaeserit, ad civitatem Recanatem ecclesiae fidelem transferat.

1240, Iul. 1.

Greg. IX Reg. Vol. VII, 19; Lib. XIV, 109.

S. tituli Sancti Laurentii in Lucina presbytero cardinali, marchie Anconitane rectori.

Licet apostolice sedis ad hoc semper sit intenta benignitas, ut universos et singulos ecclesie filios benedictione dulcedinis prosequatur, expedit tamen, ut, sicut illis quos inter ipsos gratos devotione reperit condignam gratiam recompensat, sic et eos qui Deum in ipsa non verentur offendere iusta puniat ultione. Hinc est, quod cum dilecti filii . . potestas, consilium et populus Racanatensis in fide ac devotione ecclesie illam studuerint observare constantiam, quod averti ab ipsa nequiverint, spretis dampnis rerum et dispendiis personarum, nos, arbitrantes debitum ut circa ipsos ecclesie benivolentia, benemeritos beneficiis attollere consueta, pateat per effectum, de fratrum nostrorum consilio disponendum duximus, quod eorum terra episcopalis dignitatis perpetuo decoretur honore, et ad ipsos a maledictionis filiis populo Auximano, qui Friderico dicto imperatori fidem et libertatem ecclesiasticam persequenti

a) sequ. com. R. b) poss. R.

1) Ex septentrione Fuligni. 2) Ex occidente Fuligni.

divino timore postposito dampnabiliter adheserunt, Racanates eosdem afficiendo diversis iniuriis et multiplicibus nocumentis, Auximana sedes cum omnibus suis iuribus et pertinentiis transferatur. Verum cum dicti Racanates quinque milia librarum usualis monete vel possessiones valoris eiusdem pro dotanda futura cathedrali ecclesia liberaliter offerentes promittant, quod velint edificare domos pro episcopo et canonicis oportunas, mandamus, quatinus secundum datam tibi a Deo industriam providere studeas, ut ipsi ad hoc adiectionem faciant, de qua dicti episcopus et canonici processu temporis honorifice valeant sustentari, maxime cum durante guerrarum discrimine non possit provenire de facili, quod bonorum Auximane ecclesie possessionem pacificam valeant adipisci. Ceterum venerabili fratri nostro . . episcopo Humanatensi[1] pro iure, quod in castro Racanate habuisse dinoscitur, de aliqua parte diocesis Auximane et de aliqua parte eiusdem diocesis Anconitane ecclesie concedendis discretio tua provideat, prout viderit expedire, villa Auximana, quondam civitate, cum reliqua parte ipsius diocesis dicte Racanatensi ecclesie reservata. Ceterum, quod super hoc feceris, nobis quam citius poteris tue litteris sinceritatis exponas, ut ad concedendum privilegium nuntiis dictorum Racanatium propter hoc sedem apostolicam adituris expeditius procedere valeamus.

Dat. Lateran. IIII Non. Iulii, anno XIIII.

780.

Gregorius IX papa G[regorio] de Montelongo subdiacono, apostolicae sedis legato, scribit se episcopum Vicentinum, qui pro eo quod in praesentia Friderici dicti imperatoris missam celebraverit, ab officio suspensus fuerit, absolvisse; mandat ei, ut de castris inquirat, quae idem Ezelino aliisque assignasse dicatur. *1240, Iul. 7.*

Greg. IX Reg. Vol VII, 19; Lib. XIV, 110.

G. de Montelongo subdiacono et notario nostro, apostolice sedis legato.

Percepto ex relatu quorundam ac ex litteris venerabilis fratris nostri . . episcopi Vicentini, quod ipse, Friderico dicto imperatore in festo pentecostes[2] intrante Vicentinam ecclesiam, a misse quam iam inchoaverat celebratione non destitit, venerabili fratri nostro . . episcopo Castellano[3] et dilecto filio magistro Benedicto scriptori nostro, tunc in illis partibus constituto, nostris litteris dedimus in mandatis, ut eundem ab officio et beneficio pro temeritate huiusmodi ipso iure suspensum, quod infra certum terminum nostram adiret presentiam, ammonerent; alioquin in eum ex tunc excommunicationis sententiam promulgarent. Ipse quidem ad monitionem huiusmodi se humiliter nostro conspectui representans, in excusationem suam reverenter proposuit coram nobis, quod cum metropolitanus suus[4] et quidam alii prelati comitantes prefatum Fridericum una secum in ipsa ecclesia divinis interfuissent officiis, ipse, cui nondum quod vitaret eundem fuerat nuntiatum, ab inchoati prosecutione officii absque rubore et confusione sua desistere non audebat. Verum cum ipse dudum propter hoc apud sedem apostolicam constitutus suspensionis penam in multa patientia tolerarit, nos,

1) *Iacobo.* 2) *a. 1239, Mai. 15; cf. n. 763.* 3) *Petro.* 4) *Bertholdus patriarcha Aquilegiensis.*

moti solita misericordia circa ipsum, eum, quem de fratrum nostrorum consilio ab ipsius sententia suspensionis absolvimus, ad memoratam ecclesiam cum nostra gratia duximus remittendum. Volumus autem, ut si aliqui contra ipsum, super eo quod quedam ex castris eiusdem ecclesie Izelino ac aliis ecclesie Romane inimicis dicitur assignasse, aliquid duxerint proponendum, eos audias, et quod super hoc inveneris, nobis fideliter litteris tue devotionis exponas.

Dat. Lateran. Non. Iulii, anno XIIII.

781.

Litterae Gregorii IX papae de prima convocatione concilii per totum fere orbem Christianum directae: mandat archiepiscopis, episcopis et abbatibus, ut in proximo festo resurrectionis Dominicae [Mart. 31] personaliter ad sedem apostolicam veniant, capitulis, ut nuntios destinent; reges et principes mundanos rogat, ut nuntios transmittant.

1240, Aug. 9.

Greg. IX Reg. Vol. VII, 48–49; in appendice Libro XIV annexa, in qua litterae concilium attinentes cum quibusdam aliis separatim collectae sunt. – Tenorem epistolarum archiepiscopo Senonensi et regi Franciae missarum damus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1240, § 53 et 54.

Potthast, Reg. 10925–10931.

PRIMA CONVOCATIO CONCILII.

I.

IN FRANCIA, PROVINCIA.

. . archiepiscopo Senensi.

Eterna providentia Conditoris sanctam et immaculatam ecclesiam a sue fundationis exordio eo voluit ordine gubernari, ut uni pastori potestatis plenitudinem obtinenti ceteri partem sollicitudinis assumentes tanquam membra capiti, communicatis alterutrum emergentibus casibus, unione indissolubili cohererent, per quam eis consensibus mutuis solidatis caput famulantibus membris vigorem assumeret et membrorum conditio de sui principii robore firmaretur. Quia igitur grandes apostolice sedis eventus et causas te ignorare non convenit, tanquam necessarium matris ecclesie munimentum, propter que necessitate urgente tuam et aliorum videmus presentiam plurimum opportunam, fraternitatem tuam rogamus et hortamur attentius, per apostolica tibi scripta precipiendo mandantes, quatinus usque ad proximum festum resurrectionis Dominice ad nostram presentiam personaliter venire procures, omni occasione cessante, ut habeat ecclesia mater in filio speratum in tua visitatione solatium et gratum providi consilii fulcimentum; proviso ut in personarum et evectionum moderato numero venias, ne nimis ecclesie tue onerosus existas. Preterea volumus et mandamus, ut suffraganeorum tuorum capitulis, abbatibus et prelatis aliis tue provincie, qui specialiter non vocantur, auctoritate nostra iniungas, ut super hiis eodem termino ad sedem apostolicam fideles et providos nuntios mittere non postponant.

Dat. apud Criptam Ferratam. V Idus Aug. anno XIIII.

In eundem modum . . archiepiscopo Turonensi, . . archiepiscopo Remensi[a], . . archiepiscopo Lugdunensi, . . archiepiscopo Burdegalensi, . . archiepiscopo Viennensi, . . archiepiscopo Auxitano, . . archiepiscopo Bisuntino, . . archiepiscopo Ebredunensi, . . archiepiscopo Rothomagensi, . . archiepiscopo Bituricensi, . . archiepiscopo Arelatensi.

In eundem modum . . episcopo Parisiensi usque: onerosus existas.

In eundem modum . . episcopo Carnotensi, . . episcopo Lexoviensi, . . episcopo Cenomannensi, . . episcopo Aurelianensi, . . episcopo Belvacensi, . . episcopo Cameracensi, . . episcopo Claromontensi, . . episcopo Neumasensi[b], . . episcopo Biterrensi, . . episcopo Aniciensi, . . episcopo Agathensi, . . episcopo Pictavensi, . . episcopo Carcasonensi, . . episcopo Tolosano.

In eundem modum capitulo Senonensi usque: necessitate urgente vestrum et aliorum consilium videmus plurimum oportunum. universitatem vestram etc. usque: ad proximum festum resurrectionis Dominice ad nos sollempnes et providos nuntios destinetis. qui vice vestra utile nobis in causis ecclesie consilium largiantur: proviso etc.

In eundem modum capitulo Turonensi, capitulo Rothomagensi, capitulo Remensi, capitulo Lugdunensi, capitulo Viennensi, capitulo Bisuntino, capitulo Bituricensi, capitulo Ebredunensi, capitulo Auxitano, capitulo Parisiensi, capitulo Carnotensi, capitulo Aurelianensi, capitulo Cenomannensi, capitulo Lexoviensi, capitulo Aniciensi, capitulo Claromontano.

In eundem modum capitulo generali Cisterciensium, ut mittant quatuor abbates.

In eundem modum . . abbati Premonstratensi, ut personaliter veniat.

In eundem modum . . abbati Cluniacensi, . . abbati Maioris Monasterii[1], . . abbati Compendiensi, . . abbati Fiscannensi[2], . . abbati Sancti Dionisii, fratri Guillielmo de ordine Cartusianorum.

. . illustri regi Francie.

3. Reg. 7 Super bases aureas ad locum sanctificationis ornandum animalium tria genera, cherubim scilicet, leonis et bovis ac eneum mare desuper sapientia Salomonis extruxit, hoc in ecclesia secutura demonstrans, ut in exordium caritatis exurgens, amaris conspersa fluctibus et turbinibus agitata, de prelatis et subditis ac principibus orbis presidium dextere sublevantis expectet. Cum igitur mater ecclesia inter turbines seculi gravibus occupata negociis reges terre, ecclesie prelatos et subditos ac alios mundi principes decreverit advocare, ut eorum varietate vestita et munita consiliis gravia que successerunt negotia valeat felicius expedire, te, fili carissime, quem ipsa de regenerationis gratia reddit filium et sinceritatis prerogativa dilectum, de fratrum nostrorum consilio ad hoc fiducialiter invitamus, serenitatem tuam rogantes et monentes attentius, quatenus usque ad proximum festum resurrectionis Dominice ad nos fideles et providos nuntios tua celsitudo transmittat, qui super expediendis causis universalis ecclesie utile nobis consilium vice regia largiantur, ut habeat in te Christiana religio devotionis solite filium et promptum profectus ecclesiastici zelatorem, tuis utilitatibus retributionem debitam impensura.

Dat. ut supra.

. . comiti Flandrie.

Cum graves apostolice sedis eventus et causas seculi principes non deceat ignorare, tanquam necessaria matris ecclesie fulcimenta, imminentibus nobis nuper negotiis gravibus, que difficultate sui cum tuo et aliorum consilio decrevimus expedire, sinceri-

a) In eundem modum, *quod ante unumquodque nomen repetitum est, omisimus.* b) *i. e.* Nemausensi.

1) *Marmoutier iuxta Tours.* 2) *Fécamp ex septentrione civ. Le Havre in ora maris.*

tatem tuam rogamus et monemus attentius, quatinus ob reverentiam apostolice sedis et nostram usque ad proximum festum resurrectionis Dominice ad nos idoneos et providos nuntios destinare procures, qui vice tua super causis ecclesie consummandis fidele nobis consilium largiantur, ut habeat in te Christiana religio devotionis solite filium et promptum profectus ecclesiastici zelatorem, tuis utilitatibus retributionem debitam impensura.

Dat. ut supra.

In eundem modum .. comiti Brittannie, .. comiti Provincie, .. comiti Sabaudie.

II.
IN ANGLIA ET SCOTIA.

.. archiepiscopo Cantuariensi.

Eterna providentia etc. ut in prima usque in finem.

In eundem modum .. archiepiscopo Eboracensi, .. archiepiscopo Dublinensi.

In eundem modum .. episcopo Exoniensi usque: existas.

In eundem modum .. episcopo Carleolensi, .. episcopo Cicestrensi, .. episcopo Wigorniensi, .. episcopo Norwicensi, .. episcopo Lincolniensi, .. episcopo Eliensi, .. episcopo Glasguensi, .. episcopo Sancti Andree, .. abbati Sancti Augustini Cantuariensis, .. abbati Sancti Eadmundi [1], .. abbati Westmonasterii, .. abbati de Burgo sancti Petri [2], .. abbati de Teokesbyria [a] [3].

.. illustri regi Anglie.

Super bases aureas etc. ut supra in ea que dirigitur regi Francie.

In eundem modum .. regi Scotie.

In eundem modum .. comiti Marescalco ut supra in ea que dirigitur .. comiti Flandrie.

In eundem modum .. comiti Richemundie, .. comiti Cornubie, .. comiti Albemarlie, .. comiti Lincolniensi, .. comiti Herefordie, nobili viro Hugoni de Albenniaco.

III.
IN TEUTONIA, POLONIA ET DACIA.

.. patriarche Aquilegensi spiritum consilii sanioris.

Eterna providentia etc. ut in prima usque: omni occasione cessante, mandatis apostolicis pariturus, ut in expediendis imminentibus nobis negotiis tuo uti consilio valeamus, proviso etc. usque in finem.

In eundem modum .. archiepiscopo Salzburgensi, .. archiepiscopo Maguntino, .. archiepiscopo Treverensi, .. electo Coloniensi, .. episcopo Pataviensi, .. episcopo Frisingensi.

excommunicati.

In eundem modum .. archiepiscopo Magdeburgensi [b], .. archiepiscopo Bremensi.

In eundem modum .. episcopo Osnaburgensi [c], .. episcopo Mindensi, .. episcopo Basiliensi, .. episcopo Constantiensi, .. episcopo Eistensi, .. episcopo Warmaciensi,

a) Teokesbyr̄ *R.* b) *scil.* ut in prima usque in finem. c) *scil.* usque: onerosus existas.

1) *St. Edmundsbury in Suffolk.* 2) *Peterborough in Northampton.* 3) *Tewkesbury in Gloucester.*

. . episcopo Ratisponensi, . . episcopo Spirensi, . . episcopo Erbipolensi, . . episcopo Argentinensi, . . episcopo Ildesemensi, . . abbati Vuldensi.

. . nobili viro duci Austrie.

Cum graves apostolice sedis etc. ut supra sicut scribitur comiti Flandrie usque: impensura, presertim cum ex principibus aliqui hoc nobis duxerint suis litteris liberaliter offerendum[1].

Dat. ut supra.

In eundem modum . . marchioni Misnensi.
In eundem modum . . Henrico langravio Turingie. } excommunicati.

In eundem modum . . duci de Brunswic, . . duci de Limpurc, . . duci Saxonie, . . duci Bawarie, . . duci Brabantie, . . duci de Lombec[a] [2], . . Hermanno lantgravio Turingie, . . marchioni Brandeburgensi[3], . . comiti Senensi[b], . . duci Mazovie, . . duci de Lumbruc[4], . . duci Zlesie, . . duci Polonie, . . duci Cracovie.

In eundem modum . . regi Dacie, secundum quod scribitur regi Francie.

In eundem modum . . regi Boemie.

In eundem modum . . archiepiscopo Lundensi, secundum quod in prima.

In eundem modum . . episcopo Roskildensi, secundum quod scribitur episcopis.

In eundem modum . . episcopo Zlewicensi, . . episcopo Olomucensi, . . episcopo Pragensi, . . episcopo Chracoviensi, . . episcopo Wratislaviensi.

IV.
IN UNGARIA.

. . archiepiscopo Strigoniensi.

Eterna providentia etc. ut in prima.

In eundem modum . . archiepiscopo Colocensi.

In eundem modum . . episcopo Geuriensi, secundum quod scribitur episcopis.

In eundem modum . . episcopo Zagrabiensi, . . episcopo Vesprimiensi, . . episcopo Quinqueecclesiensi, . . episcopo Agriensi, . . episcopo Ultrasilvano, . . abbati Sancti Martini de Pannonia[5].

In eundem modum . . regi Ungarie, secundum quod scribitur regi Francie.

In eundem modum Colomanno regi, duci Sclavonie.

V.
IN ISPANIA.

. . archiepiscopo Toletano.

Eterna providentia etc. ut supra, secundum quod scribitur archiepiscopis.

In eundem modum . . archiepiscopo Compostellano, . . archiepiscopo Terraconensi, . . archiepiscopo Bracharensi.

a) *V. Cl. A. Mau, qui verba* . . duci de Lombec — . . duci Cracovie *cum Reg. iterum contulit, nobis significavit unumquodque nomen in una linea scriptum esse, praeter* . . duci Mazovie, . . duci Zlesie *et* . . duci Cracovie, *quae nomina iuxta praecedens quodque altera manus addiderit.* b) Seneñ *R.*

1) *Alludit ut videtur ad epistolas, quarum summaria sub n. 768, VII et VIII proposuimus.* 2) *Qui dux hic fuerit ignoramus.* 3) *An* marchionibus Brandeburgensibus *legendum, Iohanni et Ottoni III?* 4) *Ducatus huius nominis non extitit; sed quomodo emendandum sit nescimus.* 5) *In meridionali parte comitatus Raab.*

In eundem modum . . episcopo Salmantino usque: existas

In eundem modum . . episcopo Auriensi, . . episcopo Astoricensi, . . episcopo Segobiensi, . . episcopo Palentino, . . episcopo Burgensi, . . episcopo Legionensi, . . episcopo Ovetensi.

In eundem modum . . regi Castelle, secundum quod scriptum est regi Francie.

In eundem modum . . regi Portugalie, . . regi Aragonum.

VI.
IN LOMBARDIA, MARCHIA TERVISINA ET ROMANIOLA.

. . archiepiscopo Mediolanensi.

Eterna providentia conditoris etc. ut in prima.

In eundem modum . . archiepiscopo Ianuensi, . . archiepiscopo Pisano, (. . archiepiscopo Ravennati)[a], . . electo Gradensi.

In eundem modum . . episcopo Mutinensi usque: existas.

In eundem modum . . episcopo Florentino, . . episcopo Lucano, . . episcopo Pistoriensi, . . episcopo Vulterrano, . . episcopo Senensi, . . episcopo Fesulano, . . episcopo Regino, . . episcopo Placentino, . . episcopo Cremonensi, . . episcopo Vercellensi, . . episcopo Terdonensi, . . episcopo Cumano, . . episcopo Vicentino, . . episcopo Parmensi, . . episcopo Mantuano, . . episcopo Papiensi, . . episcopo Cesenati, . . episcopo Novariensi, . . episcopo Ariminensi, . . episcopo Veronensi, . . episcopo Faventino, . . episcopo Foroliviensi, . . electo Ferrariensi, . . O. archidiacono et procuratori ecclesie Bononiensis, . . episcopo Castellano, . . episcopo Tervisino, . . electo Pergamensi, . . episcopo Tridentino, . . episcopo Astensi, . . episcopo Imolensi.

In eundem modum capitulo Paduano, secundum quod scribitur capitulis.

In eundem modum capitulo Vulterrano, capitulo Pergamensi.

. . duci Venetorum.

Cum graves etc., secundum quod scribitur . . comiti Flandrie.

In eundem modum . . marchioni Astensi, . . comiti Vicentino, . . comiti Sancti Bonifatii.

In eundem modum . . marchioni Montis Ferrati spiritum consilii sanioris.

In eundem modum Vezelo de Camino[1], Biaquino de Camino, Huguicioni Pilii, Alberico de Romanis.

In eundem modum . . potestati, consilio et populo Mediolanensi, Brixiensi[b], Placentino, Mantuano, Ferrariensi, Tervisino, Bononiensi, Faventino, Ravennati, Ianuensi.

782.

Gregorius IX papa potestates, rectores, consules et communitates societatis Lombardiae et Romaniolae monet, ne moveantur, quod quosdam praelatos ecclesiae et saeculi principes ad se advocet. *1240, Aug. 10.*

Greg. IX Reg. Vol. VII. 49; post n. 781 in Reg. legitur.

a) *punctis subsignatis eius nomen deletum est.* b) . . potestati, consilio et populo *in Reg. semper repetitum est.*

1) *Ad hos* spiritum consilii sanioris *non pertinet, cum a parte curiae steterint.*

Potestatibus, rectoribus, consulibus et communitatibus societatis Lombardie ac Romaniole.

Pro imminentibus ecclesie Romane negotiis feliciter consumandis de fratrum nostrorum consilio quosdam prelatos ecclesie ac seculi principes advocamus, per quod nullius vos sinistra interpretatio moveat, cum non aliud intendamus quam cum ipsorum consilio urgentes causas ecclesie feliciter expedire.

Dat. apud Criptam Ferratam, IIII Idus Augusti, pontificatus nostri anno quartodecimo.

783.

Gregorius IX papa potestati, consilio et populo Spoletano quosdam redditus, quos ecclesia Romana in diocesi Spoletana obtineat, concedit. *1240, Sept. 1.*

Greg. IX Reg. Vol. VII, 27; Lib. XIV, 155.
Potthast, Reg. 10936.

. . potestati, consilio et populo Spoletano.

Gaudemus in Domino, quod vos in devotione ecclesie matris vestre firmos sicut columpna immobilis persistentes nulla persecutio, nulla adversitas ab ipsius fidelitate et obsequio potuit separare, rapinam et incendia bonorum vestrorum pro conservando ipsius honore equanimiter sustinentes, ex quo vobis apud Deum eterne retributionis premium et apud homines perpetue laudis titulum comparatis, et nos, quia id nec debet nec potest ab oculis apostolice sedis excidere, tante devotionis affectum condigne retributionis effectu recompensare proponimus et ad exaltationem civitatis vestre prompto et perpetuo desiderio aspiramus. Verum quia gratiam quam possumus ad presens eidem facere cupimus civitati, ut devotiores efficiamini ex devotis, vobis in devotione ecclesie persistentibus redditus, quos in diocesi Spoletana ecclesia Romana obtinet, exceptis redditibus ad nostrarum munitionum custodiam deputatis, usque ad nostre beneplacitum voluntatis duximus concedendos.

Dat. apud Criptam Ferratam, Kal. Sept. anno XIIII.

784.

Litterae Gregorii IX papae de navigio pro praelatis ad concilium deferendis et reducendis Ianuae praeparando. *1240, Oct. 13.*

Greg. IX Reg. Vol. VII, 56; in appendice Libri XIV sub n. 781 commemorata. Hae litterae et n. 792, 793 et 791, quae in Reg. continuo sequuntur, una inscriptione ornatae sunt: Littere super apparatu navigii. *Ordo Reg. servatus est, praeter in ep. VI, quae ibidem post ep. VII legitur.*

I.

Gregorius IX papa G[regorium] de Romania subdiaconum, apostolicae sedis legatum, cum [Henrico de Modoetia] potestate et consilio Ianuensi ordinare iubet, ut galeae et naves, in quibus praelati ad concilium venientes deferri et reduci possint, secrete praeparentur; fratrem N[icolaum] Cisterciensis ordinis latorem epistolae ei commendat.

Potthast, Reg. 10944 et Add. I. *1240, Oct. 13.*

G. de Romania, subdiacono et capellano nostro, apostolice sedis legato.

Nuper pro diversis et arduis ecclesie Romane negotiis ecclesiarum prelatos, regum ac principum nuntios ad festum resurrectionis Dominice proximo venturum[1] duximus ad nostram presentiam advocandos. Verum quia, sicut pro certo intelleximus, Fridericus dictus imperator, adversarius Dei et ecclesie, vocationem ipsam quantum potest nititur impedire[2], precipiendo mandamus, quatinus cum nulla ratione tantam confusionem ecclesie sustinere possimus, sicut caram habes gratiam apostolice sedis et nostram, cum nobili viro . . potestate et consilio Ianuensi, quod tantum numerum galearum et navium, in quibus prelatos et alios ad ipsum concilium venientes secure ad sedem apostolicam deferendos et reducendos in locis, quos tecum et cum dictis potestate et consilio dilectus filius frater N. Cisterciensis ordinis lator presentium quem ob hoc transmittimus statuet, possint recipere, preparent, nec non de certo naulo pro singulis galeis et navibus sic caute, sic secreto, quod id nequaquam, antequam firma sint omnia et firmiter roborata, ad dicti Friderici vel suorum fautorum notitiam pervenire valeat, ordinare procures, ab ipsis Ianuensibus cautiones sic sufficientes nostro et ecclesie Romane nomine recepturus, quod super hoc intentione sua nullomodo frustrari possit ecclesia, et prudentiam tuam possimus exinde multipliciter commendare. Nos enim eidem fratri N. ordinandi de consilio tuo, venerabilis fratris nostri . . archiepiscopi[3] et aliquorum prudentum prelatorum, fratrum Predicatorum et Minorum Ianuensium ac aliorum, quos videris expedire, super securitate nauli et aliis omnibus necessariis exequendis plenam contulimus potestatem, cui ea, que tibi ex parte nostra dixerit, credere et efficaciter adimplere procures.

Dat. Lateran. III Id. Octob. pontificatus nostri anno XIIII.

In eundem modum nobili viro . . potestati Ianuensi usque: nititur impedire, nos, nolentes tam sanctum generalis utilitatis propositum humanis versutiis retardari, dilecto filio G. de Romania subdiacono et capellano nostro, apostolice sedis legato, nostris damus litteris in preceptis, ut tantus numerus navium, galearum et usceriorum, in quibus prelati[a] et alii ad ipsum concilium venientes secure ad sedem apostolicam deferendi et reducendi in oportunis locis, que dictus legatus et dilectus filius frater N. Cisterciensis ordinis lator presentium quem ob hoc transmittimus de tuo et Ianuensium consilio statuent, possint recipi, preparetur, nec non de certo naulo pro singulis navibus, galeis et usceriis sic caute etc. ut supra usque: ordinare procuret, a te ac predicto consilio cautiones adeo sufficientes etc. usque: commendare. Nos vero legato et fratri predictis ordinandi de consilio etc. usque: plenam concessimus potestatem. Quocirca nobilitatem tuam rogamus et hortamur attentius, per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus eisdem legato et fratri sic efficax, sic benignum auxilium, consilium tribuas et favorem, quod inde tua devotio possit merito commendari, et nos tibi grata respondere vicissitudine teneamur.

Dat. ut supra.

In eundem modum . . episcopo Penestrino[4], apostolice sedis legato[5], usque: plenam concessimus potestatem. Verum quia presentiam tuam eidem concilio eo magis oportunam credimus, quo salubrioris fructus consilii ex tua prudentia provenire spera-

---

a) prelatis et aliis — venientibus — deferendis et reducendis *R.*

1) *Mart. 31; cf. n. 781.* 2) *Cf. Böhmer-Ficker, l. c. n. 3138, 3139, 3144, 3145.* 3) *Iohannis.* 4) *Iacobo.* 5) *in Francia et Provincia.*

mus, de fratrum nostrorum consilio per apostolica tibi scripta mandamus, quatinus usque ad dictum festum ad nos redire procures, et cum propter persecutiones eiusdem Friderici ecclesia sit gravibus debitis obligata, de pecunia pro ecclesie collecta subsidio usque ad quantitatem, quam idem Gregorius suis tibi duxerit litteris exprimendam, nuntiis Ianuensium super hoc eius litteras deferentibus pro dicto naulo facias assignari.

Dat. ut supra.

In eundem modum O[ttoni] Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diacono cardinali, apostolice sedis legato [1], etc. usque debitis obligata, super colligendo ecclesie subsidio plenum studium adhibere procurans, pecuniam, quam pro eodem subsidio receperis, ad domum Templi Parisiensis, solvendam creditoribus qui super hoc nostras litteras detulerint, ne pro dilatione solutionis aliquod dampnum apostolica sedes incurrat, sine dispendio more transmittas.

Dat. ut supra.

II.

Gregorius IX papa [Iohanni] archiepiscopo Ianuensi mandat, ne pro naulo navium se et ecclesiam suam obligare dubitet. *1240, Oct. 13.*

. . archiepiscopo Ianuensi.

Dilectum filium fratrem N. Cisterciensis ordinis ad te pro quibusdam ecclesie Romane negotiis destinantes, fraternitatem tuam rogamus et hortamur attentius mandantes, quatinus plenam sibi in hiis que tibi ex parte nostra dixerit fidem adhibens, pro pecunia nauli navium, galearum et usceriorum, quam dilectus filius G. de Romania subdiaconus et capellanus noster, apostolice sedis legatus, tue prudentie duxerit exprimendam, te et ecclesiam Ianuensem non dubites nostro et ecclesie Romane nomine obligare. Nos enim illis, quibus eam persolvi debere constiterit, plene de ipsa satisfieri facientes, super obligatione huiusmodi te et ecclesiam tuam absque dampno curabimus conservare.

Dat. Lateran. ut supra.

In eundem modum . . abbati Sancti Syri.

In eundem modum . . abbati Sancti Fructuosi.

In eundem modum . . abbati Sancti Stephani.

In eundem modum . . abbati Sancti Bartholomei de Fossato.

III.

Gregorius IX papa G[regorio] de Romania mandat, ne pro naulo navium papam et ecclesiam Romanam obligare dubitet. *1240, Oct. 13.*

G. de Romania subdiacono et capellano nostro, apostolice sedis legato.

Dilectum filium fratrem N. Cisterciensis ordinis ad te pro quibusdam ecclesie Romane negotiis destinantes, discretionem tuam monemus et hortamur attentius mandantes, quatinus plenam sibi in hiis que tibi ex parte nostra dixerit fidem adhibens, pro pecunia nauli navium, galearum et usceriorum, quam tue prudentie duxerit exprimendam, nos et Romanam ecclesiam non dubites obligare. Nos enim illis, quibus eam persolvi debere constiterit, plene de ipsa satisfieri faciemus.

Dat. ut supra.

1) *in Anglia.*

IV.

Gregorius IX papa eidem pro naulo navium ecclesiam Romanam obligandi potestatem concedit. 1240, Oct. 13.

Eidem.

Ut negotium tibi commissum facilius et melius valeas expedire[a], obligandi Romanam ecclesiam pro pecunia nauli navium, galearum et usceriorum, que pro prelatis et aliis qui ad concilium sunt venturi ducendis et reducendis fuerit persolvenda, liberam tibi de consilio fratrum nostrorum concessimus potestatem.

Dat. ut supra.

V.

Gregorius IX papa potestatem et consilium Ianuense de rebus in n. IV contentis certiorem facit. 1240, Oct. 13.

Nobili viro . . potestati et consilio Ianuensi.

Ut dilectus filius G. de Romania subdiaconus et capellanus noster, apostolice sedis legatus, negotium sibi commissum etc. ut supra.

VI.

Gregorius IX papa G[regorio] de Romania mandat, ut negotium de naulo navium sine mora exequatur et statim de eodem rescribat. 1240, Oct. 13.

G. de Romania subdiacono et capellano nostro, apostolice sedis legato.

Presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus negotium super facto nauli navium, galearum et usceriorum pro prelatis ad concilium ducendis et reducendis tue discretioni commissum omni mora postposita exequi et nobis quod super hoc feceris statim rescribere non omittas.

Dat. ut supra[1].

VII.

Memoriale fratri Nicolao Cisterciensis ordinis ad Gregorium de Romania proficiscenti a Gregorio IX papa datum, in quo scriptum est, quae res in navibus conducendis observari debeant.

Huillard-Bréholles, l. c. t. V, p. 1051.

Memoriale fratris Nicolai Cisterciensis ordinis.

Primo Gregorio de Romania omnes litteras presentabis, et tu ipse una cum Petro de Guarcino secreto cum potestate Ianuensium, iuramento recepto ab ipsa potestate de secreto tenendo quod a vobis ei fuerit proponendum, tractabitis super imminenti negotio quod in nostris litteris est expressum ea que videritis expedire, secundum formam que in litteris apostolicis est expressa. Et si expedire videritis, G. de Nigro[2] sub eadem cautela propositum nostrum poteritis revelare, et cum eorundem consilio aliis devotis ecclesie sub eadem cautela communicare poteritis negotium supradictum, ita quod horum adiuti consiliis et auxiliis ecclesie propositum

a) expediri *R.*

1) *Dubitandum non est, quin haec quoque epistola Oct. 13 data sit, licet in Reg. inter eam et praecedentes ep. VII intericcta sit.* 2) *Hanc esse credimus Guillelmum Nigrum Embriacum, alterum legatorum Ianuensium qui foedus inter Ianuenses et Venetos Romae a. 1238, Nov. 30 fecerunt; cf. de eodem Ann. Ian. a. 1240. SS. t. XVIII, p. 192.*

firmiter roboretis[a]; super naulo navium, galearum et usceriorum pro deducendis et reducendis prelatis et aliis qui ad concilium sunt venturi, caute et prudenter Ianuenses ad recipiendam moderatam quantitatem pecunie inducendo, et ut pecuniam pro naulo solvendam in regno Francorum recipiant, detis operam efficacem, vel accipiatur mutuum sub cautela et obligatione prelatorum, que in litteris nostris exprimitur, quod certo termino et annue persolvatur. Vobis autem districte in virtute obedientie precipiendo mandamus, quatinus huic negotio ita detis operam efficacem, quod propositum nostrum modis omnibus feliciter consumetur et Romana ecclesia intentione sua nullatenus defraudetur, maxime cum prelatis mandemus, quod per naves, galeas et uscerios Ianuensium eundo et redeundo transitum securum habebunt, apud quos nos de mendacio argui non oportet. Predictis etiam proponatis, quod ad honorem Dei, exaltationem ecclesie et ipsorum perpetuam libertatem et sue civitatis augmentum hoc quod agitur actore Domino pertinebit. Dicatis etiam eis, quod cum a pluribus comitibus, baronibus et aliis nobilibus viris et fide dignis speretur, quod per terram[b] haberi possit securus transitus prelatorum, tamen quia fiducialius speramus de constantia, fide et devotione Ianuensium, volumus, quod ex hoc ipsi magis consequantur honorem. Preterea noveritis, quod legato Francie et aliis, apud quos pecunia ecclesie conservatur, quantitatem, quam tu, fili G., duxeris tuis litteris exprimendam, solvi mandavimus Ianuensibus antedictis. Et licet consueverint Ianuenses dare galeam bene armatam pro ducentis libris Ianuensium per unum mensem, sicut iam experimento didicimus, vos tamen habere pro minori si poteritis laboretis. Naves autem ad portandam multitudinem clericorum et aliorum necessarias reputamus. Provideatis etiam cum Ianuensibus de locis oportunis, in quibus recipi debeant prelati et alii ad concilium venientes.

785.

Litterae Gregorii IX papae de secunda convocatione concilii: archiepiscopis, episcopis et abbatibus mandat, ut licet Fridericus dictus imperator praelatis ad sedem apostolicam vocatis terroribus suis accessum interdicat, proximo festo resurrectionis [Mart. 31] personaliter ad eandem veniant; idem capitulis scribit mandans, ut nuntios destinent; reges et principes mundanos rogat, ut litteris, si quas praedictus Fridericus vocationi praefati concilii contrarias iis dirigat, animum non inclinent, sed nuntios suos termino praefato mittant. Cf. n. 781. *1240, Oct. 15.*

Greg. IX Reg. Vol. VII, 49 et sequ.; litterae post n. 781 et 782 in Reg. leguntur. — Tenorem epistolae archiepiscopo Senonensi missae damus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1240, § 57—58.
Potthast, Reg. 10915—10917, 10949—10953.

SECUNDA CONVOCATIO CONCILII.

I.
IN FRANCIA ET PROVINCIA.

. . archiepiscopo Senonensi.

Petri navicula, matris ecclesie sinus, negotiorum operta fluctibus et questionum urgentium agitata procellis, dexteram Iesu sublevantis implorat. Ea quidem flatibus

a) roboretur *R.* b) suam *omissum esse videtur.*

aquilonis impulsa dormire videtur Dominus, nutant discipuli, naute quasi naufragii verentur eventum, populi trepidant, clamat Petrus: 'Utinam tepescentibus ceteris saltem porrigerent filii opem consilii salutaris, ne ipsam fluctus involvat aut pirata crudelis abducat.' Porro federe naturalis pactionis irrupto fides quatitur, caritas refrigescit, tepescit devotio, crescit et invalescit iniquitas, in Dominum et proximum commissura, ex quibus fidei Christiane profectibus evidens prestatur obstaculum, sequuntur salutis dispendia et plebs devota fidelium beneficio quietis excluso variis molestiis fatigatur, que communis statera iudicii apostolice dignitatis auctoritas iuste discussionis examine prudenter appendens, ut omnium generalis et una mater utilitati provideat singulorum, manus fortium, regum videlicet, prelatorum, principum et aliorum fidelium non indigne advocare decrevit, ut multiplicatis clamoribus Dominum suscitet dormientem et plurium adiuta consiliis prementia faciat onera leviora, expeditionis optate portum feliciter petitura. Verum, sicut pro certo didicimus, singularis ille dudum ecclesie filius, apostolico provectus et defensus auxilio de puero tunc omni destituto suffragio ad imperii culmen humero materno translatus, ea non contentus iniuria, qua mercede recompensans iniqua patris irrumpit solium, matris exponere pudicitiam et venditare[a] sanctuarium indevotus intentat, astutis adhuc in ipsam armatur insidiis, prelatis vocatis a nobis accessum suis terroribus interdicens[1], ut nullius expers calumnie illam, quam gravibus infestat molestiis, nec in filiorum patiatur solatio respirare. Cum igitur tam sanctum generalis utilitatis propositum sub fiducia divini favoris assumptum humanis non debeat versutiis retardari, fraternitatem tuam rogamus et monemus attentius, per apostolica tibi scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandantes, quatenus Dominum preferens homini et difficultatibus obedientie meritum anteponens, usque ad proximum venturum festum resurrectionis Dominice ad sedem apostolicam accedere personaliter non omittas, ut mater filiorum roborata presentia, hostis et adversantis obstaculo providentia divina sublato, pie intentionis exordia felici consummatione concludat. Nos enim super omnibus, que ad tantum negotium exequendum expediunt annuente Domino curabimus providere, prout tibi lator presentium plenius intimabit[2]. Preterea volumus et mandamus, ut suffraganeis tuis et eorum capitulis, abbatibus et prelatis aliis tue provincie, qui specialiter non vocantur, auctoritate nostra iniungas, ut super hiis eodem termino ad sedem apostolicam fideles et providos nuncios mittere non postponant.

Dat. Lateran. Id. Oct. anno XIIII.

In eundem modum . . archiepiscopo Turonensi etc. ut in prima convocatione, excepto archiepiscopo Remensi[3].

In eundem modum . . episcopo Parisiensi usque: prout tibi ex parte nostra plenius exponetur; etc.

In eundem modum capitulo Senonensi usque: feliciter petitura, inter quos vobis, ut vestros nuntios ad matris ecclesie gremium usque ad proximum venturum festum resurrectionis Dominice mitteretis, recolimus litteras apostolicas destinasse. Verum etc. usque: obedientie meritum preponentes, in supradicto termino ad nos sollempnes et providos nuntios destinetis, qui[b] vice vestra utile nobis in causis ecclesie consilium largiantur, ut mater etc. usque: providere curabimus, prout vobis ex parte nostra plenius exponetur; etc. ut in prima convocatione.

a) vendicare *Rayn.* b) quia *R.*

1) *Cf. p. 685. not. 2.* 2) *Alludit, ut videtur, ad navigium, quod Ianuae praeparari iusserat; cf. n. 784.* 3) *Henrico, qui Iul. 6 mortuus erat.*

. . illustri regi Francie.

Deut. 17,8 Dux exercitus Domini Moyses iudicia Dei coram Israhele proponens, ad locum, quem elegit Dominus, et sacerdotem Levitici generis in causis ambiguis recurri precepit. Huiusmodi autem in Christum translato sacerdotio, eius vicarius, Romanus pontifex Petrique successor, multo maiorem quam legis veteris sacerdos obtinens potestatem, delatas ad ipsum a finibus terre consultationes et iurgia sic sue sententie diffinitione decidit, quod et presentibus litibus finis imponitur, et quid in futuris debeat servari negotiis, posteris declaratur. Porro quia succedentium varietates temporum diversorum novitates casuum nonnumquam pariunt, que ad solvendas suorum perplexitates nexuum multorum prudentum consilia exquisita requirunt, per apostolicam sedem orthodoxi patres statuerunt convocari concilia, in quibus salubri formata consilio sententia firma dissolveret, quicquid difficultatis nodus questionis proposite contineret. Ob hoc quidem nuper considerantes, quod instantis malitia temporis negotiis diversis et arduis non solum Romanam verum etiam universalem angit ecclesiam, et cupientes in hiis sub ea providentia et discretione procedere, quod et ipsa negotia optatum auctore Deo finem suscipiant et exinde honor ecclesie generali et salus populo Christiano consurgant, serenitatem regalem apostolicis exoravimus litteris, quod usque ad festum proximum venturum resurrectionis Dominice, ad quod super hoc advocavimus concilium prelatorum, ad nos regales nuntios, qui nobis in hiis vice regia salutare consilium tribuant, destinares, ut dispositio nostra tanto cunctis sit gratior, quanto regalis consilii ac prelatorum et principum fuerit provida et salubri deliberatione concepta. Verum, sicut pro certo intelleximus, adversarius et hostis ecclesie Fridericus dictus imperator, qui in diversis articulis matri ecclesie quibus potest conatibus adversatur, universalis ecclesie comodum proprium extimans detrimentum, ut auctoritatem apostolice sedis annichilet ac unitatem scindat quod absit ecclesie generalis, prefatum concilium nititur impedire, diversarum fraudium venena conficiens, ut conceptum tam pii desiderii propositum hiis perfusa mater ecclesia Gen. 3,15 pariat abortivum, propter quod ipsius qui calcaneo ecclesie insidiari non desinit non ignorantes astutias, ne tanta ecclesie generalis utilitas de facili eius dolo impedita depereat, super omnibus que ad tantum negotium exequendum expediunt annuente Domino providere curabimus, prout lator presentium celsitudini regie viva voce plenius intimabit. Hinc est, quod regalem excellentiam rogamus attentius et hortamur in domino Iesu Christo, quatinus litteris, si quas predictus Fridericus ad te prefati contrarias vocationi concilii dirigat, animum in aliquo penitus non inclinans, ad nos nuntios tuos usque ad supradictum festum destinare procures, ita quod ex hoc Deum tibi debitorem et ecclesiam tuis utilitatibus obligatam constituas, ac zelari honorem universalis ecclesie, salutem propriam et populi Christiani ut princeps catholicus ad instar predecessorum tuorum apertius comproberis.

Dat. ut supra.

Nobili viro . . comiti Flandrie.

Nuper considerantes, quod instantis malitia temporis etc. ut supra usque: consurgant, prudentiam tuam apostolicis sollicitavimus litteris, ut usque ad festum usque: annuente Domino curabimus providere. Hinc est, quod nobilitatem tuam etc. usque: penitus non inclinans, ad nos super premissis omnibus idoneos et providos nuntios usque ad supradictum festum destinare procures etc. usque: populi Christiani tamquam vir catholicus apertius comproberis.

Dat. ut supra.

In eundem modum . . comiti Brittannie etc.

II.

IN ANGLIA ET SCOTIA.

. . archiepiscopo Cantuariensi; etc. etc. etc.

III.

IN POLONIA, TEUTONIA ET DACIA ET NORWEIA.

. . patriarche Aquilegensi spiritum consilii sanioris.

Petri navicula etc. usque: non omittas, ipsius mandatis humiliter pariturus, ut in expediendis imminentibus nobis negotiis tuo uti consilio valeamus. Nos enim etc. usque: prout tibi ex parte nostra plenius exponetur; etc. etc.

In eundem modum . . archiepiscopo Magdeburgensi, secundum quod scribitur archiepiscopis Francie et Anglie etc. etc.

IV.

IN UNGARIA.

. . archiepiscopo Strigoniensi; etc. etc.

V.

IN YSPANIA.

. . archiepiscopo Toletano; etc. etc.

VI.

IN LOMBARDIA, MARCHIA TERVISINA ET ROMANIOLA.

. . archiepiscopo Mediolanensi; etc. etc.; exceptis sex Etrurie episcopis et electo Pergamensi, addito episcopo Brixiensi.

VII.

IN TUSCIA, MARCHIA ANCONITANA, DUCATU SPOLETANO ET CAMPANIA.

. . episcopo Florentino.

Petri navicula etc. secundum quod scribitur episcopis usque: providere.

In eundem modum . . episcopo Lucano, . . episcopo Pistoriensi, . . episcopo Vulterrano, . . episcopo Senensi, . . episcopo Lunensi, . . episcopo Fesulano, . . episcopo Suanensi, . . episcopo Clusino, . . episcopo Perusino, . . episcopo Castellano, . . episcopo Aretino, marchie Anconitane rectori, . . episcopo Grossetano, . . episcopo Nepesino, . . episcopo Civitatis Castellane, . . episcopo Urbevetano, . . episcopo Asisinati, . . episcopo Spoletano, . . episcopo Nucerino, . . episcopo Eugubino, . . episcopo Reatino, . . episcopo Tudertino, . . episcopo Narniensi, . . episcopo Interannensi, . . episcopo Esculano, . . episcopo Firmano, . . episcopo Camerinensi, . . episcopo Humanati, . . episcopo Anconitano, . . episcopo Esino, . . episcopo Senogaliensi, . . episcopo Fanensi, . . episcopo Pensauriensi, . . episcopo Forosinphroniensi, . . episcopo Callensi,

. . episcopo Urbinati, . . episcopo Ariminensi, . . episcopo Feretrano, . . episcopo Tiburtino, . . episcopo Anagnino, . . episcopo Signino, . . episcopo Ferentinati. . . episcopo Alatrino, . . episcopo Verulano, . . episcopo Terracinensi.

786.

Gregorius IX papa Beneventanos de calamitatibus suis consolatur et sententiam banni in proditores ad exterminium civitatis intendentes ab ipsis latam confirmat.

1240, Oct. 15.

Greg. IX Reg. Vol. VII, 30; Lib. XIV, 167. Edimus tenorem huius epistolae ex Rayn. Ann. eccl. a. 1240, § 15–16, inscriptionem a V. Cl. A. Mau nobis communicatam ex Reg. addentes.
Potthast, Reg. 10918.

Rectori, iudicibus, consulibus et populo Beneventano.

Utinam affectus nostros optatus sequeretur effectus, et non ex operibus iustitie que fecimus nos, set secundum multitudinem miserationem suarum annueret Dominus votis nostris, quia nec vos afflictiones et pressuras pati diutius nec nos vobis super hiis compati longius cogeremur. Verumtamen quod nondum in hoc est nostris et vestris desideriis satisfactum, preter arcanum providentie divine consilium, quod comprehendere mortalium nemo potest, certum est vobis indicium, quod adhuc vos probare disponat, ut fidei vestre probatio, multo pretiosior auro quod per ignem probatur, inveniatur in laudem et gloriam et honorem. Vos ergo sicut viri virtutis et gratie, considerato prout convenit diligenter quam grande quamque solemne apud omnes gentes factum sit constantie vestre nomen, quantumve virtutis et glorie vestre accreverit civitati, accingimini et estote filii potentes, civitatem ipsam et vos ipsos viriliter defendendo, ac loca tutiora servantes, illa, in quibus posset esse periculum, cautius evitetis, securi quod in proximo, actore Domino, reportabitis gloriosum de lugubri calamitate successum. Ceterum, cum quidam de civitate predicta, sicut non absque multa turbatione didicimus, pestilentes, spiritu diabolico concitati ad civitatis eiusdem exterminium intendentes, ipsam in manus hostium prodere niterentur: quia proditione Domino faciente detecta fuge presidium de manibus vestris eripuit proditores, vos communicato consilio statuistis, ut proditorum ipsorum bonis omnibus confiscatis, tam ipsi quam eorum heredes nunquam ad regressum civitatis iam dicte in perpetuum admittantur. Nos proditionem et proditores sicut convenit detestantes, statutum huiusmodi provide factum auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus.

Dat. Later. Idib. Octob. anno XIV.

787.

Litterae Gregorii IX papae de pecunia mutuanda: 1) [Iacobo] episcopo Praenestino scribit, se abbates et conventus quorundam monasteriorum sancti Benedicti, Cluniacensis et Praemonstratensis ordinum et praeceptores et fratres militiae Templi et Hospitalis in Francia rogasse, ut ad solvenda debita ecclesiae Romanae fratri Riccardo de domo militiae Templi certam pecuniae summam mutuo assignent, restituendam iis de subsidio ecclesiae Anglicanae; mandat, ut eos ad id inducat. 2) [Martino II] abbati et conventui Sancti Vedasti in eundem fere modum scribit, mandans ut mille libras Turonensium

praedicto fratri Riccardo mutuo concedant. Eiusdem tenoris epistolam ad multa monasteria Galliae mittit. *1240, Nov. 5 et 6.*

Greg. IX Reg Vol. VII, 53; in appendice sub n. 781 commemorata.
N. I ap. Potthast, Reg. 10968; sed male sub Dec. 5.

SUPER PECUNIA MUTUANDA ECCLESIE ROMANE A PRELATIS SUBSCRIPTIS.

I.

Episcopo Penestrino, apostolice sedis legato.

Cum ecclesia Romana sub gravibus conditionibus magnam receperit mutuo pro defensione fidei et ecclesiastice libertatis pecunie quantitatem, nec adhuc sit de ipsa creditoribus, quamquam aliqui termini solutionum effluxerint, satisfactum, propter quod creditores ipsi apud nos instantes clamoribus importunis dampna se queruntur non modica incurrisse: quia huiusmodi debitorum solutio non potest diutius propter excrescentia incommoda absque gravi ecclesie ipsius dispendio retardari, dilectos filios abbates et conventus quorundam monasteriorum sancti Benedicti, Cluniacensis et Premonstratensis ordinis, quorum nomina in quadam tibi cedula sub bulla nostra mittimus annotata [1], necnon militie Templi ac Hospitalis Ierosolimitani domorum in Francia preceptores et fratres rogandos duximus attente et monendos, nostris sibi dantes litteris in mandatis, ut predictorum abbatum cum conventibus et preceptorum cum fratribus suis singuli certam pecunie summam pro solutione creditorum ipsorum quantotius facienda dilecto filio fratri Riccardo de domo militie Templi eiusdem ecclesie nomine mutuo pro nostra et apostolice sedis reverentia prompta voluntate concedant, restituendam eis plenarie saltem usque ad sex menses post receptionem litterarum ipsarum de subsidio ecclesie Anglicane. Quocirca fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus si creditoribus ipsis de subsidio Anglicano satisfieri forte non poterit terminis constitutis, ne ex tarditate solutionum apostolica sedes gravem lesionem incurrat et Romanos turbari contingat, ex quo principali negotio de facili posset periculum imminere, quia pro maiori ecclesie necessitate intactum servari volumus subsidium Gallicanum [2], apud abbates ac alios supradictos, ut in presenti necessitatis articulo iuxta mandatum nostrum de mutuo ecclesie subveniant antedicto, interponas sollicite partes tuas. Nos enim ad solvendum in terminis qui ad hoc prefixi fuerint illam pecunie quantitatem, quam ipsi eidem fratri ecclesie Romane nomine duxerint mutuandam, eandem ecclesiam de fratrum nostrorum consilio per litteras apostolicas obligantes, dilecto filio nostro O[ttoni] Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diacono cardinali, apostolice sedis legato, et collectoribus predicti subsidii Anglicani dirigimus scripta nostra, ut pecuniam collectam et colligendam pro ecclesie subventione in partibus Anglicanis memorato fratri, deferendam Parisius ad satisfaciendum abbatibus et aliis prenotatis, non differant fassignare.

Dat. Lateran. Non. Novembr. anno XIIII.

II.

. . abbati et conventui Sancti Vedasti Atrebatensis.

Cum ecclesia Romana etc. ut supra usque: retardari, de devotione vestra in Domino confidentes, universitatem vestram rogamus et hortamur attente, per apostolica

1) *Ea, quae sub n. II adiuncta sunt.* 2) *Pro navigio Ianuae praeparando, cf. n. 781, I et 792.*

vobis scripta mandantes, quatinus matris gravaminibus oportunis auxiliis occurrentes mille libras Turonensium ad satisfaciendum quantotius creditoribus antedictis dilecto filio fratri Riccardo de domo militie Templi eiusdem ecclesie nomine pro nostra et apostolice sedis reverentia mutuo concedatis, restituendas vobis plenarie saltem usque ad sex menses post receptionem presentium de subsidio ecclesie Anglicane. Nos enim etc. usque: collectam[a] per eundem fratrem Parisius ad satisfaciendum vobis non differant destinare. Preces igitur et mandatum nostrum in hac parte taliter implere curetis, quod in huius necessitatis articulo per effectum operis ostendatis, quantum cupitis nos in vestris et monasterii vestri oportunitatibus favorabiles et propitios invenire. Ut autem eo promptius et securius quod petimus impleatis, quo de indempnitate vestra et eiusdem monasterii fueritis per cautionem apostolicam certiores: ad persolvendam in termino qui ad hoc prefixus fuerit illam pecunie quantitatem, quam fratri predicto eiusdem ecclesie Romane nomine pro necessitate iamdicta duxeritis mutuandam, eandem ecclesiam de fratrum nostrorum consilio per presentes litteras obligamus.

Dat. Lateran. VIII Idus Novembr. anno XIIII.

In eundem modum . . abbati[1] et conventui Sancti Dionisii Parisiensis diocesis.

In eundem modum . . abbati Sancti Germani de Pratis Parisiensis[2].

In eundem modum . . abbati et conventui Sancti Martini de Campis Parisiensis[3].

In eundem modum . . abbati et conventui de Fossato Parisiensis diocesis[4].

In eundem modum . . abbati et conventui Sancte Columbe Senonensis diocesis[5].

In eundem modum . . abbati et conventui de Ferrariis Senonensis diocesis[6].

In eundem modum . . abbati et conventui Sancti Benedicti super Ligerim Aurelianensis diocesis[7].

In eundem modum . . abbati et conventui Latiniaci Meldensis diocesis[8].

In eundem modum . . abbati[9] et conventui Sancti Remigii Remensis.

In eundem modum . . abbati[10] et conventui Sancti Medardi Suessionensis.

In eundem modum . . abbati et conventui Sancti Petri de Compendio Suessionensis diocesis[11].

In eundem modum . . abbati[12] et conventui Sancti Petri Carnotensis.

In eundem modum . . abbati et conventui Premonstratensi.

In eundem modum . . abbati[13] et conventui Sancti Auberti Cameracensis.

In eundem modum . . abbati[14] et conventui Sancti Eligii Noviomensis.

In eundem modum . . abbati et conventui Sancti Richerii Ambianensis diocesis[15].

In eundem modum . . abbati[16] et conventui de Corberia Ambianensis diocesis.

In eundem modum . . abbati et conventui de Becco Rothomagensis diocesis[17].

In eundem modum . . abbati et conventui de Caritate[18].

In eundem modum . . abbati et conventui de Domo Dei[19].

a) *Sed verba* ad solvendum — obligantes *in authentico extitisse non possunt, cum infra sequantur.*

1) *Ottoni IV.* 2) *Simoni.* 3) *Secundum Gall. Christ. t. VII, col. 515 prioratus ordinis Cluniacensis ibidem extitit, cui Errardus tunc temporis praeerat.* 4) *Prope Matronam a Parisiis ad meridiem et orientem; abbas Nicolaus.* 5) *Iuxta civ. Senonensem; abbas Henricus.* 6) *Ferrières prope civ. Montargis; abbas Wilhelmus.* 7) *Fleury supra Aurelianum; abbas Iohannes.* 8) *Lagny ad Matronam, quod secundum Gall. Christ. t. VII, col. 490 ad diocesim Parisiensem pertinebat; abbas Wilhelmus.* 9) *Petro.* 10) *Reginaldo II.* 11) *Secundum Gall. Christ. t. IX, col. 435 monasterium S. Cornelio dedicatum erat; abbas Radulfus a. 1240 mortuus est.* 12) *Giloni.* 13) *Wilhelmo.* 14) *Roberto.* 15) *Ex oriente civ. Abbeville; abbas Walterus.* 16) *Hugoni II.* 17) *A civ. Rotomagensi ad meridiem et occidentem; abbas Henricus.* 18) *Caritatem in Bisuntina dioc. a civ. Vesont ad meridiem et occidentem sitam innuere videtur; abbas Amadeus.* 19) *In dioc. Bituricensi prope civ. St. Amand.; abbas Petrus.*

In eundem modum . . abbati et conventui Fiscannensi[1].

In eundem modum . . abbati et conventui Dolensi[2].

In eundem modum . . abbati et conventui Sancti Martini Laudunensis pro duobus milibus librarum Turonensium.

In eundem modum . . preceptori et fratribus domorum militie Templi in Francia pro duobus milibus marcarum.

In eundem modum . . preceptori et fratribus domorum Hospitalis Ierosolimitani in Francia pro totidem.

In eundem modum . . Ottoni Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diacono cardinali, apostolice sedis legato, usque: incurrisse, discretionem tuam monemus et hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus, sicut diligis honorem apostolice sedis et nostrum, pecuniam in Anglie, Scotie ac Ybernie regnis pro ecclesie collectam subsidio et etiam colligendam[a] dilecto filio fratri Riccardo de domo militie Templi, ad satisfaciendum de ipsa creditoribus antedictis apud domum eiusdem militie Parisius per ipsum fideliter deferendam, procures quantocius assignare[3], ita quod ex dilatione solutionis huiusmodi sedes apostolica dispendium non incurrat, nosque sollicitudinem tuam exinde in Domino commendemus, rescripturus nobis quid et quantum eidem fratri duxeris assignandum.

Dat. Lateran. VIII Idus Novembr. anno XIIII.

In eundem fere modum magistro Petro Rubeo clerico nostro usque: commendemus. Quocirca mandamus, quatinus legatum ipsum ad id sollicitans attentius et exhortans studio diligenti procures, quod mandatum nostrum super hoc efficaciter impleatur, ita quod diligentia tua exinde valeat commendari.

In eundem modum magistro Petro de Supino[b] scriptori nostro.

788.

Gregorius IX papa capitulo Anconitano et clero civitatis et diocesis Anconitanae significat, se [Marcellino] episcopo Aretino, qui a Friderico dicto imperatore redditibus episcopalibus spoliatus sit, proventus episcopatus Anconitani concessisse; monet, ut eosdem ei exhibere curent. *1240, Nov. 7.*

Greg. IX Reg. Vol. VII, 33; Lib. XIV, 181.

Capitulo Anconitano et clero civitatis et diocesis Anconitane.

Venerabilis frater noster . . episcopus Aretinus, nequaquam sincere devotionis et fidei quam semper circa sedem apostolicam observavit oblitus, potius a Friderico dicto imperatore, Dei et ecclesie inimico, persecutiones et alia temporalium rerum dispendia sustinere voluit, quam ab ipsa devotione in aliquo declinaret; propter quod nos, sustinere nolentes quod idem, qui per dictum Fridericum redditibus suis episcopalibus est penitus spoliatus, in episcopalis dignitatis et apostolice sedis opprobrium mendicare cogatur, presertim cum ipsum pro negotiis ecclesie in Marchia morari mandemus, ei proventus episcopatus Anconitani pro sustentatione sua usque ad nostrum beneplacitum duximus concedendos. Quocirca universitatem vestram mone-

a) colligenda *R.* b) Supiñ *R.*

1) *Fecamp ex septentrione civ. Le Havre in ora maritima; abbas Wilhelmus III.* 2) *In dioc. Bituricensi ad flumen Indre iuxta civ. Chateauroux.* 3) *Cf. n. 784, I.*

mus, quatinus eidem episcopo proventus predictos exhibere curetis. Alioquin sententiam, quam idem propter hoc rite tulerit in rebelles, ratam habebimus et usque ad satisfactionem condignam faciemus actore Domino inviolabiliter observari.

Dat. Lateran. VII Idus Novembr. anno XIIII.

789.

Gregorius IX papa [Iacobo] episcopo Humanati scribit, se castrum Recanate a iurisdictione ecclesiae Humanatis exemisse et sedem Auximanam illuc transferendam duxisse; interim autem ei indulget, ut omnes proventus episcopales ibidem percipiat.

1240, Nov. 15.

Greg. IX Reg. Vol. VII, 31; Lib. XIV, 170.
Cappelletti, Le Chiese d'Italia, t. VII, p. 97.

. . episcopo Humanati.

Attendentes constantiam et sinceritatem devotionis et fidei, quam dilecti filii consilium et populus Racanatensis in fidelitate apostolice sedis contra Fridericum dictum imperatorem observasse noscuntur, et detestantes proditionem populi Auximani, qui dicto Friderico fidem et libertatem ecclesiasticam persequenti dampnabiliter adheserunt, castrum Racanate a iurisdictione Humanatensis ecclesie eximimus et sedem Auximanam cum omnibus iuribus et pertinentiis suis ad castrum ipsum duximus transferendam[1], ita tamen ut in recompensatione iurium, que Humanas ecclesia in dicto castro obtinuit, sibi aliquam partem Auximane diocesis, cum expedire viderimus, assignare possimus. Interim autem tibi et ecclesie tue quantum cum Deo possumus providere volentes, fraternitati tue, quod omnes proventus episcopales in dicto castro usque ad beneplacitum nostrum percipere valeas, auctoritate presentium indulgemus[2].

Dat. Lateran. XVII Kal. Decemb. anno XIIII.

790.

Gregorius IX papa dominis castri Frusinonis dominium, consulatum et medietatem proventuum castri eiusdem, quibus R[ichardus] diaconus cardinalis Iohannem Capuaciam eorum syndicum olim investiverit, confirmat. *1240, Dec. 4.*

Greg. IX Reg. Vol. VII, 32; Lib. XIV, 179.

Nobilibus viris dominis castri Frusinonis Verulane diocesis.

Iustis petentium etc. usque: complere. Ex vestra siquidem relatione accepimus, quod cum dominio, consulatu et medietate proventuum castri Frusinonis fuissetis olim per quosdam balivos Romane curie contra iustitiam spoliati, dilectus filius noster R. Sancti Angeli diaconus cardinalis, Campanie Maritimeque rector, predicta vobis de

---

1) *Cf. n. 779 et 797.* 2) *Innocentius IV papa a. 1247, Oct. 13 episcopo Humanati spiritualia et temporalia iura villae Auximanae in recompensationem castri Recanatensis submisit, Potthast, Reg. 12726; qui tamen hanc epistolam errore Ughelli seductus etiam Gregorio IX ascripsit eamque sub a. 1240, Mai. 22, Iun. 21 [10900] et Dec. 22 [10976] posuit; cf. Cappelletti, l. c. t. VII, p. 99.*

mandato nostro restituens Iohannem Capuaciam sindicum vestrum de hiis omnibus vestro nomine investivit, prout in instrumento publico inde confecto dicitur contineri. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, quod ab eodem cardinali factum est in hac parte, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo — nostre confirmationis etc. Si quis autem etc.

Dat. Lateran. II Non. Dec. anno XIIII.

791.

Instrumentum, quo inter Gregorium de Romania, apostolicae sedis legatum, et Henricum syndicum et consiliarios Ianuenses ordinatur, quot et quales naves pro praelatis ad concilium portandis et reducendis a Ianuensibus praeparari et quanta pecunia pro singulis a sede apostolica solvi debeat. *1240, Dec. 6.*

Greg. IX Reg. Vol. VII, 57–58; in appendice sub n. 781 commemorata post n. 793; cf. n. 781. Huillard-Bréholles, l. c. t. V. p. 1062 ex Coll. La Porte du Theil, qui nonnullos Reg. errores, quos Pertzius annotavit, suo arbitratu corrigens, alios perperam et negligenter legendo introduxit.

Transcriptum instrumentorum super apparatu navigii.

In Christi nomine amen. Cum dominus Gregorius de Romania, apostolice sedis legatus, pro domino papa ex speciali mandato domini pape petiisset a communi Ianuensium, quatinus eidem pro domino papa seu aliis nuntiis domini pape expensis eiusdem concederet galeas et taridas armatas pro conducendis et reducendis prelatis ecclesiarum et aliis personis ad generale concilium per ipsum summum pontificem faciendum, dictus dominus legatus nomine et vice ipsius summi pontificis ex una parte et Henricus filius quondam Guillielmi, sindicus communis Ianuensis ad hoc specialiter constitutus per . . potestatem[1] et consiliarios Ianuenses, vocatos et congregatos ad ipsum consilium per cornu et campanam more solito, nec non et ipsi consiliarii ex alia inter se super predictis galeis et taridis et armamentis earum concedendis ipsi domino pape vel eius nuntiis seu nuntio taliter convenerunt: videlicet quia dictus sindicus pro ipso communi promisit ipsi legato recipienti nomine summi pontificis concedere et prestare ipsi domino pape seu eius nuntiis galeas decem armatas pro portandis prelatis et aliis ad concilium et reducendis, hoc modo videlicet quod in qualibet galea erunt nauclerii et superiores centum octo et subtani XXVI[2] et supersalientes XL[3], computatis in hiis supersalientibus naucleriis IIII et comito uno, petentario[4] uno et balistariis X, quorum balistariorum quilibet habeat duas balistas, unam de cornu et aliam de ligno, et in qualibet galea sit balista una de turno[5] et munitiones XXX ferri; et predicta concedet et prestabit commune Ianuensium pro mercede seu pretio librarum CCLXXV pro unaquaque galea et pro quolibet mense, ad omnes expensas communis Ianuensis domino papa vel eius nuntiis seu domino legato pro ipso domino papa faciente solutionem de mercede seu pretio supradicto communi Ianuensium pro duobus mensibus, et hoc ante per mensem quam ipse

1) *Henricum de Modoetia.* 2) *'Subtanos' inferiorem remigum ordinem obtinuisse, in 'superioribus' autem et remiges in ordine superiore sedentes et nautas, quibus armamentorum cura erat, comprehensos esse putamus.* 3) *Armati navi praesidio dati, quibus naucleri et comitus sive comes praefuerunt.* 4) *Sive* pitantiario, *distributore cibariorum.* 5) *Gallice 'arbaleste à tour', balista maior, cuius nervus per rotationem machinamenti cuiusdam intendebatur.*

galee armentur; hoc salvo quod si dominus legatus vellet diminuere de supersalientibus vel subtanis, qui esse debebunt in predictis galeis, debeat diminui de ipsa mercede et pretio hoc modo, scilicet pro quolibet supersaliente sol. XXXV Ianuensium et pro quolibet subtano sol. XVIII per mensem, et si forte supersalientes vel subtanos in dictis galeis vel aliqua earum vellet addere, solvat et solvere teneatur idem legatus ultra supradictam mercedem et pretium sol. XXXV pro quolibet supersaliente addito per mensem et pro quolibet subtano addito sol. XVIII per mensem, computatis solidis et vianda.

Item promisit et convenit dictus sindicus pro ipso communi dicto legato concedere et prestare eidem domino pape vel eius nuntiis seu ipsi legato pro ipso domino papa taridas decem, que erunt guarnite hoc modo, quia in qualibet erunt homines XXV muniti ad ferrum, qui habebunt servitores duos, et inter ipsos erunt nauclerii duo, dicto domino papa seu eius nuntiis aut domino legato pro eo solvente dicto communi pro mercede seu naulo uniuscuiusque taride et vianda et conductu marinariorum libras LXXXVI per mensem, ita quod de duobus mensibus fiat primo solutio communi Ianuensium ante per mensem unum quam armentur.

Item solvere debet dominus papa seu eius nuntius pro eo dicto communi pro magisterio et apertura[1] uniuscuiusque taride libras XXVI Ianuensium semel tantum; salvo quod si dominus legatus seu nuntii domini pape vellent addere voglerios[a] in dictis taridis vel aliqua earum, debeat dominus legatus seu dominus papa addere pro unoquoque sol. XXX Ianuensium per mensem, et commune dare teneatur et debeat quot vellet addere ad eandem rationem.

Item dictus sindicus promisit pro ipso communi ipsi legato nomine summi pontificis recipienti dimittere ipsas galeas et taridas ipsi seu nuntiis domini pape ultra duos menses ad voluntatem domini pape pro consimili pretio et mercede, prout superius dictum est, et quod[b] galee et taride ipsi legato seu nuntiis domini pape tradi debent et conduci usque Romam, si placuerit illis qui portabuntur et recipientur apud Nitiam vel in aliis locis, in quibus secure prelati et alii vocati ad concilium venire possint.

Item dictus sindicus promisit nomine communis Ianuensis domino legato recipienti nomine domini pape, quod commune Ianue parabit galeas sex et taridas sex ultra predictas galeas X et[c] taridas X, pro quibus dominus papa seu ecclesia Romana nichil solvere debet, nisi voluerit eas accipere et habere, preterquam pro apertura uniuscuiusque taride libras XXVI, acto specialiter quod quando dominus papa sive eius nuntii solvent mercedem et pretium aliarum galearum X et taridarum X, si[d] dixerit, quod nolit habere vel accipere has galeas VI et taridas VI, commune Ianue pro ipsis sex galeis et sex taridis nichil facere debeat set sit absolutum a prestatione earundem, et si dixerit, quod velit eas habere, debet solvere communi pro eis et qualibet earum, secundum quod de aliis X galeis et X taridis superius dictum est.

Item dictus sindicus nomine communis Ianue confitetur se recepisse a dicto legato pro solutione dicti logerii, mercedis seu pretii et pro arris et magisterio dictarum galearum X et taridarum XVI[2] libras tria milia quingentas quinquaginta Ianuensium, de quibus se bene quietum et solutum nomine communis Ianue vocat a dicto legato, renuntians exceptioni non numerate pecunie et omni iuri, computatis ipsis tribus milibus quingentis quinquaginta libris in M marcis argenti, salvo quod

a) *leg.* voglierios, *i. e. remiges.* b) que *R.* c) et *deest in R.* d) si *deest in R.*

1) *Et 'magisterium' et 'aperturam', qui termini technici promiscue infra ponuntur, operam artificum, antequam naves egredi possunt necessariam, significare patet: vid. infra* in preparatione, hoc est in apertura. 2) *Recte ita, quia pecunia pro apertura taridarum sex, etiamsi papa eas habere noluerit, utique solvi debuit.*

si minus valent dicte libre tria milia quingente quingaginta [a], libras promisit legatus supplere communi.

Item convenit et promisit supradictus sindicus nomine communis Ianuensium ipsi domino legato recipienti nomine domini pape eligere duos viros, quibus et in quorum potestate tradet pecuniam supradictam et aliam que solvetur usque ad concurrentem quantitatem ipse dominus legatus vel nuntii domini pape, pro ea expendenda in dictis galeis et taridis et apparatibus earundem et non in aliis negotiis, nisi esset de voluntate domini pape vel nuntiorum eius ad hoc constitutorum vel ipsius legati. Supradictam vero mercedem et pretium dictarum galearum et taridarum, secundum quod superius dictum est, ultra dictas libras tria milia quingentas quinquaginta, que debent computari in ipsa mercede et pretio, debet habere commune Ianue ante per mensem unum quam ipse galee et taride armentur, prout superius dictum est.

Item actum est inter ipsas partes, quod si supradicte galee et taride non essent necessarie pro supradictis prelatis et aliis ducendis et reducendis, dicte [b] libre tria milia quingente quinquaginta et alia pecunia, que soluta esset, computentur pro illa pecunia et in illa, que debet dari a domino papa pro navibus, galeis et usceriis intrandis in regnum, illo salvo quod libre XXVI, que expenderentur in preparatione, hoc est in apertura, uniuscuiusque taridarum, non debeant [c] computari in pecunia, que dari debet pro galeis, navibus et uscheriis intrandis in regnum.

Item actum est inter ipsas partes, quod si naves, galee et uscherii non essent necessarie pro invasione regni, debet cedere pecunia, que soluta esset communi Ianuensium, in lucrum communis Ianue et eiusdem communis esse.

Predicta omnia et singula supradictus sindicus nomine communis Ianue promisit ipsi domino legato recipienti nomine summi pontificis attendere, complere et observare et in nullo contravenire sub pena marcarum quinque milium argenti stipulata et promissa, pro qua pena et ad [d] sic observandum omnia bona communis eiusdem pignori obligavit. Insuper iuravit idem sindicus in animam potestatis et consiliariorum Ianue omnia et singula attendere et observare et complere, et quod potestas sequenti successori suo dimittet per speciale sacramentum et teneamen, quod omnia supradicta et singula observare debeat et teneatur. Versa vice dictus dominus legatus auctoritate et licentia sibi concessa a domino papa, cuius licentie [e] tenor est inferius descriptus: 'Gregorius episcopus etc.' [1], nomine et vice summi pontificis et promisit et convenit dicto sindico nomine communis Ianue attendere, complere et observare omnia et singula, quecumque superius scripta sunt, et [f] ipsum dominum papam vel eius nuntios facere debere sub pena marcarum X milium argenti [g] stipulata et promissa a dicto legato nomine summi pontificis, pro qua pecunia et ad sic observandum universa bona ecclesie Romane pignori obligavit dicto communi. Ad que omnia et singula supradicta dictus Henricus creatus fuit sindicus in consilio facto, recepta potestate a dictis potestate et consiliariis iurandi in animam ipsorum, ut dictum est.

Acta sunt hec Ianue in palatio Furnariorum, ubi curia tenetur. Testes: Obertus Ruxius iudex, Guilliełmus de Quinto iudex, Henricus Maluxellus, Fredericus de Predis, Ianonus de Porta scriba, magister Petrus de Guarcino domini pape scriptor, Gufredus de Tanasisis de Mediolano, fratre N. [2] teste. Die Iovis, VIII Idus Decembr.

Que [3] omnia vobis non potui mittere publicata propter festinantiam, tamen de omnibus fecimus fieri publica instrumenta.

---

a) *secundum apogr. Pertzii in R. ita scriptum:* III MVC; *deest* L. b) quod dicte *R.* c) debeat *R.* d) ad *deest in R.* e) licentia *R.* f) et *deest in R.* g) X argenti *R.*

1) *n. 784, I.* 2) *Ut videtur* Nicolao, *de quo sub n. 784.* 3) *Annotatio Gregorii de Romania: cf. n. 792.*

792.

G[regorius] de Romania Gregorio IX papae pacta de apparatu navigii facta [n. 791] transmittit et de pecunia soluta et solvenda rationem reddit.

1240, Dec. 9.

Greg. IX Reg. Vol VII, 57; in appendice sub n. 781 commemorata post n. 784, VI. Huillard-Bréholles, l. c. t. V, p. 1061 ex Coll. La Porte du Theil.

Littere ipsius legati super obligatione possessionum ecclesiarum Ianuensium.

Sanctissimo in Christo patri et domino, domino G., Dei gratia sacrosancte Romane ecclesie summo pontifici, G. de Romania devotus vester se ipsum ad pedes. Veniens Ianuam frater Nicolaus proposuit, quod omnino volebatis, ut galeas, usceria et alia vasa pro portandis et reportandis prelatis et aliis ad concilium venientibus a communi Ianue conducere procurarem, pro servandis promissis a communitate predicta sufficienti cautione recepta. Quod cum quanto labore et angustia peregerim cum consilio omnium illorum, quos in vestris litteris expressistis, verbis brevibus non posset aliquatenus explicari, cum multi vellent negotium impedire, sine quorum consilio illud non poterat consumari. Super hiis omnibus nichil operari poteram, nisi primo solverem communi Ianue mille marcas pro apparatu galearum et taridarum, quas computant in conventione et solutione, de quibus mille marcis habui tria milia quingentas[a] et quinquaginta libras Ianuensium, quas solvi eis, et ducentas libras Ianuensium dedi mercatoribus, qui mutuaverunt dictas marcas, pro expensis; pro quibus marcis prelati Ianuenses possessiones suas ipsis mercatoribus obligarunt. Et scripsi domino . . episcopo Penestrino[1], apostolice sedis legato, ut solvat quinque milia marcarum argenti et quinquaginta septem, quas quinquaginta septem promisi mercatoribus pro salario eorum, computatis istis mille marcis quas recepi; et mercatores tenentur dare Ianue nuntiis vestris infra mensem post receptionem in Francia duo milia marcarum et ad alium mensem alia duo milia marcarum[2]; et si ista pecunia ad istud negotium non erit tota necessaria, de residuo fiet quod placuerit vobis. Pacta facta super negotio supradicto sanctitati vestre mitto presentibus interclusa. Ad hec pro munere totius servitii, quod vobis et ecclesie Romane feci, instanter peto et obnixe deposco, ut mihi nolenti apud Ianuam alterius commorari redeundi licentiam tribuatis. Habeatis recommendatum magistrum Petrum de Guarcino super ecclesia sancti Xisti Ianuensis, pro quo vobis alia vice supplicavi.

Dat. Ianue, V Idus Decemb.

793.

Litterae 1) I[ohannis] archiepiscopi Ianuensis, 2) R. abbatis Sancti Stephani Ianuensis, 3) P. praepositi Sanctae Mariae de Vineis Ianuensis, 4) fratris Algisii

a) quingentarum *apogr. Pertzii et H. B.*

1) *Iacobo.* 2) *Haec ratio ita intelligenda est: episcopus Praenestinus 5057 marcas mercatoribus Ianuensibus solvere debet, quarum iidem 57, i. e. 200 libras Ian., tribus libris et dimidia circiter pro una marca computatis, pro salario sive expensis retinebant, 1000 marcas, i. e. 3550 libras, pro redimendis obligatis praelatorum possessionibus recipient et 1000 marcas quae supersunt nuntiis papae terminis praefixis assignabant.*

ordinis Praedicatorum ad Gregorium IX papam directae, quibus testantur negotium navium a Gregorio de Romania, apostolicae sedis legato, bene consummatum esse.

1240, Dec.

Greg. IX Reg. Vol. VII. 57; in appendice sub. n. 781 commemorata post n. 792.

I.

Littere testimoniales . . archiepiscopi Ianuensis super apparatu navigii.

Beatissimo patri et sanctissimo domino G., Dei providentia pontifici summo, I. divina miseratione Ianuensis ecclesie minister immeritus tam promptum semper quam debitum ad omnia famulatum. Beatitudini vestre presentibus litteris innotescat, quod dominus G. de Romania, apostolice sedis legatus, consilio domini . . patriarche Ierosolimitani [1] et plurium sapientum, consilio quoque et auxilio meo, pecunia mutuo accepta a quibusdam Ianuensibus, de galeis, taridis, usceriis et aliis navigiis necessariis ita bene providit, quod quando ecclesiarum prelati venient ad vestram presentiam pro concilio celebrando, predicta navigia invenient Ianue optime preparata.

II.

Littere testimoniales . . abbatis Sancti Stephani Ianuensis super eodem.

Sanctissimo in Christo patri et reverentissimo domino Gregorio, sacrosancte Romane ecclesie summo pontifici, R. Sancti Stephani Ianuensis abbas immeritus semetipsum ad pedes. Sanctitati vestre humili cum devotione significo, quod conventioni, quam fecit dominus Gregorius de Romania, ecclesie Romane legatus, cum . . potestate [2] et communi Ianue super conductione et armamento galearum et taredarum, prout in eiusdem legati litteris viderit vestra sublimitas contineri, parvitas mea interfuit, et me semper presente idem legatus diligenti cura et sollicitudine laboravit, neque conventionem ipsam potuit facere meliorem, immo hec eadem fuit multa cum difficultate obtenta propter quosdam emulos ecclesie, qui pro suis viribus restiterunt.

III.

Littere testimoniales . . prepositi Sancte Marie de Vineis super eodem.

Beatissimo patri et domino Gregorio, sancte et universalis ecclesie summo pontifici, P. dictus prepositus ecclesie sancte Marie de Vineis Ianuensis ad pedum oscula beatorum. Sanctitati vestre presentibus innotesco, quod dominus G. de Romania, sedis apostolice legatus, cum multa et magna diligentia et cautela negotium galearum et taredarum habito consilio cum multis sapientibus et religiosis clericis et mecum fideliter pertractavit. Licet enim Ianuenses quidam laici vellent illud negotium impedire, tamen consummatum est Domino concedente, et de hoc idem legatus valde est commendandus, et ipsi de hoc possumus reddere bonum testimonium et verum.

---

1) *Roberti.* 2) *Henrico de Modoetia.*

IV.

Littere testimoniales fratris Algisii fratrum Predicatorum super eodem.

Sanctissimo patri et[a] domino G., sacrosancte Romane ecclesie summo pontifici, frater Algisius fratrum Predicatorum de Ianua pedum oscula beatorum. Significo sanctitati vestre, quoniam dominus Gregorius de Romania, legatus vester et venerabilis pater meus et fratrum meorum, quicquid fecit de galeis et taredis, fecit de consilio meo et fratrum, et in eo negotio cum multa subtilitate, diligentia et discretione processit; et auxiliante Domino factum est illud negotium, tamen cum multa ipsius domini G. difficultate et omnium illorum quorum consilio et auxilio iuvabatur. Sollicitus autem fui de vestro negotio filius vester et servus vester, desiderans vestram in omnibus facere voluntatem.

794.

Gregorius IX papa fidelibus suis marchiae Anconitanae mandat, ut [Marcellino] episcopo Aretino, quem iis pro S[inibaldo] presbytero cardinali in rectorem providerit, fideliter obediant. *1240, Dec. 12.*

Greg. IX Reg. Vol. VII, 33; Lib. XIV, 181.

Universis fidelibus nostris per Anconitanam marchiam constitutis.

Sinceritatem devotionis et fidei ac prudentiam venerabilis fratris nostri . . episcopi Aretini in multis negotiis apostolice sedis experti, spem de ipso grandem assumimus, ut ea, que sue committenda industrie de preteritis sumpta fiducia deputamus, sic fideliter promoveat, sic discrete disponat, quod exinde ecclesie Romane honor consurgat et comodum et felicem progressum accipiat exaltatio subditorum. Hinc est, quod cum dilectus filius noster S. tituli Sancti Laurentii in Lucina presbyter cardinalis nuper ad presentiam nostram de Marchia rediens apud sedem apostolicam pro urgentibus et arduis ipsius negotiis ad presens remanere cogatur, nos dictum episcopum vestre provincie interim in rectorem duximus providendum. Quocirca universitatem vestram rogamus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus ipsum cum honorificentia debita, immo nos in eo recipere et mandatis eius prompte ac fideliter obedire curetis. Alioquin penam, quam spiritualiter et temporaliter rite propter hoc dictaverit in rebelles, ratam habebimus et faciemus actore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Dat. Lateran. II Idus Decembr. anno XIIII.

795.

Gregorius IX papa archiepiscopis et aliis praelatis Sclavoniae mandat, ut [Marcellino] episcopo Aretino pro ecclesiae negotiis in marchia Anconitana remanenti in procurationibus congrue subveniant. *1240, Dec. 12.*

Greg. IX Reg. Vol. VII, 33; Lib. XIV, 182.

a) et *deest in R.*

Archiepiscopis et episcopis et aliis ecclesiarum prelatis per Sclavoniam constitutis.

Cum venerabilis frater noster . . episcopus Aretinus pro ecclesie Romane negotiis in marchia Anconitana de mandato nostro remanere cogatur, universitati vestre presentium auctoritate districte precipiendo mandamus, quatinus ei in procurationibus congrue subvenire curetis. Alioquin sententiam, quam idem propter hoc rite tulerit in rebelles, ratam habebimus et usque ad satisfactionem condignam faciemus actore Domino inviolabiliter observari[1].

Dat. ut supra.

796.

Gregorius IX papa [Uffoni] archiepiscopo Lundensi et suffraganeis eius mandat, ut populos sibi subditos ad cruciatam contra infideles Estoniam infestantes inducant.

1240, Dec. 14.

Greg. IX Reg. Vol. VII, 33; Lib. XIV, 185. Proponimus epistolam ex Rayn. Ann. eccl. a. 1240 § 34 et ex apographo a V. Cl. A. Mau ex Reg. sumpto, qui per errorem quendam priorem epistolae partem descripsit, quam, licet parvi eius intersit, quia tamen alibi typis impressa non est, addendam putavimus.

Potthast, Reg. 10974.

Archiepiscopo Lundensi et suffraganeis suis.

Ad similitudinem Dei conditus et ad ipsius ymaginem homo factus, qui cum in honore esset, et invisibilia Dei per ea que facta sunt intellecta conspicere potuisset, sempiternam quoque virtutem ac divinitatem ipsius, ita ut excusationem aliquam non haberet: quia non intellexit comparatus iumentis insipientibus, illis similis est effectus et obscuratum insipiens cor eiusdem, ut mutans gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem ymaginis corruptibilis hominis et volucrum, quadrupedum et serpentum, elegit[a] creature quam creatori potius deservire. Et licet omnipotens Deus, ne ille periret ex toto quem inter ceteras creaturas extulerat privilegio dignitatis, exurgens propter miseriam inopum et gemitum pauperum, per fidem in sanguine ipsius pro- [Rom. 3,25.] pitiatorem proposuerit Iesum Christum propter remissionem precedentium delictorum, princeps tamen mundi huius quorundam infidelium mentes adeo excecavit, ut illuminatio evangelii in eos non valeat radiare, set adhuc infidelitatis tenebris obvoluti non solum nolint Dominum invocare, qui prope est omnibus invocantibus eum in veri- [Psal. 144,18.] tate, quia omnis quicunque invocaverit nomen Domini salvus erit, set etiam, sicut olim in filiis Abrae is qui secundum carnem genitus fuerat ex ancilla persequebatur illum qui secundum spiritum ex libera natus erat, ita et nunc filii Agar, id est infidelium populus, qui adhuc in tenebris ambulans necdum videre meruit lucem magnam, [Es. 9,2.] nos, qui iam non sumus filii ancille set libere, qua libertate Christus nos liberavit, persequi non desistant, qui sic evanuerunt in cogitationibus suis, ut ipsum, qui venit iugum captivitatis eorum dissolvere, nolint agnoscere redemptorem, ipso eos ineffabilis

a) *ita R.*

1) *Has litteras commemorans Innocentius IV papa a. 1246, Iul. 11 praelatis Sclavoniae idem mandavit; Potthast, Reg. 12218. Num episcopus Aretinus antea in Sclavonia legatus fuerit, nescimus.*

providentie sue consilio tolerante, ut vel ad eum redeant utendo felicius libertate arbitrii, vel demum iustas querelas non habeant contra ipsum tamdiu misericorditer expectati, necnon ut fidelibus ad exercitium virtutis existant, laborum suorum qui non perit fructum exinde habituris[a]. Cum igitur hii, qui in Estonie partibus per Dei gratiam ad fidem Christiani nominis sunt conversi, a barbaris circumstantibus multipliciter molestentur ac per hoc petant sibi a Christi fidelibus subveniri: fraternitatem vestram monemus et hortamur in Domino ac in remissionem vestrorum iniungimus peccatorum, quatenus subiectos vobis populos moneatis attentius et efficaciter inducatis, ut ad tante felicitatis bravium (Exod. 32,27.) properantes et ponentes cum Moyse gladium supra femur contra huiusmodi gentes idololatras et populum murmurantem currant in splendore armorum Domini, accincti (2 Tim. 2,5.) ad eius prelium preliandum, qui coronam legitime certantibus repromittit. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus vere penitentibus et confessis, tam crucesignatis vestrarum dioecesum pro succursu Terre Sancte volentibus vota sua in huiusmodi subsidium commutare, quam aliis earundem dioecesum, qui contra fidei nostre hostes ad partes illas accesserint, ibidem saltem per annum in huiusmodi Iesu Christi servitio moraturi, illam indulgentiam elargimur, que transeuntibus in Terre Sancte subsidium est concessa.

Dat. Later. XIX Kal. Ianuar. anno XIV.

797.

Gregorius IX papa clero et populo Recanatensi significat, se castrum Recanatense, quod civitatem esse statuat, a iurisdictione ecclesiae Humanatensis eximere eique dignitatem episcopalem concedere, sedem Auximanam a populo Auximano Friderico dicto imperatori adhaerente ad ecclesiam sancti Flaviani, quae de cetero cathedralis sit, transferendo.

1240, Dec. 22.

Greg. IX Reg. Vol. VII, 31; Lib. XIV, 189. Pertzii exemplar supplevimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1240, § 5.

Potthast, Reg. 10975; perperam etiam sub Iun. 21, n. 10899, eadem epistola posita est.

Clero et populo Racanatensi.

Recte considerationis examine libra presidentis appenditur, cum subditorum merita sic iusta extimatione pensantur, ut devotorum obsequiis retributio digna respondeat et opprobrii pena perpetui infidelium colla premat. Sic enim in bonorum beneficiis plures ad merita virtutum erigimus et in pravorum penis ceteris delinquendi audaciam prohibemus. Eapropter, dilecti[b] in domino filii, prout convenit attendentes quod in devotione ecclesie illam studuistis observare constantiam, quod nec dampna rerum vobis per Fridericum dictum imperatorem, Dei et ecclesie inimicum, illata nec pericula corporum vos a fidelitate sedis apostolice avertere potuerunt, et congruum extimantes ut castrum Racanatense, quod de cetero esse civitatem statuimus, grata honorificentia extollamus, de communi fratrum nostrorum consilio et assensu terre vestre, quam a iurisdictione ecclesie Humanatensis eximimus, episcopalem[c] concedimus dignitatem, a maledictionis filiis populo Auximano, qui dicto Friderico Dei ecclesiam persequenti divino timore postposito dampnabiliter adheserunt, ad ecclesiam sancti

a) *hucusque Mau.* b) dilecti — valeamus *ex Rayn.* c) episcopalem *deest in Reg.*

Flaviani de Racanato, quam de cetero cathedralem esse decernimus, Auximanam sedem cum omnibus iuribus suis, dignitatibus et honoribus transferentes, ita tamen ut cum expedire viderimus, Humanatensi ecclesie in recompensatione spiritualium et temporalium iurium, que in dicto castro et territorio eius obtinuit, assignare aliquam partem Auximane diocesis valeamus[1]. Nulli ergo — nostre constitutionis, exemptionis et concessionis etc. Si quis autem etc.

Dat. Lateran. XI Kal. Ianuar. anno XIIII.

798.

Gregorius IX papa [Raynaldo] episcopo quondam Auximano, nunc Recanatensi mandat, ut cum sedem Auximanam ad ecclesiam sancti Flaviani Recanatensis transtulerit, de clero, populo et dioecesi Recanatensi tanquam eorum episcopus diligentem sollicitudinem gerat. Cf. n. 797. *1241, Ian. 17.*

Greg. IX Reg. Vol. VII, 36; Lib. XIV, 203. Partem exemplar supplevimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1241, § 15.
Potthast. Reg. 10978.

.. episcopo quondam Auximano, nunc Racanati.

Ne in gregem Dominicum lupus irruens oves abigat, earum custodie sunt deputati pastores, qui deviantes dirigant, dispersas revocent languidasque sustentent. A prelatis itaque super ovibus sibi commissis est sollicite vigilandum, ne illarum cura neglecta grex absque custode luporum aggressibus pateat indefensus. Cum igitur attendentes[a] fidelitatem et devotionem dilectorum filiorum[b] cleri et populi Racanatensis ad sedem apostolicam habitam inconcusse, ac extimantes dignum ut benemeritis retributio grata succedat, terram ipsorum, quondam castrum, statuerimus esse de cetero civitatem, episcopalem dignitatem concedentes eidem, a maledictionis filiis populo Auximano exigente infidelitate ipsorum ad ecclesiam sancti Flaviani Racanatensis, quam deinceps esse decrevimus cathedralem, Auximanam sedem cum omnibus iuribus suis, dignitatibus et honoribus transferendo, cleri et populi terre ipsius eiusque diocesis, olim Auximane, cura tibi commissa: mandamus, quatenus ad predictam civitatem Racanatensem accedens, de clero et populo eius et dicta diocesi geras tanquam ipsorum episcopus sollicitudinem diligentem.

Dat. Lateran. XVI Kal. Febr. anno XIIII.

799.

Gregorius IX papa [Marcellino] episcopo Aretino mandat, ut eos de marchia Anconitana, qui propter favorem Friderico dicto imperatori exhibitum excommunicati ad sinum ecclesiae redire velint, cautione recepta absolvat. *1241, Ian. 18.*

Greg. IX Reg. Vol. VII, 35; Lib. XIV, 199.

a) attendentes — diligentem *ex Rayn.* b) dilecti filii *Rayn.*

1) *Cf. n. 789.*

. . episcopo Aretino, marchie Anconitane rectori.

Cum sicut de intimante percepimus nonnulli in Anconitana marchia constituti, qui propter favorem Friderico dicto imperatori exhibitum vinculo sunt excommunicationis astricti, ad sinum matris ecclesie redire desiderent: fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus per te ac alios, quos ad hoc idoneos esse cognoveris, de parendo super hiis mandatis ecclesie et quod in partem dicti Friderici ulterius non redibunt sufficienti ab eis cautione recepta, ipsis iuxta formam ecclesie beneficium absolutionis impendas.

Dat. Lateran. XV Kal. Februar. anno XIIII.

800.

Gregorius IX papa Gregorio de Montelongo subdiacono, apostolicae sedis legato, mandat, ut personaliter Venetias vel Torcellas accedens [Bertholdo] patriarchae Aquilegiensi, postquam ad sedem apostolicam iter arripuerit, munus absolutionis impendat humiliter postulanti. Cf. n. 763. *1241, Ian. 28.*

Greg. IX Reg. Lib. XIV, 212. Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1241, § 41. Potthast, Reg. 10980.

Gregorio de Montelongo subdiacono et notario nostro, apostolice sedis legato.

Cum patriarcha Aquilegensis, pro eo quod Friderico dicto imperatori[a], Dei et ecclesie inimico, iuste a nobis multis ex causis culpis suis exigentibus vinculo excommunicationis astricto, communicare presumpsit tam in divinis officiis quam in osculo et in mensa, et quia eundem excommunicare publice pretermisit, prout a nobis receperat in mandatis, quanquam hoc coram pluribus duxerit exequendum, ad nostram etiam presentiam, sicut sibi ex parte nostra mandatum fuerat, protinus non accedens, auctoritate nostra fuerit excommunicationis sententia innodatus: quia personas carissimorum filiorum nostrorum Bele Ungarie ac Colomani Ruthenorum regum illustrium, nepotum ipsius patriarche, supplicantium pro eodem speciali quadam prerogativa dilectionis et gratie amplexamur, eorum supplicationibus annuentes mandamus, quatenus postpositis omnibus personaliter accedens Venetias vel Torcellas[1] eidem patriarche, postquam ad presentiam nostram iter arripuerit veniendi, auctoritate nostra iuxta formam ecclesie munus absolutionis impendas humiliter postulanti.

Dat. Later. V Kal. Febr. anno XIV.

801.

Gregorius IX papa Iohanni de Civitella subdiacono commutandi vota crucesignatorum Ungariae in defensionem ecclesiae contra Fridericum dictum imperatorem facultatem concedit. *1241, Febr. 12.*

Greg. IX Reg. Vol. VII, 37; Lib. XIV, 217. Potthast, Reg. 10988.

a) imperatore *Rayn.*

1) *Torcello ex septentrione Venetiae.*

Iohanni de Civitella subdiacono et capellano nostro.

Cum tibi duxerimus iniungendum, ut contra Fridericum dictum imperatorem perditionis filium in Ungarie regno verbum crucis proponeres, et nonnulli in dicto regno in Terre Sancte subsidium susceperint signum crucis, ex quo impedimentum non modicum tuo proposito generatur: nos, attendentes quod tanto salubrius est apostolice sedi in hoc necessitatis articulo subvenire, quanto ipsa mater et caput fidei in gravius Christianitatis periculum impugnatur, devotioni tue, ut vota crucesignatorum ipsorum in defensionem ecclesie contra Fridericum eundem, si eorum ad id consensus accesserit, commutare valeas ac ipsis et reliquis redimentibus vota sua, dummodo expensas, quas facturi essent eundo in terram predictam, morando inibi et exinde redeundo, in manibus tuis et dilecti filii . . abbatis de Pelis[1] Cisterciensis ordinis et Benedicti canonici Strigoniensis assignent in defensionem huiusmodi transmittendas, illam possis indulgere veniam peccatorum, que predicte terre succurrentibus in generali concilio est concessa, liberam auctoritate presentium concedimus facultatem.

Dat. Lateran. II Id. Febr. anno XIIII.

802.

Gregorius IX papa [Iacobo] episcopo Eugubino concedit, ut ad castra ecclesiae suae contra [Fridericum] Dei inimicum defendenda bona episcopalia usque ad summam quingentarum librarum Proveniensium obliget.

1241. Febr. 18.

Greg. IX Reg. Vol. VII. 38—39; Lib. XIV, 226.

. . episcopo Eugubino.

Coram nobis et fratribus nostris ex parte tua extitit supplicatum, quod cum inimicus Dei et ecclesie, iurium ecclesiasticorum invasor assiduus, castra ecclesie tue occupare nitatur, ut eo gravius ecclesiam impugnare valeat, quo fortius ipsius ecclesie viribus quod absit roborabitur contra eam, nec habeas[a] ad presens, unde castra ipsa possis ad resistendum predicto inimico munire, providere tibi et Eugubine ecclesie super contrahendo mutuo pro munitione castrorum ipsorum et aliis tuis et eiusdem ecclesie necessitatibus misericorditer curaremus. Verum cum dilecti filii Henricus frater et Iohannes nepos tui dicti Tallentes, cives Romani, supplicationi huiusmodi interessent, consideratis predictis necessitatibus obtulerunt se paratos in nostra et eorundem fratrum presentia quingentas tibi libras Proveniensium[b] mutuare, si super ipsis eos servari faceremus indempnes. Volentes itaque super premissis tibi et ipsi Eugubine ecclesie providere ac indempnitati cavere civium predictorum, fraternitati tue obligandi propter necessitates easdem bona episcopalia eiusdem ecclesie prefatis civibus usque ad pretaxatam quantitatem pecunie plenam et liberam de premissorum fratrum consilio concedimus facultatem.

Dat. Lateran. XII Kal. Martii, [anno XIIII][c].

a) habeat *R.* b) provenien̄ *R.* c) anno XIIII *deest in R.*

1) *A civ. Gran ad meridiem et orientem.*

803.

Gregorius IX papa [Belam] regem Ungariae reprehendit, quod praelatis regni sui licentiam ad concilium eundi denegaverit, quasdam difficultates et viarum pericula praetexens, eique scribit de via tuta iam provisum esse. *1241, Febr. 26.*

Greg. IX Reg. Vol. VII, 51; in appendice sub n. 781 commemorata post n. 785. Edimus hanc epistolam ex Rayn. Ann. eccl. a. 1241, § 50—51, collatam cum Theiner, Mon. Ung. t. 1, p. 181, n. 333, qui Reg. exscripsit.
Potthast, Reg. 10995.

. . illustri regi Ungarie.

Si filius es ecclesie, immo quia eius es filius specialis, sicut infallibili[a] argu-
Ioh. 2,17 mento tenemus, non potest te non comedere zelus eius nec opprobria ulla exprobrantium et usurpantium iura eius equanimiter sustinere; usque adeo enim in timore divini nominis et ecclesiastice dignitatis reverentia te credimus radicatum, ut nichil a caritate ac devotione ipsius te valeat separare. Cum igitur cuius sit causa, que ad presens matri tue Romane ecclesie imminere dinoscitur, celsitudo regia non ignoret, cum sit proprie propria, non tam sponse ecclesie quam sponsi eius, videlicet Iesu Christi, cuius nomen, sine quo nullum nomen aliud est sub celo, in quo salvari oporteat, hostes eius extinguere moliuntur, propter quod tanto fortius quilibet princeps catholicus in adiutorium eius deberet assurgere, quanto fidei sue munimina in fundamento et fundatore ecclesie stabilita cernit apertius vitiari, et nos non tam pro quiete Romane ecclesie quam pro tranquillo statu cunctorum fidelium Iesu Christi concilium providerimus evocandum: non credebamus nec adhuc credere volumus, ab aliquo filiorum ecclesie et presertim a te, quem inter ceteros reges catholicos sinceritatis brachiis amplexamur, difficultatem aliquam ingerendam, set per te tepidos, si qui essent forte[b], ad hoc potius accendendos. Licet autem pro excusatione prelatorum regni Ungarie preces et litteras nobis duxeris destinandas, et nos, quia tibi et eis expedire non vidimus, magnificentie regie prout decuit duxerimus respondendum, si tamen ad te nostre littere pervenerunt: quia tamen eadem nuper per alias litteras tuas, quas benigne recepimus, nostris auribus inculcasti, quasdam difficultates et viarum pericula in eisdem litteris exprimendo, regalem excellentiam rogamus, monemus et hortamur attente, quatenus quid saluti, quid fame, quid honori tuo expediat prudenter attendens, egre non feras, si contra honorem tam nostrum quam tuum nequimus annuere postulatis, cum iam per Dei gratiam ita de via, qua tute ad sedem apostolicam accedere valeant, congrue sit provisum, quod per loca discriminis seu terras inimicorum ecclesie ipsos habere transitum nullatenus oportebit, super quo per nuntios nostros plene poterunt edoceri.

Dat. Lateran. IIII Kal. Martii, pontificatus nostri anno XIIII.

804.

Gregorius IX papa [Matthiae] episcopo Strigoniensi, qui obtentu viae periculosae ad concilium venire recusaverit, nuntiat de via tuta iam provisum esse, eique mandat, ut iuxta primi mandati tenorem veniat. *1241, Febr. 26.*

Greg. IX Reg. Vol. VII, 52: in appendice sub n. 781 commemorata post n. 803.
Potthast, Reg. 10994.

---

a) *T:* ineffabili *Rayn.* b) *T.:* fortius *Rayn.*

. . archiepiscopo Strigoniensi.

Virum secundum cor nostrum te invenisse credentes ac letari posse in te tamquam in Romane ecclesie filio speciali, Strigoniensem ecclesiam, nobile quidem ecclesie Dei membrum, tibi fiducialiter duximus committendam, sperantes quod in partem sollicitudinis evocatus sic nobiscum ingruente necessitate onera partireris, quod gloriari possemus nos vinee domini Sabaoth prefecisse cultorem utilem et nobis adiutorem idoneum assumpsisse. Set, quod non sine turbatione referimus, vulnus ab hoste non expectato ferentes, in instantis necessitatis articulo eidem ecclesie matri tue obsequium tue devotionis subducis, a cuius caritate persecutio nulla vel gladius, presentia vel futura te deberent aliquatenus separare. Licet igitur super excusatione tua de non veniendo ad concilium dudum quasdam nobis litteras destinaris, et nos tibi super hoc prout expedire vidimus duxerimus respondendum: quia tamen eadem nuper per alias litteras tuas nostris auribus inculcasti, quasdam difficultates et viarum pericula in eisdem litteris exprimendo, cum iam per Dei gratiam ita de via, qua tu et alii tute ad sedem apostolicam venire possitis, congrue sit provisum, quod per loca discriminis seu terras inimicorum ecclesie vos habere transitum nullatenus oportebit, super quo per nuntios nostros plene poteritis edoceri, volumus et per apostolica tibi scripta in virtute obedientie mandamus, quatinus iuxta primi mandati nostri tenorem venire ad concilium non postponas.

Dat. Lateran. IIII Kal. Martii, anno XIIII.

805.

Gregorius IX papa [Guillelmo Surdo] potestati et consilio Ianuensium mandat, ut cum [Iacobus] episcopus Praenestinus et O[tto] diaconus cardinalis cum praelatis ad concilium properantibus iam apud Lugdunum convenerint, ad locum, unde transitus fiat, naves paratas destinent. *1241, c. Mart.*[1]

Greg. IX Reg. Vol. VII, 59; in appendice sub n. 781 commemorata post n. 791.

. . potestati et consilio Ianuensium.

Intelleximus, quod venerabilis frater . . episcopus Penestrinus et dilectus filius noster O. Sancti Nicolai in Carcere [Tulliano][a] diaconus cardinalis, apostolice sedis legati, apud Lugdunum cum prelatis ecclesiarum de Ultramontanis partibus ad concilium properantibus convenerunt, ad locum ubi pro ipsorum transitu navigium paratum fuerit quantocius profecturi. Nos igitur de vobis tanquam specialibus et predilectis ecclesie Romane filiis sinceram in Domino fiduciam obtinentes, universitatem vestram rogamus et hortamur attente mandantes, quatinus, sicut honorem Dei et ecclesie gratiamque apostolice sedis et nostram diligitis, ad recipiendum legatos et prelatos eosdem cum galearum et vasorum multitudine occurrere festinetis, quod eos cum familiis et rebus necessariis eorundem deferre possitis auctore Deo commode ac secure, nosque vestre devotionis affectum et studium debeamus merito in Domino commendare.

[a]) Tulliano *deest in R.*

1) *Quo tempore praelati Lugdunum pervenerint, nescimus. Ut Ann. Ian. a. 1241, SS. t. XVIII, p. 194 narrant, mense Mart. naves Ianuenses ad eos recipiendos Niciam profectae sunt eosque April. 8 Ianuam perduxerunt. Fortasse epistola eodem die ac sequens data est.*

806.

Gregorius IX papa G[regorio] de Romania, apostolicae sedis legato, mandat, 1) ut cum sedecim galeae et totidem taridae pro praelatis ad concilium deferendis non sufficiant, una cum [Roberto] patriarcha Hierosolymitana de sufficiente navium quantitate provideat; 2) ut cum ecclesiae persecutor viginti quinque galeas praeparari fecerit, de sufficienti multitudine galearum bene munitarum provideat. *1241, Mart. 15.*

Greg. IX Reg. Vol. VII, 59; in appendice sub n. 781 commemorata post n. 805.
N. 1 ap. Potthast, Reg. 10998.

I.

. . G. de Romania subdiacono et capellano nostro, apostolice sedis legato.

Gratum gerimus et acceptum, sollicitudinis tue studium et circumspectionis industriam in Domino commendantes, quod in commissis tibi apostolice sedis negotiis per te hactenus divina faciente gratia laudabiliter est processum. Verum quia sedecim galeas et totidem taridas ad deferendum prelatos et eorum familias ac alios ad concilium accessuros cum rebus sibi necessariis minus sufficere arbitramur, mandamus, quatinus ne predictorum adventum propter defectum vasorum impediri contingat, cum sit melioris cautele in presentis necessitatis articulo in navigio habundare, adhuc cum consilio venerabilis fratris nostri . . patriarche Ierosolimitani ac aliorum qui sunt apud Ianuam ecclesie devotorum de ea quantitate vasorum, que plene sufficiant pro prelatis omnibus et aliis deferendis, sollicite studeas providere.

Dat. Lateran. Id. Martii, pontificatus nostri anno quartodecimo.

II.

Eidem.

Cum sicut accepimus ecclesie persecutor vigintiquinque galeas preparari fecerit ad impediendum transitum prelatorum, mandamus, quatinus de ea multitudine galearum bene munitarum quicquid contingat non differas providere, quod ad recipiendum prelatos eosdem potenter et viriliter occurratur, ita quod eis venientibus honorifice ac secure ante faciem ipsorum insidiatrix adversitas non audeat comparere.

Dat. ut supra.

807.

Gregorius IX papa Iohanni de Civitella subdiacono mandat, ut si [Briccius] episcopus Vesprimiensis propter corporis infirmitatem ad concilium venire nequeat, ei remanendi licentiam tribuat. *1241, Mart. 18.*

Greg. IX Reg. Vol. VII, 42; Lib. XIV, 253.

Iohanni de Civitella subdiacono et notario[a], capellano nostro.

Cum, sicut ex parte venerabilis fratris nostri . . Vesprimiensis episcopi nobis extitit intimatum, tam gravi corporis infirmitate laboret, quod personaliter ad concilium, quod Domino prosperante celebrare proponimus, venire non potest, presentium

a) Not *R.*

tibi auctoritate mandamus, quatinus, si est ita, eidem episcopo auctoritate nostra tribuas licentiam remanendi, ita tamen quod ad dictum concilium sollempnem nuntium destinare procuret.

Dat. Lateran. XV Kal. April. anno XIIII.

808.

Gregorius IX papa G[regorio] de Montelongo subdiacono, apostolicae sedis legato, mandat, ut si fieri possit, ad praesentiam suam revertatur. *1241, Mart. 19.*

Greg. IX Reg. Vol. VII, 12; Lib. XIV, 252.

G. de Montelongo subdiacono et notario nostro, apostolice sedis legato.

Quia grata nobis esset tua presentia, et forsan expediet, ut cum de statu Lombardie plenam obtineas veritatem, de hiis que in illa facta sunt aliquid in futuro concilio proponatur, volumus et monemus, ut si absque dispendio commissi tibi negotii et Lombardorum offensa fieri poterit, ad nostram presentiam revertaris.

Dat. Lateran. XIIII Kal. April. anno XIIII.

809.

Gregorius IX papa archidiacono, cantori et decano Wratislaviensi mandat, ut inquirant, utrum magister Wilhelmus canonicus Olomucensis an Conradus canonicus Hildeshemensis, fautor Friderici dicti imperatoris, legitime in episcopum Olomucensem electus sit. *1241, April. 13.*

Greg. IX Reg. Vol. VII, 66; Lib. XV, 20.
Potthast, Reg. 11002.

. . archidiacono, . . cantori et . . decano Wratislaviensi.

Sua nobis capitulum Olomucensis ecclesie petitione monstravit, quod nuper eadem ecclesia pastore vacante[1] iidem, prout spectat ad eos, ne sub diutina vacatione langueret, ad tractandum de futuri substitutione episcopi in capitulo convenerunt, et cum omnes per scrutinii formam in magistrum Willelmum eorum concanonicum, virum utique nobilem, litteratum, providum et honestum, in spiritualibus et temporalibus circumspectum, per cuius industriam dicta ecclesia de bono in melius creditur reformanda, concorditer consensissent, ipsum in Olomucensem episcopum elegerunt. Qui cum ad multam eorum instantiam electioni de se facte consenserit, Conradus canonicus Ildesemensis, fautor Friderici dicti imperatoris, Dei et ecclesie inimici, in episcopatum Olomucensem per laicalem potentiam se procuravit intrudi, qui spoliatis eorum domibus de ipsa ecclesia eiecit eosdem, et in ea fractis eius hostiis in ipsis bonis hostiliter debachatur. Quare prefatum capitulum nobis humiliter supplicavit, ut cum de ipsius electi meritis et eligentium votis apud sedem apostolicam non possit fieri certitudo, eidem ecclesie ac ipsis, qui per dictum intrusum bonis omnibus spoliati, experti

1) *De turbato episcopatus Olomucensis statu cf. Dudik, Gesch. v. Raygern, t. I, p. 190.*

vincula et carceres miserabiliter in dedecus ordinis clericalis mendicare coguntur, providere paterna sollicitudine curaremus. Cum igitur instantia nostra cotidiana sit omnium ecclesiarum sollicitudo continua, mandamus, quatinus super premissis inquirentes diligentius veritatem, si dictum Conradum taliter intrusum et electionem predicti magistri inveneritis de persona idonea canonice celebratam, prefatum Conradum ab eiusdem ecclesie regimine amovere et electionem ipsam auctoritate nostra confirmare curetis; si vero predictum Conradum electum canonice et electionem prefati Willelmi minus canonicam esse reperitis, ea rite cassata munus confirmationis Conrado impendatis eidem, contradictores etc. Ceterum, si quod[a] de utroque factum exstiterit, inveneritis perperam attemptatum, vos utrique sicut iustum fuerit silentium imponentes, faciatis predicte ecclesie de pastore, qui tanto congruat oneri et honori, per electionem canonicam provideri. Quod si non omnes etc.

Dat. Lateran. Id. Aprilis, pontificatus nostri anno decimoquinto.

810.

Gregorius IX papa potestati, consilio et populo Ferentinati poenam omnium suorum excessuum, quibus Romanam ecclesiam et comites Campaniae offenderint, remittit. *1241, Mai. 10.*

Greg. IX Reg. Vol. VII, 73; Lib. XV, 13.
Potthast, Reg. 11012.

. . potestati, consilio et populo Ferentinati spiritum consilii sanioris.

Intenta misericordie studiis mater ecclesia, que inter alios filios vos semper speciales habuit et iugiter habere proponit, invenitur libenter ad id sollicita, per que vobis salus adveniat et materia prosperitatis accrescat. Hinc est, quod nos, digne sperantes quia quo ab eadem ecclesia gratiam maiorem percipitis, eo libentius que ipsius honorem respiciunt per tempora facietis, omnium penam excessuum, quibus usque nunc Romanam ecclesiam et Campanie comites offendistis, vobis et adiutoribus vestris de fratrum nostrorum consilio relaxamus.

Data Lateran. VI Idus Maii, anno XV.

811.

Gregorius IX papa Huguicioni subdiacono mandat, ut Ferentinatibus, iuramento et obsidibus receptis, beneficium absolutionis impendat. Cf. n. 810. *1241, Mai. 10.*

Greg. IX Reg. Vol. VII, 74; Lib. XV, 14.
Potthast, Reg. 11013.

Huguicioni subdiacono et cappellano nostro.

Presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus a . . potestate, consilio et populo Ferentinati iuramento de stando mandatis ecclesie et viginti quatuor obsidibus, quorum duodecim ex militibus et reliqui ex popularibus sint, receptis ac eisdem in loco tuto locatis, dictis Ferentinatibus beneficium absolutionis impendas, iuramentum fidelitatis

a) quid *R.*

de novo ab eis postmodum recepturus. Hiis quidem peractis litteras nostras super relaxatione pene assignabis eisdem.

Dat. ut supra.

812.

I[ohannes] Arelatensis et P[etrus] Terraconensis archiepiscopi et nonnulli episcopi Gregorio IX papae scribunt, Mai. 3 pugna navali exorta, plurimos praelatos ad concilium accedentes a Pisanis et Siculis aliisque de mandato Friderici dicti imperatoris captos esse; rogant, ut ipsis, qui evaserint, praecipiat, quid sibi placuerit. *1241, Mai. 10.*

Greg. IX Reg. Vol. VII, 78; Lib. XV, 55. Tenorem epistolae damus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1241, § 58—59, inscriptionem a V. Cl. A. Mau nobis communicatam ex Reg. addentes.

Littere prelatorum Ispanie super captione legatorum sedis apostolice et quorundam aliorum prelatorum.

Sanctissimo patri et domino Gregorio, Dei gratia sacrosancte Romane ecclesie summo pontifici, I. Arelatensis et P. Terraconensis archiepiscopi, N.[1] Astoricensis, L.[2] Auriensis, M.[3] Salamantinensis, P.[4] Portugalensis et E.[5] Placentinus episcopi pedum oscula beatorum. Dolentes referimus et referendo nimium condolemus, quod cum nos et venerabiles in Christo patres Rotomagensis[6], Burdegalensis[7], Auxitanus[8], Bisuntinus[9] archiepiscopi, Carcassonensis[10], Agathensis[11], Neumasensis[12], Terdonensis[13], Astensis[14] et Papiensis[15] episcopi et nobilis Romeus, procurator et nuntius illustris comitis Provincie[16], ac quam plures alii prelati et procuratores nostrarum et aliarum diocesum ac provinciarum cum venerabilibus patribus atque dominis Iacobo episcopo Penestrino, Othone cardinali et Gregorio de Romania, apostolice sedis legatis, ad vestre sanctitatis presentiam in obedientia et devotione accedere iuxta vestrarum continentiam litterarum spretis sive postpositis quibuslibet difficultatibus, terroribus et periculis niteremur, die tertia mensis Maii navigium Pisanorum et Siculorum et quorundam aliorum de iurisdictione Friderici dicti imperatoris et de mandato eiusdem nobis se opposuit ex adverso[17], qui nos tam potenter et viriliter culpis nostris exigentibus expugnarunt, quod nobis exceptis et Romeo prefato et domino Compostellano[18], qui apud Portum Veneris[19] Ianuensis diocesis impeditus nondum venerat Ianuam, et quibusdam aliis prelatis, Bracharensi archiepiscopo[20] videlicet et Aniciensi episcopo[21] et paucis aliis de procuratoribus et familiis prelatorum, quos de iniquorum manibus Iesu Christi misericordia liberavit, quibusdam etiam gladio et submersione[22] peremptis, secum ceteros deduxerunt, sicut fertur et credimus vinculis mancipatos. Cum igitur mundus sit positus ultra quam excogitari valeat in maligno et universalis ecclesia in tribulatione maxima videatur, nisi Dominus nostri debeat extento brachio misereri, attendat vestra sanctitas et deliberet, qualiter sit in tante necessitatis articulo procedendum, et nobis precipiat, quod sibi placuerit, quia adversitate aliqua non obstante, que, cum bonis votis obicitur dilectionis vere probatio, non reprobationis indicium esse debet, in omni constantia ac firmitate nos noverit permansuros. Et licet propter

1) *Nuno.* 2) *Laurentius.* 3) *Martinus.* 4) *Petrus.* 5) *Aegidius.* 6) *Petrus.* 7) *Geraldus.* 8) *Amanianus.* 9) *Godefredus II.* 10) *Clarinus.* 11) *Bertrandus.* 12) *Arnaldus II.* 13) *Petrus.* 14) *Humbertus.* 15) *Rodobaldus.* 16) *Raymundi Berengarii IV.* 17) *Inter Montis Christi et Cilii insulas, ab Ilva ad meridiem et orientem; cf. Bohmer-Ficker, l. c. n. 3200a.* 18) *Iohanne.* 19) *In meridionali parte paeninsulae, quae sinum de Spezzia efficit.* 20) *Silvestri.* 21) *Bernhardo.* 22) *Inter quos archiepiscopus Bisuntinus erat.*

multa et gravia, que hactenus in Deum et ecclesiam sanctam commiserat, contra ipsum tyrannum esset asperius procedendum, ex atrocitate tamen tanti facinoris audemus suggerere, quod contra eundem ratione previa iuxta qualitatem criminis procedatur; sub ipsius enim imperio nunquam ecclesia pace vel tranquillitate gauderet, presertim cum principes universi exemplum et audaciam in hac parte reciperent ab eodem. De potestate autem et civibus Ianuensibus vestre sanctitati exponimus, quod, quantum audivimus et cognovimus, fideliores et ferventiores in facto ecclesie se ostendent, quam se ostenderint usque modo [1].

Dat. Ianue, X die Maii.

813.

Guillelmus Surdus potestas, consilium et commune Ianuensium Gregorio IX papae scribunt de pugna navali Mai. 3 exorta, qua plurimi praelati ad concilium proficiscentes a Pisanis et Siculis capti sint; ad id facinus ulciscendum se incessanter constructioni et munitioni navium invigilare; rogant papam, ut ipse Ianuam veniat aut legatum mittat. Cf. n. 812. *1241, c. Mai. 10* [2].

Greg. IX Reg. Vol. VII, 78; Lib. XV, 56. Edimus tenorem epistolae ex Rayn. Ann. eccl. a. 1241 § 60—63, inscriptionem a V. Cl. A. Mau nobis communicatam ex Reg. supplentes.

Littere potestatis, consilii et populi Ianuensis super eodem.

Sanctissimo etc. Guillelmus Surdus potestas, consilium et commune Ianuense sanctorum pedum osculum cum promptissimo famulatu. Tacti sumus dolore cordis
Luc. 2,35. intrinsecus et usque ad animam ipsius doloris gladius pertransivit, quod dum venerabiles et sancti patres episcopus Penestrinus, dominus Otho tituli Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis et dominus G[regorius] de Romania capellanus vester, apostolice sedis legati, aliique prelati de partibus Occidentis et etiam Lombardie et nobiles viri ambaxatores Mediolanensium, Brixie, Placentie, Ianue ad vestrum concilium evocati in galeis, taridis et sagiteis nostris tam securiter quam letanter venirent, comitantibus eos viris nobilibus et honoratis Ianuensibus civibus in honorabili quantitate, irruerunt in eos Dei et hominum inimici viri Pisani et Siculi de regno undique congregati die Veneris tertia mensis Maii. Nostri vero Ianuenses, Dei auxilio confidentes ipsis piratis mirabiliter resistentes atque potenter, tres galeas inimicorum, que in prelio antecesserunt, victoriosa manu ceperunt, et decapitatis bellatoribus ipsarum tam galeas quam homines ipsarum in maris demerserunt profundum. Cumque inceptum prelium diu durasset, multis hinc inde mortuis et vulneratis, manus inimicorum Domino permittente prevaluit; qui Dei timore et naturali lege et honore Crucifixi et sponse sue pie matris penitus vilipensis, in contemptum et ignominiam Iesu Christi tanquam carnifices et tyranni sanctorum patrum innocentem et aliorum conducentium eos sanguinem effuderunt, corpora ipsorum tam in mari quam in lignis more tyrannico trucidantes, raptis ab eis thesauris quos ferebant. Licet autem perfidiam et iniquitatem tantam perfecerint adversus insontes et innocentes Domino permittente, per gratiam tandem domini Iesu Christi barche et ligna minuta, que cum nostris erant, et galee septem cum magna quantitate nostrorum hominum et etiam pluribus prelatorum, qui ad concilium veniebant, videlicet archiepiscopo Sancti Iacobi,

1) *Cf. epistolam sequentem.* 2) *Eundem nuntium hanc epistolam ac praecedentem ad curiam portasse putamus. Ep. versus finem mensis Maii vel initio Iun. Reg. inserta est.*

archiepiscopo Arelatensi, archiepiscopo Terraconensi, archiepiscopo Bracharensi, episcopis Placentino, Aniciensi, Auriensi, Astoricensi, ad partes nostras incolumes redierunt. Dominus autem Romedeus, procurator et nuntius illustris et magnifici viri comitis Provincie, cum galea et hominibus suis ad propria sine lesione redivit, navim inimicorum rebus pretiosis onustam, quam in ipso conflictu cepit, secum ducendo; cum quo Ro. venerabilis et sanctus pater episcopus Penestrinus, sicut accepimus, incolumis redivit. Alie quidem nostre galee in ipso prelio expugnate plures, sicut audivimus, in pelagus navigantes hostiles manus evaserunt, quas quotidie reversuras expectamus, quatuor aut circa illam quantitatem exceptis, quas crucis et nostri hostes Pisani detinent captas cum quibusdam prelatorum et ambaxatorum ac aliorum venientium ad concilium nominatum[1]. In amissione quoque personarum et rerum Ianuensium, licet non modica, non tantum dolemus atque tristamur, quantum in ignominia nominis Iesu Christi, ipsi et eius fidelibus a Friderico dicto imperatore de ipsius fautoribus tam pertinaciter illata, et in detrimento prelatorum ac suarum rerum, qui ad concilium in virtute obedientie letanter veniebant, sanctitati vestre salutare et iustum consilium prestituri.

Ad ulciscendum quidem tantum facinus et tam atrox et defendendam fidem et ecclesiam sanctam Dei et omnem populum sibi adherentem zelo fidei et amoris ac devotionis caritate accensi, a maiori usque ad minorem immutabiliter proposuimus personas et res nostras universaliter operari, nullam requiem assumentes die ac nocte, donec rebellium conculcata nequitia innocentum vulnera, cedes et iniurias ulciscamur ad honorem et gloriam nominis Iesu Christi et sanctissime persone vestre ac fratrum vestrorum et ecclesie universalis atque totius fidelis populi Christiani. Pro quorum effectu noverit indubitanter sanctitas vestra, quod cives Ianuenses, maiores et minores, dampnum eis in predicto conflictu illatum pro nullo sive modico reputantes, omissis causis, curis et negotiis universis, constructioni et munitioni navium et galearum incessanter vigilant, efficaciter laborant, ita quod eis tanquam victoribus subicientur more solito inimici, quod in brevi futurum esse speramus Domino concedente, et quod ecclesia Dei in perditionis filium, virum flagitiosum, apostatam Fridericum dictum imperatorem, et ipsius complices virtutis sue poterit magnificentiam operari, sicut oportet. Ecce enim scelera et iniquitates, quas eo volente, mandante et deliberato consilio procurante, et sequentes eius, viri infideles, Dei et hominum persecutores, exercuerunt in piissimos patres ad vestram curiam publico itinere per mare venientes, capiendo, spoliando, cedendo, vulnerando et occidendo eos et alios qui comitabantur eosdem, nulla iusta causa interveniente, patentes sunt et publice, quarum horror in conspectu Domini dei Sabaoth cognoscetur ascendisse, clamans ad depositionem et eternam dampnationem ipsius, ut sub illius indigno imperio ecclesia Dei nullatenus conteratur et fidelis populus Christianus ulterius non crucietur per eum. Ascendisse quippe in altum videtur, ut exaltatus altius mergatur et precipitetur in profundum abyssi et puteum eterni pudoris. Supplicamus igitur sanctitati vestre flexis genibus, per aspersionem sanguinis Iesu Christi cuius vicem geritis in terris humiliter exorando, quatenus infortunium antedictum, ut non decet, non curantes, ab incepto proposito tam felici desistere non velitis, set fortius animati ad effectum eius potentiam vestram magnam extendere non tardetis, ut Petri navicula, quam piissime gubernatis, fluctuum agitata procellis et adherentes eidem non in equore propter tumultus et tempestates perire, set ad portum valeant pervenire gaudii et salutis, gubernante illam summa prudentia vestra, cuius splendore illuminantur omnes catholici et fideles Christiani. Venire autem personaliter, si vestre placeet clementie, aut aliquem legatum vestrum, virum utique providum et discretum, mittere dignemini ad civitatem et homines vestros Ianuenses,

1) *Errores huius relationis ex epistola praecedente corrigas; cf. Bohmer-Ficker, l. c. n. 3200a.*

qui cum personis et rebus omnibus vestre paternitati subiecti sunt et esse in perpetuum volunt. vestris omnibus beneplacitis et mandatis obedire fideliter et devote voluntarii et parati, procuraturum et facturum ibidem quecunque Deo et ecclesie et omni populo Christiano grata fuerint et accepta; scientes pro certo quod universitas Ianuensis bene in fide et devotione ecclesie unanimis est et constans magisque ferventior, quam fuerit unquam; quod verum esse presentia opera testificantur et clarius testificabuntur.

814.

Gregorius IX papa communi Asculano concedit, ut contra malefactores, qui in eorum civitate et districtu consistant, secundum antiquam et approbatam consuetudinem aliarum civitatum Marchiae procedant. *1241, Mai. 12.*

Greg. IX Reg. Vol. VII, 74; Lib. XV, 46.
Potthast, Reg. 11014.

Communi Esculano.

Attendentes grata obsequia, que sedi apostolice impendistis hactenus et iugiter exhibere curatis, ac tribulationes et angustias, quas a Friderico, Dei et ecclesie inimico, pro ecclesie et apostolice sedis fidelitate servanda patimini, honori et utilitati civitatis vestre libenter intendimus et ipsius obsequiis grata beneficiorum exhibitione, prout secundum Deum possumus, respondemus. Hinc est, quod vestris precibus grato concurrentes assensu, presentium vobis auctoritate concedimus, ut contra malefactores, qui in civitate ac districtu vestro consistunt, possitis secundum iuris ordinem et aliarum civitatum Marchie antiquam et approbatam consuetudinem iustitie debitum exercere [1]. Nulli ergo — nostre concessionis etc. Si quis autem etc.

Dat. Lateran. IIII Idus Maii, anno XV.

815.

Gregorius IX papa potestati, consilio et populo Bononiensi narrat, quomodo Fridericus dictus imperator primum petierit, ut concilium convocaretur, et postea litteras contrarias destinaverit et praelatos ad sedem apostolicam accedentes insidiis ceperit; mandat, ut persecutori ecclesiae viriliter resistant. *1241, Mai. 18.*

Greg. IX Reg. Vol. VII, 75; Lib. XV, 48. Damus tenorem epistolae ex Rayn. Ann. eccl. a. 1241, § 61–66.
Potthast, Reg. 11015 et 11017.

. . potestati, consilio et populo Bononiensi.

Existens in mari huius mundi Petri navicula contrariis interdum ventis impellitur et nonnunquam ictibus colliditur procellarum, set tandem, Domino flatibus imperante quietem et turbinum impetus prohibente, succedit tempestati tranquillitas et eidem navicule placati equoris sulcanti planitiem unde cedunt, quia inopinatis aliquando

1) *Idem Mai. 29 communi Firmano concessit; Potthast, Reg. 11019.*

impulsa fluctibus etsi iactetur, non mergitur, et undis repercussa frementibus si quatitur, non quassatur. Ecclesia quidem supra fidei petram erecta frequenter ab emulis Christiane religionis impetitur et impugnatur sepe ab ecclesiastice persecutoribus libertatis; set demum, Altissimo ad eam clementie oculos inclinante sueque potentie dexteram extendente tutricem, detractores fidei freno arcentur silentii et persequentium manus in iura ecclesie laxate regressis viribus contrahuntur, sicque post turbationis nubilum serenum pacis subsequitur, et ecclesie ipsi gubernante Domino presentis seculi mare substernitur, colliso impetu insurgentium procellarum. Si ergo fideles eiusdem ecclesie iuxta mutabilitatem temporis sinistris aliquando exasperentur eventibus et mulceantur quandoque votivis, non eos successus adversitatis deprimat, nec tamen occursus prosperitatis extollat, set in eo spes tota ponatur omnisque fiducia, qui sperantibus in se misericordie sinum aperit et post tribulationis patientiam in adversis remedium in prosperis consolationis impendit. Fridericus namque dictus imperator, ecclesie persecutor, directis olim fratribus nostris et ecclesiarum prelatis ac principibus orbis litteris petiit convocari concilium[1], ut ibi de meritis cognosceretur ipsius, nosque tandem de fratrum eorundem consilio prelatos et regum ac principum nuntios ad sedem apostolicam duximus convocandos[2]. Sed idem hoc intellecto, quia terroris sonitus impiorum auribus semper inest, eo quod lesa conscientia seva presumit, (Iob. 15,21) subsequenter alias litteras contrarias destinavit[3], et nequiter se humilians examen concilii requirendo, interiora sua plena dolo scripture varietate detexit. Accedentibus itaque ad sedem eandem prelatis aliquibus et pluribus eorum propter maris timorem ad propria redeuntibus, ipse, audito vicino reliquorum adventu, eos positis insidiis fecit cum venerabili fratre episcopo Penestrino ac dilecto filio nostro O. Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diacono cardinali, legatis sedis apostolice, detineri[4], quasi non sufficeret sibi, quod ecclesiam multipliciter leserat, nisi et alias eidem inextimabilem irrogaret offensam. Verum etsi hec turbationem mentibus fidelium inferant, non tamen suorum cordium est immutanda constantia nec eorum sunt animi sinceri flectendi; set tanto debent ipsi ecclesie contra persecutorem eundem favorabiliores adesse, quanto eum ex hiis graviorem ipsis iniuriam in illa sentiunt intulisse. Ideoque universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attentius mandantes, quatenus in ecclesie devotione constantissime persistentes et confidentes in Domino et in potentia virtutis ipsius, inimicis eius tanquam Christi fortissimi bellatores potenter et viriliter resistatis. Nec repentini casus iniquitas corda vestra stupore consternat, set ad defensionem ipsius ecclesie accendat ea potius zelus Dei. Nos enim super hiis taliter providere Deo actore studebimus, auxilii sui dexteram nobis adesse sperantes, quod impiorum depressis conatibus honor erit Altissimo, catholice fidei robur et ecclesiastice libertatis augmentum provenient, ac vestra et aliorum fidelium utilitas subsequetur[5].

Dat. Lateran. XV Kal. Iunii, pontificatus nostri anno quintodecimo.

In eundem modum . . nobili viro duci et populo Venetorum[6].

In eundem modum . . potestati, consilio et populo Mediolanensi, Ferrariensi[a], Mantuano, Placentino, Perusino, Tudertino, Interamnensi, Urbevetano, Spoletano, Narniensi, Anagnino, Signino, Alatrino, Verulano, Terracinensi.

---

a) In e. m. . . p. c. et p. *in Reg. semper repetitum est.*

1) *Cf. ep. imperatoris a. 1239, April. 20 et 1240, Mart. 16 datas; Huillard-Bréholles, l. c. t. V, p. 304 et 843.* 2) *Cf. n. 781 et 785.* 3) *Cf. Bohmer-Ficker, l. c. n. 3138, 3139, 3144, 3145.* 4) *Cf. n. 812 et 813.* 5) *In Baumgartenb. Formelb., Fontes rer. Aust. Abth. II, t. 25, p. 184, eadem epistola nota chronologica destituta cum inscriptione* universis ecclesiarum rectoribus *extat.* 6) *Sub* XIII Kal. Iun. *in cod. epistolari Trecensi, Archiv t. VII, p. 920, n. 97.*

816.

Gregorius IX papa Ancozacasae civi Romano scribit, se statutum, quo Montaltenses bona ipsius cum consensu Friderici dicti imperatoris inter se diviserint, irritare.
1241, Mai. 20.

Greg. IX Reg. Vol. VII, 76; Lib. XV, 51.

Nobili viro Ancozacase civi Romano cruce signato.

Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod . . potestas et commune Montis alti, pro eo quod vocatus ab eis ad ipsos redire ac eis adherere contra ecclesiam et fidem catholicam in favorem Friderici dicti imperatoris, Dei et ecclesie inimici, nolebas, possessiones, terras, domos, vineas, redditus et res alias, quas in districtu Montis alti iure hereditario obtinebas, inter se nequiter diviserunt, a dicto Frederico super hoc confirmationis litteras obtinentes. Tuis igitur precibus inclinati, quod super hoc a predictis Friderico et potestate ac communi temere factum est, duximus irritandum, statuentes ut per hoc nullum iuri tuo in posterum preiudicium generetur, quin potius habita facultate ad possessiones et alias res predictas libere revertaris. Nulli ergo — nostre constitutiones etc. Si quis autem etc.

Dat. Lateran. XIII Kal. Iunii, pontificatus nostri anno XV.

817.

Gregorius IX papa civitatem Firmanam cum districtu ipsius ad manus suas recipit, eam ab oneribus rectorum Marchiae eximens. *1241, Mai. 29.*

Greg. IX Reg. Vol. VII, 80; Lib. XV, 65.
Potthast, Reg. 11020.

Communi Firmano.

Attendentes grata obsequia, que sedi apostolice impendistis hactenus et ingiter exhibere curatis, ac tribulationes et angustias, quas a Friderico Dei et ecclesie inimico pro ecclesie et apostolice sedis fidelitate servanda patimini, honori et utilitati civitatis vestre libenter intendimus et ipsius obsequiis grata beneficiorum exhibitione, prout secundum Deum possumus, respondemus. Hinc est, quod vestris precibus grato concurrentes assensu, civitatem ipsam cum districtu suo ad manus nostras recipimus usque ad nostre beneplacitum voluntatis, eandem interim ab oneribus rectorum Marchie, qui pro tempore fuerint, eximentes[1].

Dat. Lateran. IV Kal. Iunii, anno XV.

818.

Gregorius IX papa [Gerhardo II] archiepiscopo Bremensi scribit, quomodo [Christianus] episcopus Prusciae obsides paganis [Samlandiae] pro liberatione sua datos redimere possit. *1241, Iun. 1.*

Greg. IX Reg. Vol. VII, 83; Lib. XV, 83.
Potthast, Reg. Add. I, 11026a.

1) *Alia concessio eodem die eis facta sub n. 814.*

. . archiepiscopo Bremensi[1].

Venerabilis frater noster episcopus Pruscie nobis humiliter supplicavit, ut cum a detentione ac carcere paganorum[2], qui captivum tenebant eundem, datis obsidibus fuerit liberatus, et ideo paganis ipsis in ottingentarum marcarum teneatur pecunie quantitate, nec habeat, unde ab huiusmodi debito valeat liberari, sibi, quod pecuniam, quam illi, qui ferrum, sal et alia necessaria in subsidium paganorum Prusciе contra inhibitionem nostram temere detulerunt, propter quod idem episcopus in eos[a] auctoritate apostolica excommunicationis sententiam promulgavit, exhibituros se pro huiusmodi excessus satisfactione promittunt, usque ad quantitatem eandem de nostra possit permissione percipere, in sui et H.[3] germani ac Christiani nepotis[4] sui, qui in predictorum paganorum carcere detinentur, liberationis subsidium convertendam, licentiam concedere curaremus. Quocirca mandamus, quatinus, si est ita, dicto episcopo postulata concedas, sicut videris expedire; proviso[5] ne in fraudem aliquid attemptetur.

Dat. Lateran. Kalendis Iunii, anno XV.

819.

Gregorius IX papa abbati et conventui Floriguiacensi [Flarigniacensi?] Aeduensis diocesis concedit, ut hominibus suis de Flarigniaco, paratis pro solutione debitorum monasterii contribuere, quandam servitutem, quae manus mortua nuncupetur, remittant.

1241, Iun. 8.

Greg. IX Reg. Vol. VII, 81; Lib. XV, 76.

. . abbati et conventui Floriguiacensi[6] ordinis sancti Benedicti Eduensis diocesis.

Monasterio vestro, quod gravatum eris onere alieni fere totum absortum esse dicitur per voraginem usurarum, ita quod ei substantia vix existat, paterna compatimur caritate, ipsius inopie ad quam ex hoc devenisse dinoscitur condolentes. Cum igitur, sicut petitio vestra nobis exhibita continebat, vos, cupientes precavere indempnitati monasterii vestri ac periculis vestrorum hominum obviare, qui nonnumquam occasione debitorum huiusmodi occiduntur, et terra dicti monasterii predis[b] et incendio devastatur, ut possitis a creditorum instantia liberari, hominibus vestris de Flavigniaco, paratis in solutione debitorum ipsorum contribuere iuxta proprias facultates, proposueritis diocesani et capituli ipsius interveniente consensu quandam remittere servitutem, que manus mortua[c][7] vulgariter nuncupatur: nobis humiliter supplicastis, ut id faciendi

a) V.; in eos *deest in apogr. nostro.* b) prediis *R.* c) mañ mãtua *R.*

1) *Eiusdem tenoris epistolam papa iam a. 1240 Mart. 23 [Wilhelmo] episcopo quondam Mutinensi direxerat, Voigt, Cod. dipl. Pruss. t. I, p. 49, n. 52, Potthast, Reg. 10859, cuius lectiones differentes [V.] infra annotamus.* 2) de Samplandia *addit V.* 3) *Henricus frater Christiani episcopi commemoratur ap. Potthast, Reg. 6247.* 4) ac Christiani nepotis *deest ap. V.* 5) proviso — attemptetur *deest ap. V.* 6) *Ita mendose pro* Flavigniacensi *[Flavigny e meridie Fontaneti] in Reg. scriptum esse putamus, cum papa infra* de hominibus de Flavigniaco *loquatur et monasterium Floriguiacense in diocesi Aeduensi reperire non potuerimus.* 7) *De ea cf. Waitz, Deutsche Verf.-Gesch. t. V, p. 242.*

vobis licentiam concedere curaremus. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati licentiam vobis concedimus postulatam.

Dat. Lateran. VI Idus Iunii, anno decimoquinto.

820.

Gregorius IX papa [Iacobo] episcopo Praenestino et ceteris in captivitate imperatoris existentibus litteras consolatorias mittit; conqueritur, quod Gregorius de Romania sufficientem galearum numerum non paraverit, et optat, ut circa tranquillitatem ecclesiae et pacem orbis providere possit. Cf. n. 812. *1241, Iun. 14.*

Greg. IX Reg. Lib. XV, 85 Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1241, § 68—70. Potthast, Reg. 11030.

Episcopo Penestrino, Othoni Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diacono cardinali, Auxitano, Burdegalensi et Rothomagensi archiepiscopis[1], Nemasensi, Carcassonensi, Agathensi, Papiensi, Astensi et Terdonensi episcopis, Cluniacensi[2], Cisterciensi[3], Clarevallensi[4], de Pietate Dei[5] et Fiscanensi[6] abbatibus[7], Gregorio de Romania subdiacono et capellano nostro, decanis, prepositis, ceterisque vinctis in Domino.

Vix diebus istis de vobis aliqua potuisset contigisse prosperitas, que si fuisset grata singulis vel acceptabilis universis, quin plures varia de ipsa dicerent et diversa sentirent. Consequens est igitur, ut de adversitate lugubri, que permissione divina vobis nuper accidisse dinoscitur, multiformis opinionis et tractatus materia iuxta varietates affectuum apud aliquos habeatur, super quo nec admiratio vobis incumbere nec vestra debet turbari sinceritas aut moveri constantia, cum licet ut scitis sic disposita sit humani natura generis, quod cunctis sermo tribuitur et paucis animi sapientia indulgetur, sit nobis et intelligentium menti perspicuum, quod vos Dei et apostolice sedis honorem ac salutem universalis ecclesie nec non obedientie meritum, sub qua omnium consistit summa virtutum, habendo pre oculis, de veniendo propere cum adiuncta vobis multitudine devotorum ad sinum matris ecclesie omni diligentia desudastis, quanquam id fuisse postpositum digne possit et debeat deplorari, quod G. de Romania, informatus per litteras nostras[8] de partis adverse potentia, tot cum potuerit iuxta mandatum nostrum galeas non habuit, quod hostium elisis insultibus transitus vester Christo previo ab omni discrimine fieret expeditus. Cum itaque, Matth. 5,15 fratres venerabiles, vestrarum lucerna virtutum non sub modio lateat set super candelabrum coram omnibus relucescat, vos, in contemptum vanitatem et falsas insanias Matth. 11,29 obloquentium deducentes ac respirantes in illo, qui corde mitis et humilis circa suos

1) *Frater Bartholomaeus ordinis Praedicatorum in epistola episcopo et canonicis Brixinensibus missa, Huillard-Bréholles, l. c. t. V, p. 1116, etiam electum Mediolanensem captum esse narrat, propter quod Böhmer-Ficker l. c. n. 3200 a aliique eum inter captivos enumeraverunt. Sed neque ullo alio loco eius mentio fit, et quae aliunde scimus contraria docent. Nam secundum Catalogum archiep. Mediol., Mon. Germ. SS. t. VIII, p. 108, post mortem Wilhelmi archiepiscopi a. 1241, Mart. 28 sedes Mediolanensis menses duos et dies XIX vacavit et Iun. 15 Leo frater Minorum successor electus est. Hic, si Galvanei Flammae Manipulo Florum, ap. Muratori, SS. rer. Ital. t. XI, col. 678 D, fides adhiberi debet, a canonicis capituli de eligendo archiepiscopo inter se dissidentibus arbiter vocatus ipse archiepiscopum se declaravit.* 2) *Hugoni VI.* 3) *Wilhelmo III.* 4) *Wilhelmo II.* 5) *Iohanni, monasterium prope Le Mans situm est.* 6) *Wilhelmo III.* 7) *In ep. sub not. 1 cit. etiam abbas Praemonstratensis inter captivos commemoratur.* 8) *n. 806.*

afflictioni deditos affectum gerit continue pietatis, de nobis et fratribus nostris illam credulitatem geratis assidue, quod etsi a vobis situ loci differamus et vinculis, sic tamen reddimur pene participes, quod in suspiria sepe diffundimur et lacrimis multotiens madidamur, licet in eo nobis sicut et vobis consolatio multa proveniat, quod de ineffabili clementia Redemptoris fiduciam gerimus, ut qui suo sanguine plantavit ecclesiam et eam in altum per electorum suorum tribulationem sustulit, super ipsam benignitatis sue faciem per mundi latitudinem illustrabit, nobis interim et eisdem fratribus vos sicut compassionis affectibus sic et orationum subsidiis prosequentibus, ut pater misericordiarum et deus totius consolationis vobis, pro suo nomine patientibus (2. Cor. 1,3) captivitatis opprobrium, gloriose virginis et beatorum apostolorum meritis se in miserationis affluentia tribuat gratiosum, detque nobis, ut circa tranquillitatem ecclesie et orbis pacem, iuxta quod pie ac laudabiliter per vestras litteras suasistis, ita providere possimus, ut post tristitie turbinem serenum letitie subsequi valeat, et catholica fides, que, prout ex litteris et relatu fide dignorum accepimus, per incursum gentis horride[1] ultra quam credi posset impetitur, ad maiestatis superne gloriam et salutem fidelium inviolabiliter conservetur. Ceterum, cum vos nobis in Christo carissimos geramus assidue in visceribus caritatis ac vix diem preterire possimus, quin statum vestrum nobis cum fletibus imaginaria visio representet, in vobis super eo admiratio locum non habeat, quod nec scripta vel nuntium sinceritati vestre direximus nec dolor vester fuit in aliquo provisionis nostre remedio mitigatus, presertim cum, sicut novit scrutator omnium, id non pretextu occupationis vel negligentie postpositum fuerit, set ex eo potissime, quia probabilis nobis timor inerat, quod super huiusmodi visitationis debito nostrum desiderium sortiri nequiret effectum.

Dat. Later. XVIII Kal. Iulii, anno XV.

821.

Gregorius IX papa Belam regem Ungariae de irruptione Tartarorum consolatur eique promittit se curaturum, ut ei efficax consilium et auxilium impertiatur.

1241. Ian. 16.

Greg. IX Reg. Lib. XV, 79. Edimus hanc epistolam ex Rayn. Ann. eccl. a. 1241, § 18—19, collatam cum Theiner, Mon. Hung. t. I, p. 183, n. 337, qui Reg. exscripsit.
Potthast, Reg. 11034.

Bele regi Ungarie illustri.

Vocem in excelso lamentationis et fletus audivimus, et nos multis amaricati doloribus deploramus, quod iaculatum de celo iudicium iam depopulatur undique populum Christianum, quod fidelium[a] gladius in fideles reciproca cede convertitur et in Christicolas paganorum mucro crudeliter debachatur. Clamor enim scelerum humani generis multiplicatus ascendens in aures omnium conditoris, ipsum, qui quasi non videns hucusque tacuit, qui correctionem populi sui velut patiens expectavit, ultorem iniquitatum gladium coegit exerere et ab oculis patientie sue abominationes emundare[b] flagitiorum, expetita gravi de peccatoribus ultione. Propter quod omnes, quorum corda timor Domini tetigit, opertos ciliciis et aspersos cinere in suspirio et lacrimis divinam convenit misericordiam implorare, ut qui semper ad ignoscendum multus (Es. 55,7.)

---

a) *Rayn.;* infidelium *T.* b) *T.;* emendare *Rayn.*

1) *Scil. Tartarorum.*

Ioel 2,13. extitit, qui prestabilis super malitia omni esse tempore consuevit, exertum[a] gladium ad vaginam iubeat regredi, et iram in gentes que illum non noverunt effundens, dignetur populo filii sui insignito caractere misereri. Speramus autem, quod etsi Deus noster nos dura increpatione redarguere ceperit, regna tamen, que ipsius nomen invocant, a facie sua disperdere non intendit, quinimmo a pena perpetua peccatores curat eripere, quibus temporalis studet ultionis beneficium ad castigationem nostri Sap. 18,20. generis adhibere, quia etsi filios Israel temptatio mortis in heremo quandoque tetigerit, in eis tamen ira Domini diutius non permansit. Verum etsi graviter de omnium fidelium oppressione turbemur, super afflictione tamen regni Ungarie, quod a Tartaris invasum et occupatum pro magna parte in lectione litterarum tuarum[1] non sine multarum lacrimarum effusione didicimus, eo specialior et maior tristitia cor nostrum implevit, quo in ipso purioris erga Deum et apostolicam sedem signa devotionis invenimus, quo clare memorie progenitores tuos et excellentiam regiam in exequendis ecclesie beneplacitis esse novimus promptiores. Firmam igitur spem in illo ponentes, qui etsi regi Assyriorum Senacherib liberum in terram Israel ingressum exhibuit, super Ezechie tamen contritione commotus adversariorum multitudinem nocte una delevit, serenitatem tuam monemus et hortamur attentius et obsecramus in domino Psal. 17,28. Iesu Christo, quatenus in eo confidens, qui salvum facit populum humilem et oculum humiliat arrogantem, ad defensionem regni predicti et catholice fidei, que ab eisdem Tartaris[b] specialiter noscitur[c] expugnari, potenter et viriliter sicut decet regalem magnitudinem te accingens, in illorum expugnatione eo studiosior et ferventior cures existere, quo in hoc exaltationem tui nominis et honoris fortius dinosceris procurare. Nos enim tibi et regno predicto, quibus in tante necessitatis articulo deesse non possumus nec debemus, efficax curabimus auxilium et consilium annuente Domino impertiri, ac personam et familiam tuas[d] sub protectione sedis apostolice recipientes et nostra, tibi et omnibus, qui assumpto crucis signaculo contra Tartaros eosdem ad defensionem regni predicti processerint, illam immunitatem concedimus eamque indulgentiam elargimur, que Terre Sancte succurrentibus in generali concilio conceduntur.

Dat. Later. XVI Kal. Iulii, anno XV.

In[e] eundem modum Colomanno regi illustri et duci Sclavonie.

822.

Gregorius IX papa [Egilolfo] abbati Sanctae Crucis mandat, ut contra Tartaros, qui post regnum Ungariae invasum et pro magna parte occupatum Bohemiae et Teutoniae regna invadere moliantur, verbum crucis praedicet. *1241, Iun. 19.*

Greg. IX Reg. Vol. VII, 81: Lib. XV, 90.
Potthast, Reg. 11038.

Abbati Sancte Crucis[2] Cisterciensis ordinis Pataviensis diocesis.

Vocem in excelso etc. ut supra in LXXVIII[f] littera usque: non permansit. Graviter igitur de universa fidelium oppressione turbamur, set diebus istis specialis et

a) *T.;* exemptum *Rayn.* b) *T.:* barbaris *Rayn.* c) *T.;* noscuntur *Rayn.* d) *T.;* tuam *Rayn.* e) In — Sclavonie *supplevimus ex T.* f) *leg.* LXXVIIII; *n. 821.*

1) *Mai. 18 Zagrabiae [Agram] datarum; Theiner, l. c. p. 182, n. 335.* 2) *A civ. Wiennensi ad meridiem et occidentem.*

grandis tristitia cor nostrum implevit, quod, sicut in lectione litterarum nobilium virorum . . Austrie[1] et . . Carinthiae[2] ducum non sine multarum lacrimarum effusione didicimus, Tartari post regnum Ungarie invasum et pro magna parte occupatum ab eis, inebriantes gladios suos sine differentia etatis et sexus de sanguine omnium quos Es. 34,5. capere potuerunt, Boemie et Teutonie regna iam invadere moliuntur, totam Christianorum terram desertam ponere et eorum fidem perdere cupientes. Firmam igitur spem etc. ut supra usque: in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatinus per vicinas provincias verbum[a] crucis iuxta datam tibi a Deo prudentiam per te ac alios quos ad hoc idoneos cognoveris esse proponens, viros catholicos, ut considerantes, quod sicut a dictis Tartaris totius populi Christiani perditio queritur, sic in eorum expugnatione salus omnium procuratur, et confidentes in illo, qui salvum Psal. 17,28. facit populum humilem et oculum humiliat arrogantem, contra dictos Tartaros ad defensionem predictorum regnorum assumpto crucis signaculo potenter et viriliter se accingant, salubribus monitis inducere non postponas. Nos enim omnibus etc. ut supra usque: conceduntur. Si qui vero[b] ex crucesignatis huiusmodi pro violenta iniectione manuum in personas ecclesiasticas seu pro incendio vinculo fuerint excommunicationis astricti, eis, dummodo iniurias[c] et dampna passis iuxta providentiam tuam satisfaciant competenter, et non sit eorum adeo gravis et enormis excessus, quod propter hoc merito sint ad sedem apostolicam destinandi, secundum formam ecclesiae absolutionis beneficium impendendi, necnon contra dictos Tartaros commutandi vota eorum, qui in Terre Sancte subsidium proficisci vel alias pro peccatorum suorum remedio peregrinari voverunt, liberam tibi tribuimus facultatem.

Dat. Lateran. XIII Kal. Iulii, anno XV.

In eundem modum . . priori provinciali fratrum Predicatorum Teutonie.

In eundem modum . . priori fratrum Predicatorum Wienne[d].

In eundem modum . . ministro provinciali fratrum Minorum Teutonie.

823.

Gregorius IX papa [Bernhardo II] duci Karinthiae scribit, si Fridericus dictus imperator se dignum pace ecclesiae reddiderit, ecclesiam ei humiliter redeunti libenter gremium suum aperturam esse. *1241, Iun. 19.*

Greg. IX Reg. Vol. VII, 85; Lib. XV, 91.
Potthast, Reg. 11039.

Nobili viro . . duci Karinthie.

Nobilitatem tuam dignis in Domino laudibus commendamus, quod nos ad reformandam pacem cum Friderico dicto imperatore tuis inducere litteris studuisti, propter quod scire te volumus, quod cum dictus Fridericus se dignum ecclesie pace reddiderit et ad ea que honorem Dei et apostolice sedis necnon bonum statum populi Chri-

a) *pro* verbum — in illo *in Reg. legitur:* etc. ut supra in ea que dirigitur . . episcopo Waciensi usque: qui salvum *etc. Pertzius cum hanc epistolam in collectionem suam non receperit, verba quae supra damus ex Reg. ipse annotavit.* b) *pro* vero — absolutionis beneficium *in Reg.* etc. ut supra usque: impendendi *etc. Haec verba nos ex ep. cit. ap. Theiner, Mon. Hung. t. I, p. 184, n. 338, Potthast, Reg. 11033, supplevimus.* c) iniuria *T.* d) Wien *R.*

1) *Friderici II.* 2) *Bernhardi II.*

stiani respiciunt offeret se paratum, ei ad sinum matris ecclesie humiliter redeunti libenter aperiemus gremium apostolice pietatis.

Dat. ut supra.

824.

Gregorius IX papa [Roberto patriarchae Hierosolymitano][1] mandat, ut si [Iohannes] archiepiscopus Ianuensis ecclesiam suam pro pecunia expeditioni negotiorum necessaria obligare nolit, eum ad id compellat. *1241, Iun. 25.*

Greg. IX Reg. Vol. VII, 59; in appendice Lib. XIV sub n. 781 commemorata post n. 828. Fortasse ep. n. 828, 824 et 825 primo pro appendice Libri XV sepositae erant et post mortem papae [Aug. 22] litteris de apparatu navigii in appendice Libri XIV collectis [cf. n. 784], ad quas respiciunt, adiunctae sunt.

Cum te pro quibusdam arduis ecclesie Romane negotiis Ianuam destinantes venerabili fratri . . archiepiscopo Ianuensi nostris dederimus litteris in mandatis, ut plenam tibi super hiis que sibi ex parte nostra dixeris fidem adhibens, pro pecunia expeditioni negotiorum necessaria eorundem, quam ei duxeris exprimendam, se ac ecclesiam Ianuensem non dubitet obligare: nos enim illis, quibus eam persolvi debere constiterit, plene de ea satisfieri faciemus, ipsum et ecclesiam suam super obligatione huiusmodi conservantes indempnes; mandamus, quatinus si dictus archiepiscopus mandatum nostrum neglexerit adimplere, tu eum ad id auctoritate nostra appellatione remota compellas.

Dat. Lateran. VII Kal. Iulii, anno XV.

In eundem fere modum scriptum est super hoc eidem archiepiscopo.

In eundem modum capitulo Ianuensi.

In eundem modum abbati et conventui Sancti Fructuosi Ianuensis diocesis.

In eundem modum abbati et conventui Sancti Syri Ianuensis.

In eundem modum abbati et conventui Sancti Bartholomei de Fossato Ianuensis diocesis.

825.

Gregorius IX papa [eidem] obligandi Romanam ecclesiam pro pecunia expeditioni negotiorum necessaria potestatem concedit. *1241, Iun. 25.*

Greg. IX Reg. Vol. VII, 59; in appendice Lib. XIV sub n. 781 commemorata post n. 824.

Ut negotium tibi commissum facilius et melius valeat expediri, obligandi Romanam ecclesiam pro pecunia necessaria expeditioni negotiorum ipsorum liberam tibi de fratrum nostrorum consilio concedimus potestatem.

Dat. ut supra.

Scriptum est super hoc . . potestati[2] et consilio Ianuensium.

1) *Ad eum hanc epistolam et sequentem missas esse ex n. 828 conicimus.* 2) *Guillelmo Surdo.*

826.

Gregorius IX papa Belam regem Ungariae de invasione Tartarorum consolatur eique efficax consilium et auxilium promittit; ad haec nuntiat pacem cum Friderico dicto imperatore reformare paratum se esse, si idem reverenter ad mandatum ecclesiae redeat. Cf. n. 821. *1241, Iul. 1.*

Greg. IX Reg. Lib. XV, 108. Edimus hanc epistolam ex Rayn. Ann. eccl. a. 1241, § 27—28, collatam cum Theiner, Mon. Hung. t. I, p. 185, n. 342, qui Reg. exscripsit.
Potthast, Reg. 11043.

Bele illustri regi Ungarie.

Cum ad archana pectoris faciem mentis convertimus, inter alia, que de Christi fidelibus sub diversitate temporum eleginus commendanda memorie, immaculata tuorum progenitorum fides et sincera devotio nobis occurrunt dignis laudibus specialiter recolende, presertim cum progenitoribus ipsis non solum derivatione sanguinis set illorum propagatione succedens, eo crebrius in nobis illorum memoriam refrices, quo eorundem imitatus vestigia ipsos frequentius representas. Tua quoque serenitas sic semper circa ecclesiam affectione pura et inconcussa constantia claruit, ut suis obsequiis oportunitatis tempore se offerens reverenter, honorem eius inter ceteros orbis principes ferventer optarit, eumque studuerit, exposito ad hoc sue potentie brachio, indefessa sollicitudine procurare. Digne itaque tuis dictorumque progenitorum exigentibus meritis Romana ecclesia, te tante devotionis titulo insignitum intra claustra cordis affectione precipua baiulans et infra mentis ubera brachiis sinceritatis astringens, illo tuam privilegiat amore personam, ut eam inter reges alios favoris et gratie prerogativa efferat specialis, maxime cum in te derivata tuorum probitate parentum fecundiores virtutum fructus ex ea colligat in propagine filii, quam de radice paterna provenirent. Et quidem sic honoris regii zelatores existimus, sic regni tui commodum plenis desideriis affectamus, quod ad ea vigili studio assidue intendentes, quasi successuum tuorum participes, letamur plurimum de tue prosperitatis augmento et graviter de adversitatis detrimento tristamur. Nuper autem audito, quod gens Tartarorum ad regnum Ungarie manus depopulatrices extendens adeo in ipsum desolatrix insevit, ut gladio eius habitatorum illius sanguine continuata cede madente, diro illud exterminio devastarit, gravis doloris extitimus sagitta perculsi tanteque amaritudinis potati absinthio, ut oculi protinus copiosis exprimerent lacrimis cordis tristitiam vehementem. Et eo maioris turbationis nube respergimur, quo te nobili ecclesie membro tanta tuorum strage fidelium tam crudeliter vulnerato, ecclesiam ipsam sauciatam gravius deploramus. Verum quantumcumque sit casus iste dampnosus et gemendum Christianorum excidium illius gentis feritate patratum, ad eum tamen oculos mentis elevans et in ipso totius spei ordiens fundamentum, qui etsi quandoque in populum eius flagellum iaculet ultionis immanitate scelerum intolerabili expetitum, misericordie tamen memor post discipline rigorem lenitatem adhibet pietatis et post correptionis virgam manum consolationis extendit, illo ardore fidei contra eiusdem gentis perfidiam accendaris eaque constantia cordis adversus conatus muniaris illius, invocato undecunque potes auxilio, ut eius tyrampnidi divine[a] tibi dextera potentie assistente resisti suusque processus ab aliarum regionum exterminio prohiberi valeat. Nos enim super hiis diligenti sollicitudine vigilantes excellentie tue in tante necessitatis articulo consilium et auxilium, prout poterimus[b], efficax impendemus, te semper tanquam carissi-

a) *T.; pro* divine *ap. Rayn.* valeat, *quod idcirco in fine omissum est.* b) *T.;* potuerimus *Rayn.*

mum sedis apostolice filium oportunis favoribus prosequendo. Ad hoc, si F. dictus imperator corde contrito et humili assumpto penitudinis spiritu rediret ad mandatum matris ecclesie reverenter, parata esset pacem reformare cum ipso, que ad honorem Dei, augmentum catholice fidei ac ecclesiastice libertatis et quietem Christiani populi redundaret[1], ut ex ea etiam tibi posset liberius et utilius subveniri.

Datum Later. Kal. Iulii, anno XV.

827.

Gregorius IX papa [Iacobo] episcopo Praenestino et ceteris in captivitate imperatoris existentibus iterum litteras consolatorias mittit. Cf. n. 820. *1241, Iul. 31.*

Greg. IX Reg. Lib. XV, 109. Edimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1241, § 71—75. Potthast, Reg. 11050.

Penestrino episcopo, Rothomagensi, Burdegalensi et Auxitano archiepiscopis, Neumasensi, Carcassonensi, Agathensi, Papiensi, Astensi et Terdonensi episcopis, et O[ttoni] Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diacono cardinali, Cluniacensi, Cisterciensi, Claravallensi abbatibus et Gregorio de Romania subdiacono et capellano nostro, decanis, prepositis, archidiaconis et aliis exulantibus pro ecclesiastica libertate.

Dolenda novi casus adversitas infelicibus emergens eventibus nuper filios uteri dolentes involvit, que suorum consideratione gestorum et novitatis presumpte nequitia generalis ecclesie pectus urens, nostris adaucta doloribus tristes ingeminat gemitus et causas meroris apponit, ac preter enormem apostolice sedis offensam et illam exempli perniciem, quam vulgus oppido venatur in clerum, patris animum filiorum iniuria vulnerat, non levem imprimit pressura mestitiam[a] et angit angustia vigilem diligentis affectum. Nam verisimilitudo non tolerat, ut patientibus membris caput non langueat, aut expers doloris existat de palmite percusso colonus. Quis igitur orbati
Ierem. 9,1. patris capiti dabit aquam et oculis fontem tribuat lacrimarum? Nam Ioseph non
Gen. 42,36. superest, Simeon tenetur in vinculis, Beniamin iunior est sublatus: filii Sion inclyti,
Thren. 4,2. ecclesiarum principes reverendi, auro primo amicti, cum in manus devolvuntur hostiles, velut vasa testea reputantur. Quis patris lenire dolorem aut remediis poterit congruis fratrum tristitiam temperare, dum pro mundi pace properantes ad matris cunabula filios sathan insidiator expetiit, sic subito rapuit una dies, quos regio mortis Apula suscepit, Egyptus infestus, carcer Pharaonis, includit patres conscriptos, et aliene libertatis auctores aliorum subiciuntur arbitrio, legibus necessitatis addicti coguntur secularium parere iudicio seculi iudices et apostolorum legitimi successores? Porro,
Gal. 4,19. carissimi, quos iterum parturimus, donec Christus formetur in vobis, nos et fratres nostri doloris pane vobiscum teste conscientia pascimur, meroris potamur calice, ac tristes manipulos metimus in vestrarum seminibus lacrimarum. Adest nobis in defectu vestre libertatis angaria, in penuria fames, in terrore supplicium et in exasperatione tormentum; triste quod loquimur, flebile quod sentimus; dies festi convertuntur in
Psal. 136, 1. 2. luctum; in salicibus suspendimus organa, dum sedetis super flumina Babylonis obedientes

a) *ita R. V. Cl. A. Mau teste;* pressuram malitia *Rayn.*

1) *Cf. n. 823.*

Egyptiis, expositi indicio Pharaonis. Utinam Moysis manus accederet, cuius obsequio suo Israelis arbitrio redderetur ad solita sacrificiorum libamina votivis mentibus offerenda! Ceterum recolere libeat ecclesie surgentis exordium, quid pro patriis legibus patrum constantia pertulit, quid apostolicus labor, quid martyrum triumphus exceperit. Nec prudentum feminarum, quibus nature mollities negavit audaciam, transeatis exempla, que satis roborare genua debilia poterunt et potabilem reddere calicem passionis, ingenio prudenti recognita et Domini digito in cordis tabulis exarata. Quocirca sinceritatem vestram rogamus et hortamur in Domino, quatenus ecclesie causam, apostolice sedis iniuriam, que contra fas et debitum variis vexatur molestiis et lacessitur offensis, solita devotione pensantes, pie matris, que vos recepit ad ubera super Es. 66,12. benigna genua blandiendo, eis quas toleratis angustiis preponatis affectum, ut probatio vestre fidei, que satis auro pretiosior invenitur, habeat cum temptatione proventum, 1. Cor. 10,13. nec aliquid tyrannus inveniat, quod sinistra interpretatione notabile aut dignum existimet suis diffamationibus inserendum, certe spei fiduciam habituri, quod pro liberatione vestra, quinimo nostra confusione tollenda, vias querimus, remedia cogitamus, impensam sollicitudinem nostris desideriis coequantes, sic quod nec de negligentia mordendi digne concurrimus nec de filiorum oblivione notandi, nisi forte visitandi raritas calumniam habeat, que nobis invitis de viarum difficultate procedens, votis nostris et vestris obvia, iusta potest excusatione defendi; nec enim a laboribus corpora nec manus ab auxiliis deducemus, donec in vestris consolemur aspectibus, exulantibus filiis patris desideriis restitutis. Utinam et sue legis et gentis miserator Dominus, cuius est gressus dirigere, misericorditer recordetur!

Dat. Later. II Kal. Aug. anno XV.

828.

Gregorius IX papa Ianuenses collaudat, quod post moderni casus adversitatem in altitudine galearum et navium ad ulciscendas ecclesiae iniurias exurgant, nuntiatque se [Robertum] patriarcham Hierosolymitanum ad eos pro ecclesiae negotiis promovendis destinare. 1241, Aug. 16.

Greg. IX Reg. Vol. VII, 59; in appendice Lib. XIV sub n. 781 commemorata post n. 806; cf. n. 821.

Experte devotionis et probate constantie civitas Ianuensis sic semper erga Romanam ecclesiam sinceris affectibus fervuit, sic immaculata fidei puritate illi affuit inconcusse, ut honoris eius zelatrix assidua se ipsius obsequiis oportunitatis tempore reverenter obtulerit et ad experiendum suarum quantitatem virium pro eadem exurrexerit animosa, que ingiter maioris affectionis conceptione fecundior uberioris devotionis fructus afferre probatur, dum vexillo fidelitatis explicito previa civitatibus reliquis in obsequium apostolice sedis quotiens expedit ardenter occurrens, et suos illius servitiis humeros indefessos exponit et civitates ipsas ad promptiorem eiusdem sedis excitat famulatum. Sane receptis nuper litteris vestris[1] earum tenore didicimus, quod etsi moderni casus adversitas gravis doloris aculeos cordibus vestris infixerit, cum nec levis offensa ecclesie matri vestre posset inferri, quin filialis in vobis lederetur affectus, ex hoc tamen contra ipsius ecclesie inimicos spiritu accendimini fortiori, exurgentes in altitudine galearum et navibus pluribus aliisque vasis ad ulciscendum graves iniurias

1) *Cf. n. 813.*

ab ipsis noviter eidem ecclesie irrogatas. Super hiis itaque constantiam vestram dignis in Domino efferentes laudibus ac referentes vobis gratiarum uberes actiones, universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus sic perseveranter assistatis ecclesie, sic ad exaltationem eius indefessa sollicitudine vigiletis, ut auxilio vobis cooperante celesti vires adversantium infirmentur et offensorum temeritas manus experiatur ultrices. Et ut celerius et utilius ecclesie negotia in hac parte valeant auctore Domino promoveri, ecce venerabilem fratrem nostrum . . patriarcham Ierosolimitanum, nobis et fratribus nostris merito sue probitatis carum admodum et acceptum, ad vos pro dictis negotiis specialiter destinamus, quem ob reverentiam apostolice sedis et nostram, immo potius nos in ipso suscipientes ilariter et devote ac honorifice tractantes, ei in omnibus que super negotiis ipsis vobis ex parte nostra retulerit plenam fidem adhibere curetis, illa efficaciter occasione qualibet et dilatione postpositis adimplendo. Nos enim Domino concedente ea studebimus procurare, per que sibi laus, fidei catholice robur et ecclesiastice libertatis augmentum proveniant vestraque civitas honorem et commodum specialiter consequatur. Quicquid autem cum predicto patriarcha super eisdem negotiis duxeritis ordinandum, gratum dante Domino habebimus et acceptum.

Dat. Lateran. XVII Kal. Sept. anno XV.

ADDITAMENTUM.

829.

Honorius III papa potestati et populo Pistoriensi mandat, ut Fossatum, Turrem et Monticellum castra de terra comitissae Mathildis existentia abbati de Septimo nomine ecclesiae Romanae usque ad proximum festum purificationis [Febr. 2] resignent, vel si de iure suo confidant, procuratores ad sedem apostolicam mittant. *1221, Dec. 22.*

E codice Archivi municipalis Pistoriensis V. Cl. F. Thaner epistolam exscripsit.

Honorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis . . potestati et populo Pistoriensi salutem et apostolicam benedictionem.

Cum non dubitetis, quia nec dubitare potestis, terram comitisse Mattildis ad Romanam ecclesiam pertinere, quod etiam carissimus in Christo filius noster F. Romanorum[a] imperator semper augustus et rex Sicilie recognoscens terram nobis restituit memoratam, indecens omnino est, quod castra quedam existentia de terra predicta, videlicet Fossatum, Turres et Monticellum[1] detinetis auctoritate propria occupata. Nolentes igitur ut civitas vestra[b], quam prerogativa quadam dilectionis amplectimur, contra se Romanam ecclesiam provocet et nos, ad quos pertinet tueri ius suum, experiatur iratos, quimpotius[c] cupientes vos et civitatem eandem nostram et apostolice sedis gratiam, que provehit et exaltat devotos et humiles filios, uberius obtinere: universitatem vestram monemus et hortamur attente per apostolica scripta districte precipiendo mandantes, quatinus usque ad festum purificationis proximo venturum dilecto filio . . abbati de Septimo Florentine diocesis castra ipsa cum omnibus pertinentiis suis nostro et ecclesie Romane nomine resignetis, vel saltim, si de iure vestro confiditis, procuratores vestros super hoc ad nostram presentiam transmittatis. Et quia manifestum foret, si aliter ageretis, quod in nostro delectaremini gravamine ac contemptu, venerabili fratri nostro . . Florentino episcopo[d] nos noveritis iniunxisse, ut vos ad alterum predictorum per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellat.

Dat. Later. XI Kal. Ian. pontificatus nostri anno VI.

S. Ego Vethosus apostolice sedis notarius atque tabellio auctenticum illud litterarum domini pape Honorii tertii plumbea bulla ipsius pendenti munitum, unde hoc sumptum est exemplum, vidi et legi et hic, prout in eo repperi, de verbo ad verbum scripsi et fideliter exemplavi, nullo addito vel remoto, ideoque ad futuram ostensionem dicto exemplo signum proprium apponendo subscripsi.

a) Romanus *apogr.* b) nostra *ap.* c) quampotius *ap.* d) episcopo *deest in ap.*

1) *Cf. n. 150.*

830.

Honorius III papa [Vitali] archiepiscopo Pisano et [Iohanni] episcopo Florentino causam de Fossato, Turre et Monticello castris inter ecclesiam Romanam et Pistorienses vertentem terminandam committit. Cf. n. 829. *1222, Iul. 16.*

Indidem a. V. Cl. F. Thaner exscriptum.

Honorius episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus . . archiepiscopo Pisano et . . episcopo Florentino salutem et apostolicam benedictionem.

Cum olim potestati et populo Pistoriensi dederimus in preceptis, ut castra quedam, que fuerunt clare memorie comitisse Mattildis, ad Romanam ecclesiam pertinentia, videlicet Fossatum, Turrem et Monticellum cum pertinentiis suis usque ad festum purificationis proximo preteritum dilecto filio . . abbati de Septimo Florentine diocesis nostro nomine resignarent, vel si de iure confiderent, procuratores idoneos ad nostram curarent presentiam destinare: ipsi licet ad nos miserint idoneum responsalem, non tamen potuit de veritate constare; ideoque causam ipsam vobis duximus comittendam, fraternitati vestre per apostolica scripta mandantes, quatinus, eo non obstante quod dilecto filio . . archipresbytero Florentino causam commiseramus eandem, dilecto filio Iohanne monacho Sancte Marie de Monteplano, quem ecclesie Romane procuratorem statuimus, ac dilecto filio nobili viro comite Alberto [1], qui a nobis castra ipsa recepit in feodum, seu procuratore ipsius nec non procuratore [a] ipsorum Pistoriensium ad vestram presentiam evocatis, audiatis que hinc inde duxerint proponenda, et in negotio ipso usque ad sententiam diffinitivam appellatione postposita procedentes, causam, si partes consenserint, fine debito decidatis, alioquin eandem ad nos remittatis sufficienter instructam, prefigentes partibus terminum competentem, quo se nostro conspectui representent sententiam recepturi [b]. Nos enim tam dicto procuratori ecclesie Romane quam ipsi comiti et procuratori eiusdem transigendi vel paciscendi super predictis subtraximus potestatem. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam appellatione cessante cogatis veritati testimonium perhibere.

Dat. Later. XVII Kal. Aug. pontificatus nostri anno VI [c].

831.

Gregorius IX papa [archiepiscopo et suffraganeis eius] significat, se omnes subditos Friderici imperatoris et specialiter homines regni a iuramento fidelitatis absolvisse et eos, qui ei contra ecclesiam auxilium praestiterint, excommunicasse; ad haec nuntiat imperatorem portum Brundusii latenter egressum quo iverit ignorari, paulo ante autem in portu statuta edidisse et litteras ad usurpandum patrimonium destinasse et Beneventum obsideri fecisse; mandat, ut haec per dioceses suas publicent. *1228, Aug. 30.*

Ex authentico, quod V. Cl. W. Wattenbach in tegumento Cod. Bibl. Caes. Vindob. Sal. 91, nunc 1113, invenit et descripsit; Archiv. t. X, p. 549. Initium epistolae cum inscriptione et ultima unius-

---

a) *pro* procuratore *in apogr.* per vos. b) receptare *ap.* c) *sequitur testimonium notarii ad verba epistolae praecedentis, excepto quod hic legitur* bulla illius cum filo pendenti.

1) *de Mangone; cf. n. 150.*

cuiusque versus pars resecata sunt. Quae verba desunt, ea uncis inclusa supplevimus ex S. Priest, Hist. de la conqu. de Naples par Charles d'Anjou, t. IV, append. p. 254, qui eiusdem tenoris epistolam potestati et populo Senensi III Kal. Sept. anno II *missam ex Archivo Florent. n. 914 edidit, sed perperam Greg. X papae adscripsit [Potthast, Reg. 8254]. — Proponimus epistolam denuo, quia haec forma, sicut ex allocutione* fraternitati vestre *apparet, ad episcopos directa est. Epistolam encyclicam fuisse putamus.*

[Gregorius episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus . . archiepiscopo . . . . . . et suffraganeis eius salutem et apostolicam benedictionem.]

[Ad vestram et aliorum notitiam volumus pervenire, quod nos in colloquio apud Perusium pro variis ecclesie negotiis solempniter celebrato omnes, qui Friderico imperatori sunt iuramento fidelitatis astricti, et specialiter homines regni a iuramento quo sibi tenentur absolvimus et denuntiavimus absolutos, et si qui forte iuramentum huiusmodi vel aliud contra Romanam ecclesiam sponte sibi prestiterint vel coacte, illud decernimus non tenere, pro eo quod idem exi]gentibus culpis suis dudum excommunicationis laqueo innodatus, sicut per alias vobis litteras exposuimus diligenter, pluries monitus ut desisteret a [conculcatione libertatis ecclesia]stice, non solum non destitit ab expoliatione religiosarum personarum et clericorum, verum etiam in eos immaniori temeritate desseviens bona ipsorum et ecclesiarum dir[ipuit, et quedam] etiam per manus inimicorum crucis Christi, sacraque vasa divinis usibus deputata profanans clericis ipsis aquam, ignem, coeturam panis et alia commercia interdixit, factusque Pharaone d[eterior, divi]nam ultionem non metuens, clerum afflixit cruciatibus infinitis. Unde ascendit ad nos clamor, ululatus et stridor miserabilis, validus et horrendus ecclesiarum et clericorum regni S[icilie et Apu]lie, quem salva conscientia diutius tollerare nequivimus, quin contra eum exerceremus hanc ecclesiasticam ultionem, cum iuxta sanctorum patrum canonicas sanctiones ei, qui De[o et ecclesie fi]dem non servat et precepta divina conculcat, non sit servanda fidelitas, et presertim a comunione fidelium separato. Excomunicavimus insuper et anathematiza[vimus omnes, qui] ei contra Romanam ecclesiam vel inpugnando patrimonium eius seu iura spiritualia vel temporalia sedis apostolice illicite usurpando auxilium prestiterint vel favorem. A[d hoc[a] non sine] dolore ac pudore referimus, quod cum idem imperator propria manu iuraverit se termino quem sibi prefixerat in Terre Sancte subsidium transiturum cum multitudine [militum, celan]drarum et galearum, secundum quod culmen imperialis celsitudinis exigebat, et fecerit in se ferri excommunicationis sententiam, si hec sicut promiserat non impleret, nescimus q[uorum improvido] usus consilio vel potius diabolica fraude deceptus, assumptis quibusdam prelatis et militibus paucis, nulla satisfactione prestita vel absolutione recepta, portum Brundus[ii latenter] egrediens[1], quo pro certo ierit, ignoratur. Si autem ita impotenter, ita debiliter in Terre Sancte subsidium transfretaret, irremediabilis confusio esset totius populi Christiani, quia illius [potentia, qui] pre cunctis Christianis principibus creditur esse potentior, apud Sarracenos periculosissime vilescente, vix esset quem decetero formidarent, immo contra Christianos insultarent auda[cter et secure sevi]rent[b]. In portu autem paulo ante statuta edidit et litteras destinavit ad impugnandum et usurpandum patrimonium apostolice sedis[2], Beneventanam obsideri faciens civitatem[3], qu[e est ecclesie Roma]ne civitas specialis, ita quod nulli ingressus vel

a) adhuc *S. Pr.* b) servirent *ibid.*

1) *Iun. 28.* 2) *Cf. Böhmer-Ficker, l. c. n. 1729.* 3) *Hanc obsidionem nullus scriptor memoriae tradidit.*

egressus pateret, et qui caperentur, iugo essent servitutis addicti. Suffraganei quoque civitatis ipsius ad consecrationis munus recipiend[um, pueri ad cris]mandum et litigantes ad iudicium illuc accedere prohibentur. Preterea faciens exercitum congregari, occupato quodam castro ecclesie violenter, civitates et oppida per patrimonium et [ducatum Spoleti] litteris et muneribus dampnabili aviditate sollicitat[1], vassallos ecclesie terroribus et blanditiis ad se nitens attrahere et a fide ac devotione sedis apostolice separare. Hoc autem ideo vobis [breviter nuntia]mus, ne apud vos veritas mendaciis obumbretur. Nulli igitur omnino credatis, qui verbis, scriptis aut nuntiis quicquam vobis contra prescriptam suggereret veritatem, quia ta[nquam falsitatis fi]gulus esset a veritate penitus alienus. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatinus hec que premissa s[unt per][a] civitates et dioceses vestras sollempniter publicantes, faciatis ea inviolabiliter observari aliasque pro ecclesia matre vestra stetis fideliter et constanter.

Datum Perusii, III [Kalendas Septembris] pontificatus nostri anno [secundo].

832.

Gregorius IX papa Lombardis concedit, ut quotienscunque imperator Romanus Italiam intrare voluerit, [secundum concordiam Constantiae initam] societatem facere possint, salvis servitiis imperatoribus praestandis. 1235, Iul. — fine Sept.[2]

Ex Summa dictam. Cod. memb. s. XIII Bibl. Univ. Prag. XIV, H. 10, V. Cl. W. Wattenbach epistolam exscripsit, Archiv, t. X, p. 669; invenitur etiam, ut idem monet, in Cod. Bibl. Caes. Vindob. Philol. 427, nunc 637, Archiv, t. X, p. 528. Epistolam in schola fictam esse credi non potest; nam 1) nonnulla verba in ea manifeste corrupta sunt, propter quod formam correctiorem extitisse oportet, quam authenticam fuisse arbitramur, 2) etiam verborum moderatio et provida concessionis circumscriptio, salvis etc., *authenticum resipiunt, 3) res in epistola contentae cum iis, quae sub finem a. 1235 evenerunt, sicut infra demonstratur, optime congruunt.*

Gregorius episcopus servus servorum Dei dilectis in Christo filiis omnibus Lombardis presentibus et futuris salutem et apostolicam[b] benediccionem.

Aures apostolice dignitatis tanto nos decet inclinare benignius ad audiendas supplicancium voluntates, quanto id quod suadetur et queritur per amplius convenit

a) *haec nos supplevimus, cum altera ep. in fine ab hac discrepet.* b) optatam *cod.*

1) *Praecipue per Conradum Guizinardi, de quo cf. V. Greg. IX ap. Muratori, SS. rer. It. t. III, pars I, p. 577, B.* 2) *Epistola etiam ad a. 1231 referri posset, quo anno Iul. 12—15 societas Lombardiae renovata est, nisi verba* intrare — Ytalicam regionem *obstarent, cum imperator tunc temporis in regno fuerit nec curia terram Lombardiae, quando eam reliquis paeninsulae partibus opponebat, Italiam simpliciter vocare consueverit. Gregorio IX sedem apostolicam obtinente imperator bis in Germania fuit, a. 1235, Mai. — 1236, Aug. et a. 1236, Dec. — 1237, Aug., et cum Lombardi a. 1235, Nov. 5 et 7 societatem suam denuo iuraverint, Huillard-Bréholles, l. c. t. IV, p. 796—798, epistolam aestati a. 1235 attribuimus. Eam iam mense Iul. missam esse valde nobis probabile est. Nam tum demum ep. 655 plene intelligimus, in qua a. 1235 Sept. 20 papa obscure admodum imperatori de occultis litteris scripsit negotii executoribus transmissis, ne ad ipsius executionem procederent, quas litteras de sua conscientia emanare nonnulli mendaciter assererent; quae verba ad negotium Lombardiae spectare satis perspicuum est. Fortasse autem epistola circa finem demum mensis Sept. exarata est, postquam papa de intentionibus imperatoris melius instructus, quid sibi immineret, apertius cognoscere potuit; cf. n. 657. Cf. etiam p. 575, lin. 18.*

exandiri.[c] Ideoque iustis vestris desideriis annuentes vobis presenti privilegio licenciam damus et concedimus liberam potestatem, ut quocienscunque intrare voluerit imperator Romanus Ytalicam regionem, sicut in concordia [cum filio illustrissimo bone memorie F. rege Constancie inita][a] continetur, possitis societatem facere et iuramentis et promissionibus vos legare pro vestris racionibus conservandis, salvis[b] honoribus et servitiis universis, que Romanis principibus, qui[c] pro tempore fuerint, prestare debetis de pacto vel consuetudine approbata, quibus per hoc privilegium nolumus in aliquo derogare. Nulli omnino hominum liceat hoc privilegium nostrum infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, iram omnipotentis Dei et beatorum apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

833.

Romaeus Quirinus et Stephanus Baduarius, procuratores Iacobi Teupoli ducis et communis Venetiarum, Gregorio IX papae et ecclesiae Romanae promittunt se XXV galeas ad regnum Siciliae occupandum armaturos esse, iuraque statuunt, quae sibi tum apud Barolum et Salpas quam in omni alio regni loco, quem Venetorum auxilio contigerit occupari, in perpetuum feudum concedi debeant, tenore litterarum procurationis ducis et communis Venetiarum a. 1239, Sept. 5 datarum inserto. 1239, Sept. 23.

Hoc pactum et quattuor sequentes epistolas Pertzius a. 1821 in Archiv. Vindob. ex Libro Blanco Andreae Danduli saec. XIV, n. 62–66 exscripsit et cum copia Libri Pactorum saec. XVII, ubi bis leguntur, 1) t. I, f. 305 et sequ., 2) t. II, f. 55 et sequ., contulit, quam copiam archetypum, qui iam prima parte saec. XIII scribi coeptus sit, accuratissime imitatam esse ex certis indiciis conclusit: Archiv. t. III, p. 576, 612 et 618. Pactum solum Huillard-Bréholles, l. c. t. V, p. 390 ex Lib. Pact. Arch. Venet. proposuit, ut videtur ex archetypo, qui Venetiis in Arch. regali conservatur[1]*; nam optimas plerumque lectiones dat. Propter quod H. B. potissimum secuti sumus. Quia vero eius editio authenticam scribendi rationem minus diligenter servasse videtur quam copia Vindob. [P 1 et 2], in qua pro ae semper ę scriptum est et nonnulla verba, praesertim in P 1, cum Lib. Blanco [Bl.] mire concordant, ut* peccunia, Scicilia, nobillis *etc.: rationem verba scribendi ex P 1 recepimus. — Pactum hoc loco iterum proferimus, tum quia ap. H. B. in fine aliquid deest, tum ut epistolae sequentes melius intelligantur.*

Pactum inter ecclesiam et dominum ducem et Venetos pro facto regni Sicilię[d].

In nomine domini nostri Iesu Christi. Nos Romęus Quirinus et Stephanus Baduarius cives Veneti, procuratores et syndici domini Iacobi Teupoli, Dei gratia Venetiarum, Dalmatię atque Chroatię ducis, domini quartę partis et dimidię totius imperii Romanię, et communis Venetiarum, constituti per eundem ducem et consilium ordinatum per commune civitatis Venetiarum, sicut apparet per litteras eorumdem, quarum tenor inferius continetur, promittimus per stipulationem et convenimus nomine prędictorum ducis et communis vobis sanctissimo patri domino papę[e] Gregorio et ecclesię Romanę, quod prędicti dux et commune armabunt viginti quinque galeas pro eundo in regnum Sicilię ad ipsum occupandum: hoc videlicet modo quod ipsi dux

---

a) *ita correximus pro* filie illustrissime bone memorie regine Constancie *cod.: nam apparet papam ad pacem Constantiae a. 1183 factam alludere, qua § 20, LL. t. II, p. 177, imperator Lombardis concessit:* Item societatem quam nunc habent tenere et quotiens voluerint renovare eis liceat. b) sed alius *cod.* c) qui *deest in cod.* d) *P 1; inscriptio deest ap. H. B.;* P. i. e. tempore domini pape Gregorii et dom. Iacobum Theupulo p. f. r. S. *Bl.; cum quo P 2 congruat, hoc loco et infra saepius annotatum non est.* e) *H. B., Bl.;* papa *P 1.*

1) *v. Böhm, Handschr. des k. k. Staatsarch. p. 175, n. 569.*

et commune armabunt medietatem prędictarum galearum suis expensis et aliam medietatem expensis domini papę et Romanę ecclesię, ipso domino papa[a] et Romana ecclesia dante pro armatura cuiuslibet galeę armandę expensis suis pro quolibet mense ducentas septuaginta quinque libras[b] denariorum Ianuensium vel earum extimationem in pecunia, et expensas ipsarum galearum dabit dominus papa et ecclesia Romana pro sex mensibus. Si vero dominus papa pauciores galleas vellet armari, sit in eius beneplacito, dum tamen medietatem expensarum illarum gallearum, quas armari voluerit, solvat dominus papa et Romana ecclesia et aliam medietatem dux et commune pręfati.

Item promittimus per stipulationem et convenimus nomine et vice prędictorum ducis et communis, quod ipsi dux et commune facient portari in lignis et navibus suis usque ad trecentos milites in regnum prędictum et pro quolibet milite dextrarium unum, roncinos duos, scutiferos tres cum armis et aliis necessariis et vivanda ad duos menses, domino papa dante pro quolibet milite XX libras Ianuensium vel extimationem earum in pecunia pro duobus mensibus, facta solutione ipsius pecunię in initio.

Item promittimus per stipulationem et convenimus nomine et vice prędictorum ducis et communis, quod si guerra duraret ultra sex menses prędictos, dicti dux et commune dabunt suis expensis quatuor galeas armatas, et hoc si imperator non fuerit in Lombardia.

Item promittimus per stipulationem et convenimus nomine et vice prędictorum ducis et communis, quod quam diu duraverit negotium in dicto regno, si Romana ecclesia habere voluerit navigium galearum et navium, dux et commune prędicti dabunt naves et galeas, quot dominus papa habere voluerit in dicto regno pro supradicto naulo.

Item promittimus per stipulationem et convenimus vice et nomine prędictorum ducis et communis, quod ipsi dux et commune portari facient in hac prima vice in suis lignis et navibus gratis et sine naulo duo milia peditum et quingentos balistarios, quos dabit Romana ecclesia.

Item promittimus per stipulationem et convenimus nomine et vice prędictorum ducis et communis, quod dicti dux et commune non facient pacem cum Frederico dicto imperatore nec admittent tractatum pacis sine voluntate et expressa licentia domini papę.

Item promittimus per stipulationem et convenimus nomine et vice prędictorum ducis et communis sub pęna sex millium marcharum argenti et obligatione omnium bonorum eorumdem ducis et communis vobis sanctissimo patri domino papę Gregorio et ecclesię Romanę hęc omnia supradicta et singula attendere, adimplere et firmiter observare, et super hiis omnibus subicimus et supponimus dictos[c] ducem et commune sententię excommunicationis domini papę.

Prętcrea promittimus per stipulationem et convenimus nomine et vice prędictorum ducis et communis, quod ipsi dux, qui nunc est et qui pro tempore fuerit, et commune, pro eo quod dominus papa et ecclesia Romana Barolum [1] et Salpas [2] cum pertinentiis suis et liberam curiam ac iurisdictionem inter Venetos nec non plenam libertatem et immunitatem et habere consules inter Venetos de suis concivibus in regno Sicilię, ducatu Appulię, Calabria, principatu Capuę et in omni alio loco regni, quem eorum auxilio contingerit[d] occupari, eisdem duci et communi concedet in perpetuum feudum, postquam ea fuerint occupata, facient[e] illum vel illos, qui pręerunt per eos predictis locis, scilicet Barolo et Salpis, quandocumque et quotienscumque renovabuntur ibidem,

a) *H. B., P1;* ipsi d. pape *Bl.* b) librarum *H. B., P1, Bl.* c) *P1;* dictum *H. B., Bl.* d) *ita etiam infra in omnibus.* e) *H. B.;* faciente *P1, Bl.*

1) *Barletta.* 2) *a Barolo ad septentrionem et occidentem.*

iurare apud Venetias in prçsentia illius vel illorum, cui vel quibus hoc dominus papa duxerit committendum, fidelitatem domino papç Gregorio et successoribus suis[a] et ecclesiç Romanç, et quod non erunt in dicto, facto, consilio vel consensu, ut ille cui regnum[b] prçdictum fuerit a domino papa et ecclesia Romana commissum et eius successores perdant vitam vel membrum aut capiantur mala captione seu ammittant terram, honores, dignitates aut alia bona sua, quç habebunt in regno prçfato. Et facient etiam semel iurare omnes Venetos, qui nunc habitant vel habitabunt in locis eisdem, et omnes alios cohabitatores eorum apud eadem loca fidelitatem domino papç Gregorio et successoribus eius et ecclesiç Romanç[c] in eius[d] vel eorum presentia, cui vel quibus hoc fuerit a domino papa commissum. Postea vero ille vel illi, qui pro tempore prçerunt per dictos ducem et commune, et omnes illi tam Veneti quam alii, qui habitant vel habitabunt in locis prçfatis, iurent fidelitatem duci, fidelitate domini papç et ecclesiç Romanç in omnibus et per omnia semper salva.

Item promittimus per stipulationem et convenimus nomine et vice prçdictorum ducis et communis omnia supradicta in statutis sive quaternis, in quibus consuetudines civitatis Venetiarum habentur, quas quilibet[e] dux iuramento servare tenetur, ponere nec ea inde delere, et quod dux, qui nunc est, et quilibet alius dux, qui pro tempore fuerit, tempore electionis suç iurabit se omnia prçdicta et singula[f] firmiter servaturum.

Hçc autem omnia prçdicta et singula iuravimus ad sancta Dei evangelia in animabus prçdictorum ducis et communis attendere, adimplere et firmiter observare et nullo tempore contravenire.

Tenor autem literarum procurationis et syndicatus, quarum est habita superius mentio, talis est:

Nos Iacobus Teupulus, Dei gratia Venetiarum, Dalmatiç atque Chroatiç dux, dominus quartç partis et dimidiç totius imperii Romaniç, et consilium ordinatum per commune civitatis Venetiarum prçsenti scripto fatemur nos vidisse et legi audisse pacta, promissiones et conventiones, que dominus Phylippus Vicedominus potestas Ianuensium decreto, auctoritate et beneplacito consilii Ianuensis fecit et firmavit cum magistro Berardo subdiacono et notario domini papç, apostolicç sedis nuncio ad hoc specialiter destinato, recipiente[g] nomine et vice domini papç et ecclesiç Romanç, super galeis et navibus armandis et destinandis in regnum Siciliç cum militibus, peditibus et balistariis et aliis necessariis ad ipsum regnum occupandum et super pace non tractanda nec facienda cum Frederico dicto imperatore sine voluntate et expressa licentia domini papç et super quibusdam aliis, sicut hçc omnia in instrumento confecto per manum Ursonis notarii Ianuensis[1] plenius continetur; et ad tractanda, ordinanda, promittenda et complenda omnia supradicta et ad alia quç circa negotium occurrerint facienda pro nobis et nostro communi cum domino papa et ecclesia Romana viros nobilles et discretos Romçum Quirinum et Stephanum Badouarium[h] fideles nostros procuratores et syndicos nostros et nostri communis statuimus, dantes eis plenariam potestatem firmandi per pçnam et obligationem bonorum nostri communis et iurandi in anima nostra de complendis et servandis omnibus supradictis, promittendo nos firma et rata habere pro nobis et nostro communi, quçcumque iidem procuratores et syndici cum domino papa et ecclesia Romana super prçmissis duxerint

a) *H. B., Bl.*; eius *P1.* b) *P1*: regimen *H. B., Bl.* c) *H. B.*; Romanie *P1, Bl.* d) *P1*; huius *H. B.*; cuius *Bl.*; *fortasse* cuius *in archetypo legitur, quod H. B. et P1 correxerunt.* e) *H. B.*; habentur quaslibet *P1. Bl.* f) *H. B., P1, 2*; et singula *deest Bl.* g) *H. B., P1*; recipienti *Bl.* h) *H. B., P1*; Baduarium *P2*; Badoarium *Bl.*

1) *a. 1239, Iul. 26; Lib. iur. reipubl. Genuens. t. I, col. 980—982; foedus Oct. 11 a Ianuensibus iuratum est, ibid. col. 984—985.*

facienda. Ut autem hęc nostra commissio robur obtineat firmitatis, ipsam fieri et bulla plumbea tipario nostro impressa iussimus communiri.

Datum Venetiis apud nostrum ducale palatium per manum Henrici notarii, canonici Sancti Marci et nostrę curię cancellarii, anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo nono, mense[a] Septembris, die quinto intrante, indictione tertiadecima.

Actum Anagnię, anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo nono, pontificatus domini Gregorii pape noni anno XIII, indictione XIII, mense Septembris, die vigesimo tercio; in presentia venerabillium patrum domini Iacobi Tusculani, domini Rainaldi Ostiensis et Velletrensis et domini Iacobi Penestrini episcoporum et domini Roberti Sancti Eusthachii diaconi[b] cardinalium[c], pro domino papa et ecclesia Romana recipientium[d], et domini Iohannis de Ferentino domini papę camerarii ac mei Nicolai scriniarii[e], presentibus fratre Mattheo pęnitentiario, magistro Boetio et magistro Martino clericis domini papę et Henrico canonico Sancti Marci et cancellario curię Venetiarum[f].

Et ego Nicolaus de Ferentino sanctę Romanę ecclesię et camerę domini papę scriniarius, habens potestatem dandi tutores et curatores, instrumenta exemplandi[g] et publicationes faciendi, in cuius presentia hęc acta sunt, de voluntate[h] dictorum dominorum episcoporum, cardinalis[i], camerarii et procuratorum suprascriptorum et mandato ipsorum hęc omnia cum tenore dictarum litterarum in publicam formam scripsi et signum feci.

Ego Gabriel Paulinus notarius et ducalis aulę Venetiarum cancellarius autenticum huius exempli vidi et legi, et sicut in autentico continebatur, ita et in ipso continetur exemplo. Ideoque meo proprio signo ipsum corroboravi de mandato domini Iacobi Teupuli incliti ducis Venetiarum, currente anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo primo, mense[k] Aprilis, indictione quarta decima, in palatio ducatus Venetiarum.

834.

Gregorius IX papa [Iacobo Teupolo] duci et communi Venetorum Barolum et Salpas variaque iura in omni loco regni Siciliae, quem eorum auxilio occupari contigerit, in perpetuum feudum concedit. *1239, Sept. 24.*

Damus epistolam 1) ex copia Lib. Pact. t. I, f. 307—308, 2) t. II, f. 57, 3) Libro Blanco, n. 65. Cf. n. 833.

Gregorius[l] episcopus servus servorum Dei dilecto filio nobili viro duci[m] Venetorum salutem et apostolicam benedictionem.

Devotionis sinceritatem, quam tu et communitas Venetorum erga Romanam ecclesiam habetis, propensius attendentes, sperantes etiam[n] quod in eadem devotione firmi et stabiles persistatis quodque[o] ad occupandum regnum Scicilię[p], quod est beati Petri patrimonium speciale, opem detis et operam efficacem, nobilitati tuę tenore presentium declaramus, quod Barolum et Salpas cum pertinentiis suis et liberam

a) *H. B., P1, 2;* mensis *Bl.* b) *H. B., P2;* diaconis *P1,* dyaconis *Bl.* c) *H. B., P1;* cardinalis *P2,* cardinal *Bl.* d) *H. B., P2;* recipientis *P1,* recipieñ *Bl.* e) scrinarii *P1, ita semper et infra ibidem.* f) *reliqua desunt ap. H. B.* g) *P1, 2;* explicandi *Bl.* h) *Bl.;* et mandato *addit P1.* i) *P1:* cardinal̄ *Bl.* k) *P1, 2:* mensis *Bl.* l) *in Bl. haec inscriptio insuper:* Littera papalis, quod quedam terre dabuntur per eum in pheudum domino duci Venetiarum, si per eum detur opera ad recuperandum regnum Sicilie. m) D duci *P1, Bl.* n) *P1;* etiam *deest Bl.* o) *Bl.:* quidquid *P1.* p) *P1, Bl.;* Sicilię *P2.*

curiam ac iurisdictionem inter Venetos nec non plenam libertatem et immunitatem ac habere consules inter Venetos de Venetis in regno Scicilię, ducatu Apulię, Calabria, principatu Capuę et in omni alio loco regni, quem tuo et ipsius communitatis auxilio contingerit occupari, tibi et per te communitati prędictę, postquam ea fuerint occupata, in fęudum perpetuum concedemus; ita tamen quod tu iures te omnia et singula capitula servaturum, quę in instrumento conventionis inter Romanam ecclesiam et te ac communitatem Venetorum inite, confecto per manum dilecti filii Nicolai de Ferentino scriniarii camarę[a] nostrę, contineri noscuntur, successoribus tuis iuramentum simile prestituris, et quod tu et ipsa communitas facietis illum vel illos, qui per vos predictis locis, videlicet Barulo et Salpis, pręerunt, quandocumque et quotienscumque renovabuntur ibidem, apud Venetias, et omnes Venetos, qui nunc habitant vel habitabunt in locis eisdem, omnesque alios cohabitatores ipsorum apud eadem loca semel iuramentum fidelitatis nobis et successoribus nostris et ecclesię Romanę prestare, in eius[b] vel illorum presentia, cui vel quibus nos et successores nostri hoc duxerimus committendum. Postea vero ille vel illi, qui per vos pro tempore locis pręfuerint memoratis, et omnes alii locorum habitatores ipsorum tibi fidelitatis exhibere poterunt iuramentum, fidelitate tamen nostra et successorum nostrorum et ecclesię Romanę in omnibus semper salva.

Data Anagnię, octavo Kl. Octobr. pontificatus nostri anno tertiodecimo.

835.

Gregorius IX papa [Iacobo Teupolo] duci Venetorum notum facit se curaturum esse, ut is, cui regnum Siciliae committatur, pactiones initas se servaturum iuret.

1239, Sept. 24.

Damus epistolam 1) ex copia Lib. Pact. t. I, f. 308, 2) t. II, f. 58, ex Libro Blanco n. 64. Cf. n. 833.

Gregorius[c] episcopus servus servorum Dei dilecto filio nobili viro duci Venetorum salutem et apostolicam benedictionem.

Nobilitati tuę volumus esse notum, quod ecclesia curabit et faciet, ut is, cui ab ecclesia regnum Scicilię committetur, iuret se pactiones et conventiones inter ipsam et te ac Venetorum communitatem initas servaturum, prout in publico instrumento per manum dilecti filii Nicolai de Ferentino scriniarii camarę[d] nostrę confecto noscitur contineri, dummodo ille vel illi, qui per te ac communitatem eandem pro tempore Barolo et Salpis pręfuerint, tibi et communitati predictę a nobis et ab ecclesia Romana in fęudum perpetuum, si prędictum regnum occupari contingerit, concedendis, in eius vel illorum presentia, cui vel quibus nos et successores nostri hoc duxerimus committendum, exhibeant apud Venetias iuramentum, quod non erunt in dicto, facto, consilio vel consensu, ut illa persona, cui prefatum regnum fuerit ab ecclesia Romana commissum, et eius successores perdant vitam vel membrum, terram, honores, dignitates aut alia bona sua, quę habebunt in regno prędicto, sive ipsorum mala capiantur captione persone.

Data Anagnię, octavo Kal. Octobris, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

a) *P2, Bl.;* camerę *P1.* b) *P1:* cuius *Bl.* c) *in Bl. haec inscriptio:* Alia littera papalis, quod ecclesia curabit et faciet, quod is, cui ab ecclesia regnum Sicilie committetur, iurabit pacta observare nobiscum. d) *P2, Bl.;* camerę *P1.*

836.

Gregorius IX papa [Iacobo Teupolo] duci Venetorum promittit, si exercitus ecclesiae in regno Siciliae aliquod mobile acquirat, Venetos ex eo secundum ratam expensarum consecuturos esse portionem. *1239, Sept. 24.*

Damus epistolam 1) ex copia Lib. Pact. t. I, f. 309, 2) t. II, f. 58, 3) ex Libro Blanco n. 65. Cf. n. 833.

Gregorius[a] episcopus servus servorum Dei dilecto filio nobili viro duci Venetorum salutem et apostolicam benedictionem.

Cum ad quem onus spectat, et emolumentum debeat pertinere, ut qui labore atteritur, consolationis remedio foveatur: auctoritate presentium duximus statuendum, ut si contingerit exercitum ecclesię in regno Sicilię aliquod mobille[b] acquirere vel lucrari, ex eo secundum ratam expensarum, quas tu et commune Venetorum in negotio facietis, consequamini portionem[c].

Data Anagnię, octavo Kal. Octobr. pontificatus nostri anno tertiodecimo.

837.

Gregorius IX papa [Leonardo] electo Gradensi et Gradensi et Castellano archidiaconis mandat, ne Venetos, quamdiu exercitus eorum in servitio ecclesiae persliterit, a quoquam molestari permittant. *1239, Sept. 24.*

Damus epistolam 1) ex copia Lib. Pact. t. I, f. 309, 2) t. II, f. 59, 3) ex Libro Blanco n. 66. Cf. n. 833.

Gregorius[d] episcopus servus servorum Dei dilectis filiis electo Gradensi et . . Gradensi et . . Castellanensi[e] archidiaconis salutem et apostolicam benedictionem.

Cum dilectum filium nobillem virum . . ducem et communitatem Venetorum sub protectione beati Petri[f] et nostra receperimus speciali et ipsos in ecclesię obsequio persistentes nos deceat apostolico presidio confovere: discretioni[g] vestrę[h] per apostolica scripta mandamus, quatenus dictos ducem et communitatem, quandiu eorum exercitus in servitio apostolicę sedis eundo, stando vel redeundo perstiterit in regno Sicilię occupando, in personis aut rebus seu terris districtus eorum non permittatis a quoquam indebite molestari, molestatores huiusmodi per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis[i] interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur.

Data Anagnię, octavo Kalendas Octobris, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

a) *inscriptio in P1 et 2:* Littera papalis, quod habebimus de lucro Sicilię nostram partem; *in Bl.:* Item alia l. p. qu. h. de regno S. n. p. b) *P1;* mobile *P2;* nobille *Bl.* c) *P1;* partionem *P2, Bl.* d) *inscriptio in Bl.:* Item alia littera papalis. e) *P1;* Castellanis *P2;* Castellan *Bl.* f) *P1, 2;* Pauli *Bl.* g) *P2;* discrepationi *P1, Bl.* h) *Bl.;* nostre *P1.* i) *P1, 2;* potueris *Bl.*

838.

Gregorius IX papa [Iacobo Teupolo] duci Venetorum notum facit, si pacem inter ecclesiam et F[ridericum] dictum imperatorem reformari contigerit, se eum et communitatem Venetorum in hac pace positurum esse. *1239, Sept. 24.*

Damus epistolam 1) ex copia Lib. Pact. t. I, f. 330, 2) f. 332. Cf. n. 833.

Gregorius episcopus servus servorum Dei dilecto filio nobil viro duci Venetorum salutem et apostolicam benedictionem.

Nobilitati tuę volumus esse notum, quod si contigerit inter Romanam ecclesiam et F. dictum imperatorem pacem et concordiam reformari, ecclesia te et communitatem Venetorum ponet in pace cum eo. Et si postquam nos te ac communitatem eamdem sub protectione recepimus[1], aliqua, quę ad te vel ducatum tuum pertinere noscuntur, per prędictum F. tu vel ducatus tuus ammisistis seu ammiseritis durante discordia: ecclesia Romana faciet in pace, quod tibi et eidem ducatui restituantur ammissa. Quod si postmodum idem F. tibi vel ducatui tuo pacem fregerit memoratam et monitus ad mandatum ecclesię infra tres menses satisfacere non curarit, ecclesia in eum ex tunc tamquam contumacem ecclesiastica censura procedet.

Data Anagnię, octavo Kal. Octobris, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

Ego Gabriel Paulinus, notarius et ducalis aulę Venetiarum cancellarius, hoc exemplum sumptum ex autentico domini Gregorii papę noni eius bulla pendenti roborato scripsi de mandato domini Iacobi Teupuli Dei gratia incliti ducis Venetiarum, currente anno ab incarnatione domini nostri Iesu Christi MCCXLIV[a], die VI intrante mense Aprilis, indictione II[b], Rivoalti in palatio ducatus Venetiarum.

a) V *1.* b) III *1.*

1) *a. 1238, Dec. 5; cf. n. 735, quae epistola etiam in copia Lib. Pact. t. I, f. 331 legitur, ubi praeterea f. 332 eius confirmatio ab Innocentio IV data* Anagnię, quarto Nonas Iulii, p. n. a. primo *et f. 316 alia ab Alexandro IV data* Neapoli, Kal. Februarii, p. n. a. primo *relatae sunt, quae omnes cum n. 735 ad verbum concordant.*

INDEX NOMINUM.

Maior numerus indicat paginam, minor lineas quinas.

B.

D.

Q.

R.

S.

W. Gu.

GLOSSARIUM.

adheredare, *mittere in possessionem*, 18, 19, 10; adhereditare 19, 10.

affictus, *census* 204, 5.

affidare 157, 5. 164, 1. 500, 10.

agon, *ἀγών* 50, 10. 174, 20.

albergaria 23, 25. 131, 25.

ambassator, ambaxator 376, 15. 577, 15. 580. 595, 5. 714, 20. 715, 10.

angaria 270, 20. 322, 1. 626, 1. 651, 10. 726, 35.

antidodum, *antidotum* 206, 20.

apertura, *praeparatio navis* 698. 699, 15.

apostasia monachatus 232, 15.

apparitor 585, 30.

aquae ferventis inditium 215.

archivium memoriae 279, 10.

arenga 402, 1.

arra 698, 40.

assectatores, *magistratus Romanus* 525, 5. 528, 40.

assisiae, ascisiae regni Ierosolim. 555, 30. 571, 35. 572, 30.

astur, *accipiter maior* 106, 30. 116, 15.

augea, *Germ. Au* 200, 35.

avertere, *advertere* 22, 15.

baiulatio 310, 5; baiulationis officium 555, 35. 572, 1.

bandus, *bannus* 361, 25. banditus 208, 25.

barattator, *deceptor* 653, 30.

barbotta, *species navis* 89, 30.

barcha 714, 35.

benefacte adheredare 18, 1.

biscottus *scil.* panis 301, 5.

bizantius, bizantius auri 162, 25. 163; b. aureus sarracenatus de Babylonia 162, 30.

bladum 677, 10.

boscus 201, 40.

braccus, *canis sagax* 106, 30. 116, 15.

brachae, *femoralia* 546, 30.

burchwardus 463, 1.

burgenses 223, 25. 225, 25. 563, 30. 586.

calumpniae iuramentum 621, 30.

camera sedis apostolicae specialis 552, 1.

caminata, *camera* 262, 35.

candidati, *sancti* 28, 20.

canonem latae sententiae incurrere, canonem incurrere, in canonem incidere 172, 25. 426, 5. 657, 5; canonem promulgare 570, 5.

carrata cervisiae 82, 5.

carrotium 41, 10.

cassarum, turris vel cassarum 670.

cedones, cerdones? 169, 30.

celandra, calendra, *navis oneraria* 283. 731, 30.

cervisia 82, 5.

cirographum 76, 40.

comestio, comestionis pabulum 507, 20. 509, 25.

cometia, *comitia*, *comitatus* 16, 30.

comitus, *comes* 697, 30.

concambium 227, 10. 284, 15.

concludere *v.* renuntiare.

coniectus, *contributio* 276, 10.

corredium, *praestatio cibi* 665, 35.

crocea, *genus chlamydis longae* 651, 20.

cursarii 494, 20.

dalmatica 499.

data, *tributum* 290, 35; datio, quae directus vulgariter dicitur 312, 20.

deferre, *differre* 385, 5.

demereri, *non mereri* 663, 15.

denariorum senatus, de senatu libra 91, 5. 236, 15.

desidium, *discidium* 355, 25.

dextrarius, *equus maior* 734, 10.

diffidare 26, 30. 208, 25. 292, 40. 521, 30. 617, 1. 618, 30. 648, 5; diffidatio 526.

directus *v.* datio.

dotalicium 17, 25. 108, 10. 351, 25.

duana 32, 1. 139, 35; duana salis 312, 30.

duellum 239, 35. 240, 15.

episcopare 125, 30.

equitatura 103, 15.

evectio 152, 15. 223, 40. 332, 5. 495, 30. 562, 15. 679, 30.

excambium 32, 5. 196.

exemplare instrumenta 736, 15.

exennium 647, 20; exennia, quae salutes vulgariter nuncupantur 321, 15.

exercitum vel masnadam facere 361; exercitum facere alicui 669, 35; *cf.* hostis.

exfortium 180, 1. 181. 293, 25. 323, 15. 324.

falangaticum 312, 20.

femoralia 209, 5.

ferri candentis inditium, ferrum candens, ferrum 215, 25. 239, 35. 240, 15.

ferto auri, *moneta* 15, 1. 223, 35. 226, 1.

fidantia, *praestatio*, *tributum* 120, 15.

fidei commissum 669, 1.

fiscus 208, 30.

fodere parietes domorum 360, 10; fossores domorum 387, 30; fossio domorum 522, 10. 526, 35.

fodrum 108, 35. 109. 110, 1.

forestatio 120, 15.

forfactura 204, 5. 322, 20.

formalis, *aquaeductus* 507, 35. 508, 1.

fossatum, *vallis* 507. 508, 1.

fredum 276, 10.

furnale, *fornax salis* 201, 30.

garba, *Germ. Garbe* 513.

gattus, *cattus*, *felis* 433.

gazophylacium Domini 543, 35.

gedinge 224, 40.

gelia, *verbum Sarracen. in Aegypto*, Latine tributum 162, 25.

grangia, *granea, horreum* 331. 40.

gurgustra, *gurgustium, nassa* 246.

Hare! Hare! 621, 20.

erbaticum 120, 15.

homagium 289, 30. 319, 10.

hostagius, ostagius, *fideiussor* 19; hostagiaria, ostagiaria 19.

hostem, *expeditionem bellicam*, facere alicui 507, 20; *cf.* exercitus.

hovemarchia 387, 1.

yconimus, *oeconomus* 44, 25.

identitas 392, 35.

ydioma, *lingua* 418, 20.

ignis, *morbus* 235, 30.

imperialis libra 561, 30.

inbeneficiatus 146, 5.

infronitus, *infrunitus* 616, 1.

iniuriator 194, 15.

inquilinus 146, 5.

interesse, *usura* 621, 20.

interlocutoria, *interlocutio* 214. 215, 10.

invasus, *vassallus* 154, 15. 155, 20.

iudaizare 411, 25.

karubba, *moneta Aegyptiaca* 162

Lanifices 169, 30.

lar patrius 605, 35.

laudum, *sententia arbitri* 560, 10.

ligius vassallus, ligii homines 572, 15. 638, 5.

liti 276, 10.

logerium, *locarium* 698, 10.

magisterium, *praeparatio navis* 698.

magnenses, *magnates* 187, 30.

malagma, *μάλαγμα* 288, 30.

malatolta, *exactio* 419, 15.

mallus 276, 10.

marabotinus, *moneta Hispaniensis* 90, 10.

marte inferiori contendere 418, 5.

masnada vel exercitus, *expeditio militaris* 361.

massarius, *villicus, popularis* 361. 362.

maximutinus obolus, *moneta Sarracenorum* 90, 10.

medianus, *dimidia pars denarii imperialis* 564, 30.

miliacius panis 651, 25.

miramamolinus, *cognomen soldani Maroccani* 423.

mitra 21, 30.

monetarii 225, 25.

monomachia 215, 25.

mortua manus, *servitus quaedam* 719, 30.

munitiones, *tela* 697, 30.

naroc, *Bohem. accusatio* 146, 20.

nauclerius, *ναύκληρος* 697. 698, 10.

naufragium 239, 35. 240, 15; *cf.* 104, 1. 312, 40.

naulum, naulus, *ναῦλον* 654, 20. 685. 686. 687. 688, 1. 698, 10. 731.

normandia 540, 20.

notaria, *officium notarii* 208, 40.

novercari 279, 30; n. institiae 352, 5.

obrizum 507, 10.

octonarii populi 120, 5.

ordinamentum 247, 15. 248, 30. 250, 10. 427.

paganismus 81, 20.

panetarius papae 91, 1.

parafridus, palafridus 276, 10. 420. 421, 1.

parangaria, perangaria 270, 20. 322, 1. 626, 1.

paraninphus ecclesiae 151, 5.

parata, *expensae ad hospitium faciendae* 276, 10.

pargamenum 200, 25.

parlamentum facere alicui 507, 20.

passagium, *tributum a transeuntibus exigendum* 146, 15. 312, 20. 331, 40.

pedagium 72, 35. 120, 15. 155, 30. 156, 1. 236, 20. 312, 20. 319, 10; pedagium salinarum 609, 1.

pelliparii 169, 30.

pensionem assignare 463, 20. pensio annua 508, 30.

personatus, *dignitas ecclesiastica* 597, 30.

petentarius, *pitantiarius, distributor ciborum* 697, 30.

phitonissa, *phytonissa* 391, 10. 436, 25. 437, 20.

plateaticum 120, 1. 310, 5.

plectrum linguae 174, 1.

plegius, *fideiussor* 87, 30.

podilae, *Slav. usurarum lucra* 657, 20.

podere, *possessio* 23. 115.

pomum aureum imperatoris 279.

ex postfacto 609, 15.

potestaria, *officium potestatis* 295, 1. 328, 5.

praeambulus Antichristi 653, 25.

praeditus, *praelatus, praepositus* 369, 25.

praeludium praeconceptae spei 153, 35.

praetorium ius 568, 30.

proportionare 209, 15.

protentiatus galearum, potentialus? 312, 20.

puzulana, *Puteolanus pulvis* 204, 10.

quietus et solutus, *is cui in pecunia satisfactum est* 698, 40.

ratihabitio 332, 20.

realis responsio 602, 10.

renegati 163, 1.

renuntiare et concludere 670.

robor, *rubor* 379, 10.

roncinus, *equus minor* 734, 10.

sagitea, *navis velox* 714, 25.

salarium 521, 30. 564, 25. 586, 1. 608, 35. 622, 1. 700, 20.

salutes *v.* exennium.

sandalia 499, 25.

sarracenatus *v.* bizantius.

scola, fraternitas pro animarum remedio 466, 5.

senatus denarii *v.* denarii.

serviens, *famulus* 621, 20.

siccla, *aedes, in qua moneta cuditur* 32.

syndicatus 735, 20.

soldi, *solidi* 509, 20; solidi, *stipendium* 698, 5.

in solidum obligare 636, 30.

solutus 698, 10; *v.* quietus.

somarium, summarium, *equus clitellarius* 120. 121, 1.

stallum in choro 274, 15. 396, 15.

sterlingus, sterlingums 90, 5. 91. 431, 15. 621, 15. 622. 636, 25.

stolium, *classis* 124, 5.

strata publica 30, 25. 233, 15; stratarum violatores 233, 20; *cf.* 319, 40.

subtani, *nautae* 697, 25. 698.

supani, *Bohem. praefecti, castellani* 63, 15.

superiores, *nautae* 697, 25.

superpellicium 463.

supersalientes, *armati navi praesidio dati* 697, 30. 698.

talentum 196, 30.

tallia 72, 25. 203, 10. 270, 20. 292, 25. 331. 388, 15. 574, 35. 596, 35. 638, 1. 651, 10.

tarenus auri, *moneta* 32, 1. 312, 25.

tarida, tareda, *navis oneraria* 697—699. 700, 15. 701. 702, 5. 710, 10. 714, 25.

teneamen 699, 25.

tenuta 169, 25. 570, 35. 572, 5.

terra, *terra civitatis, civitas ipsa* 668, 15. 705, 20.

terraticum 120, 15.

terratorium, *territorium* 204, 5.

tertiaria, *tributi species* 597, 30.

theloneum, toloneum 72, 35. 117, 20. 146, 15. 239, 35. 240, 15. 331, 40. 461, 35. 654, 20.

thesaurizare 270, 45. 361, 35.

typarium, tiparium 219, 40. 250, 30. 428, 5. 439, 30. 736, 1.

tonsor, *miles levis armaturae* 300, 10.

trabucettum, *catapulta* 89, 30.

turcopulus, *miles levis armaturae* 300, 10.

de turno balista, *arbaleste à tour* 697, 30.

urna salsuginis 201, 30.

usserium, usccrium, uscherium, *navis oneraria* 171, 30. 685. 688. 699. 700, 10. 701, 10.

usuagium 201, 10.

vacatura 597, 10.

valentia, *valor* 90, 5. 107, 25. 236, 15.

vas, vasum, *navis* 75, 30. 301, 5. 700, 10. 709, 35. 727, 40.

vassalagium 515, 1.

vastinae, *terrae incultae* 563, 5.

venae salis 331, 35.

vestararius 388, 5. 479, 20. 525, 5. 528.

vivanda, vianda 698. 734, 10.

voglerius, *leg.* vogherius, *remex* 698, 15.

guarnire 698, 10.

guerpire, *possessionem rei dimittere* 18, 15.

winagium, guinagium 17.

INDEX INITIORUM.

*Numeri numeros epistolis antepositos indicant. Epistolae aliis insertae verbo 'sub', eae quarum initia vel certe vel fortasse mutila sunt, asterisco * notatae sunt.*

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pag. 1; *ep.* 1 *integra legitur in Bibl. Patrist. Hon. III. ep. Lib. I. n. 1, ubi in fine additum est:* In eundem modum patriarche Ierosolimitano et Christiano populo Terre Sancte. Item magistro et fratribus militie Templi. Item magistro et fratribus Hospitalis Ierosolimitani. Item patriarche Antiocheno: *cf. Potth. Reg. Add. I.* — *p.* 2, *l.* 11 *leg.* Numquid. — *p.* 5, *l.* 2 *add. ex Cod. Nordkirchensi saec. XVII., in quo 60 ep. ex Hon. III. Reg. Lib. I et II selectae continentur, ad quem codicem V. Cl. L. Weiland attentos nos fecit, cf. Archiv. Zeitschrift, t. III, a. 1878, p. 31:* Postulasti per sedem apostolicam edoceri, utrum tibi quasdam decimas, quas quidam antecessores tui pro quibusdam villis religiosis concessere quibusdam, auctoritate tibi liceat propria revocare; ad quod tibi duximus breviter respondendum, quod si concessionem talem contra canones in ecclesie tue preiudicium videris attemptatam, ipsam debes auctoritate superioris legitime revocare. Subsequenter etiam quesivisti an *etc.* — *p.* 8, *l.* 31 *leg.* respiret et. — *p.* 13: *ad n.* 16 *add.* '*Potth. Reg. Add. I. 5498 g—25855*', *ad n.* 17 '*Potth. 5498 f—25854*'. — *l.* 5 *leg.* assensu, libertatem. — *l.* 14 *leg.* assensu, villas. — *l.* 25. *leg.* assensu, decimas. — *p.* 15: *ad n.* 20 *add.* '*Potth. 5504 d—25870*'. — *p.* 17, *l.* 36 *leg.* Gervlith; *l.* 44 Ghervlieth; *v. Indicem.* — *p.* 18, *l.* 6 *add. notam:* '*leg.* Scondes, *cf. p.* 19, *l.* 4 *et Kluit l. c.; Reg.* Scondes'. — *p.* 20: *ad n.* 23 *add.* '*Potth. 5504 g—25873*'. — *p.* 21: *ad n.* 24 *add.* '*Potth. 5504 h—25874.*' — *p.* 24, *l.* 11 *leg.* assensu, ecclesiam. — *p.* 25, *l.* 1 *add. inscriptionem:* Universis fidelibus nostris per Tusciam constitutis. — *p.* 27, *l.* 27 *add. ex Cod. Nordkirchensi.* Cum in concilio generali, si vestra recolit sanctitas, domini Compostellanus et Toletanus archiepiscopi et omnes qui aderant de Hispania episcopi cum quanta potuerunt instantia instíterint apud dominum papam Innocentium sancte memorie, ut remissionem, quam Terre Sancte subvenientibus concesserat, concederet et in Hispania expugnantibus Sarracenos, et responsum fuerit (fuisse *Cod.*) eis a domino papa de consilio cardinalium, quod si guerra esset contra Sarracenos in Hispania, libenter ibidem plenam concederet remissionem, sanctitati *etc.* — *p.* 29, *l.* 41 *leg.* '*Sanctius VII*'. — *p.* 32; *ep.* 40 *ab Hon. III. confirmata est* XI. Kl. Apr. a. II., Iustis petentium desideriis; *ep.* 41 XII. Kl. Apr. a. II., Iustis petentium etc.: *Cod. Nordkirch.* — *p.* 46, *l.* 26 *add.* '*sub Apr. 12. Pertzius in arch. Bremensi duo huius epistolae authentica bullata vidit et descripsit, quorum alterum ut Reg. exemplar* Rome ap. S. Petrum, VI. Non. Maii, *alterum* Laterani, II. Id. April. *datum est; cf. Brem. U. B. t. I, p. 675 et Praef. nostram*'. — *p.* 53, *l.* 25 *add. notam:* '*immo* anno tertio; *cf. p. 92, not. a et Praef. nostram*'. — *p.* 59, *l.* 34 *leg.* princeps; *v. p.* 60, *l.* 18 *et Bouquet t. XIX, p. 668; Rayn.* principes. — *p.* 73, *l.* 9 *leg.* '*[Brunwardo] Suerinensi*'. — *p.* 83, *l.* 27 *et p.* 91, *l.* 33 *leg.* '*Conrado scholastico Moguntino*'. — *p.* 91, *not.* 5 *leg.* '*cf. n. 176*'. — *p.* 121, *l.* 3 *leg.* semper. — *p.* 128, *l.* 41 *del.* '*II*'. — *p.* 151, *l.* 6 *leg.* '*1223 circa April. 26 et April. 26.*' — *p.* 157, *l.* 10 *leg.* consolabitur. — *p.* 158, *l.* 16 *leg.* '*1223*'. — *p.* 211, *l.* 37 *leg.* appellantem in expensis legitimis. — *p.* 216: *auctor ep. 296, ut Salimbene a. 1250, in Mon. Parmens. p. 194, narrat, Thomas de Capua fuit.* — *p.* 232, *not.* 2 *leg.* '*in Mittelfranken e meridie civit. Gunzenhausen*'. — *p.* 240, *not. b leg.:* '*ita R; leg.* Revelensi; Revaliensi *A.*' — *p.* 251, *l.* 12 *et p.* 258, *l.* 27 *pro* '*Wilhelmo*' *leg.* '*Bonifacio III.*' — *p.* 254, *l.* 33 *leg.* '*pro quo Wilhelmus marchio*'. — *p.* 264, *l.* 15 *pro* diserte vobis *apogr. leg.* discretioni vestre: *nam in Reg.* dis v *extare putamus.* — *p.* 264, *not. d leg.* Cunring. — *p.* 265, *l.* 30: *V. Cl. I. Ficker, qui etiam complura mendorum infra correctorum benevole nobis monstravit, nos admonuit, sub 'abbate Moracensi' abbatem monasterii Mosacensis (Mosach, Moggio) ad Fellam flumen constructi et sub 'praeposito de Garnech' praepositum ecclesiae S. Petri in Carnia reconditos esse videri, id quod nobis quoque propter situm locorum valde probabile est.* — *p.* 280, *l.* 37 *add.* '*Lib. I, 178*' *ex apographo epistolae codicis Bibl. Vallicell. I. 54 ex Reg. conscripti, quod V. Cl. E. Winkelmann nobis communicavit.* — *p.* 292, *l.* 19 destruxisti *apogr. Pertzii; Huillard-Bréholles et Theiner ex Reg.* construxisti *praebent, quod etiam cum verborum compositione melius congruit.* — *p.* 295, *l.* 1 *leg.* et vos; et nos *apogr.; cf. p.* 328, *l.* 3. — *p.* 316, *l.* 39; *apparet verbum* Christiani *finem primae formae epistolae inter Iul. 1 et 7 exaratae fuisse; num eadem alicui missa fuerit, non constat.* — *p.* 318, *l.* 8 *pro* sub apostolice obedientie firmitate

apogr. leg. sublato appellationis obstaculo firmiter; *cf. p. 475, not. a.* — *p.* 318, *l.* 17; *V. Cl. I. Ficker nobis significavit n. 399 sine dubio iam Coena Domini a. 1229 (Apr. 12) promulgatum esse, cum pax inter imperatorem et soldanum inita inibi commemorata non sit; id quod nos utique agnoscimus, existimantes libellum inter epistolas mensis Aug. Regestis insertum esse, quia tunc temporis alicui missus sit.* — *p.* 320, *not.* 3 *leg.* '*Rocca d'Evandro e meridie et oriente S. Germani*'. — *p.* 327, *l.* 26; *V. Cl. I. Ficker ep. 410 ante ep. 377, quacum verbis concordat, et eodem fere tempore atque ep. 375 scriptam putat, id quod nobis probabile non est 1) propter ordinem Regestorum, 2) propter finem ut credimus cogitate discrepantem, 3) propter verba p. 328, l. 3:* et vos ab imperatoris fidelitate absolverimus universos, *quae verba recte episcopis Tusciae (n. 377), Eugubino vero proprie dici non potuerunt.* — *p.* 359, *l.* 27 *leg.* quia — quod — quia; *Reg.* quia — quia — quia. — *p.* 373, *l.* 20 *leg.* devotioni. — *p.* 400, *l.* 10 *del.* '*et de alia — 369*', *cum haec non fuerit legatio imperatoris.* — *p.* 414, *l.* 23 *leg.* Accepimus. — *p.* 421, *l.* 18 *leg.* Gregorii[1]. — *p.* 426, *not.* 2 *leg.* '*Scil.* Romana; *etiam curiae ab imperatore Ravennae habitae a. 1231, Dec. interfuit, Huillard etc.*' — *p.* 428, *l.* 39 *leg.* '*argenti*'. — *p.* 456, *l.* 31 *leg.* excommunicato, abalienati retrorsum matris. — *p.* 503, *not.* 5 *leg.* '*Berengariae matri Ferdinandi III.; cf. n. 762*'. — *p.* 510, *l.* 35; *V. Cl. A. Mau nobis confirmavit formam secundam in margine postea adscriptam esse; id quod non ante Sept. a. 1237 factum esse ex n. 711 conicimus.* — *p.* 602, *l.* 1 *leg.* compromissi. — *p.* 612, *l.* 1; *Henricus ille alias* de Revello *vel* de Rivello *appellatur.* — 633, *not.* 3 *leg.* '*Ottonis ducis Meraniae, cuius uxor secunda Sophia filia Henrici I. comitis de Anhalt fuerat; cf. Oefele, Gesch. der Grafen von Andechs, p. 32*'. — *p.* 656, *l.* 3 *leg.* iuraverint. — *p.* 656, *l.* 8 *leg.* '*[Conradum] lantgravium*'; *cf. Annal. Erphord. a. 1238, SS. XVI, p. 32. Similia verba ep. 754 nobis nihil valere videntur.* — *p.* 657, *l.* 38 ne aliquam in *corrigendum videtur.* — *p.* 693, *l.* 38 *leg.* assignare. — *p.* 730 *l.* 24 *leg.* recepture. — *p.* 732; *epistolam 832 iam Huillard-Bréholles, l. c. t. IV, 881, not. ex Cod. Vindob. edidit eamque aestati a. 1236 adscripsit.* — *p.* 748; *add. ad Conradum lantgravium Thuringiae* 656. — *p.* 761; *add. ad Ottonem ducem Meraniae* 633, uxor: Sophia. — *p.* 765; *leg.* Petra de Tocco *oc. Beneventi.*

CIRCULATE AS MONOGRAPH